3 1761 08824878 6

Toronto University Library

Presented by

Messrs Joseph Baer & Co

through the Committee formed in

The Old Country

to aid in replacing the loss caused by

The disastrous Fire of February the 14th 1890

Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/bibliothecahisto02scho

LL.Bb
S3655b

CAR. TRAVGOTT GOTTLOB
SCHOENEMANN

REG. BIBL. ACAD. GOETTING. A SECRETIS

BIBLIOTHECA

HISTORICO-LITERARIA

PATRVM LATINORVM

A TERTVLLIANO PRINCIPE

VSQVE AD

GREGORIVM M. ET ISIDORVM
HISPALENSEM

AD BIBLIOTHECAM FABRICII LATINAM

ACCOMMODATA

TOMVS SECVNDVS

LIPSIAE

IN LIBRARIA WEIDMANNIA

MDCCXCIIII.

14390
31|7|91

VIRO PERILLVSTRI

CHRISTIANO GOTTLOB HEYNE

S. R. MAIESTATI BRITANN. A CONSILIIS AVLAE IN ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA ELOQVENTIAE ET HVMAN. LITERARVM PROFESSORI ET BIBLIOTHECAE REGIAE SVPREMO PRAEFECTO CAET.

PATRONO AC PRAECEPTORI

CVIVS INSTITVTIONI CONSILIIS ET PATERNAE PENE RERVM MEARVM CVRAE CVM TANTA DEBEAM QVANTA EGO NVNQVAM SAT AVT DIGNE SATIS PRAEDICARE POTERO

PIVM ET GRATVM ANIMVM TENVI HOC MVNVSCVLO TESTIFICATVRVS

D. D. D.

CAROLVS TRAVGOTT GOTTLOB SCHOENEMANN.

LECTVRIS
S.

En alteram bibliothecae noſtrae partem. Comprehenſuram eam ſperabam omnes qui tractandi ſupereſſent, patres; ſed tantum ſpatii vnus ſibi vindicauit Auguſtinus, vt, niſi iuſtam voluminis amplitudinem nimis longe fuiſſem exceſſurus, ne omnes quidem quinti ſaeculi patres in illud redigere liceret. Reſtat igitur tertius operis tomus, omne tandem, quodcumque reliquum eſt, exhibiturus, quamque primum poterit, publicandus.

Laudauerunt Viri Docti diligentiam, qua in exponendis prioribus vſus eſſem. Eandem et in adornandis iis, quae nunc publici iuris facio, ſeruare eo intentius ſtudui, quo maiores Iiſdem habebam ſemperque habebo gratias propter inſignem, quacum labores meos exceperunt, beneuolentiam. Neque indignius ea crediderim alterum hocce volumen, licet multis in locis mihi adeo diſpliceat. Sic ipſe, vt alia in Aurelio, Pelagio, Petro Chryſologo et fortaſſis etiam in Caſſiano et Leone M. iudicio non ſatis ſeuero admiſſa taceam, maxime vitupero prolixitatem, qua *Maximi Taurinenſis* homiliarum at-

que ſermonum codices manuſcriptos enumeraui et recenſui, nec ſatis tempeſtiue dicendorum affluente copia obrutum me perpendiſſe doleo, nimis tenues atque ieiunas, omnique fere ad amplificandas excolendaſue literas momento deſtitutas eſſe iſtas antiquitatis reliquias, quam vt tantum ſpatii, quantum abripuerunt, concedi ipſis debuiſſet. Condonabunt ea hiſque ſimilia Iudices, quorum aequitatem atque facilitatem iam in ſententiis de priori volumine ſatis admiratus ſum.

Quae addenda operi corrigendaue iam nunc reperi continuandaque diligentia adhuc ſum reperturus, ea tertio, quod paro, volumini adiiciam. Neque tamen hoc in loco praetermittenda eſt mentio quatuor *Auguſtini* libellorum, quos, quum typis iam, quae dicenda de eo habuiſſem, exſcripta eſſent, latebrarum, in quibus hucuſque latuerant, obſcuritati ereptos in Clariſſimi FONTANI, bibliothecae Riccardianae praefecti, *Nouis Eruditorum Deliciis ſ. Bibliotheca veterum ανεκτοδων opuſculorum* eiuſque parte tertia, Florentiae anno, qui proxime anteceſſit, publicata, deprehendi. Sunt autem ii

1) libellus *de Oratione.* Depromſit eum Vir Doctiſſimus e codice II. Plutei XII. bibliothecae

cae Mediceo - Laurentianae, ineunte ſaeculo XV. eleganter in membranis ſcripto, contulitque eundem cum altero pariter membranaceo ſaeculi XIII., quondam bibliothecae Minorum Sanctae Crucis, nunc IV. Plutei XVIII. eiuſdem b. Med. - Laur., qui idem ipſi eſſe videtur ac qui in cod. LXVIII. bibliothecae Venetae exſtat, quum eius catalogus aeque ac ſuus opuſculum Auguſtino tribuat.

2) Tractatus *de quatuor virtutibus charitatis*, exſcriptus ex codice XI. membraneo Plutei XXI. ſaeculo itidem XV. ſcripto, collatuſque cum altero Plutei XXIII. N. XIV. ſaeculo, vt videtur, XIII. exarato, cuius ope prioris calligraphi nonnulla errata emendare lacunamque implere valuit editor acutiſſimus.

3) Homilia *in quartam dominicam de Aduentu* ab Auguſtino ad populum habita, atque ex vetuſto Homiliario ineunte ſaeculo XII. conſcripto ſeruatoque in eadem bibliotheca codice I. Plutei XIV. ſumta.

4) Sermo *in circumciſione Domini*, in quo praecipua de laudibus vnitatis eccleſiae profert, ex Homiliario III. Riccardianae bibliothecae, cui praeeſt Doctiſſimus *Fontani*, ineunte ſaeculo XI. a peritiſſimo librario ſcripto depromtus.

Iure autem iſtos libellos Auguſtino tribuendos eſſe inde efficit Vir Sagaciſſimus, quod tales vere ab eo profectos eſſe Poſſidii Calamenſis index doceat, genuinoſque eos, quos exhibeat, eſſe ſingularis Auguſtineae orationis atque dictionis ſpecies, quam omnem prae ſe ferant, aperte oſtendat. Praeterea vero ſpem facit, fore, vt alia adhuc eiuſdem patris opuſcula cum eruditis communicet. Goettingae, die XXII. Iunii. MDCCLXXXXIIII.

Quod nobiſmet ipſis iam, dum in hoc volumine abſolvendo verſabamur, aegritudine ex rei valde adamatae interitu grauiter afflictis non licuit, vt mente ſatis compoſita quae dicenda forent praefaremur: id amore ſuo erga nos dedit et ex ſententia praeſtitit vir integerrimus et ad omne officiorum genus amicis praeſtandum ſemper paratiſſimus Ant. Frid. Wilhelmvs Leiste *Guelpherbytanus*, *Ph. D.*, modo *Regii Repetentium Theol. Collegii Sodalis*, iam vero ad munus *Subrectoris* in *Lyceo Vrbis patriae* honorificentiſſime vocatus. Quo magis itaque cariſſimo viro me obſtrictum ſentio, et quo altius praeſentis beneficii memoria animo noſtro inſidet; tanto grauius deſiderium amiſſae iucundiſſimae eius conſuetudinis fero, gratumque ipſi animum profiteri non poſſum, quin ſimul penitius contriſter optimo et probatiſſimo ſtudiorum et conſiliorum conſorti ac ſocio, cui omne vitae tempus ſupremum numen fortunet, priuatus. Die XVII. Iulii.

Schoenemann.

INDEX

INDEX CONTENTORVM.

Caput quintum, quod ſcriptores Saeculi quinti tantum non omnes, ſed ad Leonis vſque tempora complectitur. Series haec eſt:

Sect.	1.	Aurelius Epiſc. Carthaginenſis -	pag. 1
Sect.	2.	Aurelius Auguſtinus - -	8
Sect.	3.	Fauſtus - - -	364
Sect.	4.	Secundinus - - -	365
Sect.	5.	Sulpicius Seuerus - -	366
Sect.	6.	Chromatius Epiſc. Aquilej. -	411
Sect.	7.	Pelagius - - -	423
Sect.	8.	Coeleſtius - - -	462
Sect.	9.	Annianus Diac. Celedenſis - -	473
Sect.	10.	Oroſius - - -	481
Sect.	11.	Innocentius Epiſc. Rom. - -	507
Sect.	12.	Zoſimus Epiſc. Rom. - -	523
Sect.	13.	Seuerus Epiſc. Minoricenſis -	533
Sect.	14.	Heſychius Salonitanus - -	534
Sect.	15.	Bonifacius Epiſc. Rom. - -	534
Sect.	16.	Marius Mercator - -	541
Sect.	17.	Nicetas - - -	565
Sect.	18.	Iulianus Epiſc. Eclanenſis - -	570
Sect.	19.	Faſtidius - - -	582
Sect.	20.	Leporius - - -	588
Sect.	21.	Paulinus Mediolanenſis -	597
Sect.	22.	Euodius Epiſc. Vzalenſis -	603
Sect.	23.	Vigilius Diac. - -	606
Sect.	24.	Seuerus Epiſc. Mileuit. - -	607
Sect.	25.	Maximus Epiſc. Taurinenſis -	607

Sect. 26.	Ioannes Caſſianus	pag.	669
Sect. 27.	Caſtor Epiſc. Aptenſis		697
Sect. 28.	Coleſtinus Epiſc. Rom.		699
Sect. 29.	Lupus Epiſc. Trecenſis		711
Sect. 30.	Poſſidius Epiſc. Calamenſis		714
Sect. 31.	Hilarius Epiſc. Arelatenſis		721
Sect. 32.	Capreolus Epiſc. Carthag.		732
Sect. 33.	Vranius		737
Sect. 34.	Xyſtus ſ. Sixtus Epiſc. Rom.		738
Sect. 35.	Petrus Chryſologus		746
Sect. 36.	Eucherius Epiſc. Lugdunenſis		773
Sect. 37.	Vincentius Lirinenſis		795
Sect. 38.	Valerianus Epiſc. Cemelienſis		812
Sect. 39.	Saluianus		823
Sect. 40.	Patricius		846
Sect. 41.	Bachiarius		855
Sect. 42.	Leo M. Epiſc. Rom.		861
Sect. 43.	Proſper Aquitanus		1012
Sect. 44.	Hilarius Proſperi		1049
Sect. 45.	Philippus		1052
Sect. 46.	Antonius Honoratus		1054
Sect. 47.	Euſtathius		1056
Sect. 48.	Conſtantius		1057
Sect. 49.	Paſchaſinus		1058
Sect. 50.	Polemius S. Syluius		1059
Sect. 51.	Turibius		1060
Sect. 52.	Leo Bituricenſis		1062
Sect. 53.	Salonius		1063

ADDEN-

ADDENDA ET CORRIGENDA.

Pag. 2. lin. 26. adde *que* poſt *argumentorum.* Ib. lin. 29. l. *quam* pro *quum.* Ib. lin. 31. l. *damnauit* pro *damnarunt.* Pag. 4. lin. 18. l. *Arzugitanam* pro *Arzugitonam.* Pag. 5. lin. 9. l. *Louanienſi* pro *Lauanienſi.* Pag. 9. lin 23. poſt *tempus* inſere comma. Idem facito pag. 10. lin. 21. poſt *numeris.* Pag. 14. lin. 1. poſt *ipſi* inſere *et.* Pag. 16. lin. 1. poſt *ne* inſere comma. lin. 2. pro *maius* l. *magis.* ibidem pro *vt* l. *quod.* Pag. 17. lin. 7. l. *tam* pro *tum.* lin. 15. *ſicubi* pro *ſibi.* lin. vlt. poſt *Benedictinis* comma ponatur pro *puncto.* Pag. 25. lin. 33. l. *opprimerentur* pro *oppreſſum iri.* Pag. 27. lin. 4. l. *qua* pro *quibus.* Pag. 29. lin. vlt. inſere *ad* ante *vnitatem.* Pag. 31. lin. 28. l. *Ambroſii* pro *Ambroſiae.* Pag. 38. poſt lin. 17. inſere „52. *De ſancta Virginitate* liber ſcr. a. 401. Ext. in ed. *Eraſm. Louan.* et *Bened.* T. VI.“ qui totus locus, vt et ſequens, in ms, exciderat. Pag. 78. l. 1. ſupple: „28) *de decem chordis.* 29) *ſermo de ebrietate.*“. Pag. 277. l. 27. inſere *ſpecimen* ante v. *commentariorum.* Pag. 438. l. 27. l. *ſuperſit* pro *ſumſit.* Pag. 457. l. 4. lege 1572. Pag. 593. l. 24. l. *Leporiani* pro *Leoporiani.* Pag. 863. l. 26. inſere comma poſt *erat.* Ibid. l. 28. l. *has* pro *haas.* Pag. 865. l. 6. l. *hunc* pro *nunc.* Pag. 873. l. 3. l. *Interim* pro *Interin.* Ibid. l. 13. l. *adeoque* pro *eoque.* Pag. 876. l. 21. poſt *quomodo* inſere comma. Pagg. 886. l. 14. poſt *Aegyptios (Q. 141. A. 103.)* adde: Scriptae ſuut omnes intra annos 442. et 460., et quidem ex Balleriniorum computatione, hac ſerie: I. II. III. a. 442. IV. a. 443. V. VI. VII. a. 444. VIII—XI. a. 445. XII.—XIV. a. 446. XV—XVIII. a. 447. XIX—XXI. a, 448. XXII. eodem exeunte; aut ineunte a. 449. XXIII—

LIV.

LIV. a. 449. LV—LXXVII. a. 450. LXXVIII—CI. a. 451. CII—CIX. a. 452. CX—CXXV. a. 453. CXXVI—CXL. a. 454. CXLI—CXLIII. a. 455. CXLIV—CLVIII. a. 457. CLIX—CLXVI. a. 458. CLXVII. eodem aut ſequenti, CLXVIII. a. 459. CLXIX—CLXXIII. a. 460. Pag. 893. l. 28. l. *Queſnelianam* pro *Queſneuianam*.

Plura in praeſenti colligere non vacat. Sed pauca ſuperfutura confidimus, freti ſcilicet induſtria, quam abunde hiſce plagulis emendandis impendit C. G. Pezoldvs, A. M. cui correctoris munus a redemtore honeſtiſſimo demandatum fuit. Adeo enim operae ſuae Ille non pepercit, vt, ſicubi a deſcriptoribus omiſſum aliquid, aut peruerſe ſcriptum offendiſſet, publicas eius cauſa bibliothecas adire non grauaretur. Quod eximium Viri optimi ſtudium vt publice collaudare geſtiui, ita me ſemper grata memoria proſecuturum profiteor.

CAPVT

CAPVT QVINTVM.

Patres et Scriptores Eccleſiaſtici ſaeculi quinti.

I.

Avrelivs Episcopvs Carthaginensis.

Quae patria eius, quiue parentes fuerint, adeo §. 1. Vita.
obſcurum eſt, vt ne coniecturis quidem aliquid tentare liceat. Fratris eius, Fortunati nomine, qui a. 411. Diaconum Eccleſiae Carthaginenſis egerit, meminit Paulinus Presbyter *), quem tunc temporis Carthagine commoratum eſſe nouimus. Literas aut omnino non, aut ſummis tantum labris eum attigiſſe aſpera ac ſcabra oratio, cum in epiſtola encyclica, tum iis, quae Conciliorum occaſione diſſeruit, quodammodo prodere videtur. Nec alia vnquam doctrinae ingeniiue cultioris ſpecimina prodidit. Forſitan hinc conieceris, Aurelium humili loco natum, propter domeſticam anguſtiam iis praeſidiis caruiſſe, quibus iuuenile ingenium fingi firmarique ſolet. Sed haec vtut ſint, certe non obfuerunt, quo minus iis muneribus, quibus inter ſuos admotus eſt, cum laude fungeretur. Nam cum eccleſiaſticis officiis ſeſe deſtinaſſet, et Genethlio mortuo a. 392 ex diacono, nulla haud dubie praeterquam animi ac morum commendatione, in ſedem Epiſcopi Carthaginenſis totiusque Africae Primatis fuiſſet

*) In Vita Ambroſii.

fuiſſet euectus, tantum abſuit, vt grauitas atque auctoritas tanto muneri conſona in eo deſideraretur, vt vix vni praedeceſſorum ſucceſſorumque eius tantum a clero ſuo tributum fuerit. In quo plurimum vtique eum iuuit mira animi manſuetudo ac facilitas, qua aliorum et doctiorum, imprimis ex collegis, conſilia in rebus grauibus admiſit, vt ex Auguſtini epiſtolis et iis, quae in Conciliis, ſub eius praeſidio actis, geſta ſunt, manifeſto declaratur. Multiplici enim et moleſta, cum pro doctrinae puritate, tum pro eccleſiae oeconomia ac tranquillitate, clericorumque officiis ac iuribus cura exercebatur, eamque ſaepius ad congregatos vel vnius vel omnium Africae prouinciarum Epiſcopos presbyterosque detulit, quorum crebri per epiſcopatus eius conſeſſus non ſolum ſingulari *libro Canonum temporibus S. Aurelii* locum dederunt, ſed plerumque etiam ancipites nos reddunt, quantum ex rebus tunc temporis in eccleſia Africana geſtis aut ſoli Aurelio aut conſociato Synodorum conciliorumque ſtudio ſit tribuendum. Sic, vt pauca tantum attingamus, nam plenam horum recenſionem libri noſtri ratio ſeiungere praecipit, partes eius in Collatione Carthaginenſi cum Donatiſtis coram Marcellino a. 411. laudare ſolent, in qua tamen nec dicendi aliqua facultate nec dictorum argumentorum virtute magnopere excelluit, certe neminem ex iis, qui ſimul cum eo ad diſceptandam cauſam electi erant, niſi dignitate ſua vlla in re praeſtitit. Nec magis ipſe quum congregati cum eo epiſcopi ſemel atque iterum Coeleſtii atque Pelagii errores damnarunt, quorum adunatis pariter viribus ſubdolae Romani Pontificis in cauſa appellationum machinationes euerſae ſunt. Sed quod penes eum ſolum fere conciliorum conuocandorum ius ac officium eſſet praetereaque de iis, quae placuiſ-

cuiſſent, reſcribere ad eccleſias vel Africanas vel tranſmarinas eum oporteret, poterat fortaſſe absque arrogantia, quae in illum non cadit, dicere, *ſe ſolum cunctarum eccleſiarum (Africae) ſuſtinere ſollicitudinem.* Ceterum Auguſtinus ei coniunctiſſimus, magnaque in vita illius pars et ipſe fuit. Nec vltima fata utrumque diu diſiunxerunt, obiit enim Aurelius a. 430, Auguſtino vix anno dimidio ſuperſtite.

Praeter *allocutiones* ad patres Africanos in Codice eccleſiae Africanae relatas et *praefationes* aliquot in *Collatione Carthaginenſi* cum Donatiſtis, *vna* ſupereſt ipſius *epiſtola encyclica ad omnes epiſcopos per Byzacenam et Arzugitanam prouinciam conſtitutos* de damnatione Pelagii atque Coeleſtii haereticorum, iuxta reſcriptum Honorii, *Scr.* a. 419. vt ſubſcriptio declarat. §. 2. Scripta.

Complures *epiſtolae* eius *deperditae* ſunt, quas diligenter recenſet *Tillemontius* *). *Spuria* eſt, ex Iſidori Mercatoris ſcilicet fabrica, vt ipſemet Baronius ad a. 374. agnoſcit, *Epiſtola* eius *ad Damaſum* in Vbaldina huius editione recuſa.

Vbi primum typographicis formulis exſcripta ſit haec Aurelii epiſtola, nondum mihi liquet. In *Hendreichii Pandect. Brandeb.* p. 356. ſicut et in *Cat. Bibl. Bodleianae* laudatur quaſi ſeorſim prodita *Mogunt.* 1524. 4. quod ipſa quidem epiſtolae breuitas diſſuadet, tametſi, cum aliqua, cui inſerta eſſe debeat, eccleſiaſticorum ſcriptorum collectio ſtatim non ſuccurrat, certius afferre nequeam. Interim quae nobis ſedulo diſquirentibus ſe obtulerunt eius exempla in maioribus operibus latentia, hic indicabimus. §. 3. Editiones.

*) Mem. eccl. T. XII. p. 559.

1530.

Coloniae fol. Aurelii Carth. epi ad oes epos p Bizanzenā et Arzidnitanam prouinciam conſtitutos etc. in *Merlini Conciliis T.*I. *Fol.* CCXXIII. a. inter Leonis M. epiſtolas *num.* LXXII. admodum mendoſa. Subiiciuntur *Excerpta ex geſtis habitis contra Pelagium haereticum et alia de libellis eiuſdem, quae in Paleſtina ſibi obiecta damnare compulſus eſt, item Dogma Pelagii haeretici et Dogma Catholicorum contra Pelagium.*

1535.

Pariſiis apud Franc. Regnault. 8. Eadem vt in antecedenti; in repetita huius *Conciliorum et Iſidorianae decretorum Collectionis editione T.* I. *Fol.* CCXL. b. ſq. Immutato vero in ſequenti editione Epiſtolarum Leonis ordine et haec Aurelii epiſtola et quae appendicis loco erant, exulare iuſſa ſunt.

1562.

Baſileae ex *off. Io. Oporini. fol.* Epiſtola S. Aurelii epiſc. ad omnes epiſcopos per Bizacenam et Arzugitonam prouinciam conſtitutos, de damnatione Pelagii atque Coeleſtii, *praemiſſa* Imperiali epiſtola ad Aurelium, ſubiectaque *ſacra* Honorii et Theodoſii Auguſtorum contra Pelagium et Coeleſtium (epiſtola) ad Palladium praefectum praetorio, addito etiam Exemplari edicti propoſiti a Palladio; in *Centuriatorib. Magdeb. Centuria quinta* p. 846 - 49.

Tres iſtae acceſſiones prima vice hic euulgatae ſunt.

1607.

Romae f. Aurelii Epiſtola ad o. e. p. B. et Axuritanam prouinciam conſtitutos etc. in *Annalibus Baronii*

ronii ad a. 419. T. V. p. 446. (§. LVIII. ed. Manſ.) Praemittitur pag. 445. (§. LVII. ed. Manſ.) Honorii reſcriptum ad Aurelium; reliqua, nempe *Conſtitutio Impp. ad Praefect. Praetorii* et exemplar *edicti Praefecti Praetorii* proferuntur ad a. 418. (§. XX.) et ad a. 420. (§. IV.) *Reſcriptum Imperiale.* Edidit Baronius e Creſconio. Monet vero, in ſuo Codice absque die et conſule eſſe lectum; in exemplari vero, quod ab *Henrico Gravio* Profeſſore Lauanienſi (ex numero editorum operum Auguſtini), cum Romae eſſet, acceperit, Conſulibus eius anni *Monaxio* atque *Plinta* notatum eſſe. In editione Manſiana (Lucae 1741.) legitur. T. VII. p. 173.

Reliqua, nempe Conſtitutio Impp. ad Praefect. praetorii et exemplar edicti Praefecti praetorii proferuntur ad a. 418. (§. XX.) et a. 420. (§. IV.)

1639.

Dublinii 4. Epiſtola S. Aurelii etc. cum acceſſione ante laudatorum; in *Iac. Vſſerii Hiſtoria Pelagianae Haereſeos*, inſerta eius *Antiquitatt. et Primord. Eccleſiar. Britannicar.* cap. 50. p. 272. Repetitum eſt hoc opus Londini 1687.

1671.

Lutetiae Pariſior. fol. Epiſtola S. Aurelii etc. praemittuntur *conſtitutio Impp. edictum praefectorum Praetorii*, et *Epiſtola ad Aurelium;* in *Concilior. ed. Phil. Labbei et Gabr. Coſſartii T. II. p.* 1609. (1606-10.) Accedunt *decretum Conſtantii imperatoris* in eadem cauſa et *Exemplar edicti propoſiti a Voluſiano praefecto urbis*, quae pariter Baronius ediderat ad a. 420. n. II. et III. deſcripta ex Codice S. Vedaſti Atrebatenſis ab Henr. Grauio.

1673.

Pariſiis apud *Sebaſt. Mabre-Cramoiſy. f.* Epiſtola S. Aurelii et reliqua ex emendatione et cum adnotationibus *Ioannis Garnerii* in eius *diſſertatione* de *Conſtitutionibus Impp. editis in Cauſa Pelagianorum*, quae eſt *Tertia adpend. poſter.* ad primam partem operum *Marii Mercatoris* p. 248. (238-62.) Aurelii epiſtola minima pars eorum eſt, quae in hac diſſertatione ſolide, cum aliqua tamen erga ſedem Romanam propenſione a Garnerio illuſtrata ſunt. Adhibuit Magdeburgenſes, Baronium, Vſſerium, Labbeum, et Baluzium *) praeterque eos ad Conſtitutionem Impp. et edicta praefectt. Praet. Salmaſium **), ex quibus quatuor, nempe quorum nomina italico charactere indicauimus, ait, teſtatos eſſe, ſe MSS. conſuluiſſe codices. In Aurelii Epiſtola praeter laudatos auctores contendiſſe monet veteres duas editiones, vnam *Iſidori Mercatoris*, alteram, omnium optimam, nonnullorum *Proſperi opuſculorum*, quas quidem diſertius ab eo non fuiſſe ſignificatas aegre ferimus. Commode quoque haec eius opera pro lectorum vſibus eſt digeſta. Singulos enim textus excipiunt *Variae Lectiones* et ratio emendandi et dein-

*) In *Adpendice ad Saluianum.* Ita iterata vice laudat varias eius lectiones. Ego vero, quamuis ſedulo inquiſiuerim, nullam adpendicis ad Saluianum ſpeciem, nec in ed. a. 1663 nec in altera a. 1669. reperire poſſum. Nec Saluiani nomen per errorem ab eo ſcriptum putem, tum quod toties repetit, tum quod nec aliud quicquam a Baluzio editum deprehendimus, cui haec adpendix adeſſet. De his ergo ab aliis edoceri optamus.

**) In *Euchariſtico pro Sirmondi aduentoria.* Pariſ. 1621. 4. p. 290.

deinceps binis columnis fuſiores notae, adeo, vt vno obtutu ab vnoquoque luſtrari poſſint. Ceterum cum omnes Garnerianas diſſertationes *Antverpiae* apud *Petrum Mortier* 1703. in *Adpendice Operum Auguſtini recudendas* curauit, *Io. Clericus*, Aurelii epiſtolam habes ibi p. 163. ſq.

1715.

Pariſiis ex *typogr. Regia. f.* Epiſtola S. Aurelii ad omnes epiſcopos etc. una cum reliquis eadem ſerie ac Labbeus exhibuerat; *in Concilior. Collectione Regia* Max. edente *Io. Harduino.* T. I. p. 1232. (1230-34.) Inſpexit Baronium, Grauium, et Sirmondum et MSS. etiam Codices Colbertinum et Bellouacenſem.

1760.

Florentiae expenſis Ant. Zatta, *Veneti. fol.* Epiſtola S. Aurelii etc. c. acceſſionibus, omnia iuxta Harduinum deſcripta, in *noua Concilior. Collectione Manſiana. Tom.* IV. *p.* 447. (444-48.)

1772.

Venetiis ex typogr. Io. Bapt. Albritii. f. S. Aurelii Carth. Epiſc. Epiſtola ad omnes Epiſcopos per Byzacenam et Arzygitanam prouinciam conſtitutos etc. refectis, quae in ſuperioribus comparuerant acceſſionibus; in *Bibl. Patrum Andr. Gallandii. T.* VIII. p. 129 ſq.

Secutus eſt editor Garnerium, cuius notas etiam deſcribendas curauit. Notitia de Aurelio ſolita ipſi elegantia conſcripta extat in *Prolegg. cap.* III. *pag.* VI.

2.

Avrelivs Avgvstinvs.

§ 1. Vita. Natus eſt Tagaſtae obſcuro Africae oppido, in mediterranea Numidiae parte haud procul a Madauris et Hippone Regio ſito, idibus Nouembris anno CCCLIV. i. e. trecenteſimo quinquageſimo quarto, parentibus honeſtis de Curialium ſeu eorum, qui munia publica procurabant in municipiis, numero, vt tradit Poſſidius. Pater erat Patricius, mediocri fortuna ſed liberali et propenſo in omnes animo, ſimul tamen iracundus et ferox, vt ipſum pinxit Auguſtinus *); fidem chriſtianam ſub finem vitae demum amplexus; mater Monica, clariſſimum inter chriſtianos nomen, quae liberos ſuos ab incunabulis ſtatim religionis chriſtianae ſenſu et amore imbuit. De infantia ſua, prima educatione, et inſtitutione deinde pueritis aetatis ipſe plura retulit in Confeſſionibus, quam ad ſequentia vitae eius acta illuſtranda opus erat et conducibile. Viuidum fuit ſcilicet aut feruidum potius pueri et adoleſcentis ingenium, partim a ſanguine parentis partim coeli natura. Iam pater liberos ſuos, vt ex variis elucet, quae memoriae de eo Auguſtinus prodidit, medullitus amabat et in ſinu gaudebat de quibuscunque aut ingenii aut corporis quas exſererent viribus; mater pia ſane nec minus prudens, plurimum tamen indulſit appetitui filii, qui, ſi ſtrenue literas diſceret, ſatis bene educari videbatur. Hinc ſemina ingentium vitiorum ſimul cum aetate matureſcente ſuccreuerant, quae ſi non ipſum penitus perdidiſſent, videbantur tamen a fide chriſtiana abſtrahere et plane reddere alienum. Poſtquam Madauris aliquamdiu latinis imprimis literis et

*) Conf. l.9. n.9 et 19.

et oratoriae artis elementis vacaſſet, nam graecarum literarum tum eum taedebat et poſtea nonniſi leuiter eas attigit: Carthaginem miſſus eſt, vt eloquentiae, qua ſola tunc hominibus mediocri loco natis ad gloriam et opes aut in foro aut in academiis conſequendas patebat via, ſtudium excoleret; quem in finem, vt ipſe narrat, pater gloriae cupidus plus ſumtuum, quam domeſticae paterentur facultates, ei ſuppeditabat. Ibi tum fiebat, vt, cum aliquantiſper et vrbis et commilitonum exemplis pellectus et ſuapte natura procliuis nec anguſtias fortunarum ſentiens diſſolutiori vitae ſeſe dediſſet, annum vix decimum octauum natus *Adeodatum* filium ex concubina ſuſciperet, quem puerum frugi et acris ingenii non ſemel in ſcriptis ſuis laudat et immatura morte in ipſo adoleſcentiae flore ſibi ereptum doluit. Sed antequam ei hic puer natus eſſet, patre orbatus eſt, nec tamen magnam inde ſtudiorum ſuorum iacturam fecit, ſiquidem et mater quibuscunque poſſet modis neceſſaria ei proſpexit, et Romaniani cuiuſdam, quem idcirco enixe praedicat, liberalitas effecit, ne ei quidquam non ſolum ad neceſſitatem, ſed et iucunditatem vitae deeſſet. Circa id tempus agebat vero aetatis annum vndeuigeſimum, ad ſapientiae ſeu philoſophiae cognitionem ſe adplicuit, incitatus ſubito libro Ciceronis, qui Hortenſius erat inſcriptus et ad ſapientiam amplectendam hortabatur; quae cogitatio ſic totum eum cepit et ad tempus tenuit, vt ſepoſitis extemplo oratoriis exercitationibus omnes ſpes rationum ſuarum, quae non cum illa coniungi poſſe, et ex ea quaſi naſci viderentur, abiiceret et faſtidiret; tametſi deliberabundus adhuc velut inter anfractus et confragoſa haereret, qualis via ſibi ingredienda eſſet. Ex vna parte interiore quadam mentis agitatione, quam religionis aliquis ſenſus ex prima pueritiae per-

ceptione reſiduus tetigit et quaſi afflauit, ad chriſtianam doctrinam ferebatur, ex altera parte variae ac multiplices veterum Graecorum et Romanorum ſapientium ſcholae eum inuitabant. Sed cum ſemel inter haec ſcripturas ſacras legere coepiſſet, tantum ſubito eum cepit humilis earum et vilis, vt ipſi, Tullianam dignitatem ſpiranti, videbatur, dictionis taedium, vt non magis declinaſſe quam refugiſſe hanc ſemitam dici poſſit. Tradidit ergo ſe alteris, non tamen magiſtri alicuius inſtitutioni confidens, ſed ſuopte ſtudio. Arripuit primum Ariſtotelis Categorias, quas a Rhetore Carthaginenſi magiſtro ſuo mirifice commendari audierat, easque ſolus non ſolum legit ſed percepit etiam, vt ex ſermonibus cum iis, qui easdem in ſchola cum voce, tum figuris in puluere depictis didicerant, inſtitutis expertus eſt. Ab eo tempore pariter omnes liberalium artium libros per ſe ipſum legit, et intellexit quoscunque legere poterat, et quidquid de arte loquendi et diſſerendi, quidquid de dimenſionibus figurarum et de muſicis et de numeris ſine magna difficultate et nullo hominum tradente. Per hanc ipſam de ſapientia conſequenda ſollicitudinem incidit in Manichaeos, quos poſtea, cum probe illos cognouiſſet, apte vocat homines *ſuperbe delirantes*, *carnales et loquaces*. Nam cum neſcio quam reconditam et abſtruſam affectatoribus ſuis initiandis pollicerentur ſapientiam: nugas et vana acumina venditabant, et ſobrietatem caſtitatemque in ore gerentes vitam omni nequitiarum et turpitudinis genere commaculabant. Quae quamquam Auguſtini perſpicacem animum fugere non poterant, non impedire tamen potuerunt, quo minus per nouem integros annos, ingenti matris dolore, eos ſequeretur. Quare quod ipſum in conſortio eorum retinuit, nihil paene aliud fuiſſe videtur, quam

ſpes

ſpes iucunda, fore, vt ſuperatis auditoris aliisque diſcentium docentiumque gradibus ad myſteria tandem penetraret. Docuit interea temporis primum Tagaſtae, quo ad tempus ſe contulerat, Grammaticam, et poſtquam inde Carthaginem rediiſſet, ibi Rhetoricam profeſſus eſt. Scripſit tum quoque, anno aetatis viceſimo ſexto aut ſeptimo, primos libros ſuos *de Apto et Pulcro*, ſed qui iam tum, cum Confeſſiones ſcriberet, interciderant. Inter haec accidit, vt amici quidam eius, qui Romam proficiſcendi conſilium ceperant, ipſi quoque, et honoris maioris et amplioris emolumenti in ea urbe, quae literarum ſtudia praemiis vberrimis aleret et vbi iuuenes magiſtrorum ſubſellia frequentantes morum modeſtia et ſtudiorum quodam ordine longe a ferocia Carthaginenſium abhorrerent, oſtentatione, vt ſecum iter faceret perſuaderent. Vix autem e matris amplexibus arte quadam ſe extorſit, et cum tandem Romam appuliſſet, graui morbo, qui morti propinquum fecit, implicatus eſt, ex quo ſimulac pauliſper conualuiſſet, ſcholas aperit et diſcipulos longe quidem a Carthaginenſium licentia alienos ſenſit; ſed quod iidem peſſime audirent ob turpitudinem, qua in fraudem magiſtri, cui mercedem deberent, quaſi conſpirarent eumque, vbi aliquamdiu audiiſſent, defererent et ad alium tranſirent: et haec ſpreuit. Poſteaquam igitur Mediolanenſes a praefecto vrbis Symmacho petiiſſent, vt ſibi rhetoricae magiſtrum prouideret, Auguſtinus hanc prouinciam ambiuit et dictione propoſita probatus Mediolanum ab eo miſſus eſt anno circiter 384.

Hic vero locus fuit, vnde totius vitae eius conuerſio et commutatio originem duxit. Nam cum Ambroſii vrbis illius Epiſcopi ſermones, quos ſtatis diebus ad populum habere ſolebat, nulla quidem ab initio alia de cauſa, quam ob eloquii ſuauitatem, frequen-

quentaſſet, ſenſim cum verbis res ipſae animum eius penetrarunt, et primum quidem Manichaeorum dogmata, quae diu quidem falſi conuincere optabat, concuſſerunt, mox, vbi ipſe tandem omnibus ingenii animique viribus obniti coepiſſet, funditus euerterunt. Fuit ſub recentem hanc de haereſi ſua inueterata victoriam, cum mater eius, quae a prima filii in Italiam transfretatione conſolari non potuiſſet, Mediolanum accederet; quam mirifica de nouo rerum ſtatu laetitia cepit. Sed etſi illam quidem haereſin exuiſſet et catholicae fidei redditus videretur, incertus tamen, quem vitae et ſtudiorum curſum in poſterum teneret, dubiorum aculeis et conſiliorum celeri fluctuatione vexatus ac iactatus eſt. Animum modo huic, modo illi adiicit; quae modo coepiſſet, medio opere rurſus dimiſit et in aliis viam vix ingreſſus ſubſtitit. Erat vero nullus tum non ſolum in rebus ſuis ſed et in alienis caſus tam fortuitus, quin noua aliqua ſollicitudine animum eius maceraret aut nouo aliquo propoſito accenderet. Non parum etiam aluit et auxit hanc animi concitationem et ex crebro ſenſuum impulſu et affectuum vehementia conflictum Platonicorum lectio, cui plurimum tempus tribuebat. Addidit his Pauli epiſtolas, quarum obſcurior ſenſus cum grauitate coniunctus facile intelligi poteſt, quantopere animum inter metus et terrores omnisque generis phantaſmata ſuſpenſum percellere debuerit. His accedebant quotidianae confabulationes cum Alypio et Nebridio familiaribus, quorum hic Carthagine Mediolanum nullam aliam ob cauſam ſe contulerat, quam vt ipſi adhaerere poſſet, ille diu noctuque conſilia de vitae communione et perpetua inuicem ſocietate inſtituenda agitabat. Adde matris nullo non tempore quieſcentem ſollicitudinem, gemitus et preces, quas indefeſſa cum in templis, tum domi, pro filii

filii ſalute ad Deum effunderet, et quae Auguſtinum latere minime poterant, immo et ipſius cum eo conuerſationis partem plurimam efficiebant; itemque Ambroſii monita et cohortationes aut amicas reprehenſiones: et intelliges, paucos futuros fuiſſe, quos tantae animi perturbationes non fregiſſent et penitus oppreſſiſſent. Aliter tamen Auguſtino pro ingenii felicitate et ignea imaginationis eius natura accidit. Nam cum ipſe et Alypius a Pontitiano quodam, Afro genere, in palatio Valentiniani Mediolani militante, vitam S. Antonii enarrari audiiſſet, tantus ex ea auditione omnia mentis ſenſa et ideas ſuperauit pectoris tumultus et exaeſtuans affectus, vt excluſo omni rerum externarum impulſu, coelum velut cogitatione peteret, et numen ipſum quaſi intercedere huic fremitui cogeret. Nam ſubito diuinitus, ut ipſi videbatur, audita voce omnis hic furor reſedit et lenioribus de vitae ratione conformanda deliberationibus locum fecit.

Primum igitur (accidit vero a. 386.) omnibus terreſtribus curis valedicere ſtatuit, refugit conſilium quod ipſi ſederat nouiſſimum vxoris ducendae, gloriae item ex literis capiendae faſtidium ſubiit, et inſecutis mox vindemialibus feriis magiſterio ſuo ſeſe abdicauit atque ſic grauiſſimis muneris et cupiditatum vinculis exſolutus in rus (Villam *Caſſiacum)* conceſſit et in matris amicorumque congreſſionibus de quaeſtionibus vtilibus nec raro ſubtilibus otium ſanctum et Deo totum dicatum exegit. Varia, quae ex illius cum amicis colloquiis per idem ſpatium enata et ab eo edita ſunt opuſcula facile ex temporis quam ſingula in recenſu praeferunt nota cognoſci poſſunt. Ex hoc receſſu tandem Mediolanum rediit, vt ſacrum Baptiſmum per Ambroſium ſuſciperet; quod contigit in Paſchatis peruigilio, nocte ante XXV. Aprilem a. 387.

387. Paulo poſt ipſi amicis Alypio et Euodio, Tagaſtenſi eodem, cum ſimul Deo ſeruire vnaque habitare propoſuiſſent eorumque omnium curam Monica, perinde ac ſi ſingulorum parens extitiſſet, gereret, in Africam remeare ibique locum vitae ſuae inſtituto aptum quaerere placuit. Cum eo erat Nauigius frater et Adeodatus filius: ſed cum ad Oſtia Tiberina perueniſſet, mater optima ſubito morbo correpta (paucis vt Benedictini ſupputant diebus ante Idus Nouembres a. 387.) deceſſit. Dolorem ex eius obitu ſibi inflictum veriſſimis verbis expreſſit, dum *quaſi dilaniatam ſibi vitam*, *quae vna facta fuerit ex ſua et illius* diceret *). Iam vero hac tam dulci itineris comite orbatus, dilato ad tempus in Africam reditu, Romam diuertitur. Vbi cum antea cum Manichaeis familiariſſime vixiſſet, iidemque interceptam diſceſſu eius conſuetudinem reuocare cuperent, ille vero refugeret iisque errores ſuos et prauitatem vitae ſerio exprobraret, poſt varias ab initio velitationes tandem in apertum illud aduerſus eos cunctos ac ſingulos bellum prorupit, quod ſine vlla virium et animi relaxatione ad obitum vſque acerrime voce et ſcriptis geſſit. Scripſit itaque, Romae conſtitutus, ſine intercapedine libros, quorum fama mox omnem Africam eſt peruagata, *de Moribus Eccleſiae catholicae* et *de Moribus Manichaeorum*, in quibus iactantiam eorum de falſa et fallaci ſua continentia reprimere ſtuduit; ibidemque opus de *libero arbitrio* contra diſputationes eorum de origine mali, quod illi ab immutabili quadam et Deo coaeterna natura deducebant, ipſe ex libero voluntatis arbitrio deriuabat, inchoauit. Nondum autem in his libris (quorum primum tantum Romae conſcripſit, reliquos duos

*) Confeſſ. l. IX. c. 12. n. 30.

duos iam presbyter addidit) attigit quaeſtionem *de gratia Dei, qua ſuos electos ſic praedeſtinaſſet, vt eorum, qui iam in eis vterentur libero arbitrio, ipſe etiam praeparet voluntates*, quoniam id ſolum quaeſtionis erat, *vnde malum:* non *vnde redeatur ad priſtinum vel ad maius perueniatur bonum* *). At ſaepe poſtea a Pelagianis ad hos ipſos libros, quaſi eorum cauſam in iis egiſſet, prouocatum eſt, nec parum ipſum ſollicitum habuit in Retractationum libris, vt eorum quae tunc diſputaſſet cum ſerioribus opinionibus ſuis nexum et quaſi cognationem oſtenderet. Roma digreſſus menſe Auguſto vel Septembre anni 388. Africam exeunte hyeme appulit et per Carthaginem Tagaſtam petiit, vbi ruri, id eſt, agris paternis, qui haereditario iure ipſi obtigerant **), viuere conſtituit ac tranſegit ibi fere triennium procul ab omnibus ſaeculi curis, meditationibus et exercitiis ſacris vacans, ac nihil paene a monacho differens. Adſumſerat vero ad idem vitae inſtitutum, quod ipſum, vel locum vbi degebant, *monaſterium* appellat ***), amicos quoſdam, quorum numerum augeri haud aegre patiebatur. Interim et ſcriptorum ſuorum, quae identidem ſat grandibus voluminibus emiſit, et huius ſpecioſae vitae fama vſquequaque adeo percrebuerat, vt et ſeceſſus eius reſonaret, et ipſe ea loca, quibus epiſcopus deeſſet, accedere caueret, metuens, ne,

*) Retract. l. I. cap. IX. §. 2.

**) Poſſidius in vita Auguſtini c. 3. narrat eum agros ſuos, ſimulac Tagaſtam rediiſſet, vendidiſſe et pretium diſtribuiſſe pauperibus. Quod ſi vere ab illo proditum fuit, neceſſe eſt, eum vel in alienatis aut alienis plane degiſſe, aut ſaltem partem de ſuis retinuiſſe.

***) Sermo CCCLV. c. I. n. 2.

ne ſi qui agnoſcerent, inuitus ad epiſcopatum traheretur. Tanto maius improuiſum ei accidit, vt, cum amici cuiusdam gratia, quem Deo ſe lucrari poſſe putabat, vt ſecum in monaſterio eſſet, ſub finem anni 391. Hipponem Regium, ſecurus, quia epiſcopum locus haberet, adiiſſet, ibique Valerii intereſſet concionibus, ſubito ad monitum illius de ordinandi presbyteri neceſſitate, magno cum tumultu et clamore omnium raperetur et quantumuis repugnaret, crearetur presbyter. Ferunt tunc quoſdam, cum lacrymas eum effundere vidiſſent, ſuſpicatos, eas poenitentiae deberi, quod non continuo epiſcopus factus eſſet, ſtuduiſſe conſolari ſuggerendo, presbyterium quidem infra dignitatem eius eſſe, proxime tamen ad epiſcopatum accedere. At alia et dignior ipſi erat lacrymarum cauſa, vt non ſemel in ſcriptis ſuis profeſſus eſt. Quippe longe auguſtior et grauior ipſi quam vulgo plerisque eam ambientibus omnis haec ſacrorum officiorum prouincia videbatur, et metuebat, ne tantum non in ſe praeſidii haberet, quam ad eam rite obeundam opus eſſet. Quapropter etiam id temporis, quod intereſſet ab ordinatione ſua ad Paſchatis feſtum a. 392. dari ſibi ad praeparandum optauit, et cum impetraſſet in ſolitudinem ſe recepit. Igitur muneris illius primordia ex hoc demum tempore iuſte repeti poſſe videntur. Prima autem ipſius cura fuit, vt Hippone quoque monaſterium inſtitueret, in quo vota eius adiuuit Valerius, horto eccleſiae Hipponenſis ad hunc vſum ei conceſſo. Aliam deinde et praeclaram de eccleſia bene merendi et ſimul nomen ſuum illuſtrandi occaſionem nactus eſt per eundem Valerium, eo, quod ipſi coram ſe concionandi poteſtatem faceret. Quod quidem antehac a presbyteris ſieri inſolitum in Eccleſiis latinis, mox vbi praeiuiſſet Valerius, Graecus

natione

natione ſcilicet et latini ſermonis vſu tardior, plures per Africam epiſcopi imitati ſunt. Nec vero deſiit inter haec et cetera muneris auocamenta ſcriptis inſigniora fidei capita aut illuſtrare et apud ſuos corroborare, aut contra aliter ac praue ſentientes adſtruere et defendere; aſſiduum inſuper ipſi cum amicis tum propinquis loco, quam remotiſſimis permultis, fuit commercium. Tanta vero fuit huius presbyteri apud omnes etiam Africae epiſcopos citra inuidiam exiſtimatio, vt ſumma dignitate inter eos viri, veluti Aurelius, conſilia eius lubenter admitterent, et cuncti adeo in Concilio Hipponenſi a. 393. ſine exemplo coram ipſis *de fide et ſymbolo* ſermonem facere eum iuberent. Quibus omnibus de cauſis haudquaquam ſane inanibus metuens Valerius, ne ſibi epiſcopus deeſſet ad eccleſiam illam regendam ſubito euocaretur, petiit ab Aurelio Carthaginis epiſcopo totiusque Africae primati, vt ſibi liceret eum collegam et coepiſcopum ſuum facere. Quod vbi impetraſſet, mox clero et populo ſuo pluribusque epiſcopis praeſentibus ſignificauit et magno cum omnium conſenſu a Megalio epiſcopo Calamenſi Numidiae primati, cuius hae partes erant, poſtulauit, vt epiſcopum ordinaret. Intercedebat quidem eius ordinationi, criminis neſcio cuius eum inſimulans Megalius; ſed vbi falſum illud eſſe, in hoc ipſo litigio cognouiſſet, poenituit eum calumniae, nec diutius in ordinationem eius conſenſum cohibuit. Sed et ipſe Auguſtinus reluctabatur et non niſi prolatis variis, non Africanis modo, ſed transmarinis exemplis, quae ab eccleſiae conſuetudine non abhorrere probarent, vt viuente adhuc Epiſcopo alius eidem eccleſiae praeficeretur, vinci potuit. Apte hoc loco ad ingenium hominis declarandum de recuſatione eius excidit Benedictinis. „*Non minor erat eius*

modeſtia et religio, *quam tot illuſtrium virorum*, *qui aetate illa*, *vt epiſcopatum ſuſciperent*, *ſicuti ſcribit* *), *tenebantur inuiti*, *perducebantur*, *includebantur*, *cuſtodiebantur*, *patiebantur tanta quae nolebant*, *donec eis adeſſet voluntas ſuſcipiendi operis boni.*" Contigit ordinatio eius exeunte anno 395. aut ſub initium ſequentis. In hanc vero tam inſignem dignitatem ipſe tantum de ſuo transfudit honorem atque claritudinem, vt nullum eo illuſtriorem epiſcopum Eccleſia latina nouerit. Nam etſi iam ante ſuſceptum epiſcopatum ſumma eſſet presbyteri celebritas, nec ipſos Epiſcopos puderet eius conſilia et vota exſequi, nulla tamen erat auctoritas eius legibus eccleſiaſticis confirmata, circumſcriptaque agendi licentia alieno arbitrio. Ex quo vero ſemel ad regendam Eccleſiam Hipponenſem euectus eſt, ex eius nutu atque ordinatione non ſolum Valerius coëpiſcopus, ſed Aurelius etiam Carthaginenſis epiſcopus et totius Africae primas, totaque cum eo eccleſia Africana, quin immo transmarinae eccleſiae, per totum Occidentem, plurimaeque in Orientis partibus pependerunt.

Noſtrum quidem in praeſenti non eſt omnium eius factorum geſtorumque hiſtoriam contexere, quippe quae cum vniuerſa temporum illorum ac euentuum ſerie tam arcte cohaerent, vt ſine accurata iſtorum enarratione parum concinne fieri poſſit, nec, ſi locus minus eſſet alienus, noſtram operam poſt tot ſummorum virorum diligentiam requirant. Expectabitur vero imago viri, qualis ab hoc tempore fuerit, ex ſcriptis eius geſtorumque memoria expreſſa, in qua, ſi minus acute viderim, qui colorum delectus eſſet habendus, id reprehendi non aegre

*) Ipſius verba in *Ep. ad Donatum* CLXXIII. n. 3.

aegre patiar. Ac primum quidem huc facit vitae priuatae eius conſideratio. Natura vehemens erat, facileque ſenſibus commouebatur, ita vt quaecunque obiicerentur, ſubito complecteretur, modumque non raro in fruendo excederet. Exercitiis ergo quotidianis huic animi morbo ac imbecillitati mederi inſtituerat, nempe contemplatione ſui ipſius ac inveſtigatione vitiorum, prece porro continua et ſtudio amorem Dei in ſe augendi. Ac hoc poſtremum quidem potiſſimum fuit praeſidium, quo contra cupiditatum impetus ac inſidias vti ſoleret. Nimirum vt celeres iſtos ſenſuum motus et crebras vibrationes aut ſiſteret aut ſaltem praepediret, alio conuertere opus habuit interna quadam contentione animique ad ſublimiores cogitationes euectione aut potius raptu, quo plurimum omni tempore ac in omni contemplationis genere homines viuidi ingenii potuiſſe compertum eſt. Nec vero iſte niſus infirmioris erat cerebri, aut mentem eius de ſtatu deturbabat, ſed vtebatur etiam in his ratiocinatione quadam ipſi propria et velut ex perfecta cognitione et propiori aſpectu inflammari videbatur. Hinc querebatur apud ſe de laſſitudine ſua, quae impediret, quo minus Deum, prout vellet, amaret. Metuens ſcilicet corporis imaginem in Deo concipere, ſenſu tamen amplecti cupiebat, quae ſolius intellectus erant. Nam pulcritudinem et dulcedinem Dei laudat et in amplexus eius vitam ſuam currere dicit et cum illo quaſi amico et familiari blando ſermone colloquebatur *).

*) *Confeſſ. l. XIII. c. VIII. n. 9.* Da mihi te Deus meus, redde te mihi: te enim amo, et ſi parum eſt, amem validius. Non poſſum metiri, vt ſciam, quantum deſit mihi amoris ad id quod ſat eſt, vt currat vita mea in amplexus tuos, nec auertatur donec

Nec tamen emendare inter ea ceſſauit, quotquot in ſe deprehenderet vitia, ſed ita, vt non ſibi illud arrogaret, ſed Deum ipſum operari in ſe putaret, quo magis eum in dies viciſſim amore complecteretur; indeque enata illa de operatione Dei in homine ſeu gratia diuina effectrice opinio, quae plurimum per totam vitam eius dominata eſt. Ceterum erat affabilis et blandus, et tam ſingulis, quam toti eccleſiae ſuae, bene cupiebat. Mores emendare haud poſtrema eius erat cura, et nihil fucatae tribuens religioni, bene diſcernebat, quae ex recto animi propoſito, quaeue

donec abſcondatur in abſcondito vultus tui. Hoc tantum ſcio, quia *male eſt* praeter te, non ſolum extra me, ſed et in me ipſo, et omnis mihi copia quae Deus non eſt, egeſtas eſt! *Ibid. Lib. eod. cap. XXIX. et ſq. in.* Et attendi vt inuenirem, vtrum ſepties vel octies videris, quia bona ſunt opera tua, cum tibi placuerunt: et in tua viſione non inueni tempora, per quae intelligerem, quod toties videris, quae feciſti. Et dixi, O Domine, nonne iſta ſcriptura tua vera eſt, quoniam tu verax et veritas edidiſti eam? Cur ergo tu mihi dicis, non eſſe in tua viſione tempora; et iſta ſcriptura tua mihi dicit per ſingulos dies, ea quae vidiſti te vidiſſe bona ſunt? Et cum ea numerarem, inueni quoties? Ad haec tu dicis mihi, quoniam tu es Deus meus et dicis voce forti in aure interiore ſeruo tuo perrumpens meam ſurditatem, et clamans: O homo, nempe quod Scriptura mea dicit, ego dico. Et tamen illa temporaliter dicit, Verbo autem meo tempus non accidit, quia aequali mecum aeternitate conſiſtit. Sic ea, quae vos per ſpiritum meum videtis, ego video; ſicut ea, quae vos per ſpiritum meum dicitis, ego dico. Atque ita cum vos temporaliter eas videatis, non ego temporaliter ea video. Et audiui Domine Deus meus, et elinxi ſtillam dulcedinis ex tua veritate.

quaeue ex momentanea commotione aut leuitate aliqua proficiſcerentur: id quod tot eius ſeu ad amicos, ſeu alios quoscunque conſilia, monita atque cohortationes per epiſtolas communicata declarant. Nec vero diſciplinam eccleſiae ſeueris legibus exercebat, et parciſſimus erat in puniendo. Idem nec auarus in augendo eccleſiae patrimonio, quippe qui haereditates non appeteret, quasdam vero ſibi oblatas recuſaret et redderet; quam ob rem a nonnullis etiam reprehendebatur, quod minus eccleſiae bonis proſpiceret. Sed vitae ſolitariae vt antea cupidiſſimus, cum per epiſcopi negotia et officia humanitatis, quae ipſi nouum munus erga hoſpites iniungebat, ſequi illam minime poſſet, nouum monaſterium in ipſa Epiſcopali domo conſtituit, vnde iuniores alumnos ad miniſteria eccleſiaſtica ſubinde prouehere ſolebat. Ac ſane multifariarum rerum adminiſtratio cum epiſcopi talis loci munere in Africa erat coniuncta, in quibus tamen omnibus expediendis ita ſe geſſit, vt nunquam florentiorem Eccleſiae Africanae ſtatum fuiſſe exiſtiment, quam cum ille ſummae rerum non loci iure, ſed per ſummam auctoritatem praeeſſet. Nam et concionabatur non ſolum ſtatis diebus absque intermiſſione, ſed et alias creberrime et nunquam ſine ingenti hominum confluxu et ſtudio. Ipſe autem ſummo ardore ac contentione ad fatigationem vsque id agebat, vt verba ſua in animos penetrarent, audientes percellerent, commouerent, incenderent *). Praeterea reſpondebat

*) *Digna ſunt verba eius, quae a pluribus ac vulgo ſolet legantur ex libro de catechizandis rudibus* cap. 2. n. 3. „Mihi prope ſemper ſermo meus diſplicet. Melioris enim auidus ſum, quo ſaepe fruor interius, antequam eum explicare verbis ſonan-

bat quotidie iis, qui vel praeſentes, vel de priuatis rebus, vel de eccleſiae et fidei rationibus, vel de moribus, vel denique, quod frequentiſſime fieri ſolebat, de locis biblicis ipſum conſultabant. Vt nihil de iis dicam, qui more iam pridem in eccleſiis inoleto in cauſis litigioſis, antequam in iure deſuper contenderent, arbitrium epiſcopi depoſcere ſolebant; cuiusmodi interpellationes non exiguo ipſi temporis impendio conſtabant. Quaeſtiones autem illae, quas diximus crebro ad eum deferri ſolitas, ex momentis fere leuibus erant repetitae et ab inani et friuola Africanorum ſedulitate profectae, de quibus vere ſi quid vnquam

nantibus coepero: quod vbi minus, quam mihi notus eſt, euoluero, contriſtor linguam meam cordi meo non potuiſſe ſufficere. Totum enim quod intelligo, volo, vt, qui me audit, intelligat; et ſentio, me non ita loqui, vt hoc efficiam; maxime, quia ille intellectus quaſi rapida corruſcatione profundit animum: illa autem locutio tarda et longa eſt, longeque diſſimilis; et dum iſta volvitur, iam ſe illa in ſecreta ſua condidit; tamen quia veſtigia quaedam miro modo impreſſit memoriae, perdurant illa cum ſyllabarum morulis; atque ex iisdem veſtigiis ſonantia ſigna peragimus. *Nos autem plerumque in auditoris vtilitatem vehementer ardentes*, ita loqui volumus, quemadmodum tunc intelligimus, cum per ipſam intentionem loqui non poſſumus. Et quia non ſuccedit, angimur, et velut fruſtra operam inſumamus, taedio marceſcimus; atque ex iſto taedio languidior fit idem ſermo et hebetior, quam erat vnde perduxit taedium. *Sed mihi ſaepe indicat eorum ſtudium, qui me audire cupiunt, non ita frigidum eſſe eloquium meum, vt videtur mihi; et eos inde aliquid vtile capere, ex eorum delectatione cognoſco;* mecumque ago ſedulo, vt huic exhibendo miniſterio non deſim, in quo illos video bene accipere quod exhibetur.“

vnquam Eraſmus pronuntiauit: „*Vberiores fructus nobis dediſſet illud ingenium, ſi in Italia Galliaue vel naſci, vel viuere contigiſſet. Rudis erat Africa, voluptatum auida, ſtudiorum inimica, curioſarum rerum appetens. Vnde frequenter illum exercent quaeſtionibus friuolis, nec multum facientibus ad pietatem: et ad ſuae gentis affectus ſaepe cogitur attemperare calamum. Verum tali excolendo ſenticeto tali opus erat agricola. Quamquam digniora lectu ſcripturus erat, ſi vel ad Romanorum aut Graecorum iudicia ſe compoſuiſſet, vel minus indulſiſſet ſimplicium imperitiae. Sed chriſtiana charitas prius habet prodeſſe quamplurimis, quam probari praecipuis, fraternae ſalutis, quam ſuae gloriae ſitientior. Quoſdam autem, praecipue mulierculas pia quaedam habebat ambitio, pulchrum eſſe ducentes, qualecunque ſcriptum impetraſſe ab epiſcopo. Ita factum eſt, vt dum vir pius omnium votis obſequitur, minus alicubi ſatisfaciat lectori faſtidioſo* *)." Enimuero non inter Africam ſolum haec inſania erat domeſtica; ſed in Italia etiam aliisque Occidentis prouinciis erant, qui omnes ab eo veluti oraculo quodam quaeſtiones ſolui atque explicari poſſe putarent, quibus non literis ſolum, ſed integris voluminibus ſaepe reſpondere opus habuit, dum nemini non ſatisfacere non magis per ſummam charitatem, quam laudis ac honoris cauſa, cuius quidem ad finem vitae appetentiſſimus manſit, cuperet. Publica deinde eccleſiae cura ſaepe eum ad Concilia et Synodos vocabat, in quibus partim de diſciplina atque moderatione eccleſiae in vniuerſum tuenda reparandaue, aut de ſingulis conſuetudinibus diſceptabatur, aut de vita et moribus cleri-

*) In Praefatione Epiſtolis praemiſſa, quae eſt in Tomo II. Opp. ſtatim in auerſa tituli pagina.

clericorum ſingulorum iudicium fiebat, aut denique pro doctrina confirmanda cuſtodiendaque conſilia ſalutaria agitabantur, ac haereticorum ac ſchiſmaticorum dogmata artesque damnabantur et impugnabantur. Interfuit igitur conciliis, de quibus quidem exploratum eſt, Carthaginienſibus, quarto a. 398, quinto eodem anno, ſexto et ſeptimo a. 419. in cauſa appellationum habitis; Africano tertio a. 401. et quarto a. 407; Collationi aduerſus Donatiſtas a. 411; Cirtenſi contra eosdem a. 412. et Mileuitano contra Pelagianos a. 418. Atque vt nulla harum Synodorum acta clariora ſunt, quam quae ad haereſium impugnationem ſpectarunt, ita Auguſtini quoque nulla vel in iisdem, vel ſuopte conſilio geſta illuſtriora ſunt, quam aduerſus ſuae aetatis haereticos.

Ac contra Manichaeos quidem odium ipſi erat inſitum acerrimum ex eo ſtatim tempore, quo primum ad catholicam eccleſiam ſe recepiſſet. Quapropter nunquam deſtitit, eos vel ſcriptis, vel praeſentes, ſi quos deprehenderet, impugnationibus ſuis vexare eorumque, vt vocare ſolebat, artes atque captiones, quibus iuuenibus imprimis inſidiarentur, patefacere et inuidia opplere. Contigit etiam nonnullos ab eorum cauſa auertere, ſed ſcriptis, ex quibus primus poſt ſuſceptum epiſcopatum fuit liber contra *Epiſtolam Manichaei*, quam vocabant *fundamenti*, et grande opus *contra Fauſtum*, et aliquanto poſt *de natura boni*, neminem eorum adduxit, vt vitae ſuae poeniteret. Quocirca nec veritus eſt Imperatorem poſtulare, vt legibus olim contra Manichaeos latis iuxta cum illis contra alios haereticos vigorem reduceret. At longe acerbior pugna ipſi cum Donatiſtis fuit. Dirum illud ſchiſma inter vtramque eccleſiam iam ab ineunte ſaeculo quarto omnem

omnem Africam peruaſerat et veluti aura peſtifera letali halitu ſuo omnia paene chriſtianae charitatis et moderationis germina in animis enecauerat. Plurimum vi et aperto bello inuicem egerant animisque ſemper infenſioribus vtraque pars a certamine redierant. Nec parum auxerat tumultus, quod de Iuliano tradi ſolet, eum Donatiſtarum furorem contra Catholicos aluiſſe. Iam dimidia fere pars omnium eccleſiarum in manibus Donatiſtarum erat, cum Auguſtinus ad certamen cum ipſis ſuo Marte ſubeundum ſe pararet. Vidit ille primum ea parte belli, qua hactenus a Catholicis dimicatum erat, parum feliciter rem profligari et ad exitum perduci poſſe, dum totius diſſidii cardo in eo verteretur, vtra pars veram eccleſiam ſequeretur; vtrum Donatiſtae ſchiſmatici, an Catholici potius excluſi dicendi eſſent; quae quidem quaeſtio cum ad ſuperioris temporis geſta a Donatiſtis reuocari ſolebat, ad vtriusque aſſenſum dirimi non poterat. At ille cautior non huic gurgiti ſe immiſit, ſed aggredi eos coepit ex eo, quod baptiſmum in iis, qui a Catholicis ad ipſos tranſiiſſent, iterari iuberent; quod ſicuti ab omnium eccleſiarum vſu abhorrens atque noua temeritate introductum contendebat, ita fidei quoque aduerſari vrgebat, indeque non ſolum ſchiſmaticos, ſed haereticos et fidei contaminatores eos eſſe coëgit. Tum vero nihil antiquius habuit, quam vt eos ad colloquia publica ſecum inſtituenda pelliceret; quo fore praeuidebat, vt ſeu venirent et in obſtinatione ſua perſiſterent, ſeu detractarent collationem, inuidiae et apud ſuos laicos, quos auertere maximi ſane momenti erat, et apud imperatores, ſi quando eorum auxilium implorandum eſſet, grauiſſimo pondere oppreſſum iri. Primum igitur iam a. 395. Proculeianum epiſcopum Donatiſtarum apud Hipponem, cum

ipſe tum per alios etiam de colloquio ſollicitauit; quod cum ille conſtanter recuſaſſet, anno 397. Fortunium Tuburci epiſcopum cum ipſe viſitaret, ad diſputationem ſecum, audiente plebe, impulit, eandemque cauſam per literas cum Fortunato egit. Similiter a. 400. Criſpinum Calamenſem Donatiſtarum epiſcopum, vt ſecum de diſſidii cauſa diſputaret, per literas prouocauit; nec non alios identidem. Interea a. 400. prodiit Petiliani epiſtola, qua ſuae eccleſiae cauſam ſtrenue tuebatur acriterque exprobrabat Catholicis inſidias, quibus Donatiſtas peterent; quam collectam ex pluribus, quibus diſſecta circumferri ſolebat, particulis Auguſtinus accurate refellere conatus eſt; quo tempore, vel etiam ante, contra Parmeniani quoque epiſtolam ſcripſit. Cum porro a. 401. idibus Septembribus ſecundum Carthagine Concilium habitum eſſet, actumque in eo de reducendis ad eccleſiam Donatiſtis, pacifice ac benigne actum iri cum iis viſum eſt, ſi legati ad magiſtratus mitterentur, qui geſtorum inter Donatiſtas et Maximinianiſtas acta peterent, iisque partim ad conuincendos eos, partim diſſamando ad minuendam eorum apud ſuos auctoritatem vterentur. Quod ſucceſſu non omni caruit, eoque animati catholici epiſcopi paſſim diſcurrentes, partim plebem ſermonibus habitis a Donatiſtis abſtrahere, partim publica interpellatione clericos eorum ad colloquia ſecum habenda pellicere tentarunt; tametſi veriſimile eſt, aliquos eorum, qui parum verecunde rem geſſiſſent, a plebe irata, vel etiam incitata, inclementius tractatos eſſe. Examinati hi legati in concilio a. 403. octauo Kalendas Septembres apud Carthaginem coacto, placuitque denuo circumire magiſtratus ac ſeniores locorum et per antiſtites Donatiſtarum interpellare, vt aliquos ex numero ſuorum deligerent, qui cum Catho-

tholicis loco conſtituto de cauſa ſua diſceptarent. Ne vero haec tumultuarie ac inuitis poteſtatibus ſaecularibus fierent, oblata eſt ab Aurelio et approbata in concilio conuentionis formula, quibus omnes emiſſarii vterentur, literarumque ſimul, quibus a gubernatoribus prouinciarum poſtularetur, vt per magiſtratus locorum Donatiſtas conuenire liceret. Praeter haec Auguſtinus epiſtolas ad laicos Donatiſtarum circumferri curauit, quibus adhortabatur, vt praeſules ſuos, ſi ad colloquium venire nollent, ad ſolvendas difficultates, quibus in fide eorum Catholici offenderentur, cogerent, aut ex recuſatione eorum futilitatis argumenta caperent. Quibus ſollicitationibus et velut incurſationibus magis exacerbati adverſariorum animi, et nonnulla crudeliter a plebe ſunt perpetrata, quae iuſtam ſpeciem imperatorum auxilium implorandi praebuerunt. Decretum ergo, vt legati Italiam et ad ipſum Imperatorem et ad miniſtros eius praecipuos et epiſcopos eorum locorum, in quibus ille forte verſaretur, mitterentur hoc nomine, vt leges generaliter a Theodoſio in omnes haereticos conſtitutae expreſſius in Donatiſtas excitarentur. Nec tamen hisce demum ſuis literis commotum, ſed iam praeuentum fama immanium Donatiſtarum ſcelerum imperatorem, cum praeteritis legibus vim reddidiſſe, tum nouas in eosdem poenas edicto idib. Febr. a. 405. promulgato ſanxiſſe, a Catholicis proditum eſt. Ac tantum ſane valuerunt hae minae, vt ad primum terrorem ex multitudine quidam caſtra Donatiſtarum deſererent, ſed vbi remiſſius cum ipſis per prudentiam gubernatorum, qui tantam hominum multitudinem tempore iniquiſſimo ab imperatore abalienari metuebant, agi coepiſſet, omnis ſenſim ſpes Catholicorum euanuit. Quapropter illi non deſtiterunt ab Honorio iterata vice flagitare, vt leges

leges promulgatae ratae haberentur, qui quidem non ſemel eorum obteſtationibus ceſſit legumque executionem protrahi vetuit. Sed inter haec ipſa medio fere anno 409. vel prudentiorum conſiliis, aut Donatiſtarum precibus indulgens, cuicunque liberum religionis exercitium fore edixit. Quod tanto intolerabilius accidit Catholicis, quo confidentius famam de hac futura indulgentia inter Donatiſtas ſubortam irriſerant ipſeque Auguſtinus literis publice ad vniverſos directis captioſe vanos eiuſmodi rumores ab iis ſpargi obiecerat *). Proinde graue rerum ſuarum diſcrimen metuentes, frequenter conuenere Carthaginem a. 410. decretumque in Concilio, legatos mitti ad Imperatorem, qui quocunque modo impetrarent, vt abrogata inuiſa illa lege, qua cunctis, et haereticis et paganis, ius ſacra propria exercendi conceſſum erat, vniuerſi Donatiſtarum epiſcopi ſeueris edictis ad Collationem cum Catholicis ineundam compellerentur. Nec ſatis fuit Auguſtino, *horum omnium* iudice Poſſidio *inceptori et exſecutori*, eos cogi, ſed nec accuſatos videri voluit, ne ſcilicet ipſum cum ſuis accuſatorum partes ſuſtinere oporteret, delatumque apud Imperatorem, eos ipſos a. 406. Collationem talem poſtulaſſe. Captus eſt Honorius abolitaque priſtina indulgentia, lege pridie idus Octobris a. 410. Rauennae data et promulgata in Africa ante XIV. Kalendar. Iun. ſeu die circiter XIV. Kalend. Febr. a. 411. omnes Donati partium epiſcopi quarto iuſſi ab edicto menſe Carthagine ad Collationem praeſto eſſe. Quodſi ad id tempus venire detrectaſſent, ſcriptum erat, duorum amplius menſium ſpatium concedi, quo iterum et tertio vocarentur. Sin nec tum quidem adeſſent contumaciae poenas datu-

*) Epiſt. CV. ed. Bened.

daturos populosque vniuerſos ad praeſtandum eccleſiae Catholicae obſequium cogendos, et eccleſias, quotquot in eorum poteſtate eſſent, reſtituendas eſſe. Conuenere ad diem praeſtitutam omnes profecti ex remotiſſimis Africae prouinciis, itineribus moleſtis non minus quam ſumptuoſis, ignari, quo nomine et in quem finem, actaque a Kalendis Iuniis a. 411. praeſentibus CCLXXIX. Donatiſtarum et CCLXXXVI. Catholicorum epiſcopis delectisque ad diſputandum vtrinque ſeptem, praeſide vero et iudice Marcellino Tribuno ad id negotium ab Auguſtis delegato, decantata illa Collatio, cuius exitum iam ſatis aperte Edictum imperatoris monſtrauerat. Damnati a Marcellino et paulo poſt Honorii lege tertio Kal. Febr. a. 412. propoſita et poenae in eos ſancitae, vt, ſi ad eccleſiam Catholicam reuerti nollent, omnes tum clerici, tum laici, poſſeſſionibus ſuis et eccleſiis exuti, in exilium pellerentur. Quo facto magna pars eorum, certe locupletiores, neceſſitati paruerunt; multi tamen exilium paſſi ſunt, alii latuerunt, nec pauci etiam palam ac peruicaciter reſtiterunt ſeque ſuamque cauſam publice tueri auſi ſunt, haud dubie, quod noſſent tot hominum millia per tot diſſitas inuicem prouincias non deſultoria opera opprimi poſſe. Ac ſic euenit ſane. Tam lente enim perſecutio proceſſit, vt ſeueriore imperatoris lege opus eſſe videretur, quae a. 414. X. Kalendas Iulias publicata eſt priori per ſingula capita inſiſtens. Equidem vero quamquam negare non auſim, Auguſtinum moderate victoria ſua vſum eſſe, aegre tamen adducor, vt eius et reliquorum Catholicorum epiſcoporum, vt Benedictini volunt, interceſſionibus mitius Donatiſtas habitos eſſe credam. Quippe ſatius haud dubie erat, errantes patienter ferre et cum vitae integrae, tum charitatis vere chriſtianae exemplis, ſi non vnitatem,

tatem, ſaltem ad pacem cum Catholica eccleſia agendam adducere, quam absque vlla intermiſſione laceſſere, calumniari apud imperatorem, libertate iurium ſuorum priuare, ac tandem per ſummam iniquitatem ſub ſpecie iuſti in extremum diſcrimen adductos miſericordia fouere. Nam illa charitas, quam de ſuggeſtu praedicabat Sanctus Doctor tunc, cum aliqui ex iis rebus ſuis ſpoliati, aut aliorum miſeria in furorem acti, in catholicum quendam ſuarum partium deſertorem ſceleratas manus iniecíſſent, neſcio, cui vſui erat futura *). Idem vero, cum paulo poſt creſcente legum ſeueritate multa millia hominum, qui ſedibus ſuis, puto, expulſi et omnibus neceſſitatibus egentes non habebant, quo confugerent, ſibimet ipſis manus inferrent, ſecúrus ea ſpectabat et in has voces Loyolitis exempla praebituras erupit: „*Si putas moueri nos oportere, quia iſto modo tot millia moriuntur; quantum exiſtimas nos habere conſolationis, quod a tanta dementia partis Donati, vbi non ſolum nefariae diuiſionis error, verum etiam furor iſte lex facta eſt, longe atque incomparabiliter plura millia liberentur?* **) Item *Populorum congregationes per plurimas Africae regiones ab illa perditione* (Donatiſtarum) *liberatorum, ſi ſub vno conſpectu videres, tunc diceres, nimiae fuiſſe crudelitatis, ſi dum timeretur, ne homines deſperati, et iſtorum innumerabili multitudini nulla aeſtimatione comparandi, ſuis et voluntariis ignibus cremarentur, iſti in aeternum per-*

*) In *Sermone* ad populum hac occaſione habito in *ed. Bened.* CCCLIX. n. 8. *Noua nobis nunciata ſunt*, inquit; *cuidam presbytero noſtro linguam exſecuerunt. Iſti phrenetici ſunt:* EXERCENDA EST CHARITAS; AMANDI ET IPSI!

**) Contra Gaudent. l. I. c. 29.

perdendi et ſempiternis ignibus cruciandi relinquerentur *)." Hoc animo et his armis, id eſt, hac moderatione, patientia et charitate in ferendis aliorum erroribus et hac exercitatione, perſeuerantia et fiducia in debellandis vincendisque eccleſiae hoſtibus Pelagianos aggreſſus eſt. Initia et progreſſus iſtius haereſis quantum cum vita auctorum ſuorum ac defenſorum coniuncta fuerunt, in Pelagii, Coeleſtii, Iuliani, Caſſiani aliorumque, quorum de ſcriptis aliquid ad nos peruenit, memoria tangimus et in praeſenti etiam ſatis eſſe exiſtimamus, vt ad illos lectores ablegentur. Certe hic nihil erat eorum, quae tanta ſpecie contra Donatiſtas iactata ſunt, non animus paci et communioni eccleſiae inimicus, non rixae et litigia prius ab ipſis mota, nullus ſchiſmatis turbarumue metus, nihil in vita ipſorum probroſum aut tantum contemtibile. Immo homines erant ſanae mentis, indolis erectae, docti quidem longe ſupra clericorum vulgus ipſumque eorum coryphaeum Auguſtinum, nullaque ingenii laude deteriores, boni denique et ſanctitatis fama adeo inclyti; ſed huic vni crimini obnoxii, quod doctrinam profiteri auderent, magni noſtri doctoris viſionibus recens ſubnatis plane contrariam. Nam quid olim in altercatione cum Manichaeis de liberi arbitrii vi et natura ſenſerit ſcripſeritque, iam in antecedentibus dictum eſt. Accidit vero, vt, cum Simplicianus Mediolanenſis, poſt Ambroſiae obitum (a. 395.) epiſcopus, cuius conſilio

*) In libro *de Correctione Donatiſtarum* (qui in hac cauſa vltimus eius fuit) ſeu *Epiſtola ad Bonifacium* Tribunum, poſtea Africae comitem *ed. Bened.* CLXXXV. cap. 8. n. 32. Nimirum haec eſt illa *charitas, quam non ordine amandi, ſed ordine ſubueniendi* procedere ait in *ep. ad Honoratum* CXXXIX. n. 3.

lio monitisque olim in conuerſione ſua vſus erat Auguſtinus, ad eum literas de loco atque conditione eius gratulatorias dediſſet, ſimulque quaeſtiones aliquot partim de epiſtola ad Romanos, partim de libris Regum enodandas propoſuiſſet, in locum 1 Cor. IV. 7. et verba, *Quid habes, quod non acceperis*, incidens, conſideratione tempeſtiua adhibita, priſtinam ſententiam deponeret, fideique initium et bona opera ex ea conſequentia non amplius humani arbitrii, ſed merum dei donum ſtatueret. Arcte haec coniuncta erant cum illo animi ipſius, qualem ſupra deſcripſimus, ſtatu, tantoque cupidius arripiebat, fortiusque tenebat ea, quo magis hanc diuinae gratiae operationem in ſemetipſo ſentire ſibi viſus erat. Sed vnde tantas ſubito iras tamque exitiale odium in huius opinionis nouae aduerſarios conceperit, vt non ſolum voce et ſcriptis quam plurimis *) litem ipſis intenderet, ſed in Palaeſtinam etiam Italiamque et Conſtantinopolim vsque bellum transferret, et, dum ipſe patientiam in ore gereret et fraternam charitatem vultu oſtenderet, homines ira tumidos et audaciſſimos, immo vero et flagitioſos ad inſectandos eos ſubornaret, rabiem S. Hieronymi ſtimularet, Patrum Africanorum congregationes et Pontificem Romanum Innocentium, Bellonae quaſi ſpiritu afflaret, tandemque ab ipſo imperiali culmine fulmen peteret: id non facile intelliget, niſi qui per diuturnum cum Donatiſtis conflictum animum eius efferari et praecordia atra bile obduci ſpectauerit. Quantumvis autem virium ac machinarum ad opprimendos eos

*) Horum indicem peculiarem iuxta ſingulos annos compoſuit *Io. Garnerius* in Diſſ. VI. ad Mar. Mercatorem, de ſcriptis aduerſus Haereſim Pelagianam Cap. II. pag. 342 - 354.

eos exhauriret, viros tamen, tanta in ſcriptis grauitate, tantosque per vitam veritatis, quam profiterentur, teſtes non potuit tot verborum inanium et interpretationum ludicrarum obſtrepitaculis ſexcenties repetitis erroris conuincere, aut, niſi apud eos, qui iam ab eo praeoccupati erant, vel auctoritatem eius ſequi mallent, quam ipſi experiri, vel aliud quidpiam hoc obſequio intenderent, ipſis derogare. Quid? quod ipſius adeo libri nouas lites ſubinde pepererunt, quas tantum abfuit, vt nouis ſcriptis, quibus ſubuenire certe non ceſſabat, dirimeret, vt potius maiores inde tumultus exorirentur; quemadmodum Adrumetinorum et Maſſilienſium monachorum hiſtoria teſtatur. Licet autem non Manichaeos ſolum Donatiſtasque et Pelagianos bello petiit ſanctiſſimus heros, tamen libri illius *contra Marcioniſtas*, (inſcripti contra aduerſarium legis et Prophetarum) *Priſcillianiſtas* (ad Oroſium, Conſentium et Ceretium directi) et *Nouatianos* (per epiſtolam ad Seleucianam) quemuis alium nobilitaturi, iuxta illuſtres illas expeditiones poſiti fere euaneſcunt. Idem de velitatione *contra Iudaeos* dixeris. Nec *Paganos* ab eo impugnatos quisquam noſtrum noſſet, niſi mole et eruditione iuxta conſpicuum opus *de Ciuitate Dei* loqueretur. Acquieuit in libro *de haereſibus*, quem anno 429. accenſere ſolent. Cum iampridem ſucceſſorem ſuum Eradium presbyterum deſtinaſſet, ſecure illud momentum expectabat, quo curam eccleſiae non deponere, ſed in alium transferre iuberetur, animamque Deo reddidit quinto Kalendas Septembres (d. XXVIII. Auguſti) a. 430. Hippone, in tertium menſem a Vandalis obſeſſa.

I. *Scripta* Auguſtini *genuina*, ſeruato *Retractationum* ordine, quem ſimiliter auctores Magnae Bibliothecae Patrum ſecuti ſunt. §. 2. Scripta.

1. *Contra Academicos* libri III. poſt Librum *de Pulchro et Apto* deperditum, primi omnium ſunt, ſcripti a. 386.
2. *De Vita beata* liber, dialogis tribus conſtans, eodem a. 386. non poſt libros *contra Academicos*, ſed inter illos ſcriptus.
3. *De Ordine* libri II. Dialogi IV. eodem tempore, quo praecedentes ſcripti.
4. *Soliloquiorum* libri II. ſub initium a. 387.
5. *De Immortalitate Animae* liber, a. 387.
6. *De Muſica* libri VI. a. 387. Mediolani inchoati, a 389. in Africa abſoluti.
7. *De Moribus Eccleſiae Catholicae* } libri II. Romae verſus initium a. 388. ſcripti.
8. *De Moribus Manichaeorum* } libri II. Romae verſus initium a. 388. ſcripti.
9. *De quantitate Animae* dialogus ibidem, eodem tempore conſcriptus.
10. *De libero Arbitrio* libri III. quorum primum Romae a. 388. inchoauit, duos poſteriores Hippone Presbyter ordinatus, abſoluit a. 395.
11. *De Geneſi aduerſus Manichaeos* libri II. quos in ſeceſſu prope Tagaſtam ſcripſit circa a. 389.
12. *De Magiſtro* liber ibidem et eodem a. 389. ſcriptus.
13. *De vera Religione* eodem a. 389. vel 390. ſcriptus.

Hi libri vna cum n. 35. in *I. Tomo* editionum *Eraſmi*, *Louanienſium* et *Benedictinorum*.

14. *De vtilitate credendi* liber Hippone a. 392. exaratus. Ext. in edit. *Eraſm.* et *Louanienſ.* Tomo VI. Bened. VIII.
15. *De duabus Animabus* liber eodem a. 392. confectus. Ext. in ed. *Eraſm.* et *Louan.* T. VI. *Bened.* VIII.

16. *Acta*

16. *Acta* contra *Fortunatum* quendam Manichaeorum Presb. quocum diſputauerat d. 28 et 29. Aug. a. 392. Ext. in ed. *Eraſm.* et *Louan.* T. VI. *Bened.* VIII.

17. *De Fide et Symbolo* liber natus ex ſermone, quem coram Epiſcopis in Concilio Hipponenſi a. 393. presbyter adhuc habuit. Ext. in ed. *Eraſm.* et *Louan.* T. III. *Bened.* VI.

18. *De Geneſi ad literam* liber imperfectus circiter a. 393. ſcriptus. Ext. in ed. *Eraſm. Louan.* et *Bened.* T. III.

19. *De Sermone Chriſti in monte* ad Matth. c. V. VI. VII. libri II. circa a. 393. Ext. in ed. *Eraſm.* et *Louan.* T. IV. *Bened.* III.

20. *Pſalmus contra Donatiſtas* a. 393. Ext. in ed. *Eraſm.* et *Louan.* T. VII. P. I. *Bened.* IX.

[21.] Ad eundem fere a. 393. referendus eſt liber deperditus *contra Epiſtolam Donati,* Carth. Epiſc. Schiſmatici. Nam proxime poſt *Pſalmum* ponit *Auguſtinus* Retract. I. 21.

22. *Contra Adimantum* liber a. 394. Ext. in ed. *Eraſm.* et *Louan.* T. VI. *Bened.* VIII.

23. *Expoſitio quarundam Propoſitionum* ex Epiſt. Pauli ad Romanos. Dedit Carthagine adhuc presbyter a. 394. Ext. in ed. *Eraſm.* et *Louan.* T. IV. *Bened.* III.

24. *Expoſitio Epiſtolae ad Galatas* eodem circiter anno ſcripta. Ext. in ed. *Eraſm.* et *Louan.* T. IV. *Bened.* III.

25. *Expoſitio Epiſtolae ad Romanos inchoata* ſub idem fere tempus. Ext. in ed. *Eraſm.* et *Louan.* T. IV. *Bened.* III.

26. *De Mendacio ad Conſentium* liber a. 395. Ext. in ed. *Eraſm.* et *Louan.* T. IV. *Bened.* VI.

27. *De continentia* liber *in Pſ. CXLI. v. 3.* 4. ſcr. c. a. 395. Ext. in ed. *Eraſm.* et *Louan.* T. IV. *Bened.* VI.

28. *De diuerſis Quaeſtionibus* LXXXIII. ſiue *Reſponſiones ad Quaeſtiones* LXXXIII. Has Auguſtinus a fratribus interrogatus, nullo obſeruato ordine, dictauit in Africa c. a. 390. Epiſcopus vero factus, eas colligi iuſſit, et vnum ex iis librum fieri curauit a. 398. Ext. in ed. *Eraſm.* et *Louan.* T. IV. *Bened.* T. VI.

29. *De diuerſis Quaeſtionibus* VII. Libri II. Qui primi omnium ſunt, quos Epiſcopus ſcripſit *Auguſtinus* ad *Simplicianum* Mediol. Epiſc. qui S. Ambroſio ſuffectus eſt a. 397. Ext. in ed. *Eraſm.* et *Louan.* T. IV. *Bened.* VI.

30. *Contra Manetis* Epiſtolam, cui titulus *Fundamenti*, liber ſcriptus circiter a. 397. Ext. in ed. *Eraſm.* et *Louan.* T. VI. *Bened.* VIII.

31. *De agone Chriſtiano* a. 396. conſcriptus. Ext. in ed. *Eraſm.* et *Louan.* T. III. *Bened.* VI.

32. *De Doctrina Chriſtiana* libri IV. Hos inchoauit circa a. 397. verum ad tertii libri caput tertium abſoluit, tribusque quartum addidit a. 426. Ext. in ed. *Eraſm. Louan.* et *Bened.* T. III.

[33.] Ad a. 398. referendi quoque *Contra partem Donati* libri duo, quorum meminit Retract. I, 5. Sed non amplius extant.

34. *De Fide rerum, quae non videntur.* Hunc tractatum *Eraſmus* et eum ſecuti *Louanienſes* tanquam ſpurium et ex *Auguſtini* ſcriptis conſarcinatum reiecerant; *Benedictini* vero pro genuino receperunt. Videtur ad a. 399. referendus. Ext. in ed. *Eraſm.* et *Louan.* T. IV. Append. *Bened.* T. VI.

35. Con-

35. *Confeſſionum* libri XIII. circa a. 400. ſcripti. Ext. in ed. *Eraſm. Louan.* et *Bened.* T. I.

36. Contra *Fauſtum* Manichaeum *Diſputatianes* ſeu libri XXXIII. Opus abſolutum c. a. 400. quod ad *Hieronymum* miſit a. 404. Ext. in ed. *Eraſm.* et *Louan.* T. VI. *Bened.* VIII.

37. *De actis cum Felice Manichaeo* libri II, ſunt *acta Collationis*, quam cum eo habuit *Auguſtinus* Hippone menſe Decembri a. 404. Ext. in ed. *Eraſm.* et *Louan.* T. VI. *Bened.* VIII.

38. *De natura Boni* liber aduerſus Manichaeos ſcr. poſt a. 404. Ext. in ed. *Eraſm.* et *Louan.* T. VI. *Bened.* VIII.

39. *Aduerſus Secundinum Manichaeum* liber ſcr. a. circiter 405. Ext. in ed. *Eraſm.* et *Louan.* T. VI. *Bened.* VIII.

[40.] Hic referendus eſſet, ſi extaret, quem contra *Hilarium* quendam virum tribunitium laicum Catholicum ſcripſiſſe ſe teſtatur Retract. lib. II. cap. II.

41. *Quaeſtionum Euangelicarum* XCVIII. libri II. quos feſtinanter admodum ſcripſit *Auguſtinus* poſt a. 400. Ext. in ed. *Eraſm.* et *Louan.* T. IV. *Bened.* III.

42. *Annotationes in Iobum* ſcriptae verſus a. 400. Ext. in ed. *Eraſm.* et *Louan.* T. IV. *Bened.* III.

43. *De catechizandis rudibus* liber poſt a. 400. ſcriptus. Ext. in ed. *Eraſm.* et *Louan.* T. IV. *Bened.* VI.

44. *De Trinitate* libri XV. a. 400. inchoati, a. 416. abſoluti. Ext. in ed. *Eraſm.* et *Louan.* T. III. *Bened.* VIII.

45. *De conſenſu Euangeliſtarum* libri IV. verſus a. 400. ſcripti, quos inter ſcribendum libros de Trinitate compoſuit. Ext. in ed. *Eraſm.* et *Louan.* T. IV. *Bened.* III.

46. Contra *Parmeniani*, Donati in ſede Carthag. ſucceſſoris, *Epiſtolam ad Tychonium* ſcr. c. a. 400. Ext. in ed. *Eraſm.* et *Louan.* T. VII. *Bened.* IX.

47. *De Baptiſmo* libri VII. eodem tempore aduerſus Donatiſtas exarati. Ext. in ed. *Eraſm.* et *Louan.* T. VII. *Bened.* IX.

[48.] Sequitur in *Retractationum* ſerie, lib. II. c. 19. proxime liber, cui tit. *Contra quod attulit Centurius a Donatiſtis:* qui non extat.

49. *Ad Inquiſitiones Ianuarii* libri II. c. a. 400. ſcr. Ext. in ed. *Eraſm. Louan.* et *Bened.* T. II.

50. *De Opere Monachorum* liber iubente *Aurelio*, Epiſc. Carthag. c. a. 400. ſcr. Ext. in ed. *Eraſm.* et *Louan.* T. III. *Bened.* T. VI.

51. *De Bono coniugali* liber aduerſus Iouinianum a. 400. ſcr. Ext. in ed. *Eraſm. Louan.* et *Bened.* T. VI.

53. *De Geneſi ad Literam* libri XII. a. 401. inchoati, abſoluti a. 415. Ext. in ed. *Eraſm. Louan.* et *Bened.* T. III.

54. *Contra Literas Petiliani Donatiſtae*, Cirtenſis vel Conſtantinienſis in Numidia Epiſc. libri III. Ext. in ed. *Eraſm.* et *Louan.* T. VII. *Bened.* IX.

55. *Ad Catholicos Epiſtola contra Donatiſtas* vulgo de *vnitate Eccleſiae* liber, qui a quibusdam non *Auguſtini* putatur, a *Dupinio* tamen ei aſſeritur et ad a. 402. refertur. Ext. in ed. *Eraſm.* et *Louan.* T. VII. *Bened.* IX.

56. *Contra Creſconium Grammaticum*, qui *Petiliani* cauſam defendendam ſuſceperat, libri IV. a. 406. ſcr. Ext. in ed. *Eraſm.* et *Louan.* T. VII. *Bened.* IX.

Hoc loco ſubiungendi fuiſſent; ſi extarent, libri tres ſubſequentes, quorum Auguſtinus meminit Retract. II. c. 27. 28. 29, ſcilicet,

[57.] *Liber Probationum et Teſtimoniorum contra Donatiſtas.*

[58.] *Contra neſcio quem Donatiſtam.*

[59.] *Admonitio Donatiſtarum de Maximianiſtis.*

60. Liber *de Diuinatione Daemonum* ſcr. inter a. 406 et 411. Ext. in ed. *Eraſm.* et *Louan.* T. III. *Bened.* VI.

61. *De ſex quaeſtionibus contra Paganos* expoſitis liber ad *Deo gratias* Presbyterum, c. a. 408. ſcr. videtur. Meminit *Auguſtinus* Retract. II. 31. Inter epiſtolas editus eſt (olim 49. nunc 102.) in ed. *Eraſm. Louan.* et *Bened.* T. II.

[62.] Sequitur in *Retract.* lib. II. 32. *Expoſitio Epiſtolae S. Iacobi*, quae non extat.

63. *De peccatorum meritis et remiſſione ac de Baptiſmo Paruulorum* Libri III. ad *Marcellinum* ſcr. a. 412. Ext. in ed. *Eraſm.* et *Louan.* T. VII. P. II. *Bened.* X.

64. *De vnico Baptiſmo* liber eodem tempore ſcr. Ext. in ed. *Eraſm.* et *Louan.* T. VII. *Bened.* IX.

[65.] Quem poſt opus de *vnico Baptiſmo* recenſet *Auguſtinus* II. 35. liber de *Maximianiſtis contra Donatiſtas*, iam non amplius reſtat.

66. *De Gratia Noui Teſtamenti* liber ad *Honoratum* ſcr. c. a. 412. Ext. in ed. *Eraſm. Louan.* et *Bened.* T. II.

67. *De Spiritu et Litera* liber ad *Marcellinum* a. 412. vel 413. ſcr. Ext. in ed. *Eraſm.* et *Louan.* T. III. *Bened.* X.

68. *De Fide et Operibus* liber ſcr. a. 413. Ext. in ed. *Eraſm.* et *Louan.* T. IV. *Bened.* VI.

69. *Breuiculus Collationum contra Donatiſtas* ſcr. ſub finem a. 411. Ext. in ed. *Eraſm.* et *Louan.* T. VII. *Bened.* IX.

70. *Ad Donatiſtas* poſt dictam *Collationem* liber forte ſub init. a. 412. ſcr. Ext. in ed. *Eraſm.* et *Louan.* T. VII. *Bened.* IX.

71. *De videndo Deo ad Paulinam* liber. Ext. in ed. *Eraſm. Louan.* et *Bened.* T. II.

72. *De natura et Gratia contra Pelagianos* liber a. 415. ſcr. Ext. in ed. *Eraſm.* et *Louan.* T. VII. P. II. *Bened.* T. X.

73. *De Perfectione iuſtitiae hominis* ad Eutropium et Paulum, Epiſcopos Gallicanos, liber ſeu Epiſtola ſcr. a. 415. Ext. in ed. *Eraſm.* et *Louan.* T. VII. P. II. *Bened.* X.

74. *De Ciuitate Dei* libri XXII. ad Comitem *Marcellinum*, quos aggreſſus eſt ſcribere *Auguſtinus* a. 413. poſt captam ab *Alarico*, Gothorum Rege, Vrbem Romam, abſoluit demum a. 427 vel 428. Ext. in ed. *Eraſm.* et *Louan.* T. V. *Bened.* VII.

75. *De bono Viduitatis* liber (ſeu Epiſtola). Non meminit eius in *Retractationibus*, ſed a Poſſidio in indicem relata eſt. Ext. in ed. *Eraſm.* et *Louan.* T. IV. *Bened.* VI.

76. *Contra Priſcillianiſtas et Origeniſtas* liber a. 415. ſcr. ad *Paulum Oroſium* Hiſpanum. Ext. in ed. *Eraſm.* et *Louan.* T. VI. *Bened.* VIII.

77. *De origine animae* ad Hieronymum. vid. infra n. 92.

[78.] Sequitur in *Retract.* lib. II. c. 46. liber ad *Emeritum*, Donatiſtarum Epiſc. qui hodie non extat. cf. n. 85. 86.

79. *De Geſtis Pelagii contra Aduerſarios Gratiae D. N. I. C.* liber a. 416. ſeu 417. ſcr. ad Aurelium, Epiſc. Carthag. Ext. in *Supplem. Vignerii* T. I. p. 413 *ſqq.* et ed. *Bened.* T. X.

80. *De correctione Donatiſtarum* liber ad *Bonifacium* Tribunum ac demum Comitem in Africa ſcr.

ſcr. c. a. 417. Extat inter Epiſtolas olim 50. nunc 185. ed. *Eraſm. Louan.* et *Bened.* T. II.

81. *De Praeſentia Dei* liber *ad Dardanum* in Galliis Praefectum ſcr. circa idem tempus. Extat inter epiſtolas (olim 57. nunc 187.) edit. *Eraſm. Louan.* et *Bened.* T. II.

82. *In Euangelium Iohannis* Tractatus CXXIV. quibus praefixa eſt *Praefatio* incerti Auctoris. Sermones ſunt ab *Auguſtino* pro Concione habiti annis 416 et 417. Ext. in ed. *Eraſm.* et *Louan.* T. IX. *Bened.* III.

83. *In Epiſtolam I. Diui Ioannis ad Parthos* Tractatus X. ſub idem tempus ſcripti. Ext. in ed. *Eraſm.* et *Louan.* T. IX. *Bened.* III.

84. *De Gratia Chriſti et Peccato Originali contra Pelagium et Coeleſtium* libri II. circa medium a. 408. ſcr. Ext. in ed. *Eraſm.* et *Louan.* T. VII. *Bened.* X.

85. *De geſtis cum Emerito* Caeſareae in Mauritania Donatiſtarum Epiſcopo liber a. 413. vel 418. ſcript.

86. *Sermo ad Caeſarienſis Eccleſiae plebem* Emerito *praeſente* habitus. Ext. in ed. *Eraſm.* et *Louan.* T. VII. *Bened.* IX.

87. *Contra Sermonem quendam Arianorum* ſine Auctoris nomine liber a. 418. ſcr. Ext. in ed. *Eraſm.* et *Louan.* T. VI. *Bened.* VIII.

88. *De Patientia* liber vel potius Sermo ſcr. vt creditur, ante a. 418. Ext. in ed. *Eraſm.* et *Louan.* T. IV. *Bened.* VI.

89. *De Nuptiis et Concupiſcentia* ad *Valerium* Comitem libri II. Prior ſcriptus eſt a. 418. exeunte, ſecundus a. 420. Ext. in ed. *Eraſm.* et *Louan.* T. VII. P. II. *Bened.* T. X.

90. *Locutionum* libri VII. c. a. 419. ſcripti. Ext. in ed. *Eraſm. Louan.* et *Bened.* T. III.

91. *Quaeſtionum in Heptateuchum* DCLXV. libri VII. eod. a. 419. ſcr. Ext. in ed. *Eraſm.* et *Louan.* T. IV. *Bened.* III.

92. *De anima et eius origine* libri IV. a. 419 et 420. ſcripti. Ext. in ed. *Eraſm.* et *Louan.* T. VII. P. II. *Bened.* X.

Ceterum ſcripſerat *Auguſtinus* a. 415. ad S. Hieronymum *de origine animae* librum, qui inter Epiſtolas extat ordine CLXVI. in ed. Bened. alias 28. ſimulque alterum de ſententia D. Iacobi Apoſtoli II. 10. *Qui offenderit in vno, factus eſt omnium reus*, Epiſt. CLXVII. olim 29. Vtramque tanquam libros recenſuit *Auguſtinus* Retract. lib. II. c. 45.

93. *De coniugiis adulterinis ad Pollentium* libri II. ſcr. a. 419. Ext. in ed. *Eraſm. Louan.* et *Bened.* T. VI.

94. *Contra Aduerſarium Legis et Prophetarum* libri II. ſcr. a. 420. Ext. in ed. *Eraſm.* et *Louan.* T. VI. *Bened.* VIII.

95. *Contra Gaudentium*, Thamugadenſem Epiſc. Donatiſtarum libri II. eodem a. 420. ſcr. Ext. in ed. *Eraſm.* et *Louan.* T. VII. *Bened.* IX.

96. *Contra Mendacium* liber ad *Conſentium* a. 420. ſcr. Ext. in ed. *Eraſm.* et *Louan.* T. IV. *Bened.* VI.

97. *Contra duas Epiſtolas Pelagianorum* libri IV. ad *Bonifacium* I. Epiſc. Rom. *Zoſimi* ſucceſſorem, ſcripti a. 420. vel paulo poſt. Ext. in ed. *Eraſm.* et *Louan.* T. VII. P. II. *Bened.* X.

98. *Contra Iulianum* libri VI. a. 421. ſcripti. Ext. in ed. *Eraſm.* et *Louan.* T. VII. P. I. *Bened.* X.

99. *En-*

99. *Enchiridion* ſ. *Manuale* ad Laurentium. *de Fide, Spe et Charitate*, ſcr. 421. Ext in ed. *Eraſm.* et *Louan.* T. III. *Bened.* VI.

100. *De cura pro mortuis gerenda* a. 421. ſcr. Ext. in ed. *Eraſm.* et *Louan.* T. IV. *Bened.* VI.

101. *De octo Dulcitii Quaeſtionibus* liber ſcr. a. 422. Ext. in ed. *Eraſm.* et *Louan.* T. IV. *Bened.* VI.

102. *Regula ad ſeruos Dei* de tribus vltima *), de qua dubitat *Eraſmus*, licet indignam *Auguſtino* non indicet, aſſerunt plane *Benedictini.* Extat in Epiſtola CCXI. (alias CIX.) Sanctimonialibus ab ipſo ſcripta a. 423. vel 424. Inde vero depromtam virisque aptatam fuiſſe dicunt. Ed. *Eraſm.* *Louan.* et *Bened.* T. I.

103. *De Gratia et Libero Arbitrio ad Valentinum Abbatem et Monachos Adrumetinos* ſcr. a. 426. vel 427. Ext. in ed. *Eraſm.* et *Louan.* T. VII. P. II. *Bened.* X.

104. *De Correptione et Gratia* liber ad Monachos item Adrumetinos a. 427. ſcriptus.

105. *Retractationum* libri II. in quibus *Auguſtinus* opera ſua XCIV. in libris CCXXX. recenſet ad annum vsque 427. quo ſcripti ſunt. Ext. in ed. *Eraſm.* *Louan.* et *Bened.* T. I.

106. *De Haereſibus* liber intra a. 428 et 430. abſolutus. Ext. in ed. *Eraſm.* et *Louan.* T. VI. *Bened.* VIII.

107. *Tractatus* ſ. *liber de Incarnatione Domini adverſus Iudaeos* poſt librum de Haereſibus a Benedictinis ponitur. Ext. in ed. *Eraſm.* et *Louan.* T. VI. *Bened.* VIII.

108. 109. *Collatio cum Maximino Arianorum Epiſcopo* librique duo *contra eundem.* Collatio habita eſt

*) De reliquis vide infra n. 21. 22. in *Dubiis.*

eſt a. 428. Hippone. Ext. in ed. *Eraſm.* et *Louan.* T. VI. *Bened.* VIII.

110. *De Praedeſtinatione Sanctorum* liber ad *Proſperum* et *Hilarium* ſcr. a. 428. vel 429. Ext. in ed. *Eraſm.* et *Louan.* T. VI. *Bened.* X.

111. *De Praedeſtinatione Sanctorum* liber IIdus, vulgo *de Dono Perſeuerantiae* nuncupatus ad eosdem ſcr. a. 428. vel 429. Ext. in ed. *Eraſm.* et *Louan.* T. VI. *Bened.* X.

112. *Contra ſecundam* Iuliani *reſponſionem, opus imperfectum ſex libros complectens* ſcr. a. 428. vel 429. Ext. in *Vignerii Supplem.* T. II. *Bened.* ed. X.

113. *Speculum ex vtroque Teſtamento* ſub a. 427. ſcriptum et a *Poſſidio* in *Indiculo* et *Vita Auguſtini* memoratum. Ext. in ed. *Eraſm.* et *Louan.* T. III. *Vignerii Suppl.* I. *Bened.* III.

114. *Examinationes in Pſalmos Dauidis* CL. Ext. in ed. *Eraſm.* et *Louan.* T. VIII. *Bened.* IV.

115. *Epiſtolae* numero CCLXXI. iuxta ordinem chronologicum a Benedictinis in IV. Claſſes diſpoſitae. Ima Claſſis eas continet, quas Auguſtinus nondum epiſcopus ſcripſit ab a. 386 ad 395. IIda, quas ab eo tempore ſcripſit ante *Collationem Carthaginenſem* cum Donatiſtis habitam et detectam in Africa *Pelagii* haereſin, i. e. ab a. 396. ad 412. IIIa, quas ab eo tempore ad obitum ſcripſit, nempe ab a. 411 ad 430. IVa eas, quarum tempus minus compertum habetur, quas tamen omnes ab *Auguſtino* iam epiſcopo ſcriptas eſſe certum eſt. *Auguſtini* Epiſtolis antea vulgatis paucae hactenus ineditae acceſſerunt in ed. Benedictinorum. Ext. in ed. *Eraſm. Louan.* et *Bened.* T. II. Plures autem iamiam inter Epiſtolas leguntur, quas tanquam

quam libros *Auguſtinus* in Retract. recenſuit, quas ſuis locis notatas videbis.

116. *Sermones.* Horum variae extant collectiones, quarum quinque ſequentes (praeter *Sermones ad fratres in Eremo*) prodierunt in ed. *Eraſm.* Baſ. 1529. T. X.

I. *De verbis Domini* ſiue *de verbis Euangelii*, Sermones LXIV. Ex his Sermo 14. *Eradii* Presbyteri eſt, 19. *Maximi* Taurinenſis, 28. *S. Ambroſii* Mediolanenſis Epiſcopi.

II. *De verbis Apoſtoli* Sermones XXXV. Ex his Sermo 25. *Maximi* eſt, inter *Ambroſianos* nonus.

III. *Homiliae L. in quibus varia ſcripturae loca explicantur et Loci communes tractantur.* Harum quarta ex *Ambroſii* ſcriptis decerpta.

Collectiones iſtae tres antiquae ſunt, ante annos quippe 800 factae, Auguſtino tamen nequaquam aequales. Duos ſequentes autem ſumma incuria adornatae ſunt ab ed. Amerbachianae curatoribus, nempe

IV. *Sermones de Tempore* CCLVI. ex quibus plurimi alios prae ſe ferunt auctores. Sermones vero 87, 215, 255. ſpurii habentur. Sermonem 191. Auguſtino abiudicat *Phil. Labbeus.* Eorum vero *nonus* eſt Sermo *Bernardi;* 11. *Maximo* tribuitur; 15. *Seueriano* vti et *Fulgentio* adſcribitur; 33. *S. Leonis* eſt; 37. *Maximi;* 48. ex *Hilario*, *Ambroſio* et *Auguſtino* hinc inde deſumtus eſt; 63. *S. Leonis* eſt; 68, 77, 117. *S. Ambroſii;* 118. *Maximini;* 120. *Euſebio* tribuitur; 125. idem fere eſt ac *Symbolum Damaſo inſcriptum* inter Opera *S. Hieronymi;* 128. *Maximum*, 130. *Chryſoſtomum* auctorem habet; 136, 138, 156, 176. inter

Euſe-

Euſebianos habentur; 177. *S. Gregorii* eſt; 173. ex eiusdem ſcriptis deſumtus; 226, 228, 229, 242. ex *Ambroſii* ſcriptis.

V. *De Sanctis Sermones* LI. ex quibus Sermones 1. et 18. *Fulgentio* adſcribunt nonnulli; ſermo 22. e *Petro Rauennatenſi* decerptus eſt; 26. inter *Ambroſianos* reperitur; 27. *Maximi* eſt; 30. et 31. ſpurii ſunt, poſterior inter *Ambroſianos* habetur, vti et ſermo 33; 35. *Fulberti* eſt; 36. *Euſebii* Epiſcopi; 37. *Alcuini* Presbyteri, ex variis tamen conſarcinatus; 47. etiam *S. Leoni* tribuitur.

VI. *Sermones* alii XVII. ex quibus ſex *de Tempore*, ſeptimus *de verbis Apoſtoli*, decem *de Sanctis* in editione Pariſienſi 1531. primum editi.

VII. *Sermones* IV. videlicet *de Iacob et Eſau*, in feſto *S. Vincentii*, in *Prouerb.* XIII. in *Parabolam Seminantis*, et in illud *Matth.* XVI. *Qui vult venire poſt me* etc. Hi primum prodierunt (cum Tractatu in *Orationem Dominicam*) in ed. Baſil. 1556. Quibus acceſſerunt in ed. a. 1569.

VIII. *De diuerſis* Sermones XLIII.

IX. *Fragmenta Sermonum* S. Auguſtini XXVII. ex *Eugippii* Abbatis *Theſauro* ſeu Collectionibus ad *Probam* Virginem, atque ex Commentariis *Flori*, Lugdunenſis eccleſiae Diaconi, in Epiſtolas Pauli, ex verbis *Auguſtini* ſub BEDAE nomine inter eius Opera et ſeorſim etiam impreſſis.

X. *Sermones de diuerſis* CXXIII. a Louanienſibus a. 1571. Tomo X. editi, annumeratis praedictis ſermonibus XLIII. Ex his plurimos ſuppoſititios eſſe fatentur ipſi Louanienſes.

XI. *Ho-*

XI. *Homiliae* XI. a Pariſienſibus editae a. 1614. ex MSS. Carthuſianis, atque *aliae* XIII. ex MSS. Pithoeanis.

XII. *Sermones* XL. de variis argumentis a *Iacobo Sirmondo* Ieſuita primum editi cum notis Pariſ. 1631. 8. „quorum nonnullos, ait *And. Riuetus*, vt nolim negare *Auguſtinum* auctorem habere, maxime qui in Indiculo *Poſſidii* numerantur, alios tamen, qui e Monachorum cryptis prodierunt, patietur Editor apud nos eſſe ſuſpectae fidei, donec probationibus digniori-bus nobis commendentur.“ Inter hos autem XL. Sermones habentur Homiliae illae XIII. ſuperius commemoratae.

XIII. *Sermones* VI. Romae primum editi a. 1644. a *Ioan. Bapt. Maro* Romano, S. Angeli in Foro Piſcium Canonico.

Quatuor poſteriores Sermonum Collectiones recudit *Vignerius* Parte I. *Suppl.* Parte vero II. alios XLVI. hactenus ineditos atque ex diuerſis Bibliothecis depromtos addidit.

Ceterum in praecedentibus Sermonibus notari debet, non raro euenire, vt idem Sermo in diuerſis Sermonum Collectionibus bis vel forſan ſaepius numeretur: quamplurimi vero ex aliis *Auguſtini* ſcriptis excerpti ſunt. Sermones ex hiſce aliquot ſpurios obiter notauimus: at cum longe adcuratius id praeſtiterint Benedictini, nos Cenſuram Sermonum ab iis latam in compendio exhibere e re fore arbitrati ſumus *). Sermones itaque omnes, quibus Tomus

*) Commode nobis datum fuit hoc loco diligentiam auctorum *Magnae Bibl. Eccleſ. Colon.* qui poſt *Caveum*

Tomus V. abſoluitur, (de quo vide infra ad ipſius editionis commemorationem) in quatuor Claſſes redegerunt, *de Scripturis Vet. et Noui Teſtamenti*, *de Tempore*, *de Sanctis*, et *de Diverſis*: quibus acceſſit quintus Ordo *ſermonum dubiorum*; cum nonniſi *aperte ſuppoſititii* in Appendicem reiecti ſint. Claſſes iſtae quinque Sermones complectuntur CCCXCIV. praeter Fragmenta. In Appendicem reiiciuntur, tanquam certo certius ſpurii, Sermones CCCXVII. ex Collectionibus ſupra memoratis hinc inde ſelecti: nimirum ex vulgari Collectione Sermonum *de Verbis Domini* (vid. ſupra n. I.) Serm. 3, 14, 19, 20, 22, 28, 34, 47, 52, 54, 56, 17, 58, *de Verbis Apoſtoli*, (n. II.) Serm. 21, 25, 26, 34, 35. *Homiliarum* L. (n. III) Sermo 2, 3, 4, 6 - 10, 12, 15, 16, 21, 22, 26, 30, 31, 33, 35, 39, 45-48. *De Tempore* (n. IV.) Serm. 1, 2, 3. et omnes reliqui, praeter 5tum, 12, 16, 19, 20, 23, 25, 27, 28, 30, 31, 32, 34, 39, 42, 45, 49, 50, 52, 72, 74, 94, 96, 107, 109, 110, 113, 119, 135, 139, 140, 141, 143-149, 151, 155, 160, 164, 165, 170. 174, 186, 187, 196, 205, 212, 214, 220, 234 - 237, 245, 246, 254, 256. Sermones *de Sanctis* (n. V.) omnes ſpurii ſunt praeter 4m, 12, 17, 23, 24, 42, 45, 48, 50, 51. Inter Sermones XVII. (de quibus n. VI.) ſpurii ſunt 1us, 2us, (qui pars eſt Sermonis 51. in Collectione Benedict.) 7us (pars Sermonis 361.) 35, 36, (pars Sermonis 279)

veum et *Oudinum* haec ex Benedictinis excerpſerunt, in vſum noſtrum conuertere.

279.) 38, 65, 96, 97, 98, 99, 118. (pars Sermonis 325.) Ex Sermonibus LXXVI. *ad fratres in Eremo commorantes* etc. nonniſi ſex in Tomo V. exhibent Benedictini, reliquos in ſequenti. Ex his ſex, ſpurii ſunt *tres*, qui in vulgari Sermonum iſtorum collectione locum obtinent 56, 70 et 72. Ex Sermonibus ab *Hieron. Vignerio* editis *Supplem. Parte I.* ſpurii ſunt 3us, 4, 5, 13, 14, 15, 17, 18. In Parte II. ſpurii ſunt 1us, 2, 8, 10-14, 20, 23, 25, 26, 27, 29, 34, 36-39.

Denique reiecti ſunt a Benedictinis inter Sermones Tom. V. libri aliquot ab *Eraſmo* et *Lovanienſibus* inter Tractatus repoſiti: nimirum

117. *De Epicuraeis et Stoicis* in Act. XVII. Apoſt. Tractatus *non omnino malus*, iuxta *Eraſmum* in Cenſura huic praefixa, *ſed nihil aut quam minimum habens Auguſtini.* Contra Benedictini iudicant, *et omnino bonum Sermonem, et nihil habentem niſi Auguſtini.* Eius meminit *Poſſidius* in Indiculo cap. I. Extat in editione *Eraſm.* et *Lovan.* Tom. VI. *Bened.* V. Serm. CL. Claſſ. I.

118. In illud Exod. III. 14. *Ego ſum, qui ſum*, ſcilicet, *de rubo, in quo flamma erat, et rubus non comburebatur.* Hic tractatus in Eraſmiana quidem editione incerti Auctoris eſſe praenotatur, at in *Vlimmer.* et *Louan.* tribuitur *Auguſtino.* Benedictini vero inter dubios parum abſuit, quin reponerent. *Ibid.* Serm. VII.

119. *De decem chordis* liber ſeu Sermo a *Poſſidio* notatus in Indice c. 8. atque ab *Eugyppio* et *Floro* citatus. *Ibid.* Serm. IX. *Eraſm.* et *Louan.* Tom. IX.

120. *De Paſtoribus* } Vterque ad Ezech. Cap. XXXIV.
121. *De Ouibus* } *Ibid.* Serm. XLVII. et XLVIII. contra Donatiſtas.

122. *De conuenientia decem plagarum et decem praeceptorum. Ibid.* Serm. VIII. Huius quoque meminit *Poſſidius* in Ind. c. 9. et ipſe *Auguſt.* in Pſ. LXXVII. n. 27. Fragmentum repertum eſt inter Eugyppii Excerpta in MS. Regio et Victorino.

II. *Scripta Deperdita.*

Praeter illa, quae paſſim indicata ſunt n. 21. 33. 40. 48. 57. 58. 59. 62. 65. 78. alia diligenter enotauit *Guil. Caue*, ſcilicet

1. *Contra Paganos* lib. III. et *Exhort. ad eosdem.*
2. *De Sacrificiis Spiritualibus contra Manichaeos.*
3. *De Sacrificio veſpertino.* Qui tractatus fortaſſe non alius eſt, quam Sermo eiusdem tituli ordine 342. ed. Bened. ex *Sirmondianis*, (olim 8us) in quo explicatur initium Euangelii Iohannis.
4. *De die Domini* ſecundum *Sophoniam* Prophetam *contra Manichaeos.*
5. Tractatus diuerſi *contra Arianos.*
6. Ad *Primianum*, Donatiſtarum Carthaginenſ. Epiſc. *Commonitorium.*
7. *De traditione in perſecutionibus et de falſo Baptiſmate contra Donatiſtas* libb. III.
8. *De Baptiſmo contra eosdem* liber.
9. *Ad Mercatorem* Epiſcopum *contra eosdem.* Primum quidem prodiit in Editione Benedictinorum ex peruetuſto Codice Monaſt. S. Bertini in Belgio *Auguſtini* Epiſtola (ordine 193) ad *Mercatorem*, eum procul dubio, cui *Mario* praenomen fuit, anno circiter 418. ſcripta, quam recenſuit *Poſſidius* in Indic. c. 4. eiusdemque tertiam partem trans-

tranſtulit *Auguſtinus* in librum de *octo Dulcitii Quaeſtionibus* (de quo ſupra n. 101.).

10. *De charitate* tractatus diuerſi.

11. *Principia Geometriae, Arithmetices, et Philoſophiae.*

12. *Epiſtolae, Sermones et Tractatus* plures, quorum mentio habetur in Ind. *Poſſidii*, apud Bedam, ipſum *Auguſtinum*, et alibi.

III. *Scripta Dubia, Suppoſititia, Spuria.*

1. *De Symbolo ſ. Regula fidei* ad Catechumenos libri vel potius Sermones IV. Extant in ed. *Eraſm.* et *Louan.* T. IX. *Bened.* VI. vsque ad n. 8.

2. *Sermo de quarta Feria, ſiue cultura agri Dominici.*

3. *De Cataclyſmo ſeu Diluuio.*

4. *De tempore Barbarico ſiue in tempus perſecutionis Barbarorum.*

5. *De nouo Cantico et de reditu in coeleſtem patriam ac viae periculis* Sermo ad Catechumenos.

6. Sermo *de Diſciplina Chriſtiana.*

7. Sermo *de Vtilitate Ieiunii.*

8. Sermo *de Vrbis excidio.*

Quae ſequuntur, vsque ad n. 15. extant in *Append.* Tomi VI. ed. *Bened.* n. 9. 10. 11. Tom. IX. Ed. *Eraſm.* et *Louan.*

9. Sermo *de contemptu mundi.* Incerti Auctoris. Item Sermo *de vanitate ſaeculi*, qui ferme totus habetur in tractatu *de rectitudine Catholicae conuerſationis*, de quo infra n. 61.

10. Sermo *de bono diſciplinae.* Melch. *Goldaſtus* ab *Haiminsfeld* aſſeruit *Valeriano* Cemelienſi apud Alpes maritimas Epiſc. ſaec. V. eiusque etiam nomen praeferunt Fragmenta huius opuſculi in vetuſto Codice Colbertino reperta.

11. Sermo *de Obedientia et Humilitate.*
12. *Tractatus de Caritate* ſ. de verbis Pſalmi *Terra dedit fructum ſuum.*
13. *De Oratione et Eleemoſyna* Tractatus, (ſeu potius fragm. maioris Operis) ab *Hieron. Vignerio* editus Tomo II. Supplem.
14. *De Generalitate Eleemoſynarum.*
15. *Sententiae Miſcellaneae.* Haec omnia incerti ſunt Auctoris, nec Auguſtinum ſapiunt.
16. *De creatione primi hominis.* Totus inſertus eſt hic liber in Tractatu *de Spiritu et Anima* n. 67. Reperitur inter Opera *Ambroſii* ſub Tit. *Tractatus de dignitate primi hominis* et inter Opera *Alcuini* cum tit. *Cogitationes* B. Albini *Leuitae* in haec Geneſeos verba, *Faciamus hominem ad imaginem noſtram.* Ext. in ed. *Eraſm.* et *Louan.* Tom. IX. Append.
17. *De arbore ſcientiae boni el mali.* Ext. in ed. *Eraſm. Louan.* et *Bened.* T. IX. Append.

Sequentia vsque ad num. 23. extant in *Append. Tom. I.* ed. *Bened.*

18. *De Grammatica* liber.
19. *Principia Dialecticae et Rhetorices.* Libri III.
20. *Categoriae decem ex Ariſtotele decerptae.* Quatuor iſti tractatus, qui Auguſtino in praecedentibus editionibus adſcripti erant, (*Eraſm.* et *Louan.* T. I.) a Benedictinis in Appendicem reiecti, ſpuriis accenſentur. (Tom. XI.)
21. *Regulae Clericis traditae* Fragmentum.
22. *Regula ſecunda* (*Tertia* eſt genuina, vide ſupra n. 102.) Ext. in ed. *Eraſm.* et *Louan.* Tom. I. in Append.
23. Liber *de Vita Eremitica* ad Sororem, quem non edidit *Eraſmus.* Extat in Append. T. I. Ed. *Louan.* et *Bened.* *Aelredi* Rieuallenſis eſt (qui Saec.

XII.

XII. vixit) iuxta *Lucam Holſtenium.* Tertia circiter pars in Operibus *Anſelmi*, ſcil. Medit. XV. XVI. et XVII. extant.

Quae ſequuntur, vsque ad n. 26, in Append. Tomi II. Ed. *Louan.* et *Bened.* extant.

24. *Epiſtolae* XVI. mutuae *S. Auguſtini* et Papae *Bonifacii* I. breuiſſimae, quas antiquas eſſe fatetur *Eraſmus*, ſed *Auguſtino* abiudicat, quod iudicium *Bellarminus* et *Louanienſes* ſecuti ſunt.

25. *Epiſtola ad Demetriadem. Pelagii* eſt, vt ipſe Pelagius fatetur in ſuis ad *Innocentium* Papam literis.

26. Epiſtolae mutuae *SS. Auguſtini* et *Cyrilli de magnificis admirandisque S. Hieronymi virtutibus et miraculis.* Suppoſititiae.

27. *Altercatio* ſeu *Collatio* S. Auguſtini cum Paſcentio *Ariano* Hippone habita, praeſente *Laurentio* iudice delecto a *Paſcentio*, viro ſpectabili. Non eſt *Auguſtini.*

28. *De Mirabilibus S. Scripturae* libri III. Incerti auctoris, qui poſt a. 700. vixiſſe perhibetur. Ext. in ed. *Eraſm.* T. III. *Louan.* et *Bened.* ibid. in *Append.* vti et ſequens.

29. *De Benedictionibus Patriarchae Iacob* opuſculum. Decerptum eſt ex *S. Hieronymi* Quaeſt. Hebr. in Geneſ. et Moralibus *Gregorii* M. et *Alcuinum* auctorem habet.

30. *Quaeſtiones Vet. et N. Teſt.* in tres partes diuiſae, quibus quartam ſuper addiderunt, XXV. Quaeſtiones complexam, ſed ſpuriam Louanienſes, *Hilario* Diacono adiudicantes. Ext. in Append. Tomi IV. ed. *Louan.* et Tomi III. *Bened.*

31. *In Apocalypſin* D. Ioannis Expoſitio ſiue Homiliae XVIII. Fortaſſe *Tychonii* Afri Donatiſtae Notae ſunt ex *Victorino*, *Primaſio* et *Beda* colle-

 ctae.

ctae. Ext. in ed. *Eraſm.* T. IX. *Louan.* ibid. in Append. et *Bened.* III.

Quae ſequuntur vsque ad n. 65. extant in Append. Tomi VI. Ed. *Bened.* praeter *Sermones ad Fratres in Eremo* aliosque; de quibus ſupra 9-15.

32. *Liber Sententiarum* ſ. *Quaeſtionum* XXI. ex *Auguſtino* aliisque nullo ordine ab auctore aliquo imperitiſſimo collectarum. Ext. in edit. *Eraſm.* et *Louan.* Tom IV. in Append. vbi et ſequens.

33. *Quaeſtionum* LXV. *Dialogus* ex variis *Auguſtini* libris maximam partem congeſtus.

34. *Liber de Fide* ad *Petrum* Diaconum, olim inter Opera Auguſtini impreſſus, ab Eraſmo vero primum ei abiudicatus. *Fulgentii* eſt Ruſpenſis Epiſcopi. Ext. in ed. *Eraſm.* et *Louan.* T. III. in Append. vbi et ſequens.

35. *De Spiritu et Anima* liber. Continet Dicta et Collectanea ex multis et diuerſis auctoribus exſcripta.

36. *De Amicitia.* Nonniſi Epitome eſt trium librorum Aelredi Ricuallenſis de eodem argumento. Ext. in ed. *Eraſm.* et *Louan.* Tom. IV. in Append. vbi et ſequens.

37. *De ſubſtantia dilectionis et amoris* liber. Duo libri in vnum confuſi. Auctores ignorantur.

38. *De diligendo Deo* liber, qui et *Meditationum* inſcribitur. Conflatus eſt item ex variis libris *Hugonis Victorini*, *Bernardi* et *Anſelmi.* Ext. in ed. *Eraſm.* et *Louan.* T. IX. in Append. vsque ad n. 48.

39. *Soliloquium Animae ad Deum* liber. Ab auctore incerto ex Auguſtino non modo, ſed aliis etiam auctoribus, veluti ex Vgonis Victorini libro de Arra Animae collectus.

40. *Me-*

40. *Meditationum* liber. *Louanienſes* inter genuinos *Auguſtini* foetus reliquerant, neque de eo aliud pronunciauerant, quam quod antea dubitans incertusque *Eraſmus* dixerat, auctorem eſſe vel Auguſtinum, vel qui eius libros non indiligenter legiſſet. Collectus eſt potiſſimum ex *Anſelmi* ſcriptis ab auctore XII. ſaec. nec non ex Ioannis Abbatis Fiſcamenſis opere.

41. *De Contritione Cordis* liber. Auctor ſaec. XII. conſarcinauit ex *Anſelmi* et *Hugonis de S. Victore* operibus.

42. *Manuale.* Opuſculum ex variis antiquioribus et ſaec. XI. ſcriptis collectum: Auguſtino, Cypriano, Gregorio et Iſidoro, Anſelmo Bernardo etc.

43. *Speculum* ſiue *Manuale*, vt in aliquot Codicibus inſcribitur: et in Cod. Bibl. Bernardinorum Pariſienſis habetur ſub titulo: *Libellus Catholicae fidei*, alterumque adiunctum habet Opuſculum. Haec autem duo Opuſcula nihilo diuerſa ſunt a Part. I. II. *Confeſſionis Fidei*, quae cura *Pet. Franc. Chiffletii* Ieſ. ſub Alcuini nomine prodiit. Certe auctor Saec. XII. non antiquior.

44. *Speculum peccatoris.* Incerti auctoris eſt et Saec. XII. non excedit.

45. *De triplici habitaculo* liber. Incerti nec ineruditi auctoris.

46. *Scala Paradiſi.* Eſt *Guigonis* ſeu *Guidonis* ſaec. XII.

47. *De cognitione verae Vitae. Honorii Auguſtodunenſis* putatur.

48. *De Vita Chriſtiana.* Liber eſt *Faſtidii* Britanni.

49. *Liber exhortatorius*, vulgo *de Salutaribus documentis ad quendam Comitem.* Paulino Aquileienſi ſeu Foroiulienſi Patriarchae, qui ſaec. VIII. vixit,

haud iniuria aſſerunt. Ext. in Ed. *Eraſm.* et *Louan.* Tom. IV. in Append.

50. *De duodecim Abuſionum gradibus.* Cypriano aeque ac Auguſtino falſo tribuitur. Auctor ignoratur. Ext. in Ed. *Eraſm.* et *Louan.* T. IX. *Append.*

51. *Tractatus de ſeptem Vitiis et ſeptem Donis Spiritus Sancti.* Hugonis Victorini. Primus edidit inter *Sanctorum Patrum Monumenta* Pariſ. 1634. *Guil. Camerarius* Scotus Congreg. Oratorii Presbyter, Theol. D. Pariſ. eum *Auguſtino* non ab antiquis MSS. Codicibus, ſed tantum *a multis viris doctis* tribui dicens. Inde recepit *Vignerius Supplem.* T. I. Sed quia inter opera *Hugonis* vulgo occurrit ibidemque alius affinis ei, et pars quaſi quaedam eiusdem, inſcriptus: *de ſeptem peccatis mortalibus: contra quae valent Orationis Dominicae ſeptem petitiones*, reperiatur, omiſere *Benedictini.*

52. *De conflictu Vitiorum et Virtutum.* Ambroſii *Autperti* eſt ſaec. VIII. ſcriptoris. Hoc opuſculum quatuor antiquis eccleſiae doctoribus tributum; Auguſtino primum in omnibus Operum illius editionibus; deinde *S. Leoni* Papae in Ed. Pariſ. 1511. poſtea *S. Ambroſio* Med. Ep. in ed. Rom. 1585. in qua *ad Simplicianum* inſcribitur; denique et *S. Iſidoro Hiſpalenſi* in ed. Matrit. 1599. et Pariſ. 1601. Sed plurimum decepit *Sigebertus Gemblacenſis de Vir. ill.* c. 55. deceptus ipſe falſa vet. aliquot Codd. inſcriptione, qui nomen Iſidori habere dicuntur. Ext. in Ed. *Eraſm.* et *Louan.* T. IX. Append. vbi et ſequens.

53. *De Sobrietate et Caſtitate.* Ignoti auctoris, ſed antiquus liber et elegans, iudice *Dupinio.*

54. *De*

54. *De vera ac falſa Poenitentia ad Chriſti deuotam.* Totus fere hic liber cum *Auguſtini* nomine in Decreta *Gratiani* et in Sententias *Petri Lombardi* translatus eſt. Tribuerunt poſtea eidem *Petrus Bleſenſis*, *Vincentius Bellouacenſis* et *Thomas Aquinas.* Inter recentiores de auctore a *Trithemio* inde diſceptatum eſt. Vicit tamen probabilior ſententia, auctorem eſſe ab Auguſtino diuerſum. Ext. in ed. *Eraſm.* et *Louan.* Tom. IV. *Append.*

55. *De Antichriſto.* Plerumque *Alcuino* tribui ſolet, inter cuius opera integer, hic vero et apud *Rabanum Maurum* imperfectus extat. Saeculo nono aſſerendus videtur. Ext. in ed. *Eraſm.* et *Louan.* Tom. IX. *Append.*

56. *Pſalterium*, quod matri ſuo compoſuiſſe fertur Auguſtinus. Sed in MS. Cod. Regio 4373. inſcribitur: *B. Ioannis Papae factum apud Viennas.* Hic autem *Ioannes* creditur eſſe nomine XXII. Ext. in Ed. *Eraſm.* et *Louan.* T. IX. Append. vsque ad n. 61.

57. *Cantici* Magnificat *Expoſitio.* Ex *Hugonis Victorini* Tractatu in hunc hymnum decerpta.

58. *De Aſſumptione B. Mariae Virginis* liber ſeu potius ſermo. Auctor creditur *Fulbertus Carnotenſis*, qui ineunte Saec. XI. vita functus eſt. Alii Codd. *Ambroſii Autperti* (Saec. VIII.) nomen praeferunt.

59. *De Viſitatione infirmorum* libri duo.

60. *De Conſolatione Mortuorum* libri ſ. ſermones II. ex S. Ioanne Chryſoſtomo forſan decerpti.

61. *De rectitudine Catholicae conuerſationis.* Extat in lib. 2. Vitae *S. Eligii*, Nouiomenſis Epiſc. per *S. Audoenum* Rothomag. deſcriptae. Alii tamen

ex ipſo Eligio (Saec. VIII.) et *Caeſario* Arelatenſi (Saec. VI.) collectum volunt.

62. Sermo *de Symbolo.* Integre collectus ex Symbolo Rufini Aquilei. Presb. ex Homiliis *S. Caeſarii* Papae et *Yuonis Carnotenſis.* (Saec. XI. et XII.) Inſuper etiam complectitur totum Sermonem 242. qui extat in *Append.* T. V. ed. *Bened.* membratim diſſectum.

63. Sermo *in peruigilio Paſchae de eſu agnae.* Reperitur etiam inter *S. Hieronymi* ſuppoſititia.

64. Sermo *in Pſ. XLI. ad Neophytos*, qui et *Hieronymo* falſo tribuitur.

65. Sermones III. *de Ritibus et Myſterio Baptiſmatis.* Hoc primus euulgauit *Sirmondus* in Append. poſt Sermones XL. ſed minime *Auguſtini* eſſe arbitratur.

Sequentia vsque ad n. 77. in *Append.* T. VIII. ed. *Bened.*

66. *Aduerſus quinque haereſes*, ſeu *contra quinque hoſtium genera Tractatus*, ſcilicet aduerſus Paganos, Iudaeos, Manichaeos, Sabellianos et Arianos. Hunc Eraſmus hominis eruditi, arguti et facundi eſſe cenſuerat, non tamen *Auguſtini*, niſi forte, ait, iuuenis ſcripſerit. *Auguſtino* ſine cunctatione abiudicant *Bellarminus*, *Louanienſes*, aliique, Bedae auctoritate. Ext. in ed. *Eraſm.* et *Louan.* T. VI.

67. *Contra Iudaeos*, *Paganos et Arianos* Sermo alius, vt videtur, ab illo, qui in Indiculo *Poſſidii* legitur, et quem ideo vere *Auguſtini* eſſe iudicat *Bellarminus:* nam auctor iſtius exſcripſiſſe videtur *S Gregorium* tum in exordio, tum quaedam eiusdem alia cap. 17. Extat in ed. *Eraſm.* et *Louan.* T. VI.

68. *De*

68. *De Altercatione Eccleſiae et Synagogae* dialogus. Auctoris Saec. XIII. vel XIV. nam Ioannis Scoti coaetaneum ſe fuiſſe teſtatur. Ext. in ed. *Eraſm.* et *Louan.* T. VI. in Append.

69. *De Fide ſeu Vnitate Trinitatis aduerſus Manichaeos* liber I. Hunc ex vetuſtiſſimi Codicis Corbeienſis auctoritate *Euodio Vzalenſi*, in Africa Epiſcopo, aſſeruit *Iac. Sirmondus* Hiſt. Praedeſt. c. 1. Ext. in ed. *Eraſm.* et *Louan.* T. VI.

70. *Commonitorium* (vulgo *S. Auguſtini* Epiſc. *Eccleſiae Catholicae) quomodo ſit agendum cum Manichaeis, qui conuertuntur.* Sub *Auguſtini* nomine vulgatum eſt in *Append.* ad T. X. ed. *Pariſ.* 1586. Scriptum antiquiſſimum eſt, quod *Dupinius* Concilii alicuius Africae Conſtitutionem putat.

71. *Contra Felicianum* Arianum *de Vnitate Trinitatis* liber *ad Optatum.* Pronunciauit olim Eraſmus non eſſe probabile, hunc librum eſſe *Auguſtini*, (cuius in Retractationibus non meminit). Diſſimulata vero *Eraſmi* cenſura librum iſtum Louanienſes inter genuinos *Auguſtini* foetus repoſuerunt, *Bedae, Lanfranci, Alcuini* et *Petri Lombardi* fere auctoritatibus ducti. Fortaſſe *Vigilii Tapſenſis* eſt. Ext. in ed. *Eraſm.* et *Louan.* T. VI.

72. *Quaeſtiunculae de Trinitate et de Geneſi*, quae ex *Alcuino* deſcriptae ſunt. Ext. in ed. *Eraſm.* et *Louan. T. III. Append.*

73. *De Deitate et Incarnatione Verbi* ad Ianuarium libri II. collecti ex Origenis opere περὶ ἀρχῶν iuxta verſionem *Ruffini* Aquilei. Presb. Ext. in ed. *Eraſm.* et *Louan.* T. IV. Append. vsque ad n. 76.

74. *De Trinitate et Vnitate Dei* liber I. Diſtinctus olim fuit in capita XIII. quorum IX. poſteriora totum fere, ſed contractum et interpolatum *S.*

Augu-

Auguſtini librum *contra Sermonem Arianorum* continebant. Capita autem priora Quaeſtiones aliquot Dialogi *Pauli Oroſii* (qui ext. in Append. T. VI.) decurtatas et deprauatas referunt.

75. *De Eſſentia Diuinitatis* liber I. Non Auguſtino tantum, ſed multis aliis, Ambroſio, Hieronymo, Anſelmo, Bonauenturae tributus. Prima et maxima pars ex Eucherii Lugd. Ep. opere *de Formulis Spiritualis intelligentiae* ſumta.

76. *Libellus ſeu dialogus de Vnitate Sanctae Trinitatis.* Ignoti, ſed antiquiſſimi auctoris. Ext. in Append. ed. Pariſ. 1586.

77. *De Dogmatibus Eccleſiaſticis* liber *Gennadii Maſſilienſis*, cuius ſub nomine ſeorſim etiam edidit *Geuerh. Elmenhorſtius* Hamb. 1614. 4. Ext T. III. ed. *Eraſm.* et *Louan.* in *Append.*

78. Sermo *de Ruſticiano* Subdiacono.

79. Contra *Fulgentium* Donatiſtam. Non Auguſtini, ſed vetuſtiſſimi tamen auctoris, vtpote qui Concilium illud Carthaginenſe contra Caecilianum viderit. Ext. in ed. *Eraſm.* et *Louan.* T. VII. in *Append.* Part. I. *Bened.* IX. *Append.*

80. *Hypomneſticon contra Pelagianos et Coeleſtianos* libri VI. *Sixto* III. P. R. (a. 432.) *Garnerius* Ieſuita, alii cum *Sirmondo Mario Mercatori* tribuunt. Ext. in ed. *Eraſm.* et *Louan.* T. VII. *Append.* P. II. *Bened.* X. *Append.* vbi et duo ſequentes.

81. *De Praedeſtinatione et Gratia* liber, a nonnullis *Fulgentii Ruspenſis* Ep. creditus, ab aliis vtroque et Auguſtino et Fulgentio abiudicatus.

82. *De Praedeſtinatione Dei* libellus, ignoti auctoris.

83. Hymnus: *Te Deum laudamus*, Ambroſio et Auguſtino ſimul tribui ſolitus, de cuius auctore certo nihil ſtatui poteſt.

Haud

Haud opus eſſe puto rei literariae et eccleſiaſticae hiſtoriae ſtudioſis, vt de ratione, qua tot tantaque, quibus Auguſtini ſcripta comprehenduntur, volumina ab ipſius inde auctoris manu propagata et ad typographiae ſalutaria tempora ſeruata fuerint, ſedulo disquirant: ſiquidem iam ſua aetate cum fama eius ſcriptorum exemplaria omnem paene orbem peruagata eſſent, et poſt obitum eius nequaquam ceſſante eorum vſu non defuerint, qui et conſeruandis et multiplicandis aſſidue ſtuderent *). Obſeruat *Fabricius* **), ſaeculis aliquot ab exceſſu eius elapſis, tanto in pretio fuiſſe illa monumenta, vt eorum cauſa, cum in Hiſpania exemplaria deeſſent, circa a. 650. Taio Caeſarauguſtanus Epiſcopus Romam mitteretur. Sequioribus autem temporibus cum bonae literae lumen ſuum benignum plane abſcondidiſſent, huius tamen libros non ex manibus monachorum excuſſos fuiſſe, non ſolum tot ex ſaeculo nono, decimo et ſequentibus proximis reliqua MSS. exemplaria loquuntur, ſed documento ſunt etiam varia illa *Collectanea* ſeu *Florilegia Sententiarum* et Loco- §. 3. Editiones.

*) In Hipponenſi Bibliotheca magnam, immo paene omnium librorum Auguſtini ſupellectilem fuiſſe, quae flammas etiam ac rapinas Vandalorum euaſerit, multa, cum Auguſtini, tum aliorum loca teſtantur, et poſtremum quidem, hoc, quod Poſſidius ad illius intuitum indicem ſcriptorum Auguſtinianorum compoſuerit; de quibus omnibus adeant, qui tanti putant, *Engelberti Klupfelii* diſq. *an et quomodo Bibliotheca S. Auguſtini incolumis ſervata fuerit in Excidio Hipp.* 430, inſertam *Eiusd. Vet. Bibl. Eccleſiaſticae.* Vol. I. P. I. (Friburgi Brisg. 780. 8.) p. 173. ſqq.

**) In *Bibl. Lat.* T. II. *Lib.* IV. c. 3. ed. Venet. p. 353.

Locorum inſigniorum, quae puſillo ſtudio ex operibus eius decerpta et compacta ſunt, quorum, quod felici omine contigit, pauciſſima tamen typis ſunt impreſſa, ſed paſſim in bibliothecis iuſtis tenebris premuntur *). De Carolo Magno peruulgatum eſt Eginhardi teſtimonio, quanti libros *de Ciuitate Dei* fecerit. Sed quod paucis notum fuerit, Carolus V. Rex Galliae, virum inter doctos ſuae aetatis longe eminentiſſimum *Radolphum de Preulles* ſtipendiis rege dignis adegit, vt idem opus in gallicum ſermonem transfunderet et commentariis eruditis illuſtraret **). Ex quo vero ſaeculo decimo quinto mira illa libros multiplicandi ars occoepit, inter primos ſtatim, qui typorum formulas flagitarent, Auguſtinus fuit, nec vllus latinorum ſcriptorum crebrius eo prelo deinceps mandatus eſt. Primum autem, quod ſtanneis characteribus exſcriptum eſt opus, fuit liber eius *de arte praedicandi* ſeu vltimus ex quatuor libris *de Doctrina Chriſtiana* circa annum 1465. *Argentorati* apud *Iohannem Mentelinum*, quem eodem vel proximo ſtatim anno repetiit *Iohannes Fuſt Moguntiae.* Iam vero a. 1467. ex celebri illo *Sublacenſi monaſterio* prodiit primarium eius opus *de Ciuitate Dei* et ſequenti ſtatim proximoque anno *Romae* ab iisdem typographis repetitum, cito omnes paene Italiae officinas peruolitauit. Igitur excuſum eſt eodem anno 1470. *Venetiis*, ibidemque bis 1475. apud *Nic.*

*) Subiunximus infra quaedam ex Oudino et M. Bibl. Eccl. Colonienſi de eiusmodi *Defloratoribus et Commentatoribus* tam antiquis, quam recentibus.

**) De Imperatore Carolo V. huius nominis idem narraſſe Gallum quendam in *Ephemerid. Erudit.* (*Journal des Sçav.*) 1666. 15. Mart. alicubi in *Bibl. Colon. Eccl.* legimus.

Nic. Ienſon et *Gabr. Petr. de Taruiſio, Romae* 1474. apud *Vdalr. Gallum*, *Neapoli* 1477; *Venetiis* 1486. 1489; *Tholoſae* 1488. Nec minus in Germania circa idem opus in prela incubuerunt, quamquam ſerius aliquando, cum iam remiſſior factus eſſet in Italia primus ille librorum excudendorum ardor. Vnum ſolum nouimus antiquius exemplar excuſum a. 1473. *Moguntiae apud Petr. Schoiffer;* deinde *Baſileenſibus* ſignum extulit *Mich. Wenſzler* a. 1479. quem decem annos poſt ſecutae ſunt *Amerbachianae* impreſſiones, *Friburgenſis* 1499. *Langendorfii* 1515. *Lugdun.* 1520. Extat quoque *Louanienſis* 1488. Germanicis vero plerumque adiuncti conſpici ſolent commentarii *Thomae Valois* et *Nicolai Triueth*, quibus admodum tum delectatos fuiſſe videntur obſcurioris huius doctrinae amatores, donec per *Ludouicum Viuem* ſunt ſepulti. Cum Baſileenſibus librorum *de Ciuitate Dei* editionibus huius aetatis pari fere paſſu incedunt libri *de Trinitate.* Horum prima deſcriptio fuiſſe videtur *Venetiana* absque anni mentione per *Paganin. de Paganinis*, aut *Mediolanenſis* per *Leonh. Pachel.* 1489. Fortaſſe autem Germania antiquiorem habuit in ea, quae loci quidem et anni ſigno caret, ſed ſingularis vetuſtatis indicia habet. Eodem vero anno, quem Mediolanenſis profert, prelo dedit *Io. Amerbach* iterumque 1490. quae ſequentem habuit Friburgenſem a. 1494. *Baſileenſem Langendorfii* 1515. et *Lugdunenſem* 1520. Ad haec prima circa Auguſtini libros ſtudia pertinet porro in Germania editio libri *de Conſenſu IV. Euangeliſtarum*, *Lauingae* 1473. item libri *de Fide et Operibus, Coloniae eodem anno;* variaque ibidem minori forma excuſa opuſcula, quae omnia ad eundem annum redire videntur. Suppar iisdem fortaſſe, modo Germanica ſit, *Confeſſionum* editio *loci et anni* indicio deſtituta, quarum ve-

tuſta

tuſta admodum deſcriptio *Mediolani* facta eſt 1475. et mox *ſ. l.* 1482. *Sermones* etiam frequenter per hoc tempus prela exercuerunt, ex quibus antiquiſſimae *Homiliae* L., *Auguſtae* per *Anth. Sorg* 1475. excuſae, quas exceperunt *Sermones ad Eremitas fratres, Mutinae* a. 1477; *Mediolani* 1484; *Brixiae* 1486; *Venetiis* per *Pagan. de Paganinis* 1487; *ibidem* per *Vinc. de Benaliis* 1492; tandem *Amerbachiana Collectio*, inter quos recens farrago Sermonum *de Tempore* 1494 et 1495, repetita illa *Pariſiis* apud *Iodoc. Badium* 1516. et *Hagenoae* 1521. *Epiſtolarum* porro impreſſiones praeter *antiquam loco et anno non inſignitam* factae ſunt ab eodem, qui toties nobis laudandus eſt, *Io. Amerbachio* a. 1493 et 1494. itemque *Enarrationes in Pſalmos* repetitis vicibus a. 1489. 1493 (cuius anni Veneta etiam editio laudari ſolet), 1494. 1497. ex ſua officina exire paſſus eſt, eumque ſecutus *Lugdunenſis* artifex a. 1519. His inſuper adde ingentem numerum eorum librorum, qui propter indiciorum et notarum defectum certo anno aſſigi nequeunt, cuiusmodi non vna extat editio librorum *de Doctrina chriſtiana*, *de quantitate animae*, *Soliloquiorum*, *Sermonum*, *de Trinitate*, *Confeſſionum*, *Epiſtolarum*, *de Conſenſu quatuor Euangeliſtarum*, *de Spiritu et Litera*, *de Ciuitate Dei; in Euangelium Iohannis*, *Enchiridii ad Laurentium* etc. quos omnes ſuo loco diligenter notauimus et pro viribus deſcriptos dedimus.

Interea plurima etiam eius opuſcula colligi et in vnum corpus condi coepta ſunt, licet in adlegendis ſingulis non ſemper ratio quaedam et conſilium ſpectatum fuit, ſed caſui magis, qui varia inuicem illius ſcripta ſociaſſet, curatores obſecuti eſſe videntur. Primum in his locum ſibi vindicant *Tractatus* a. 1484. *Venetiis per Andream de Bonetis de Papia* 4. iunctim

iunctim editi, niſi iidem forte iam ex priori *Veneta* per *Octauian. Scotum* 1483. ſint deriuati, quod certo confirmare non poſſum; et *Argentinenſis* editio per *Martin. Flach* a. 1489. et *iterum ibidem* excuſa 1491. Poſterior Veneta editione non parum auctior eſt, licet vltra dimidiam partem cum eadem egregie concordet, adeo vt difficile dictu ſit, vtrum veſtigiis illius inſtiterit, an incepto plane diuerſo ſit adornata. Vtraque tamen talia complectitur opera, quae non magna voluminis mole conſtant, certe non prolixiora libris *de doctrina chriſtiana* idque hoc imprimis reſpectu, quod illa vel ſeorſim iam proſtarent, veluti *de Ciuitate Dei*, *de Trinitate*, *Enarrationum* in Pſalmos libri, vel peculiarem ſibi quaeque poſtularent operam, qualem contigiſſe etiam *Epiſtolis* et *Sermonibus* vidimus. Eadem fortaſſe Veneta editio reſcripta eſt *ibidem* apud *Dionyſ. Bertholdum* 1491. a qua diſtant editiones, *Parmenſis* per *Angelum Vgoletum* et *Veneta* per *Pelegrinum de Pasqualibus*, vtraque a. 1491, quas opinor exemplum praebuiſſe editioni *Iodoci Badii Aſcenſii*, excuſae *Pariſiis* 1520. apud *Io. Paruum* et adhibitae diligenter a Patribus Maurinis. Nec ſilentio praetereundum eſt ſingulare eiusdem *Iodoci Badii* et *Auguſtini de Ratiſpona* conſilium in colligendis edendisque ſua opera correctis diuerſis *Quaeſtionum Auguſtini libris*. Prodiit hoc opus a. 1497. *Lugduni* per *Io. Trechſel. fol.* eximia induſtria et multo cum iudicio inſtructum.

His tandem omnibus praeparatis *Io. Amerbachius* de omni re literaria et imprimis eccleſiaſticis ſcriptoribus latinis meritiſſimus, non vt aliorum frueretur diligentia, nam ſua ipſius huc potiſſimum adducta res erat, ſed ne incrementis literarum, quae matura videbantur, deeſſet, conſilium *vniuerſorum*

Auguſtini Operum per partes edendorum cepit. Confecit igitur XI. volumina, quorum octo prioribus omnia ipſius ſcripta ordine chronologico ad fidem Retractationum eius diſpoſuit addiditque tribus inſuper, ea, quae in Retractationibus vel omiſſa erant, vel ſerius elaborata. Simul vero ne moles in immenſum creſceret et quod exemplaria haud dubie ſupereſſent, rationem habuit eorum, quae antea ſeorſim ex ſua officina protulerat, *Epiſtolasque, Sermones* et *Enarrationes in Pſalmos* ab hac editione ſeiunxit. Prodiit haec Amerbachiana *Baſileae* a. 1506. et magnis omnium, qui haſce literas amabant, plauſibus fuit accepta, recuſa etiam *Pariſiis* a. 1515. Videtur autem haec editio plene omnibus deſideriis ſatisfeciſſe. Nam ad annum vsque 1529. non ſolum nihil innouatum eſt in Amerbachii inſtituto, ſed ſingulatim etiam pauci iidemque minores Auguſtini libelli hoc interuallo temporis, *Coloniae* imprimis 1527. *de Doctrina Chriſtiana*, *de Spiritu et Litera*, 1528. *de Fide et Operibus*, *de Natura et Gratia* etc. item *Auguſtae Vindelicorum* 1523. *de Fide et Operibus* et *Enchiridion ad Laurentium*, et *Norimbergae* denique, veluti a. 1524. *de Natura et Gratia*, euulgati ſunt, quibus omnibus Textus Auguſtini nihil incrementi cepit. Tanto benignior fortuna in libros *de Ciuitate Dei* omnia cumulauit, quae per iſtam aetatem a doctorum hominum ingenio ac diligentia in exornando libro veteri expectari poterant, ſiquidem *Io. Ludouicus Viues*, literarum elegantiorum in Hiſpania et Belgio ſtator et vindex, in editione *Baſileenſi apud Frobenium*, non modo textum ex codicibus MSS. ad quorum vſum magnam ſermonis latini et priſcae doctrinae facultatem afferebat, dedit recognitum, ſed commentario inſuper illuſtrauit, cui parem vbertate et elegantia in vllo priſco ſcriptore

ptore ne Itali quidem viderant tantusque a cunctis aeui iſtius literarum amatoribus honos habitus fuit, vt Eraſmus nouo in hoc opere labore ſuperſedere ſe poſſe iudicaret totumque in editionem ſuam reciperet.

ERASMIANA autem illa recenſio, quae licet diverſiſſima, pro more, experiretur iudicia, ſtudia tamen in hoc genere incredibile quantum accendit. Conſilium ſoli Frobenio debetur, qui nullis hac in re ſumtibus pepercit et hoc nomine tantum vitam ſibi produci a ſummo numine optabat, vt haec ad exitum perducta videret. Sed voti huius compos non factus eſt, morte praereptus cum vix duo priores Tomi abſoluti eſſent. Dederat autem Frobenii precibus Eraſmus, vt opus, cuius nonniſi partem exiguam in ſe recepiſſet, cum profligando nemo ſuccedere vellet, totum tandem ſuſtineret, eoque mortuo filiis eius idem obſequium praeſtandum eſſe duxit. Tria igitur in hac editione foeneratus eſt hic ſcriptor perquam magna ad promouendum ipſius ſtudium. Primum munditiem a characteribus et chartis et iuſtum aliquod decus in toto habitu ac deſcriptione. In Amerbachianis enim impreſſis, vt nemini ignotum eſſe poteſt, liberalior cultus merito deſideratur, dum partim literae ad adſpectum ingratae ſunt adhibitae, partim charta adeſt crudior et omnia denique paginae ſpatia adeo ſunt oppleta, vt ſordidum paene in eo ſe praebuiſſe Amerbachium dixeris. Deinde integra primum exhibet ipſius opera. Tertia denique dos fuit textus correctus a vitiis innumeris ex grammatico potiſſimum genere, et iis, quae ab ignorantia antiquitatis et doctrinae veteris orta videri poterant; tum noua partitio et iudicia de iis, quae aut omnino non genuina eſſent, aut ſaltem viderentur dubia.

Saepius autem iterata et identidem aucta eſt haec editio. Sic non contemnendis *Sermonum* acceſſionibus locupletata eſt *Pariſiis apud Chevallonium* 1531-32. et *ibidem apud Carolum Guillard* 1541. nec non in ſingulis *Baſileenſium* repetitionibus, nempe 1541-43. cui ſuppetias tulit *Martinus Lypſius;* 1556. curante *Ioanne Coſterio;* et 1569. quae vltima Frobeniana fuit abſolutiſſima et nitidiſſima omnium, in quam etiam *Sermones* illi, quos primum ex MSS. codicibus eduxit et *Louanii* a. 1564. publicauit *Ioannes Vlimmerius*, migrarunt. Porro recuſa eſt etiam *Lugduni* 1561-63. octonis, et *Pariſiis* 1571. fol. et impuras etiam *Venetorum* bibliopolarum manus paſſa a. 1545. 1552. 1570 et 1584. Ceterum Eraſmianam recenſionem ſequuntur, quotquot ab eius editione diuerſis in locis ſeorſim excuſi ſunt Auguſtiniani libelli, quorum haud exiguus quidem numerus fuit, ſed nihil ex iis Auguſtini lectio lucri fecit. Frequenter imprimis lectitatae eſſe debent *Confeſſiones*, quae *Coloniae* 1531. et 1569. *Louanii* 1563. et 1571. *Antuerpiae* 1567. et 1568. deſcriptae ſunt; item liber *de Spiritu et Litera* excuſus *Pariſiis* 1538. *Witebergae* 1541. *Antuerpiae* 1568; *de Fide et Operibus Pariſiis* 1534. *Coloniae* 1552. *Antuerpiae* 1568; *de Conſenſu IV. Euangeliſtarum Pariſiis* 1538. et *Coloniae* 1539; *de Cura pro mortuis gerenda Pariſiis* 1543; *de libero arbitrio, de praedeſtinatione et gratia Coloniae* 1568; *de Natura et Gratia Antuerpiae* 1568; *de Doctrina Chriſtiana Venetiis* 1534; *Enchiridion ad Laurentium Coloniae* 1532; item per *Lambertum Danaeum Geneuae* 1575. cum Commentario repetito ibidem 1579. 1583. 1597. Idem Danaeus anno poſt addidit librum *de haereſibus*, qui pariter repetitus eſt a. 1578. 1593. et 1595. Denique iteratum

quoque

quoque *de Ciuitate Dei* opus cum *Io. Lud. Viuis commentario Pariſiis* 1544. et 1555, *Baſileae* 1555. et 1570.

Sed noua repens Auguſtino lux oborta eſt per coniuncta *Theologorum* LOVANIENSIVM ſtudia in editione *Operum* ipſius *Antuerpiae* apud *Chriſtoph. Plantinum* a. 1577. *XI. Tomis fol.* publice propoſita; in qua non ſolum critica apertior, ſed praeclarum etiam hoc, quod ſpuria dubiaque prorſus a reliquis ſeparata, ſua cuique tomo ſubiecta ſint. Vt nihil de animaduerſionibus dicam aliisque commodis, quae nulla non aetas in ea ſummopere probauit. Certatim ea expreſſa eſt et plerumque cum acceſſione aliqua: *Pariſiis* 1586. *Geneuae* 1596. *Pariſiis* 1603. 1604. 1613-14. *Coloniae* 1616. *Pariſiis* 1626. 1635. 1652. Subinde etiam extrinſecus augmenta quaedam allata ſunt, veluti a. 1611. cum primum librum *de geſtis Pelagii* ex codice MS. ex Italia ſibi transmiſſo *Auguſtae Vindelicorum* imprimi curaſſet *Marcus Velſerus*. Similiter *Claudius Menardus* Andegauenſis *Pariſiis* a. 1617. primum publici iuris fecit *duos libros priores contra ſecundam Iuliani reſponſionem*, quos denuo recognitioni ſuae ſubiecit *Mich. Paludanus* Gandauenſis *Louanii* 1642. Porro *Iacobus Sirmondus* XL. *Sermones* nouos edidit Pariſiis 1631. et *Ioannes Marus Sermones* ſex cum fragmentis aliquot *Romae* 1644. Sed ſequiores illae repetitiones, vtut auctiores ſenſim, propter vitia crebra multo primis ſunt deteriores. Quare cum non ſine manifeſto damno ſumtus in eas impendi cognoviſſet *Hieronymus Vignerius*, Congreg. Oratorii D. Ieſu Pariſ. Presbyter, ſubuenire ſtuduit edito anno 1654. et 1655. duobus tomis *Supplemento omnium Operum Auguſtini ante a. 1614. impreſſorum*, quo comparato quamuis antiquiorem, ſeu Eraſmi, ſeu Lo-

 vanien-

vanienſium editionem abſque damno, immo fructu maiori, retinere ſtudioſi poſſent. Simul *ſex* libros *contra ſecundam reſponſionem Iuliani* operis eiusdem, cuius duos libros primum ediderat Menardus variosque inſuper *Sermones* et *Tractatus* vſque dum ineditos addidit. Ad exemplar Louanienſe ſe compoſuerunt, quae ab extremo ſaeculo XVI. vſque ad finem XVII. ſeorſim ſingula aut plura inuicem iuxta argumenti affinitatem excuſa ſunt Auguſtini ſcripta. Cuiusmodi ſunt *Confeſſiones*, *Wirceburgi* 1581. et *Turoni* 1588; *de Ciuitate Dei Antuerpiae* 1600; *Geneuae* et *Lugduni* 1610. *Pariſiis* 1613. 1636. 1651. *Francofurti* 1624. *Hamburgi* 1661; *de Doctrina Chriſtiana Antuerpiae* 1601. *Witebergae* 1604. *Helmeſtadii* 1629. et 1655. per *Ge. Calixtum; de vnitate eccleſiae Moguntiae* 1602. cum notis *Iuſti Caluini*, *Helmeſtadii* 1657. per *Ge. Calixtum;* item liber *de vtilitate credendi* per *eundem*, *ibidem eodemque anno*, et poſtea *Louanii* 1680. *de Haereſibus*, *Helmeſtadii* 1621. *Oxoniae* 1631. *Helmeſtadii* 1678. *cum Danaei comm.; de Fide et Operibus Francofurti* 1652. *Enchiridion ad Laurentium Witebergae* 1604. *Pariſiis* 1665; *Epiſtolae Francofurti* 1678. ſelectae *Flexiae* 1638. et *Louanii* 1662. Nouam quidem *Confeſſionum* recenſionem iuxta plures MSS. iactitauit *Henricus Sommalius* Soc. I. quae dici non poteſt, quoties impreſſa ſit et repetita *Lugduni*, *Coloniae*, *Duaci*, *Dilingae* etc. ſed cui a Criticis exiguum pretium ſtatutum eſt. Nec vero momenti vllius ſunt variae illae opuſculorum *contra Pelagianos* collectiones, cuiusmodi Pariſiis 1644. et 1652. *Louanii* 1647. et 48. *Romae* 1652. *Bruxellis* 1654. et 1673. et *Lugduni* 1673. prodierunt. Sed quod miraberis, ex *Gallicis* aliquot *verſionibus*, quae frequenter intra hoc ſpatium prouenerunt, praecipue

Arnal-

Arnaldinis, fructus quidam ad textum huius ſcriptoris confirmandum redundarunt.

Noua denique atque vltima ſeries a BENEDICTINORVM luculentiſſima opera orditur. *Conſpectum* huius editionis iam a. 1671. publice propoſuit vir doctus Congregationis Maurinae, qui curam illius in ſe receperat, ſed paulo poſt a Congregatione pulſus, aliis eam prouinciam cedere coactus fuit *Franc. Delfau.* Tradita deinde eſt *Thomae Blampino* et *Petro Coutantio*, quibus per occaſionem alii quidam ſodales diligentiam ſuam commodarunt. Sed Mabillonii partes in hoc negotio nullae fuerunt, praeterquam quod epiſtolam nuncupatoriam ad Regem Ludouicum XIV. cuius auſpiciis totum opus geſtiebat, elaboraſſe dictus eſt. A copiis criticis et diligentia editorum eſt conſummatiſſima. Imprimis autem noua ſingulorum ſcriptorum ad temporum rationem diſcuſſio et ſpuriorum a genuinis diſcriminatio eccleſiaſticae hiſtoriae ſtudiis perquam ſalutaris commendatur. Recudi eam fecit et vno volumine variarum ad maxime illuſtres Auguſtini controuerſias diſſertationum ſuarumque haud vulgaris notae obſervationum auxit *Io. Clericus Antuerpiae* ſeu *Amſtelodami* verius 1700-1703. quo factum eſt, vt ad plures ſaltem inter Proteſtantes vſus huius editionis pertingere potuerit. Italis non aeque placuiſſe videtur. Nam *Pariſienſem* Benedictinorum, *autographo vndiquaque ſimilem,* iam anno 1706. iterum prelo committere parabat *Ioannes Bapt. Clarellus*, Typographus Venetus, publiceque id conſilium ſignificauit miſſo ad Eruditos Protreptico, in quo Antuerpienſis editio male ipſi ob fidem et voluntatem Clerici audiebat; quod turpe tamen quaeſtuoſi mangonis artificium non opus erat, vt Oudini bilem moueret et ad Clerici patrocinium ſuſcipiendum eum, ipſi mini-

me fauentem, impelleret *). Ceterum ignoramus, an Clarelli illud conſilium ſucceſſum habuerit, ſed procul dubio haud multum ab eo abludit ea, quam a. 1729. et ſequentibus ibidem prodire iuſſit *Ioannes Baptiſta Albrizzi.*

Reliqua, quae ſeparatim a Benedictinorum inde aetate in Auguſtinum collata ſunt, haud capiunt magnificam commendationem. *Duae* quidem *Epiſtolae ad Optatum*, altera *de Natura et Origine Animae*, altera *de poenis paruulorum, quae ſine baptiſmo decedunt*, recens ex codice Abbatiae Gottwicenſis in Auſtria inferiori erutae ſunt, *Viennae* 1732. et *Pariſiis iterum* 1734. impreſſae. Memoratu etiam digna videtur *Io. Schilteri* IC. editio libri *de Coniugiis adulterinis Ienae* 1698. a quibus cetera, veluti *Tricaſſini* ed. librorum *de Gratia contra Pelagium et Coeleſtium Mogunt.* 1687. *Liber de Haereſibus* Cantabrig. 1687. et Oxon. 1721. *Speculum Auguſtini* a *Tommaſi* editum *Romae* 1679. Confeſſiones cum prolixiſſimo *Franc. Archangeli de Praeſentatione* commentario euulgatae *Florentiae* 1757. et libelli, quos nuper *Teegius* Thuringus ad Benedictinorum exemplum typographorum formulis exſcribi fecit *Lipſiae* 1767. 69. et 70. longo interuallo diſtant. In hoc tanto autem Auguſtini recentiori aetate neglectu optandum foret, vt, quod Pariſinus quidam *Ph. D. Pierres* exorſus erat inſtitutum, praeclaro ſpecimine in nitidiſſima *Confeſſionum* deſcriptione a. 1776. propoſito, non deſeruiſſet, aut alii in ſimili ſubſidiorum criticorum fortuna imitarentur.

Sed

*) Reperitur *Clarelli* epiſtola in *Actis Eruditorum Lipſ. Febr.* 1707. pagg. 94 - 96. Conf. *Oudinus Comment.* T. I. pagg. 985. ſq.

Sed tranſeamus tandem ad *Annales editionum* Auguſtini, quos quidem ita deſcripſimus, vt I. *Scriptorum collectorum* a primis initiis. II. *Singulorum* iuxta ſeriem conſuetam a nobis proponerentur. Quibus omnibus abſolutis paragrapho peculiari quaedam non inutilia *de Epitomatoribus, Defloratoribus* et *Commentatoribus Auguſtini*, tam antiquis, quam recentibus, ſubiicientur. Eiusmodi autem ſcripta, quae non tam explicandis aut commentandis certis Auguſtini libris inſeruiunt, quam de doctrina Auguſtini vel vniuerſa, vel de ſingulis illius capitibus ſiue inſtruendi, ſeu conuincendi, aut alienas opiniones redarguendi cauſa tractant, intra limites operis huius haud apte cogi poſſe arbitrati ſumus.

I. *Collectiones Operum et Opuſculorum Auguſtini*

Saec. XV.

1473.

Coloniae. 8. maj. Auguſtinus de fide. Ab initio: *Incipit liber Sancti Auguſtini ad Petrum Diaconum de fide.* In fine: *Liber iſte S. Auguſtini de fide catholica ad Petrum Diaconum Coloniae impreſſus eſt. In vigilia ſancti iohannis baptiſte. Anno domini M. CCC. ſeptuageſimo tercio.*

Character huius voluminis eſt gothicus antiquus luculentus, charta denſa, paginae lineis latis XXVI. impreſſae. Nullae extant paginarum foliorumue vel plagularum notae. Diſtinctionibus, quas commata et puncta appellamus, inſeruit lineola duplicata, qua alias Grammatici in verbis bicompoſitis vti ſolent, quamque ὑφεν vocant. Tribuimus vero huic volumini locum inter opuſcula propter ſequentium cum eo ſimilitudinem, quae ſi non eodem

 anno,

anno, attamen ex eadem officina vere prodierunt, vt nunc quidem comparatione ſingulorum inter ſe inducti opinamur, et egregiam artis perfectionem in paucis plagulis oſtendunt. Nempe tria, quae ſequuntur volumina, eodem charactere, ſed nitidiſſimo et quo abſolutius hoc in genere vix quicquam fingi poſſit, in charta longe optima et fulgenti, pagina lineas XXVII. complectente, impreſſa ſunt. Ceterum characterum notae nullae prorſus cernuntur, nec loci, nec anni vllum indicium. Complectuntur autem

I. Librum *de agone chriſtiano* vna cum ipſius de eodem iudicio, *ex libris retractationum;* librum *de Sermone Domini in monte habito*, cuius in fine ad calcem voluminis: *Explicit liber primus beati* Auguſtinus *(Augo:* ſic) *de montana.*

II. Tractatum *de Fuga Mulierum;* tr. *de Continencia;* Librum *de Contemptu mundi; Epiſtolam beati Ieronimi ad Paulinum presbiterum; Sermones duos Auguſtini de communi vita clericorum*, qui incipiunt *propter quod volui* etc. *et charitati veſtrae* etc.

III. *Omelias* b. Auguſtini et primo *de eo*, quod *Pſalmiſta* ait: *Quis eſt homo, qui vult vitam et cupit videre dies bonos.* 2) *de eo, quod ſcriptum eſt: Eſto conſentiens aduerſario tuo* etc. *Et qui odit fratrem ſuum, homicida eſt.* 3) de eo, quod Dominus ait: *diligite inimicos veſtros.* 4) *de eo, quod ſcriptum eſt in Yſaia: Clama, ne ceſſes.* 5) *de eo, quod apoſtolus ait: Radix omnium malorum cupiditas.* 6) *de eo, quod ſcriptum eſt: Beatus, qui poſt aurum non abiit.* 7) *de eo, quod Apoſtolus ait: Redimentes tempus cum dies mali ſunt.*

Opu-

Opuſcula n. II. et III. exhibita commemorat etiam *Catal. Creuennae nouiſſimus T. I. p.* 106 et 107. additque

IV. Librum *de diſciplina chriſtiana* ſupra enumeratis plane conformem n. 470. et

V. *Sermonem* ſuper *Orationem dominicam*, nec non *Enchiridion ad Laurentium;* n. 469. poſteriores tractatus, quos omnes per *Vlricum Zel de Hanau* circa 1470. excuſos eſſe ſtatuit editor, ſecutus in eo iudicium *Deburii* in *Cat. Bibl. Ducis de la Val* T. I. p 172 ſq. qui n. 478. poſteriores hosce tractatus notauit, addens primum IX. alterum VI. foliis conſtare. Ibidem n. 473. cum libris a nobis n. II. commemoratis ſimul exiſtunt et quidem ab initio.

VI. *S. Auguſtini Liber de vita beata. Liber de honeſtate mulierum. Libellus de honeſtate vitae.*

1483.

Venetiis cura et impenſis Octauiani Scoti ciuis Modoetienſis. 4. B. Auguſtini opuſcula Aſcetica minora. Recenſet *Ge. Pray* in rarioribus libris Bibl. Budenſ. T. I.

1484.

Venetiis per Andream de Bonetis de Papia. 4. S. Auguſtini opuſcula. In fine. *Explicit liber S. Auguſtini de vera religione, et de clericorum vita ſancti Auguſtini. nec non cuiusdam digniſſimi tractatus de ſpiritu et anima. Que omnia in iſto libro continentur: cum ſumma diligentia per M. Andream de bonetis de papia venetiis impreſſa fuerunt. inclito principe Ioanne mocenigo venetiarum duce. M.CCCC. LXXXIIII. die XXII. Menſis Iulii.*

Inſunt

Inſunt eadem, quae in editione ſequenti Argentoratenſi numeris I - XXII. exhibentur. Hinc vero adiecta ſunt: 23) *Euſebii Corradi* Canonici Regularis Lateranenſis *Epiſtola ad Sixtum* IV. R. P. *de auferendo ab eccleſia errore ſcribentium*, S. Auguſtinum fuiſſe Eremitam: 24) *Regula S. Auguſtini.* 25) *Vita S. Auguſtini* ſcripta a *S. Poſſidio*, *Epiſcopo Calamenſi.* 26) *Euſebii Corradi ad Sixtum* IV. et Cardinales Annotatio, ſeu potius Tractatus breuis *de errore ſcribentium*, *S. Auguſtinum fuiſſe Eremitam.* 27) *Liber S. Auguſtini de anima.* Diligenter hanc editionem iam ab aliis bibliographis obiter commemoratam recenſuit *Cl. Seemiller* faſc. III. p. 7. quo duce nihil certius in lubrica hac ſemita deprehendimus. Ab eo igitur docemur, omnia haec opuſcula eodem charactere, gothico nimirum minuto, duabus columnis, nitidae ac firmae ſimul chartae impreſſa eſſe. Obſeruat porro per priora viginti duo opuſcula foliis ſuperſcriptos eſſe titulos, non item in reliquis. Literas initiales, cuſtodes et numeros paginarum deficere, easdem tamen eſſe ſignatas. In *Cat. Bibl. Reg. T. I. p.* 376. laudatur a primo *Meditationum* opuſculo. Nec raro etiam fit, vt ſinguli ex hac collectione libri tanquam ſeorſim h. l. et a. excuſi, vel incuria ſcriptorum, vel quod auulſi a reliquo corpore interdum obueniant, commemorentur.

1489.

Argentorati per Martin. Flach. fol. Aurelii Auguſtini opuſcula plurima: *Haec ſola tituli inſtar pagina prima habentur, charactere gothico maiori impreſſa. in fine:* B. Aurelii Auguſtini Hipponenſis epiſc. ac doctoris eccleſiae ſanctiſſimi pariter et perſpicaciſſimi: plurimorum opuſculorum, nec non vitae eius a Poſſidonio conſcriptae: impenſis et opera

Mar-

Martini Flach Argentinae accuratiſſime impreſſorum. Finis Anno a natiuitate ſaluatoris M. CCCC. LXXXIX. XIII. Kalendas Apriles.

Hos iuuat arguta ſcrutari indagine verum.
Illos Dulichio verba lepore tenent.
Aſt aliis gratum eſt varios verſare libellos.
Sunt quos ſcripta quibus non niſi ſancta placent.
Quisquis es ex iſtis: paucis nummis eme multos
Aurelii libros: hancque leuato ſitim.
Neruoſos cernes rationum viribus: atque
Ornatos: varios: de deitate ſimul.
Hos menda expertes tulit Argentina: premique
Martinus docili *ſimus* ab arte dedit.

Literae ſunt gothicae. Paginae columnis binis impreſſae, folia, ſex prioribus exceptis, numerata, ſingula capita numeris ſuis et argumentis ſunt perquam commode diſtincta. Inſunt ſequentia: 1) *Meditationes*, 2) *Soliloquia*, 3) *Manuale de verbo Dei*, 4) *Enchiridion ad Laurentium*, 5) *Liber de triplici habitaculo*, 6) *ſcalae paradiſi*, 7) *de duodecim abuſionum gradibus*, 8) *de beata vita*, 9) *de aſſumptione beatae Mariae virginis*, 10) *de diuinatione Daemonum contra Paganos*, 11) *de honeſtate mulierum*, 12) *de cura agenda pro mortuis ad Paulinum Nol. Ep.*, 13) *de vera ac falſa poenitentia*, 14) *de contritione cordis*, 15) *de contemptu mundi ad clericos*, 16) *de conuenientia X praeceptorum et X plagarum Aegypti*, 17) *de cognitione verae vitae*, 18) *Confeſſiones*, 19) *de doctrina chriſtiana*, 20) *de fide ad Petrum Diaconum*, 21) *Sermones duo de vita et moribus Clericorum*, 22) *de vera religione ad Romanianum*, 23) *de ſpiritu et anima*, 24) *de vita chriſtiana ad ſororem ſuam viduam*, 25) *de definitionibus orthodoxae fidei et eccleſiaſticis dogmatibus*, 26) *de*

diſci-

diſciplina chriſtiana, 27) *Sermo de charitate*, 30) *Tractatus de vanitate huius ſaeculi*, 31) *de obedientia et humilitate*, 32) *de agone chriſtiano*, 33) *de bono diſciplinae*, 34) *Regula de communi vita Clericorum*, 35) *Poſidonius de vita Auguſtini.* Praecedunt praeter hunc ipſum omnium opuſculorum indicem, peculiares aliquot quorundam librorum tabulae. Miror *Cl. Seemillerum*, qui eandem editionem in commentarios faſc. III. p. 171. retulit, non contendiſſe cum ed. Veneta 1484. Habet etiam *Cl. Braun* l. l. T. II. p. 174.

1491.

Ibidem ap. eund. f. Eadem *ex ſecunda editione. In fine:* M. CCCC. XCI. die XI. menſis Auguſti. Eius exemplum mancum tamen notauit *Gemeiner* l. l. p. 203. integrum vt noſtrum *Cl. Braun* l. l. T. II. p. 213.

✲ ✲

Parmae per Angelum Vgoletum. f. Auguſtini opuſcula varia finita *Pridie Kalend. Aprilis. Cat. Bibl. Smith.* p. 28. et *Creuennae nouiſſ. T. I. p.* 110. Ordiuntur ſeriem libri *contra Academicos*, vnde *Morellus* in *Cat. Bibl. Pinell.* hoc nomine ea refert.

✲ ✲

Venetiis per Dionyſium Bertoldum. f. Aur. Auguſtini *opuſcula plurima: quaedam non plus impreſſa.* Haec in ſpeciem tituli in prima primi folii pagina. Incipiunt a *Meditationibus*, quarum titulus minio impreſſus; vltimum eſt *Vita* eius per *Poſſidonium* conſcripta, ad cuius calcem: *Eiusdem videlicet Aur. Auguſtini Hipponenſis Epiſcopi ac doctoris ecleſiae*

cleſiae ſanctiſſimi pariter, nec non vite eius a Poſſidonio conſcripte: impenſis et opera Dionyſii Bertoldi de Bolonia Venetie accuratiſſime impreſſorum finis anno a natiuitate ſaluatoris noſtris (ſic) *M. CCCC. XCI. die XXVI Martii.* His denique epigramma eſt ſubiectum. Textus occupat folia CCCXXXIX. Accedunt autem ab initio voluminis praeter titulum octo folia tabulam materiarum exhibentia. Supereſt in fine folium cum chartarum regiſtro ſymbolum typographi ſiſtens. Literae ſunt Gothicae. Deſcriptio facta eſt per binas columnas, expreſſis foliorum numeris ac ſignaturis, vt tamen cuſtodes deſiderentur. Debemus huius et ſequentis editionis notitiam *Cl. Braunio, Notit. Lit.* T. II. p. 229. Vtinam vero viro diligentiſſimo contenta eiuſdem, vel enumerare, vel cum aliis ſaltem comparare placuiſſet.

* *

Venetiis per *Pelegrinum de Paſqualibus.* f. min. *Plurima opuſcula S. Auguſtini.* Haec pro titulo. Ad calcem: *Finiuntur opuſcula S. Auguſtini hipponenſis anno a natiuitate domini M. CCCC. LXXXXI. die vero 10 nouembris impreſſa fuerunt Venetiis per Pelegrinum de Paſqualibus de Bononia.*

Volumen eſt foliorum CXXXI. exſcriptum typis gothicis, columnis binis. Inſunt numeri ac ſignaturae, nec tamen cuſtodes. Initium faciunt libri contra Academicos, cum hac epigraphe minio impreſſa: *Diui Aur. Auguſtini Hipponenſis epiſcopi contra Academicos:* vel *de Academicis, quem adhuc Catechumenus edidit.* Praemittitur epiſtola *Seuerini Chalci*, Canonicorum regularium S. Crucis Montanenſis Canoniae Praepoſiti ad lectorem, cui operum index et epigramma aliquod ſubnexa ſunt.

[1495.]

Baſileae per Iohannem de Amerbach. fol. VI. Vol. S. Auguſtini Opera. *Maett.* T. I. P. II. p. 588. ex fide *de la Caille* p. 82. Sed fruſtra eam apud alios literatos viros, et in optimarum bibliothecarum catalogis conquiſiuimus. Vereor ergo, ne per errorem, neſcio quem, talis notitia inciderit, quod vel ex eo ſit veriſimile, quod formam chartarum duplicem *folii* ſcilicet et *quarti* prodidit. Meminit eius quidem etiam *Vignerius* in *Praef.* ad *Supplem.* Operum Auguſtini. Sed non maiori fide. Immo paene certus ſum, varias ſingulorum Auguſtini ſcriptorum, veluti *Enarrationum in Pſalmos, Epiſtolarum* et *Sermonum* editiones per annos 1493, 94, 95, 97, identidem ab Amerbachio excuſas, hunc errorem peperiſſe.

1497.

Lugduni per Io. Trechſel. f. Opus queſtionum diui Auguſtini, in quo hec omnia continentur.

Heptateucon opus variarum queſtionum ſuper ſeptem libros biblie: comprehendens totidem, ſeptem libros.
Queſtionum noui et veteris Teſtamenti lib. III.
De conſenſu Euangeliſtarum libri IV.
Queſtionum Euangeliorum libri III.
Queſtionum octoginta trium liber I.
Queſtionum LXV. Oroſii: eiuſdem dyalogus, qui eſt liber vnus.
Queſtionum octo Dulcidii libellus vnus.
Queſtionum Laurentii de fide, ſpe et charitate: enchiridion.
Inquiſitionum Ianuarii et de conſuetudinibus eccleſie II.

Queſtio-

Queſtionum Honorati de Gratia N. T. liber vnus.

Queſtionum quinque Hylarii libellus vnus.

Queſtionum ſex contra Paganos ad Deo gratias, libellus vnus.

Item omnium iſtorum indices et retractationes in faciebus poſite.

Haec in fronte tituli, quibus ſubiecti ſunt in commendationem eius verſiculi aliquot ad D. Auguſtinum. *In fine* (extremae paginae columna prima): *Finis ſex queſtionum diui aurelii auguſtini epi contra paganos ad deo gratias: et per conſequens totius huius operis. Deo gratias.* Columna altera deinde poſt Badii perorationem et ſubiectum eidem chartarum regiſtrum: *Impreſſum eſt autem hoc opus Lugduni: opera et impenſis M. Ioannis Trechſel Alemanni: anno ſalutis noſtre Milleſimo quadringenteſimo nonageſimo ſeptimo.* VII. *Kalend. Majas.* Quibus in extrema pagina ſubiicitur ſymbolum typographi. Praefatus eſt *Iodocus Badius* ad Magiſtrum Petrum Gerardum, ſacrae theol. profeſſ. et fratrem Eremitarum Auguſtini Parchienſem *(ſic)* Priorem. (d. Lugduni. VII. Kal. Maj. 1497.) Ex eo quidem diſcimus, opus hoc collectum eſſe atque caſtigatum ab *Auguſtino de Ratiſpona, S. Theol. Baccalaureo*, de Scholaſticorum aliquot doctorum ſcriptis, iam ante editis, bene merito. Neque vero ipſius etiam *Badii* ſtudium operi defuit, ſiquidem et conquirendis quam pluribus, quos ille nanciſci non potuerat, tractatibus et corrigendis iisdem non modicam ſibi huiusmodi diligentiae particulam vendicare poſſe fatetur. „Nam primum, *inquit*, eum, quem in tergo conſpicis ordinem, obſeruatum voluimus: vt primo loco veteris duntaxat teſtamenti queſtiones: ſecundo

noui et veteris: tertio euangeliorum, quae noui duntaxat ſunt: et vltimo relique ponerentur. Ceterum ſi forte quispiam reprehenderit, quod de conſenſu euangeliſtarum et enchiridion inter queſtiones inſeruimus: non recte animaduerterit, quantum ea opera cum queſtionibus conueniant. Deinde retractationes ipſius Auguſtini, vbicunque fecerit, operi praepoſuimus: et in marginibus locorum, quos tractauit, ipſas conſignauimus. Tum grecum ſuis characteribus conſcripſimus et in margine iis, qui grecos ignorant, latinis repetimus: adiecta nonnumquam ſignificatione. Tum quoties in diuerſis codicibus duplicem, quarum neutra aſpernanda eſſet, lectionem offendimus, vtramque poſuimus: ſed alteram ſub margine. Tum libros in fronte chartarum diſtinximus. Tum indices omnium, quae in ſingulis operibus continerentur, ipſis praepoſuimus, et interdum etiam ante ipſa capita repoſuimus. In primis tamen queſtionibus, quas in formam queſtionum redegimus, non opus repetito viſum eſt: ne forte praenotatio ipſa narratione maior naſceretur: loca tamen biblie, vnde excepta ſunt, diligentius cum ipſis queſtionibus annotauimus." — Nec omittenda plane nobis videtur, quae in extrema columna legitur eiusdem *Badii De operis complemento: et vt dicunt regiſtro ad magiſtratum noſtrum Petrum Gerardi:* priorem etc. *Peroratio*, quae ſic ſonat: Hec ſunt magiſtratorum noſtrorum optime: magiſter petre Gerardi: quo de queſtionibus diui patris auguſtini: multo quidem labore parta tandem tuo nomini dicata emittimus: precantes omnes ea perlectores in partem accipiant bonam: veniamque dent: ſi vel pauciores queſtiones, quam ipſe ſanctiſſimus doctor auguſtinus confecit: vel has minus cognitas omiſerimus. Paucu-

culas

culas enim deeſſe remur atque eas tantum, que ad ſimplicianum mediolam. epiſcop. conſcripte ſunt: quas hactenus reperire non potuimus: *locum tamen, quo inſeri poſſent, reliquimus trium quaternionum: Mm. Nn. Oo. quem ſi vocantem dereliquimus: vitio dandum nullus niſi inhumanus et calumniator cenſebit: cum vel ſingula opera plena ſint: et ſeorſum emitti poſſint.* Que vero errata veremur: eiusmodi credimus, que ſine recognitione aut admonitione noſtra facile quiuis deprehenderit et emendauerit. Ne quis autem chartarum conuertendarum ignoret: et ob id deeſſe quidquam putet: hec ſeries eſt. a - ſ. A - G. Aa - Ll. Pp. Quorum b. k. q. r. G et Ll. terne ſunt pp. quine: relique autem quaterne etc." Exſcriptum eſt opus hocce charactere gothico minuto binis columnis, lineis adeo ſcriptis vt LV. paginam capiant. Enimuero perquam commode adornatum eſt. Tametſi enim foliorum paginarumue numeri, cuſtodesque deſint, habet tamen chartarum ſignaturas, continuam in ſumma pagina inſcriptionem charactere maiuſculo expreſſam; literae item initiales paruis quidem indicatae ſunt, ſed cuiusuis capitis linea prima characterem maiorem ſortita eſt, gaudetque argumento numeroque praemiſſo, qui numerus literis romanis ſimul in margine repetitus eſt. Praecedit porro ſeptem foliis quaeſtionum tabula cum ſententia ipſius Auguſtini ſuper Quaeſtionibus ex libris retractationum, in qua vnum hoc obſeruanti dignum reſtat, quod ſingulari adnotatione editor lectionem *ſcripturarum ſanctas* contra alteram *ſcripturas ſanctas* complurium codicum auctoritate excuſat ac defendit. Meminit huius ed. *Cl. Braun* T. II. p. 295. Nec alia fortaſſe eſt ab ea, cuius ſub titulo *primi Operum Auguſtini Tomi* meminit *Maettarius*

T. I. p. 482. fide *de la Caille* ſubnixus, apud quem per errorem a. 1487 pro 1497 ſcriptus eſſe videtur *).

Saec. XVI.

1506.

Baſileae apud *Ioannem Amerbachium. fol. IX. Tomis*, D. Auguſtini Prima Pars librorum, quos edidit Catechumenus.

Pars II. Libri, quos ſcripſit Baptizatus.
Pars III. Libri, quos edidit Presbyter.
Pars IV - VIII. Libri, quos edidit Epiſcopus.
Pars IX - XI. Libri, quos non recenſet in libris retractationum.

Primae huius *operum* Auguſtini editionis exempla adeo rara ſunt, vt licet non paucos euoluerim diverſarum Bibliothecarum catalogos, in duobus tantum hactenus reperire contigerit **), qui ambo eundem quidem, quem in conſpicuo poſuimus annum, produnt, quemque Maettarius eruit ***). Datur nimirum in his diſcrepantia quaedam, dum alii, velut

*) Nunc idem iam *Hambergerum* monuiſſe video *Tomo III. pag.* 104.

**) Nempe in *Catalogo Bibl. Bodleianae*, qui citat *Auguſtini opera IX. Tomis* per Amerbachium Baſ. 1506. et *Cat. Bibl. Princip. Eccleſiae et Monaſterii Ord. S. Benedicti ad S. Emmeranum Ratisbonae* P. I. (1748. 8.) in quo plenior titulus p. 40 ſeqq. adſcriptus eſt, ſed omiſſis partibus V. VI. VII et X, mancum illud exemplum eſſe proditur.

***) *Tom. II. P. I. p.* 216.

lut auctores Colonienſes annum 1504. alii annum 1501 et 1503. praeferunt *), vnde fortaſſe iure aliquo colligas, non vno anno totam hanc editionem eſſe abſolutam, ſed inceptam anno 1503, ad finem tandem a. 1506. perductam, eoque anno, qui terminus integri operis fuiſſet, ſingulos Tomos eſſe ſignatos **). Nec tomorum numerum eundem omnes tradunt, ſed alii *nouem*, alii *vndecim* conſtare opus totum volunt, non ſane ſcripturae aliquo errore, ſed diſertis verbis numerum enunciantes. Quid? quod Trithemius *quindecim* voluminibus impreſſum eſſe dicat ***).

Nunc tamen, ne diutius hiſce experiundis operam impenderemus, effecit Oudinus, qui, declarata totius partitione, ſatis ſignificat, ipſam editionem a ſe fuiſſe inſpectam. Docet autem *vndecim* partibus, *nouem* vero tomis eſſe comprehenſam, atque ſic diſtinctam, vt *octo* priores eos Auguſtini libros, quos ipſe in ſuis *Retractationibus* recenſet, contineant,

 reli-

*) Pertinet huc locus, quem etiam Colonienſes adducunt, ex *Sweertii Athenis Belg.* p. 148, vbi de *Dodone* ſcribit: „*Primus congeſſit et caſtigauit S. Auguſtini opera omnia, adiecit et argumenta in Opera ſingula ac cenſuras, ſed immaturam eius operam peſtis abſumſit, eo ipſo anno, quo prelo ſubiiciendum opus erat,* 1501. *prodiitque poſt mortem ex officina Amerbachii* 1503.“

**) Conſentit *Oudinus* in *Comment.* T. I. p. 934. circa annum 1500. inceptum, anno vero 1506. completum eſſe opus dicens. Pro poſteriori numero operarum vitio ibi exſcriptum eſt 1586. Oudinum fere totum exſcripſerunt Colonienſes, niſi quod de ſuo addiderunt, *omnia* a. 1504. *lucem adſpexiſſe.*

***) In Epiſtola ad *Iacob. Kymolanum* Carmelitam data Herbipoli XVI Auguſti 1507. apud Maett. II.

reliquae ceteros, quorum nulla in hoc opere mentio iniicitur, complectantur, quod ita ſe habere ex *Catalogo Bibl. Emmeranae* intelleximus, qui tres priores Partes vno Tomo ſeu Volumine comprehenſas oſtendit. Simul monet, plurimos *Sermones*, plurimasque *Epiſtolas*, nec non *Enarrationes in Pſalmos*, vtpote quae iam antea per annos 1489, 1494, 1495, 1497 excudi curauerat, vndecim his partibus adiicere noluiſſe. Vſus autem fuerat *Io. Amerbachius* in paranda hac editione opera cuiusdam *Auguſtini Dodonis*, *Friſii*, *Baſileae ad S. Leonardum Canonici*, qui, illo ſumtus praebente, Italiae, Galliae et Germaniae Bibliothecas perſcrutatus erat, et ipſe, ſi per fata licuiſſet, operibus vndique comportatis, manum admoturus fuiſſet.

1515.

Pariſiis . . . . . *fol. IX. Tomis.* Diui Aurelii Auguſtini opera *iuxta Amerbachianam deſcripta.* Deeſt huius editionis memoria in Maettario. Commemorant eam Colonienſes, notat Catalogus Bibl. Bodleianae. In Germania vix vnum eius exemplar inueniri putem, nec in Gallia quidem, niſi in Bibliothecis obſcurioribus lateant. Certe Cat. Bibl. Reg. Pariſ. eam ignorat.

1517.

Sine loco. fol. *Index Operum* S. Auguſtini per eximium *Ioannem Theuſchlein de Frickenhauſen*, ex Rottenburga Tuberina. Sic extat in *Cat. Bibl. Emmeranae* p. 41. Pertinere autem puto ad editionem Amerbachianam.

1520.

Pariſiis apud Ioannem Paruum. 4. D. Aur. Auguſtini libri III. contra Academicos, ſoliloquia et alia opuſcula: quatuor haec iam primum impreſſa de Viſitatione infirmorum; de adulterinis coniugiis, de bono coniugali et bono virginali. *Cat. Bibl. Reg.* T. I. p. 376.

1528 - 29.

Baſileae ex officina Frobeniana. fol. X. Tomis. D. Aurelii Auguſtini, Epiſcopi Hipponenſis, Opera omnia ex emendatione *Deſ. Eraſmi.*

Pleniorem titulum, vnde hauriremus, non datum fuit. Opinamur autem, non procul eum abludere ab eo, quem editio a. 1543. praefert. Sed cum iam acceſſerimus ad eam editionem, quae non modo integra ac plena prima dici poteſt, ſed ſequentium omnium, non excepta nouiſſima, fundamenta iecit et in iis quodammodo dominatur, neceſſe erit, vt ante omnia, quae ipſe Eraſmus de inſtituti ſui ratione in medium attulit, cum lectoribus communicemus. Etenim ſequentium editionum curatores aut contenti fuerunt, Eraſmianam operam acceſſionibus aliquot locupletatam prelo committere, aut vltra veſtigiis ipſius inſtiterunt et partim codicibus, partim iudicio ſuo confiſi emendatiorem ac ſinceriorem efferre contenderunt, aut etiam ab illo longius receſſerunt. Quorum omnium ſtudia atque conanima non dicam aeſtimare, ſed ne examinare quidem abſque accurata Eraſmianae operae cognitione licet. Nec vero vniuerſe atque paucis didiciſſe ſufficit, Eraſmum textum emendaſſe, genuina a ſuppoſititiis ſecreuiſſe et cuncta nouo ordine eſſe diſpartitum, quo ſane nec ad auctoris, nec ad editoris ingenium cognoſcendum

magnopere iuuamur. Sed cum primus ille explicare aggreſſus ſit, quae peculiaris Auguſtini ac maxime propria tam in ſentiendo, quam eloquendo, virtus fuerit, eamque notionem deinde, qua ſolet in ceteris quoque eccleſiaſticis ſcriptoribus ſolertia, ad explorandam tam vniuerſam ſcriptorum genuitatem, quam ſingulorum locorum ſanitatem traduxerit, omnique inde ſaeculo critices aliqua formula in Auguſtino reſtituendo praeiuerit, non facile quemquam, qui haecce ſtudia curat, fore, arbitror, qui hac Eraſmi diſputatione abſque damno carere poſſit. Accedit, quod primus item Eraſmus deprauationum textus Auguſtiniani cauſas, variaque corruptorum genera indagauerit, quorum deſcriptio quodammodo eundem vſum praeſtare poteſt, qui alias a Codicum notitia bene explicata exſpectari ſolet. Atque haec praefaminis loco, ne inſerenda hac oratione bene longa negligenter aut parum verecundi aliquibus videremur. Iam ipſum audi. Sic enim in epiſtola, (data Friburgi Briſgauiae. M. D. XXIX.) qua totum opus *Alfonſo Fonſecae, Principi et Archiepiſcopo Toletano totiusque Hiſpaniae Primati*, nuncupat, cuiusque dimidiam partem in laudes Auguſtini impendit, loquitur:

„Quo dilabor? Non enim inſtitueram encomium Auguſtini, quodſi ſuſcepiſſem, haec quota portio laudum illius erat. Illud tantum volebam oſtendere, quam dolendum fuerit, tantum eccleſiae theſaurum tam ſero per typographos prodiiſſe in publicum, quem maxime referebat in omnium verſari manibus. Deterrebat nimirum illos impendiorum magnitudo. Primus hoc egregium facinus auſus eſt, vir ſingulari pietate Ioannes Amerbachius, re ſat beatus, ſed animi dotibus longe beatior, quem nec ſumptus immenſi, nec in conquirendis vndecunque exem-

exemplaribus inſtantia, nec in conferendis taedium, nec operis difficultas, nec diſtractionis alea, nec vlla res alia deterruit, quo minus totum Auguſtinum redderet omnibus communem. Non huc inuitauit virum quaeſtus amor, ſed ſincera pietas, quam omnes illius praefationes ſpirant, ac reuocandi priſcos illos eccleſiae doctores ſtudium, quos videbat ac dolebat propemodum antiquatos. Proinde non dubito, quin illius manibus bene precentur omnes, qui per Auguſtini libros ad pietatem profecerunt. Idem in vniverſas Hieronymi lucubrationes maiori etiam ſtudio molientem deus ad ſuperos euocauit. Eam tamen prouinciam tribus filiis, Brunoni, Baſilio, et Bonifacio, quos in hoc curarat trium peritia linguarum inſtituendos, moriens delegauit, per quos non minore ſtudio, quam fide peractum eſt, quod optimus pater voluit. Sic enim illos et ad pietatem et ad eruditionem educarat, vt quodammodo ſe maior ac melior in illis ſupereſſet, hodieque ſuperſit. Nam natu maximus tantum in fata conceſſit. Tot ſunt examina monachorum in orbe, quorum otium magnis cenſibus alitur. Tot ſunt Abbates opimo reditu, nihil aliud, quam aedificantes, vel alentes equos, vel epulantes. Hic erat illorum proprius labor, quem homo laicus ſua ſponte ſuſcepit. Atque in Auguſtino quidem tantum adhibitum eſt ab illo curae, ſtudii, vigilantiae, quantum illa tum ferebat aetas, rudior adhuc et perpaucos habens in hoc genere literarum exercitatos. Illud potius mirandum, quod, quum Auguſtini lucubrationes tot iam annis verſentur inter manus eruditorum, nulla extiterit de illo publica querimonia, quemadmodum de Hieronymo nemo non querebatur. Atqui ni multos haberem teſtes, qui operi excudendo vel praefuerunt, vel adfuerunt, nemo mihi crediturus ſit, quan-

tum mendarum offenderim ac ſuſtulerim, etiam illinc, vbi nihil eſſe deprauatum putabatur. Habet enim Auguſtinus ſuum quoddam dicendi genus, argutum, et periodis in longum productis multa conuoluens, quod lectorem et familiarem, et acutum, et attentum, et bene memorem requirit, denique taedii laborisque patientem, quales non ita multos reperias. Iam tametſi prophanas literas parcius oſtentat, quam Hieronymus, tamen obiter ad eas frequenter alludit. His rebus factum eſt, vt lector audaculus magis, quam argutus, mutarit quicquid offendebat. Verum quae vel librariorum incuria, vel lectorum inſcitia commiſſa ſunt, habent vtcunque colorem, quo culpam liceat, ſi non excuſare, certe extenuare: quanquam hanc oportuit eſſe publicam Principum, Praeſulum et Abbatum curam, vt vtilium, ſed praecipue ſacrorum voluminum exemplaria per eruditos viros quam diligentiſſime caſtigata ſeruarentur in publicis bibliothecis. Illos vero, quos abſoluat a ſacrilegii crimine, qui nec errore, nec vlla neceſſitate, ſed inepta libidine, ſtudio mutarunt huius viri ſcripta, vertentes *que* in *et: et* in *que; ſed* in *at: at* in *ſed: dixit* in *ait; ait* in *dixit;* verbum in participium: participium in verbum: aliaque innumera his conſimilia, quaſi luſerint in opere alieno. Hoc ſlagitium quum alias, tum praecipue deprehendimus in libris de Trinitate. Deprehendimus autem ex collatione *codicis*, quem nobis praebuit *Flandriae monaſterium quoddam*, cuius nomen in praeſentia non occurrit, ſane bellum ac vetuſtum, dixiſſes bonae fidei, magnaeque auctoritatis exemplar. Vix vnquam occurrebant duo verſus, quin eſſet, quod iugularet tranſuerſus calamus. Hic non erat error aut oſcitantia, ſed impius ludus hominis male feriati. Alibi neſcio quis ſententias expleuerat, adie-

adiectis verbis aliquot non neceſſariis: velut quoties beatus Auguſtinus citabat e ſcripturis canonicis, quantum ad id, quod agebatur, ſatis erat, ille ſcripturae teſtimonium altius repetitum ex eodem loco longius proſequebatur, quum nihil eſſet ad rem neceſſe. Id praecipue factum comperimus in Commentariis, quos ſcripſit in epiſtolam ad Romanos et ad Galatas. Riſimus non paucis locis inſignem ſcribarum delirationem, qui, quod lector ineptiens annotarat in margine ſui codicis, retulerunt in contextum. Ex multis duo proponam exempla, quorum alterum eſt in Epiſtola LVIII. vbi leguntur haec Auguſtini verba: *Hos autem prophetas, quos poſt apoſtolos poſuit, non puto illos eſſe, qui ordine temporum ante apoſtolos fuerunt, ſed iſtos, quibus iam ſub apoſtolis per gratiam donabatur, aut interpretatio ſcripturarum et inſpectio mentium, aut praedictio temporis ſequuturi.* In priori editione participium *ſequuturi*, a ſuo nomine, *temporis*, prolixo verborum aſſumento diuulſum comperimus, idque non ſolum inſigniter indoctum erat ac ſtultum, verum ne ad rem quidem tantillum faciens. Non enim illic ambigebatur, qui eſſent apoſtoli, et vnde ducta vox, ſed de quo prophetarum genere loqueretur illic Apoſtolus. Non repetam hic longum nugamentum, ne ſim taedio, decerpam modo pauca, vnde facilis ſit coniectura, quam cetera nihil habeant mentis. Hunc in modum orditur: *Si enim ego ipſe vt de his, quid ſentiam, habeas, differentiam facturum me ſperauerim:* Agnoſcis ſermonis florem. Ac mox: *Vt enim ad vim termini proficiſcar, Apoſtolos Graecum, dicitur ab apos, quod notat argumentum, vel praeminentiam, et ſcolon, quod eſt miſſio, quaſi praeminenter miſſus, ad augmentationem ſcilicet fidei catholicae, vel apoſtolus quaſi poſtmiſſus* etc. Quid hac deliratione pro-

digio-

digioſius? Apos enim apud Graecos tantum ſignificat, quantum Kiſkildriuium apud Latinos, et ſcolon Graecis ſonat offendiculum. Deinde ſtultiſſime imaginatur in nomine apoſtolus, apoſt additum pro poſtmodum, pro quo barbari dicere ſolent depoſt. Atqui ſi graeca vox eſt apoſtolus, vt ipſe docet, vnde illic latina praepoſitio poſt? Sequitur, propheta autem a pro, id eſt procul, et for faris, quum propheta Graecis nihil aliud ſonet, quam latinis praedictor. Haec propoſuiſſe ſatis arbitror, ad totius nugamenti guſtum quendam, quod ita attextum eſt, quaſi quis pro Auguſtino Paulinum doceat, de quo ſignificarat ſe dubitare. Alter locus eſt in libro ſecundo: De ſermone domini in monte habito. Quoniam inter fructus ſpiritus Paulus commemorat gaudium, ne quis exiſtimaret, illum de quouis gaudio loqui, ſic locum explanat Auguſtinus. *Sane ſciendum eſt, hic gaudium proprie poſitum. Mali enim homines non gaudere, ſed geſtire dicuntur proprie, ſicut ſuperius diximus voluntatem proprie poſitam, quam non habent mali*, etc. Haec Auguſtini verba quum nihil habeant obſcuritatis, tamen aliquis conatus erat dilucidius, ſcilicet explicare ſententiam hiſce verbis: *Neque gaudium virtutis ſit, ſicut voluntas, et haec potius ad ſanctos pertinent: ad peccatores vero geſtus magis et cupiditas deputanda ſunt.* Et hoc tam inſulſum nugamentum e ſpatio marginis in contextum relatum aliquamdiu nos torſit. Cum huiusmodi portentis fuit nobis ſubinde luctandum. Alius ex vndiquaque decerptis fruſtulis, veluti nouum opus, Auguſtini titulo conſtruxerat: alius aliena cum Auguſtini ſcriptis miſcuerat: alius ex quaeſtione fecerat epiſtolam, aſſutis initio paucis verbis. Ne ſingula perſequar, vix in alterius tam impie, quam in huius ſacri doctoris voluminibus luſit otioſorum temeritas.

Vt

Vt omittam interim pſeudepigrapha, quaedam non inerudita, quaedam vix tolerabilia, quaedam prorſus indocta. Verum in omnibus, quae illi falſo ſunt inſcripta, nihil inſulſius aut impudentius Sermonibus ad Eremitas, in quibus nec verba, nec ſententiae, nec pectus, nec omnino quicquam eſt Auguſtino dignum: et tamen quiſquis hoc opus confinxit, homo ſuauis ſibi promiſit futurum, vt Auguſtinus crederetur, et ſane repererunt ſimiles labra lactucas. Nihil tamen horum ſubmouimus, niſi quod ea, quae bis aut ſaepius habebantur inter huius viri lucubrationes, ſat habuimus ſemel ponere, ne voluminum magnitudinem ſuperuacua ſarcina oneraremus: cenſuris tantum additis indicauimus, quid nothum eſſet, quid ambiguum, quid commixtum. Haec igitur in tam eximio ſcriptore committi ſane dolendum eſt: ſed aeque mirum, ſuper his nullam hactenus fuiſſe ſtudioſorum querimoniam: vnde coniectura capi poteſt, diuum Auguſtinum antehac a pleriſque Theologis aut non legi ſolitum, aut indiligenter fuiſſe lectum. Ne mihi quidem vnquam perſuaderi potuiſſet, tantum in tam celebri ſcriptore latuiſſe mendarum. Equidem nihil minus habebam in animo, quam hanc capeſſere prouinciam. Deterrebat immenſa voluminum moles, et operis difficultas iuvenile robur, ac prorſus adamantinum quendam hominem exigebat: me vero iam et aetas et valetudo ab hoc genere laborum in totum dehortabatur. Sed felicis memoriae Ioannes Frobenius, vir ob ſingularem erga ſtudia fauorem omnium ſtudioſorum amore perenni dignus, tandem illud a me precibus extorſerat, vt in Epiſtolis vnicum ternionem emendarem, quo poſſet operis ſpecimen in proximis nundinis oſtendere. Pollicitus ſum, ſed hac lege, ne quid ſperaret amplius. Annuit. Ceterum quum per-

perſpicerem, illi certum eſſe conſilium, volumen Epiſtolarum abſoluere, neque quenquam eſſe paratum, qui poſſet, aut certe vellet, emendandi partes obire: vicit animi deſtinationem, quum ſingularis amici pertinax voluntas, tum ipſa negotii pietas. Hoc volumen totum ad me recepi, ſed vnicum, etiam atque etiam teſtificans, vt ſi pergere vellet, alium inueniret caſtigatorem, nec me ſuo quoque diſpendio, non modo ſtudiorum, a melioribus curis auocaret. Quid multis? quum nullus exiſteret, qui vellet eam ſarcinam in humeros tollere, et Ioannes Frobenius aſſeueraret, ſtare ſententiam, vt ſi non daretur aliud, totum Auguſtinum, qualis qualis erat, rurſus excuderet: ego partim amici reſpectu, cui nihil pernegare valebam; ſed multo magis inexpiabile piaculum eſſe reputans, ſi tam eximius eccleſiae doctor, tot mendis obſitus, tantis impendiis denuo prodiret in orbis theatrum, hoc inſigniore deformitate notabilis, quo magis elegantia formularum, ac maieſtate voluminum, oculos omnium ad ſe rapturus eſſet: perinde quaſi purpuram eximiam oſtendas foedis maculis deformatam, paſſus ſum imponi mihi clitellas. Tandem vbi tantum pelagus ingreſſus ventis vela dediſſem, longe plus, quam exſpectaram, comperi difficultatis, vt non ſemel animum deſponderim, deque deferendis inſtitutis cogitarim: ad quod ipſum euidens etiam valetudinis periculum inuitabat, aut, vt rectius dicam, compellebat. Iam me terrebat et exemplum Ioannis Frobenii, quem videbam huic immortuum negotio, virum alioqui quum firmo corpore, tum vita longiſſima dignum. Verum quod prima fronte deterrebat a negotio, hoc ipſum propius conſideranti ſtimulos addebat. Non enim oportet bonorum virorum amicitiam vitae ſpatio terminari, praeſertim quum huius difficillimi

nego-

negotii moles in filios illius Hieronymum et Ioannem Eraſmium, reliquoſque liberos eſſet deuoluta, quibus hoc minus oportebat deeſſe, quod tali patre eſſent orbati. Nam quidquid erat erga Frobenium affectus, in hos tranſtuli. Itaque obfirmato animo, ſic vt operi tam ſacro ſatius ducerem animam impendere, quam ſemel ſuſceptum non abſoluere, taedium omne deuici: quoque ſum altius ingreſſus, hoc labor aſſuetudine factus eſt leuior, ipſo, vt opinor, Auguſtino coeptis noſtris proſpera fauoris aura coelitus aſpirante, donec tandem procul aperiret ſeſe portus, in quem propitii numinis auxilio delati, laetum celeuſma nunc canimus. In dirigendis porro voluminibus hunc ordinem ſequuti ſumus. In Primum volumen contulimus ea, ex quibus tota Auguſtini vita, mores, ingenium, et affectus perſpiciuntur, quod hoc pacto futurum arbitrarer, vt et rectius intelligeretur, et auidius legeretur. Amor enim doctoris et attentum reddit, et lubentem diſcipulum. Adiecimus eiuſdem progymnaſmata, quibus vel infans adhuc in Chriſto, vel nouus tyro feliciſſime praeluſit ad egregia facinora. Secundum volumen dedimus Epiſtolis, partim quod in his quoque permulta ſunt, quae ſcripſit iuuenis; partim quod ex his maxime deprehenditur, ſi quid in illius natura fuit peculiare. Tertium et Quartum dedimus his lucubrationibus, quas ad docendum parauit. Quintus habet Ciuitatem dei, quod hoc opus ſimul et docens et confutans errores maxime Paganorum, vtrinque mixtum eſſet. In hac portione nihil eſt noſtrae induſtriae, quod hanc prouinciam hortatu meo ſibi proprie ſumpſiſſet vir apprime doctus Ioannes Ludouicus Viues. In Sextum et Septimum diſtribuimus pugnas aduerſus haereſes diuerſas. In

Octa-

Octauum et Nonum collecti ſunt tractatus, ſic enim appellat Auguſtinus ſcripturarum enarrationes apud populum habitas, niſi quod in Nonum farraginem quandam adiecimus libellorum, quos viri neſcio qui ſpiritales in hoc paraſſe videntur, vt affectum ſuum ad rerum coeleſtium contemplationem inflammarent. Decimum volumen complectitur homilias varii argumenti, in quibus permulta ſunt aliena, quemadmodum et in Nono. In ſingulis, ne nullus eſſet ordo, vel ſacrorum voluminum, quae interpretatur, ordinem, vel haereſeon origines ſequuti ſumus. Ipſe Auguſtinus in libris Retractationum maluit aetatis ſuae, et in Chriſtianiſmo progreſſuum ordinem ſequi, recenſens, quae ſcripſerit catechumenus, quae ſacro lauacro renatus, quae preſbyter, quae epiſcopus, niſi quum epiſtolis et tractatibus ſuum locum deſtinaſſe videtur, quam huius curae partem non abſoluit, vt ex ipſius aliquot ſcriptis apparet. Siquidem hoc moliebatur iam extrema ſenecta, veluti praeſagiens extremum imminere diem, tantoque ſtudioſius agens, vt quoniam vocis officio diutius eccleſiae prodeſſe non poterat, in libris illi ſupereſſet, quatenus licebat, et emendatus et integer, quod propemodum aſſequutus eſt. Vix enim ex alterius monumentis minus intercidit, a deprauatoribus nihil omnium potuit vnquam eſſe tutum. Noſtram operam hic non exaggerabimus, conferat cui vacat et agnoſcet. Nec tamen auſim polliceri, nihil reſediſſe, quod egeat emendatore. Alicubi nos deſtituerant vetuſti codices, aliquando in opere tam prolixo ſomnus obrepſit, quem Flaccus putat eſſe condonandum humanae naturae. Iam ſi operarum incuria commiſſum eſt, a nobis praeſtari non potuit, qui cum officina nihil habemus commercii. Tantum illos admo-

monere poſſumus, qui praeſunt officinae: quod quidem a nobis factum eſt ſedulo. Quidquid noſtra mediocritas potuit, bona fide praeſtitit.“

Habes hic omnia, quibus noua editio ſe commendet. Nec ſuperuacaneum, immo neceſſarium plane exiſtimem, indicem ſingulorum, quae in vnoquoque Tomo continentur, operum ſubiungere. Quamuis enim ab initio conſtitutum erat, in editionum recenſu ordinem continuum librorum non attingere, et facile nos eiuſmodi indice carituros eſſe mihi perſuaſeram, maxime cum ſupra in recenſu omnium diligenter notatum ſit, vbi quoduis tam in Eraſmianis, quam Louanienſibus et Benedictina reperiatur; ipſa tamen re edocti ſumus, certam de ſucceſſu collatae in auctorem operae notitiam informari non poſſe, niſi in potioribus editionibus librorum numerum et ſeriem intueri liceat. Huius igitur Eraſmianae ordo hic eſt: *In Tomo Imo* inſunt:

Retractationum lib. II. *cum cenſura.*
Confeſſionum libri XIII. *cum cenſura.*
De Grammatica liber vnus.
Principia dialecticae.
Categoriae decem.
Principia Rhetorices.
De Muſica lib. VI.
Contra Academicos lib. III.
De ordine lib. II.
De vita beata.
Soliloquiorum lib. II.
De magiſtro.
De immortalitate animae.
De libero arbitrio lib. III.
De vera religione.
De moribus eccleſiae catholicae, et de moribus Manichaeorum lib. II. *cum cenſura.*

De Geneſi contra Manichaeos lib. II. *cum cenſura.*
Regulae Auguſtini *cum cenſura.*
Poſidonius de vita Auguſtini.

In Tomo II.

Epiſtolarum farrago.

Epiſtolae ſunt CCXLII. ducentae quadraginta duae, inter quas et ſpuriae quaedam ab Eraſmo obelo transfixae, nec tamen prorſus loco motae. Pertinent huc Epiſtolae vulgo Auguſtini dictae ad Bonifacium et huius ad Auguſtinum, e quibus nonniſi vnam vehementer prolixam et inſigniter illiteratam, vt ipſe inquit, remouere ſuſtinuit, praetereaque *coronidem ſub titulis Cyrilli, ſubito Latine loquentis et Auguſtini Graeco male Latine ſcribentis impudentiſſime confictam reſecuit.* Atque his epiſtolis, tam ſingulis, vbi quidem ex re videbatur, cenſurae aliquid addidit, quam vniuerſis etiam praefatus eſt in *epiſtola ad lectores*, ſcripta *Baſileae* M.DXXVII. docens partim, quod ad externum earum habitum ſpectet, eas, ſicuti et populares orationes (homilias), nunquam nec in Retractationum libris, nec poſtea aliqua vel temporum, vel perſonarum, vel materiarum ratione fuiſſe digeſtas, indeque facilius poſtea admixtas eſſe, quae nihil Auguſtino dignum haberent, vel confictas etiam, nec vero libros et epiſtolas ſemper inuicem diſcretos eſſe, dum alibi librum appellat Auguſtinus, quem alio loco pro epiſtola venditat; partim autem ipſam eorum indolem et vim mirifice declarans.

Tomo III.

De doctrina Chriſtiana lib. IV.
Locutionum lib. VII.

De

De fide et ſymbolo lib. I.
Enchiridion de fide, ſpe et charitate ad Laurentium lib. I.
De eccleſiaſticis dogmatibus lib. I. *cum cenſura.*
De fide ad Petrum diaconum lib. I. *cum cenſura.*
De trinitate lib. XV.
De Geneſi ad litteram imperfectus lib. I.
De Geneſi ad litteram lib. XII.
De mirabilibus ſacrae ſcripturae lib. III. *cum cenſura.*
De agone Chriſtiano lib. I.
De opere Monachorum lib. I.
De ſpiritu et littera ad Marcellinum lib. I.
De diuinatione daemonum lib. I.
De ſpiritu et anima lib. I. *cum cenſura.*
Speculum lib. I. *cum cenſura.*
Quaeſtiunculae de trinitate.
De benedictionibus Iacob patriarchae. *cum cenſura.*
Sententiae ex Auguſtini et aliorum libris decerptae.

Tomo IV.

De mendacio ad Conſentium liber vnus.
Contra mendacium ad eundem lib. I.
De fide et operibus lib. I.
Quaeſtionum in Vetus inſtrumentum lib. VII.
Quaeſtionum Euangelicarum lib. II.
Quaeſtionum Euangelicarum ſecundum Matthaeum lib. I. *cum cenſura.*
De conſenſu Euangeliſtarum lib. IV.
Octoginta trium quaeſtionum lib. I. *cum cenſurâ.*
Viginti vnius ſententiarum lib. I. *cum cenſura.*
De diuerſis quaeſtionibus ad Simplicianum lib. II.
De octo Dulcitii quaeſtionibus lib. I.
Quaeſtionum LXV. dialogus. *cum cenſura.*

Quaeſtionum Veteris et Noui Teſtamenti lib. I. *cum cenſura.*

De cura pro mortuis gerenda ad Paulinum lib. I.

De catechizandis rudibus lib. I.

De incarnatione verbi lib. II. *cum cenſura.*

De trinitate et vnitate dei lib. I. *cum cenſura.*

De eſſentia diuinitatis lib. I. *cum cenſura.*

De fide rerum inuiſibilium lib. I. *cum cenſura.*

De ſubſtantia dilectionis lib. I. *cum cenſura.*

De continentia lib. I. *cum cenſura.*

De patientia lib. I. *cum cenſura.*

De bono viduitatis lib. I. *cum cenſura.*

Huic quoque Tomo inſerta eſt *Cenſura* libri *de ſingularitate Clericorum*, qui ipſe tamen tanquam alienus foetus et inter aliorum etiam Patrum opera iterata vice vulgata, omiſſus eſt.

De vera et falſa poenitentia lib. I. *cum cenſura.*

De ſalutaribus documentis lib. I. *cum cenſura.*

De amicitia lib. I. *cum cenſura.*

De ſermone domini in monte lib. II.

Expoſitionis epiſtolae Pauli ad Romanos lib. I.

Expoſitionis quarundam propoſitionum ex epiſtola ad Romanos lib. I.

Expoſitionis epiſtolae Pauli ad Galatas lib. I.

Annotationum in Iob lib. I.

Tomo V.

De ciuitate dei libri XXII. cum commentariis Ludouici Viuis.

Tomo VI.

De haereſibus ad Quod vult deum lib. I.

De quinque haereſibus oratio. *cum cenſura.*

Concio ad catechumenos contra Iudaeos, Paganos et Arianos. *cum cenſura.*

Oratio

Oratio aduerſus Iudaeos.

De altercatione eccleſiae et ſynagogae dialogus. *cum cenſura.*

De vtilitate credendi ad Honoratum lib. I.

Contra epiſtolam Manichaei, quam vocant Fundamenti lib. I.

De duabus animabus contra Manichaeos lib. I.

Contra Fortunatum quendam Manichaeorum presbyterum. *cum cenſura.*

Contra Adimantum, Manichaei diſcipulum.

Contra Fauſtum Manichaeum lib. XXXIII.

De actis cum Felice Manichaeo lib. II. *cum cenſura.*

Contra Secundinum Manichaeum lib. I.

De natura boni contra Manichaeos lib. I.

De fide contra Manichaeos lib. I.

Contra aduerſarium legis et prophetarum lib. II.

Contra Priſcillianiſtas et Origeniſtas lib. I.

Contra ſermonem Arianorum lib. I.

Contra Maximinum, Arianorum epiſcopum lib. III. *cum cenſura.*

Contra Felicianum Arianum de vnitate Trinitatis; *cum cenſura.*

De bono coniugali contra Iouinianum.

De ſancta virginitate.

De adulterinis coniugiis ad Pollentium lib. II.

Tractatus de Epicureis et Stoicis. *cum cenſura.*

Tractatus de eo, quod dictum eſt a deo ad Moyſen, ego ſum, qui ſum, incerti auctoris.

Tomo VII.

Contra partem Donati, pſalmus.

Contra epiſt. Parmeniani lib. III.

Contra literas Petiliani, Cirtenſis epiſcopi Donatiſtae lib. III.

Contra Creſconium Donatiſtam grammaticum lib. IV.

Contra Gaudentii, Donatiſtarum epiſcopi epiſt. lib. III. quorum poſtremus nunc primum eſt excuſus.

De baptiſmo contra Donatiſtas lib. VII. *cum cenſura.*

De vnico baptiſmo contra Petilianum lib. I.

De vnitate eccleſiae contra Petiliani Donatiſtae epiſtolam lib. I.

Opus Breuiculi collationum cum Donatiſtis.

Poſt collationem contra Donatiſtas lib. I.

Super geſtis cum Emerito, Donatiſtarum epiſcopo lib. I.

Contra Fulgentium Donatiſtam lib. I. *cum cenſura.*

De peccatorum meritis et remiſſione, ac de baptiſmo paruulorum, ad Marcellinum lib. III.

De natura et gratia contra Pelagianos lib. I.

De gratia Chriſti et peccato originali, contra Pelagium et Caeleſtium lib. II.

De nuptiis et concupiſcentia ad Valerium comitem lib. II.

Contra duas epiſtolas Pelagianorum ad Bonifacium lib. IV.

Contra Iulianum Pelagianum lib. VI.

De anima et eius origine lib. IV.

De praedeſtinatione et gratia lib. I.

Proſperi epiſtola ad Auguſtinum de reliquiis Pelagianae haereſeos.

Hilarii epiſt. ad eundem de eadem materia.

De praedeſtinatione ſanctorum lib. I. *cum cenſura.*

De bono perſeuerantiae lib. I.

De praedeſtinatione dei lib. I. *cum cenſura.*

De gratia et libero arbitrio ad Valentinum lib. I.

Ad

Ad eundem de correptione et gratia lib. I.
Ad articulos ſibi falſo impoſitos, Auguſtini reſponſio.
Contra Pelagianos, Hypognoſticon, lib. VI. *cum cenſura praecedente.*
De perfectione iuſtitiae contra Caeleſtium lib. VI. *cum cenſura.*

Tomo VIII.

Enarrationes in Pſalmos.

Tomo IX.

Cuius libri fere omnes cenſuras habent annexas.
In euangelium Ioannis expoſitio.
In epiſtolam Ioannis expoſitio.
In Apocalypſim Ioannis expoſitio.
Meditationum lib. I.
De diligendo deo liber alius, qui et Meditationum inſcribitur.
Soliloquiorum animae ad deum lib. I.
Manuale lib. vnus.
De triplici habitaculo lib. I.
Scalae paradiſi liber.
De duodecim abuſionum gradibus.
De contritione cordis liber vnus.
De cognitione verae vitae lib. I.
De aſſumptione beatae Mariae virginis.
De diſciplina Chriſtiana.
De decem chordis.
De cantico nouo lib. I.
De contemtu mundi lib. I.
De vanitate ſeculi lib. I.
De obedientia et humilitate ſermo.
De bono diſciplinae ſermo.
De viſitatione infirmorum lib. II.
De conſolatione mortuorum ſermones II.

De quarta feria, ſiue cultura agri dominici, ſermo.
De cataclyſmo ſermo.
De tempore Barbarico ſermo.
De ſobrietate et virginitate ſermo.
Speculum peccatoris tractatus.
De vtilitate poenitentiae tractatus.
De conflictu vitiorum et virtutum lib. I.
De quatuor virtutib. charitatis tractatus.
De laudibus charitatis tractatus.
De honeſtate mulierum lib. I.
De paſtoribus lib. I.
De ouibus liber ſiue homilia.
De ſymbolo fidei ad catechumenos lib. IV.
De conuenientia decem praeceptorum et decem plagarum Aegypti, liber vnus.
De rectitudine catholicae conuerſationis tractatus.
De vtilitate ieiunii tractatus.
De vrbis excidio tractatus.
De creatione primi hominis tractatus.
De arbore ſcientiae boni et mali tractatus.
De pugna animae tractatus.
De antichriſto tractatus.
Pſalterium, quod matri ſuae compoſuit.
Super Magnificat expoſitio.

Tomo X.

De verbis domini.
De verbis Apoſtoli.
Homiliae L.
Homiliae de tempore. *cum cenſura.*
Homiliae de ſanctis.
Ad fratres in eremo. *cum cenſura.*

Quam late autem harum cenſurarum vſus pateat non ſolum ex eo, quod ſpeciminis loco de praefatione in Epiſtolas produximus, ſed multo etiam magis ex

ex iis, quas longe inſtructiores Monachi Benedictini dederunt, conſtare poteſt. Contentorum index duplex, vnus iuxta Tomorum ſeriem, alter ordine alphabetico concinnatus, nec non ordo editionis Amerbachianae inſigni cum lectoris commodo poſt praefationem additi ſunt. Non eſt vero *huius* editionis contentorum index, quem Oudinus venditat, ſed nouiſſimae Eraſmianae, vtpote qui Poſidonii indiculum ſcriptorum Auguſtini vna cum Vita hic editum mentitur, qui primum a. 1564. in lucem editus eſt.

1528 - 30.

Coloniae apud Io. Gymnicum. 8. Ex hac officina prodierunt non vno nomine, ſed perbreui temporis ſpatio, varia Auguſtini opuſcula (vno non raro volumine comprehenſa), quae ſuis quaeque titulis diſcreta ſic ſe habent: 1) *Diui Aur. Auguſtini, Hipp. Epiſcopi, de opere Monachorum liber vnus ad Aurelium, epiſcopum Carthaginenſem. Anno M.D.XXIX. Menſe Auguſto.* 2) *Diui Aur. Auguſtini Hipp. epiſc. enchiridion ad Laurentium II. Anno M.D.XXVIII.* 3) *D. Aur. Auguſtini, Hipp. ep. de gratia et libero arbitrio ad Valentinum et cum illo monachis, liber vnus. Eiuſdem de correptione et gratia ad eundem et cum illo monachis, liber vnus. Quibus praemittuntur epiſtolae duae Diui Auguſtini ad Valentinum contra eos, qui negant liberum arbitrium. Anno M.D.XXX.* 4) *Diui Aur. Auguſtini de immortalitate animae. Liber vnus. Eiuſdem de agone Chriſtiano, liber vnus. abſque anni et loci nota.*

1531 - 32.

Pariſiis, ex officina Claudii Chevallonii. fol. X. Tomis. D. Aur. Auguſtini, quae extant ex emendatione Deſ. Eraſmi.

 Laudat

Laudat hanc Eraſmianae repetitionem *Oudinus in Comm.* p. 939 ſeqq., eique acceſſiſſe ait *Iacobi Hemeri Studgardienſis* Epiſtolam nuncupatoriam ad Gallum Millerum, Eccleſiae Tubingenſis Theologum, quae totam editionis huius rationem fuſius exponat. Idem monet in hac editione primum editos eſſe *Sermones XVII.* ſex *de tempore*, ſeptimus *de verbis Apoſtoli*, et decem *de Sanctis*. *Catalogus Bibl. Muſei Britt.* (Lond. 1789. fol.) in huius editionis mentione annum 1532. profert, quocirca vtrumque praefigere placuit.

1537.

Auguſtae Vindelicorum excudebat Heinricus Steyner. fol. Diui Aurelii Auguſtini Epiſcopi *Opuſcula*, nempe

In libros Moyſi, Ioſuae et Iudicum libri VII.
Quaeſtiones veteris et noui teſtamenti.
Quaeſtionum euangelicarum ſecundum Matthaeum.
Quaeſtiones ad Oroſium liber vnus.
Quaeſtionum Hilarii liber vnus.
De octo Dulcitii quaeſtionibus liber vnus.
De diuerſis quaeſtionibus, ad ſanctum Simplicianum libri II.
Quaeſtionum euangelicarum libri II.
Octoginta trium quaeſtionum liber vnus.
De ſex quaeſtionibus contra Paganos liber vnus.
Ad inquiſitiones Ianuarii libri duo.
De inquiſitione Trinitatis liber vnus.
De Epicureis et Stoicis liber vnus.
De Haereſibus ad Quod vult deum liber vnus.
De quinque Haereſibus liber I.
Contra Iudaeos, Paganos et Arianos liber vnus.
Contra Iudaeos liber vnus.
Retractationum libri duo.

Haec

Haec ſeries librorum integrorum efficit *Tomum tertium Epitomes Operum Auguſtini* a Io. Piscatorio concinnatae. Expreſſi ſunt ex ed. Lugdunenſi a. 1497. et Amerbachiana, vt ipſe editor in praefatione profeſſus eſt.

1541.

Pariſiis apud Carolum Guillard: fol. X Tomis. D. Aurelii Auguſtini opera omnia ex *Deſ. Eraſmi* emendatione; editio auctior et locupletior cum indice locupletiſſimo, cura et ſtudio *Florentii Bourgoini. Cat. Bibl. Regiae Pariſ.*

1543.

Baſileae in officina Frobeniana per Hieronymum Frobenium et Nicolaum Epiſcopum. fol. XI Tomis. Omnium operum D. Aurelii Auguſtini, Hipponenſis Epiſcopi, *Primus Tomus*, ad fidem vetuſtorum exemplarium, poſt omnium in hunc vſque diem editiones denuo ſumma vigilantia repurgatorum a mendis innumeris, vt optimo iure tantus eccleſiae doctor renatus videri poſſit. Inſpice, lector, et fateberis, hanc non vanam eſſe pollicitationem: quodſi gratus etiam eſſe voles, non patieris tantum laboris, tantumque impenſarum fruſtra ſumptum eſſe. Sub finem annexi ſunt Indices duo, alter materiarum, alter interpretatorum Scripturae locorum: quibus lectorem haud leuiter adiutum iri confidimus. —

Hic primi voluminis atque operis vniuerſi titulus annum 1543. impreſſum habet, ſed ad calcem tomorum ſingulorum annus, quo vnuſquiſque abſolutus fuerit, extat.

Secundus Tomus Op. D. A. Aug. H. E. complectens illius Epiſtolas, non mediocri cura emendatas per Deſ. Eraſmum Roterodamum. Anno M.D.XLI.

Tertius Tomus — complectens τὰ διδακτικὰ, hoc eſt, quae proprie ad docendum pertinent. Anno M.D.XLI.

Quartus Tomus — complectens reliqua τῶν διδακτικῶν. Anno M.D.XLI.

Quintus Tomus — XXII Libros de Ciuitate Dei, diligenter recognitos per eruditiſſ. virum Ioan. Ludovicum Viuem, ac eiuſdem Commentariis, denuo ab autore reuiſis, illuſtratos, continens. Anno M.D.XLII.

Sextus Tomus — continens τὰ πολεμικὰ, hoc eſt, decertationes aduerſus haereſes, praecipue Iudaeorum, Manichaeorum, Priſcillianiſtarum, Origeniſtarum, Arrianorum et Iouiniani. Anno M.D.XLII.

Septimus Tomus — continens reliquam partem τῶν πολεμικῶν, id eſt, pugnas aduerſus Haereſes Donatiſtarum et Pelagianorum. Anno M.D.XLII.

Octauus Tomus — continens enarrationes in Pſalmos myſticos. Anno M.D.XLII.

Nonus Tomus — continens illius Tractatus, hoc eſt: expoſitiones ad populum factas in Nouum Teſtamentum, cum aliis varii generis opuſculis, quorum indicem habet alterum huius paginae latus. Anno M.D.XLII.

Decimus Tomus — continens reliqua tractata apud populum, quorum ſummam indicabit haec pagina verſa. Anno M.D.XLII.

In omnia D. A. Auguſtini Scripta Indices duo, eo conſcripti modo, vt nihil annotatu dignum poſſis deſiderare, neque quicquam velut ſuperuacaneum reiicere: quorum prior materias in ipſis paſſim operibus tractatas, indicat: poſterior ſacrae ſcripturae locorum interpretationes iuxta Bibliorum ordinem obſer-

obſeruatorum oſtendit. Anno M.D.XLIII. *In fine:* Menſe Septembri.

Quid noui in hac altera Frobeniana editione operibus Auguſtini euenerit, per quos illa et quibus ſubſidiis ſuſtentata fuerit, praefatione, verſa tituli primi pagina impreſſa, bibliopolae exponunt. Orſi enim ab Amerbachii meritis, gratiam, quam Eraſmus opera ſua apud omnes iniuerit, cumulatiorem eum initurum fuiſſe monent, ſi ſoli tam ingentem prouinciam obire vacaſſet, et non bonam eius partem, aliis negotiis ex tranſuerſo ſe ingerentibus, in amicos partiri compulſus eſſet.

Deinde pergunt: „Sed quod ille poſteriore editione ſartum tectum praeſtaturus ſperabatur, interim alii occupauerunt. Succedente enim Lutetiana editione, celeberrimae ſcholae aliquot alumni in hoc incubuerunt, vt ſi quid Eraſmum ſociosue ſubterfugiſſet, ſarcirent ſua cura, haud poenitenda per Muſas, et minime ſuperuacua. Tandem vrgente iam fato extremam caſtigationis manum, et vt credi par eſt, ipſius Auguſtini ſancta anima tot praeclaris ſucceſſibus fauente, extitit vir omnium bonorum beneuolentia digniſſimus, et ad hanc functionem a natura factus ſculptuſque, olim eo potiſſimum nomine Eraſmo cum primis charus, illique in hoc negotio (vt ſic dicam) ſuccenturiatus, *Martinus Lypſius:* cui viro et temporis ſpatium, et otium, et exemplarium copia, et in labore ſociorum delectus, et literatura idonea, huicque par induſtria, et in tanto negotio non tam diligentia, quam religio, ad hoc doctorum hominum fauor adhortationeſque atque inſuper praemiorum allectamenta, denique quidquid praeſidiorum opus eſſet, abunde ſuppeteret. Namque is a teneris vnguiculis Auguſtini admirator, atque etiam ex profeſſo eius inſtituti ſectator, pro ſuo peculiari

erga

erga ſanctiſſ. virum affectu, annos plus viginti hoc paene ſolum egit, ne quod mendum in ſcriptis eius ſubſideret: vtpote qui etiam prima noſtra editione Eraſmo plura loca, quam alius quiſquam amicorum ſuppeditauit. Deinde praeter domeſticam ſymmyſtarum bibliothecam, corrogatis ex circumquaque vicinis monaſteriis vetuſtis et incorruptis exemplaribus, optimo quoque in hunc vſum promptiſſime communicante, adſcitis ex ſuo ſodalitio impigris aliquot, qui adiutarent, nihil vel aliis, vel ſibi ipſi ad ſummam conferendi diligentiam reliquum fecit, magna, mediocria, minuta, pari lance appendens, et annotans. Vix credas, mi lector, haec citra exaggerationem dici, ni margines exemplaris ab illo miſſi videas, hominis indefeſſum ſtudium teſtantes: dum certis notis terna quaternaue, aut etiam plura exemplaria profert, tum quatenus euarient, indicat. Nam cum ſit non minore modeſtia, quam eruditione, maluit aliis iudicandi munus cedere, aliquando tamen ſuum praeiudicium addens, quod quidem ſemper libenter amplexi ſumus. Cetera viris doctis, et qui Auguſtinianae phraſeos ſaliuam diu multumque reguſtatam iam probe callerent, iudicanda commiſſa ſunt: id quod non cuiuis procliue fuerit. — Illud diſſimulandum non eſt, in parte quadam Decimi tomi, non magna ſane, ſi germana tantum ſpectes, nos Lypſii ſubſidio deſtitutos, graſſantibus ſub id tempus Geldris in Louanium et viciniam, vbi tum Lypſius agebat: quod ideo lectorem monitum oportebat, ne forte ex paucis illis de reliquis coniecturam faciat; in ceteris potius quiſque ſuis oculis inoffenſe (modo ſtilo Auguſtini aſſueti ſint,) omnia percurrentibus, quam noſtro teſtimonio credat; comperiet vniuerſa pariter accurata, ne pſeudepigraphis quidem exceptis. Ceterum in tanta indagine et perueſtigatione

vni-

vnicum opuſculum, duntaxat e germanis, nunc primum repertum eſt et editum, videlicet *Contra Gaudentium liber tertius*: vnde liquet, vix hic aliud quicquam, quod extet, deſiderari; nam ſermones De tempore (vt vocant) et ſanctis, a quibuſdam copiae magis, quam delectui ſeruientibus, mira licentia paſſim interfarcti, nihil ad praeſens negotium attinent: cum cuiuis erudito appareat, quoſdam etiam excuſos toto ſtilo Auguſtinum parentem inficiari, nonnullos Graecum magis, quam Latinum autorem prae ſe ferre. Aequum igitur eſt, vt, quod Romanae eloquentiae candidati in Cicerone, Liuio, Seneca, Plinio, aliiſque non paucis, in quibus poſterior eruditorum cura ad priorem ſemper aliquid adiunxit, magno applauſu obuiiſque vlnis exceperunt, idem ſanctioris literaturae ſtudioſi in Auguſtini ſcriptis non faſtidiant, ſi pectora, qualia decet, ad eorum lectionem adferre volunt."

Totum opus exſcriptum eſt binis columnis ſolito Frobenianae officinae charactere, ſed minori et non admodum nitido, praeterquam in praefatione, quae typis paulo maioribus eſt exarata.

1545.

Venetiis ex officina Eraſmiana apud Vincentium Valgriſium. 8. *Voll. III.* D. Aurelii Auguſtini, Eccleſiae Doctoris Eximii, Opuſculorum *Tomus Primus.* Quo omnia, quae ad fidem et opera ſpectant — *Tomus Secundus*, quo omnia, quae ad gratiam et liberum arbitrium ſpectant — *Tomus Tertius*, quo omnia, quae ad electionem, vocationem, glorificationemque ſpectant, declarantur: ex libris eiuſdem a *M. Auguſtino Fregoſo Soſteneo* excerptus et ſcholiis, argumentis et indice locupletatus.

Liber

Liber rariſſimus, cuius nuſpiam mentionem factam eſſe memini. Ne quis vero a titulo ſibi imponi patiatur, quaſi locorum diuerſorum vndicunque excerptorum et auulſorum, nunc vero iuxta varias argumenti ſedes compoſitorum farrago ſit, libros integros ad vnum argumentum facientes, collectos eſſe ſciat hac ſerie:

Tomo Primo:

De doctrina Chriſtiana libri IV; de diſciplina Chriſtiana liber; Enchiridion ad Laurentium liber; de eccleſiaſticis dogmatibus liber; de haereſibus liber; de V. haereſibus oratio; de vtilitate credendi liber; de fide et ſymbolo liber; de fide ad Petrum diaconum liber; de agone chriſtiano liber; de fide et operibus liber; in Pſalmum XXIX. enarratio; in Pſalmum XXX; in Pſalmum XXXI.

Tomo Secundo:

Liber expoſitionis inchoatae Epiſt. diui Pauli ad Rom.; liber expoſitionis quarundam propoſitionum, ex epiſt. ad Rom.; liber expoſitionis Epiſt. ad Gal.; Epiſt. Hilarii ad Auguſtinum; Reſcriptum Auguſtini ad Hilarium; Epiſt. patrum Carthaginenſis concilii ad Innocentium papam; reſcriptum Innocentii papae ad patres Carthaginenſis concilii; Epiſt. patrum Mileuitani concilii ad Innocentium papam; reſcriptum Innocentii papae ad patres Mileuitani concilii; Epiſt. Auguſtini ad Hilarium; epiſt. quinque Epiſcoporum ad Innocentium papam; reſcriptum Innocentii papae ad 5 Epiſcopos; libri III. de libero arbitrio; epiſt. prima diui Auguſtini ad Valentinum, et cum illo fratribus; epiſt 2. Auguſtini ad Valentinum, et cum illo fratribus; epiſt. prima diui Auguſtini ad Sixtum preſbyterum; epiſt. ſecunda diui Auguſt.

Auguſt. ad Sixtum preſb.; epiſt. Alipii et Auguſtini ad Paulinum Epiſcopum; liber de gratia et libero arbitrio, ad Valentinum, et cum illo monachis; liber de natura et gratia, ad Timaſium et Iacobum, contra Pelagianos; epiſt. ſancti Proſperi Aquitani de gratia et libero arbitrio ad Rufinum; liber de gratia et libero arbitrio ſancti Proſperi Aquitani, pro defenſione diui Aurelii Auguſtini contra Caſſiani preſbyteri librum; epiſt. ſancti Aurelii Epiſcopi de damnatione Pelagii atque Coeleſtii; epiſt. decerpta ex geſtis ſynodalibus contra Pelagium haereticum, quae in palaeſtina ſynodo, ſibi obiecta, damnare compulſus eſt; Canones tredecim, epiſt. Coeleſtini papae pro Proſpero et Hilario de gratia Dei aduerſus quoſdam Galliarum preſbyteros, Pelagii ſectatores.

Tomo Tertio:

Retractationum lib. II.; hypognoſticon contra Pelagianos et Coeleſtianos lib. VI.; contra duas Pelagianorum epiſtolas ad Bonifacium lib. IV.; de ſpiritu et litera ad Marcellinum liber; de praedeſtinatione et gratia, qui intitulatur de voluntate dei, liber; Proſperi Aquitani de reliquiis Pelagianae haereſeos ad Auguſtinum epiſtola; Hilarii Arelatenſis de eadem materia ad Auguſtinum epiſtola; de praedeſtinatione ſanctorum liber primus; de bono perſeuerantiae liber ſecundus; Proſperi reſponſiones ad excerpta, quae de Ianuenſi ciuitate miſſi ſunt; de praedeſtinatione dei liber.

Singulis Tomis praemiſſa eſt tabula, argumenta librorum et capitum ſingulorum declarans, quam inſcripſit: *Argumenta per M. Auguſtinum Soſteneum Fregoſum compendioſe in vnum redacta; et index alphabeticus materiarum inſignium.* Nuncupauit edi-

tor opus ſuum M. Hieronymo Suripando totius Auguſtinianae Religionis Generali. Deſcriptio eſt elegans typis rotundis nitidis, charta alba et tenera, marginibus ampliſſimis, quippe qui vltra lemmata et loca biblica in ipſis notata late protenduntur.

1552.

Venetiis ad ſignum ſpei. 4. *X Tomis.* Diui Aur. Auguſtini, Hipp. Epiſcopi, Omnium Operum *Primus Tomus*, ad fidem Veterum exemplarium ſumma vigilantia repurgatorum a mendis innumeris, notata in contextu et margine ſuis ſignis veterum exemplarium lectione, vt optimo iure tantus Eccleſiae Doctor renatus videri poſſit. Inſpice, Lector, et fateberis, hanc non vanam eſſe pollicitationem: quod, ſi gratus etiam eſſe voles, non patieris tantum laboris, tantumque impenſarum fruſtra ſumptum eſſe. *Cui acceſſerunt libri, epiſtolae, ſermones et fragmenta aliquot*, hactenus nunquam impreſſa. Additus eſt et index, multo, quam Baſilienſis fuerat, copioſior. M.D.LII (1552.)

Secundus Tomus Operum rel. (vt in Baſileenſi a. 1543.) *Nunc poſtremo accuratiori quam antea diligentia excuſus.* M.D.LII.

Tertius Tomus vt in Baſileenſi. M.D.LII.

Quartus Tomus — complectens reliqua τῶν διδακτικῶν. *Pleraque, quae erant plane conuulſa et luxata, ea ad fidem exemplarium veterum Victorinorum reſtituta ſunt.* M.D.LI. (1551.)

Quintus Tomus — continens XXII. Libros de Ciuitate Dei. Cui acceſſerunt Commentarii *Io. Ludov. Viuis* ab autore recogniti. M.D.LI.

Sextus Tomus vt in Baſileenſi. M.D.LI.

Septimus, Octauus, Nonus et *Decimus Tomus* ſimiliter. M.D.L. (1550.)

Index

Index omnium, quae inſigniter a D. Aurelio Auguſtino dicta ſunt, nunc recens ſupra praecedentes Editiones, per *F. Florentium Bourgoinum* Pariſienſem, Franciſcanum, longe quam antea auctior ac locupletior redditus. Inſuper multa, quae erant manca, mutila et ſolum inchoata, tam in indice autoritatum ſacrae ſcripturae, id eſt, veteris ac noui inſtrumenti, quam in locis aliquot ſacrarum ſcripturarum pugnantibus conciliatis in Auguſtino, reformata, aucta et repurgata ſunt. Perlege et iudica. M.D.LII. (1552.)

Editio extra Italiam pauciſſimis viſa. Notatam deprehendimus in *Catalogo Bibliothecae Tigurinae* *). Illius exemplar erat quondam Hannouerae in ditiſſima praeſtantium librorum ſupellectile Duuiana, quod feliciter in manus *Dauidis Clement* incidit, et ab eo curioſius eſt deſcriptum in *Bibliotheca Hiſtorica Critica* T. II. p. 269 ſeqq. Duo vero ſimul praeſtitit inſignia literatoribus beneficia, alterum, quod librum rariſſimum nec per ſe accuratiori cognitione indignum primus patefecit, alterum maius etiam, quod diligenti eius collatione, cum ſequenti Veneta editione, omne huius artificium et conſtructionem luculenter declarauit, atque id, de quo inter Clericum et Rich. Simonium litigabatur, facili negotio expediuit. Scilicet non meram praecedentium alicuius repetitionem putare oportet, ſed ad plures et fere ſuperiores omnes **) conformatam. Siquidem non omnes,

H 2 ſed

*) T. I. p. 70. Sic *Venet.* 4. *X Tomis. D. Aur. A. op. per Fl. Bourgoinum.*

**) *Les Editions de Bâle, de Paris et de Veniſe qui l'ont précedée, ſont le fond, ſur lequel on a travaillé.* Venetam editionem Operum omnium hac ipſa anti-

ſed complures tamen Eraſmi Cenſuras retinuit, variantes lectiones in margine offert, et ſicubi in textum aliquid receptum ſit, ibidem indicat, ex qua editione proficiſcatur. Recuſa autem non ſolum Tomo I. *Eraſmi* praefatio ad *Alphonſum Fonſecam*, ſed in ſecundo etiam *Iacobi Haemeri*, quem editionis Pariſienſis a. 1532. curam geſſiſſe ſupra vidimus, ad lectorem admonitio. Ceterum neſcio, quam verum ſit, quod de augmentis in titulo promiſſum eſt. Clementius enim alteri quidem editioni Venetae, quae eandem formulam hinc petiit et limine ſuo ſuſpendit, vanitatem et fraudulentiam exprobrat, attamen in hac eandem ſollicitare neglexit. Nec minus equidem optaſſem, vt Victorinos Codices, quos ad quarti tomi emendationem praeſto fuiſſe dicunt, circumſpexiſſet.

1556.

Baſileae apud Hieronymum Frobenium et Nic. Epiſcopium. fol. X Tomis. D. Aur. Aug. Opera, emendata per Eraſmum Roterod.

In hac editione, teſte Oudino, additi ſunt Sermones quinque antea nondum excuſi, videlicet, *de Iacob et Eſau ad populum ſermo*, col. 1487. *Sermo in caput 13. Prouerbiorum Salomonis*, col. 1505. *In parabolam ſeminantes ſermo*, col. 1517. In illud Matthaei 16. *Qui vult venire poſt me* etc. col. 1519. *Tractatus in Orationem Dominicam*, col. 1523. Suſpicamur autem huius editionis curam geſſiſſe *Ioannem Coſterium*. Occurrit in *Cat. Bibl. Bernenſis et Thottianae.*

1561.

antiquiorem ignoro, et niſi incurioſius ab eo ſcriptum ſit, ad eam attendere bibliographiae amatores iubeo.

1561 - 63.

Lugduni apud Sebaſtianum Honoratum (ad calcem Tomi II.) excudebat *Iacobus Faure.* 8. *Tomis X.* D. Aur. Auguſtini, Hipp. Epiſcopi, Omnium Operum *Tomus Primus:* Quo Retractationum libri duo, variaque illius opuſcula, quae verſa pagella indicabit, continentur. Omnia vetuſtorum codicum collatione ab innumeris mendis repurgata, ac ſumma fide priſtino ſuo nitori reſtituta, nunc demum in lucem redeunt. Acceſſit et Index rerum ſelectiorum copioſiſſimus. M.D.LXI.

D. Aur. Auguſtini — *Epiſtolae*, maiori ſtudio, fide ac religione, quam hactenus vnquam excuſae, atque a vitiis, quibus multiplici olim impreſſione contaminatae fuerant, vindicatae. *Tomus Secundus.* Cum duplice Indice, vno nominum eorum, ad quos hae Auguſtini Epiſtolae miſſae fuere: Altero rerum omnium in vnaquaque Epiſtola contentarum locupletiſſimo. M.D.LXI.

D. Aur. Auguſtini — *de Trinitate*, vna cum reliquis illius libris, quibus τὰ Διδακτικὰ — continentur. *Tomus Tertius.* Cum Indice rerum et ſententiarum locupletiſſimo. M.D.LXII.

D. Aur. Auguſtini — *Quaeſtiones in vetus novumque Teſtamentum* vna cum reliquis illius Voluminibus, quae τὰ Διδακτικὰ appellantur. *Tomi Quarti Pars Prima.* Cum indice etc. M.D.LXI. *Pars Secunda* ſimiliter.

D. Aur. Auguſtini — de Ciuitate Dei l. XXII. etc. quorum XII. hoc omnium illius Operum Septimo Tomo continentur (ſic vitioſe pro *Tomi Quinti Parte Prima*, vt mox etiam — Tomus Octauus, quo reliqui X. continentur, pro *Tomi Quinti Parte Secunda*). M.D.LXIII.

D. Aur. Auguſtini τῶν Πελεμικῶν Pars Prima. — *Tomus Sextus*. M.D.LXII. — Pars ſecunda et tertia. *Tomi Septimi Pars Prior et Poſterior*. M.D.LXII.

D. Aur. Auguſtini — *Enarrationes in Pſalmos myſticos. Tomi Octaui Pars Prima et Secunda*. M.D.LXIII.

D. Aur. Auguſtini — Enarrationes in Ioannis Euangelium et Apocalypſin, vna cum variis illius voluminibus etc. *Tomus Nonus*. M.D.LXII.

D. Aur. Auguſtini — *Sermones*. Quorum ſeriem et numerum ſic habeto: De verbis Domini. De verbis Apoſtoli. Homiliae L. Homiliae de tempore. Homiliae de Sanctis ad fratres in eremo. Decem et ſeptem Sermones nonnullique alii. *Tomus Decimus*. M.D.LXIII.

Editio rariſſime obuia, ſed perquam commode inſtituta, vt vel ex copioſis rerum memorabilium indicibus, ſingulis Tomis, quin ſingulis etiam Tomorum Partibus ſubiunctis, conſtare poteſt. Typi ſunt romani, ſatis venuſti, ſed minutiores paulo; in marginibus loca biblica, rarius lemmata, nec ſaepe etiam lectiones aberrantes charactere italico notantur.

1569.

Baſileae per Ambroſium et Aurelium Frobenios, fratres. fol. XI Tomis. Primus Tomus: Eximii Patris, inter ſumma Latinae Eccleſiae ornamenta ac lumina principis, D. Aurelii Auguſtini, Hipponenſis Epiſcopi, cuius praeſtantiſſima in omni genere monimenta, quae quidem inueniri poſſunt, vniuerſa, denuo ad optimorum et fideliſſimorum exemplarium examen reuocata, noua eruditiſſimorum virorum recognitione, multo ſunt quam vnquam antehac emendatiora, ab innumeris vindicata erroribus, ac

ac demum nouis quibuſdam Cenſuris plurimiſque minime aſpernandis Acceſſionibus locupletata. Cum Indice tripartito, ad calcem adiecto, omnibus, qui extant, vberiore, et Theologiae ſtudioſis commodiore. Totum nouae huius Editionis inſtitutum et ratio ex Carmine ſequenti liquidius patebunt.

Reliqui Tomi vt in ed. a. 1543. inſcribuntur, niſi quod in Tomo III, qui τὰ διδακτικὰ continet, additum ſit, *ad veterum Codicum Collationem* poſt Martinum Lipſium, *nunc multis in locis ſummo ſtudio emendatus*. X Tomus vero ſic habet: Tomus X. Operum D. Aur. Auguſtini — continens Sermones ad Populum et Clericos, vetuſtiſſimorum exemplarium collatione nunc denuo plurimis in locis emendatus: cui Sermones de Diuerſis et Fragmenta quaedam antehac nunquam excuſa, opera et ſtudio doctiſſimorum virorum, *Martini Lipſii*, *Ioannis Vlimmerii*, et aliorum e tenebris eruta ad calcem adiecimus: quorum Catalogum ſequens pagina indicabit.

Index iuxta ſuperiorem editionem deſcriptus eſt.

Huius editionis accuratam notitiam dedit olim *Sigiſm. Iac. Baumgartenius* *). Quicquid in ipſam collatum eſt induſtriae, ad Tomum IX et X. vnice redit; quorum illum noua codicum collatione donauerunt, decimum vero totum immutaſſe atque refinxiſſe ſe profitentur. En verba, quae ex praefatione raro inſtituto verſibus conſcripta huc ſpectant.

„Multa *Tomi* noni, priſcis vt conſona libris
Eſſent, contulimus: collata haec quiſque probabit.
Parte ſed in decima, mendis quae tota ſcatebat
Innumeris ſemper, vel iniquo iudice conſtat,
Quantum mutarit noſtra hanc induſtria Partem.

*) *In Nachrichten von merkwürd. Büchern* St. LIII. (T. IX.) Halle 1756. p. 400 ſeqq.

Hac in purganda multum quoque praeſtitit olim
Lipſius, huncque pari vir ſedulitate ſequutus
Coſterius: magna eſt horum, non gloria parua.
Nos tamen optantes meliorem imponere limam,
Maius onus ſumus aggreſſi, maioraque coepta:
Noſque ſuo hic multum ſtudio *Vlimmerius* acri
Iuuit: qui vigili cura vigilique labore
Ante alios vnus longe eſt praeſtantior omnes.
Ille imperfectum nil linquens, mutila multa
Integra reſtituit, priſcaque in ſede locauit.
Adde, quod e libris aliquot Tractata vetuſtis,
Sermoneſque ſacros toti nunc protulit orbi,
A nullo excuſos prius, atque a nemine viſos:
Hos in calce huius Partis tibi, candide Lector,
Linquimus, vt videas, ſit quanta acceſſio facta.
His prius excuſos iunctos quoque, Lector, habebis
Non paucos: verum magna quia parte fuerunt
Corrupti, et vitiis ſcatuerunt pluribus illi:
Vt ſi ſupplendi quauis ex parte fuiſſent,
Pagina mutaſſet pariter numerumque locumque
Priſtina, et vtilitas parua hinc, labor improbus eſſet,
Indicis hic fuerat ratio, pie Lector, habenda:
Mutatis numeris cum mutaretur et ille.
Ne tamen inde aliqua fruſtratus ſpe videaris,
Omnia in adiunctis fuerant quae digna notatu,
Haec inſerta tenet vetus, at multo auctior, Index.
Optato a multis, at multis ante negato
Indice *Poſſidii*, Diui qui Auctoris alumnus
Diſcipuluſque fuit, nos Vlimmerius idem
Participes facit, et praeſtanti munere donat.
Atque is conueniens noſtrae vt foret Editioni,
Haud operam exiguam ſuſcepimus atque laborem,
Ne quicquam in nobis Lector deſideret aequus.

Diuer-

Diuerſis ſi quae ſententia pendula dictis
Nobis viſa fuit, hanc ſignis quiſque notatam
Cernet, et ex illa ſibi ſenſus eliget aptos.
Quin etiam aliis ſunt aucta volumina multis,
Quae non laude ſua, Lector ſtudioſe, carebunt.“

Nempe *Ioannes Vlimmerius Louanienſis*, Prior Canonicor. Regular. ad S. Martinum in patria plurium Patrum Scriptis editis clarus*), anno 1564. Lovanii ediderat *Auguſtini Sermones de Diuerſis* XLIII. et *fragmenta Sermonum* XXVII. ex Theſauro Eugippii abbatis et Commentariis Bedae ſeu Flori, Lugdunenſis Eccleſiae Diaconi decerpta, vna cum *Poſſidii indiculo Scriptorum Auguſtini* recens a ſe in Bibliotheca Abbatiae Villarienſis reperto et per ipſum marginalibus Scholiis illuſtrato. Inſcripſerat edita illa *Iacobo Pamelio*, Sacrarum Literarum tunc Licentiato ac Brugis Canonico, epiſtola, data Louanii e ſuo Martiniano coenobio 9 Kalend. Aprilis: Anno M.D.LXIV. Iam vt *ſermones* iſti recens ab illo editi ad Calcem Tomi X. ſubiuncti ſunt, ita Poſſidii libellus vna cum epiſtola Vlimmerii primum Tomum aperit. Quae epiſtola induxit Baumgartenium, vt anno 1564. inceptam eſſe hanc editionem opinaretur, quod ignoraret, haud dubie peculiari illam editioni antea inſeruiiſſe. Praeterea vero totius decimi tomi recognitionem Vlimmerius ſuſtinuit, vt ex hac epiſtola patet.

Ceterum Impreſſio facta eſt, vt in ſuperiore, binis columnis, ſed charta literiſque aliquanto elegantioribus. Titulus primus figuris ligneis formis impreſſis exornatus eſt.

*) cf. *Foppens* Bibl. Belg. T. II. p. 747.

1570.

Baſileae per Ambroſium et Aurelium Frobenios, fratres. fol. XI Tomis. D. Aurelii Auguſtini, Hipponenſis Epiſcopi, Opera.

Mirum forte alicui videri poſſit, idque mihi ipſi accidiſſe fateor, quod cum plenam atque abſolutam editionem Operum Auguſtini proximo anno iidem Frobenii fratres dediſſent, eandem denuo iam ſub incudem reuocauerint. Atque paucis et fortaſſe nemini cognitam eſſe integram certo intellexi, vt iuſtam dubitandi cauſam habere du erim, ſi a quouis alio magis, quam ab ipſo editore teſtimonium accepiſſem. Is vero fuit Hieremias Mylius Picropedianus, corrector, vt arguo, aut adminiſtrator typographiae fratrum Frobeniorum, qui praefatus eſt ad libros *de Ciuitate Dei* epiſtola *ad Nobilem ac Generoſum Iuuenem D. Stanislaum Starzechouium, Polonum, Ioannis Starzechouii Palatini, Podolienſis, filium (d. Baſileae a. M.D.LXX. decimo ſexto Februarii)*, in qua de ſe et opera ſua haec profitetur: „*Ambroſius et Aurelius Frobenii cum ob defectum exemplarium* quarto *Auguſtinum prelo ſubiicere conſtituiſſent, me, vt operam in eo denuo conferendo, repurgando ac illuſtrando praeſtarem, obſecrarunt, tandemque communis vtilitatis reſpectu et ſacrorum doctorum precibus victum ad hunc laborem ſane difficillimum, ac moleſtia plenum pertraxerunt, motum praeſertim tot magnorum virorum exemplo, ac rerum Theologicarum ac huius Auctoris praeſtantia. Hanc prouinciam* inter alia negotia typographica, quibus obruebar, tandem iam tertio exacto anno, *poſt tot lucubrationes, ſudores, intricatiſſimas reuolutiones, diſtinctiones et abruptas variaſque cogitationes indefeſſo labore etiam cum valetudinis iactura exhauſtas, ita* me

me geſſiſſe ſpero, vt oleum et operam non perdidiſſe videri poſſim, et apud Theologiae ſtudioſos et aequos cenſores gratiam me non contemnendam iniiſſe putem. Sed omiſſis his, ad ipſam rem, quae in nouae Editionis Praefatione praecipua eſſe debet, accedam, et quid praeſtiterim, recenſebo. Primo *(praeter ornamenta typographica, et Indicem, multis modis auctum, aliaſque vtiles Acceſſiones) Auguſtini Opera, collatis emendatiſſimis exemplaribus, ita diſtinxi, vt poſthac in intelligendo Lector multo quam antea expeditior ſit futurus:* ſecundo *ex eadem collatione hactenus omiſſa inſerui, deprauata correxi, luxata reſtitui:* tertio *teſtimonia Sacrae Scripturae et aliorum auctorum, quae in his Libris citantur, in margine annotaui: magnum ſane adiumentum his, qui memoria non adeo valent:* quarto *marginales ſummas, vt facilius quaerentibus materiae occurrant, non leui cum totius Operis lumine adiunxi: poſteriora tamen duo maxime in* Quinto et Decimo Tomo, in quibus fere ſeſquiannum conſumpſi, *ſunt adiecta: in Decimo praeſertim non contemnendum Tractatuum atque Sermonum numerum ex* Vlimmerii, *viri venerandae Antiquitatis ſtudioſiſſimi, editione addidi:* quinto *haec omnia non ſolum ita diſpoſui, vt multi alii ſolent, ſed etiam vt in actum diligentiſſime producerentur, ad prela frequenter aſtans operam dedi. Hic autem,* pergit, *fortaſſe mihi occurrent Zoili inuidi et calumniatores (quibus, cum ipſi quidem nihil, aut non meliora faciant, aliorum honeſti conatus ſemper diſplicent) me irriſuri qui poſt tantos viros in tanto Opere actum quaſi agam, et arrogantiae me inſimulaturi. His breuiter ita reſponſum volo, Eraſmo, Germaniae phoenici, et Ludouico Viui, viro eruditiſſimo, me quidem non comparandum, ſed tamen* cum per exemplaria illi potius, quam proprium iudicium,

cium, repurgationem ſuam perſecerint, *et non omnia ſimul fieri poſſint, me die diem docente, pluribus illos imitantibus et exemplarium copiam augentibus, nec leuiora nedum notabilia errata tollere potuiſſe. Accedit, quod operarum negligentia, cum ipſi prelis non affuerint, multa etiam recte conſtituta corrumpantur, aut omittantur: quod et praeſenti mihi vel ſatis intento ſaepiſſime contigit. Sed quid multis*, ipſa Editionum collatio, quid praeſtitum ſit, *abunde diligenti Lectori teſtabitur. Quod vero* hic Tomus *reliquis ſit* vendibilior *et in Eruditorum hominum manibus frequentior*, hic potiſſimum *de meis in hoc eximio patre laboribus* praefari *libuit.*" Tantum ex verboſa Mylii epiſtola excerpere viſum fuit, vt ipſi lectores oculis ſuis haurirent, quod ex intuitu quidem tituli eius voluminis, cui illa adhaeſit, minime arguent, integram Operum Auguſtini editionem denuo hoc anno peractam dici. Nam vt antea diximus, volumen apud nos eſt, libros de Ciuitate Dei complectens, cuius titulum ab illo ed. a. 1569. plane diuerſum infra, vbi ad illorum librorum ſingulares editiones acceſſerimus, dabimus. Quod ad ipſam vero epiſtolam attinet, quam vane et temerarie multa iactitata ſint, nemo non videt; attamen quorſum haec omnia diſputata ſint, non facile intelliges. Etenim vt vnum tantum proferam, per tres annos editor hunc lapidem voluiſſe videri vult, vt correctior et melior Auguſtinus prodiret: intereaque ab iiſdem, qui ei iſtam iniunxerant prouinciam, totum Auguſtinum abſque vlla illius viri impenſa opera excudi potuiſſe putabimus? An vero tot ac tam cupidos editiones illas et poſtremam maxime emtores inueniſſe credibile eſt, vt pluribus eodem tempore viris doctis expurgationem Operum committere non dubitarent Frobenii, ſemper imprimere parati, vt plagula

gula prelo matura eſſet. Expeditior quidem res videtur, ſi tibi perſuadeas, bibliopolas emtoribus fucum facere voluiſſe, vt pro noua editione venderent, cui nil niſi titulus nouus et praefantinis aliquid additum fuerat; tametſi ne ſic quidem artificium epiſtolae illius ſatis intelligo.

1570.

Venetiis apud Vincentium Valgriſium, item *Iuntas* et *Dominic. Nicolinum.* 4. *XI Tomis.* D. Aurelii Auguſtini, Hipponenſis Epiſcopi, Operum *Tomus primus.* Cui acceſſerunt libri, Epiſtolae, ſermones et fragmenta aliquot, hactenus nunquam impreſſa. *In quo, praeter locorum multorum reſtitutionem, ſecundum collationem vetuſtiorum exemplarium, curauimus remoueri ea omnia, quae fidelium mentes haeretica prauitate poſſent inficere, aut a catholica et orthodoxa via deuiare.* Additus eſt Index ceteris omnibus et locupletior et copioſior. Nunc recens impreſſus, recognitus et emendatus. Venetiis. M.D.LXX. (1570.)

Tomus ſecundus, complectens illius Epiſtolas ad amicos tranſmiſſas: cum nonnullis reſponſis eorum ad ipſum: *In quo* etc. quod poſtea in ſingulorum titulis reperitur. Nomenclaturam eorum, ad quos Auguſtinus literas dedit, ad calcem huius Tomi facile reperies. Nunc etc.

Tomus III-X. inſcribuntur vt Baſileenſis a. 1543. additis vbique verbis, quae modo produximus. Attamen in quinti tomi titulo commentarii Io. Lud. Viuis mentio eſt omiſſa.

Index omnium, quae inſigniter a D. Aurelio Auguſtino dicta ſunt, longe quam antea auctior ac locupletior redditus. Inſuper multa, quae erant manca, mutila et ſolum inchoata, tam in indice autoritatum

tatum ſacrae ſcripturae, id eſt, veteris ac noui inſtrumenti, quam in locis aliquot ſacrarum ſcripturarum pugnantibus conciliatis in Auguſtino, reformata, aucta et repurgata ſunt. Venetiis M.D.LXX.

Recenſet hanc editionem, ſed titulo contracto, *Audiffredus* in *Catal. Bibl. Caſanat.* T. I. p. 341, docens, primum Tomum apud Valgriſium, reliquos ad Octauum vſque cum indice ibidem eodemque anno apud Iuntas, nonum et decimum apud Nicolinum prodiiſſe. His tam diſerto teſtimonio contradicit *Dauides Clement.* in *Bibl. Hiſt. Crit.* vbi accuratam eius mentionem feciſſe ſupra iam ſignificauimus*). Ab eo ſane titulum pleniorem mutuati ſumus, quem ipſe primum ex Catalogo Bibl. Mageriana **) excerpſerat, mox vero, cum ipſam editionem nactus eſſet, ex propria inſpectione approbauit. Reprehendit autem Clementius Fabricium, quod Valgriſium excudiſſe eam dixerit. En igitur par virorum et doctorum et curioſitate ac ſedulitate in ſuo genere nemini cedentium, in re leui et quae errorem inter teſtes oculares vix ferre poſſit, ſibi repugnans. Optimum quidem aliquis duxerit, miſſos eos facere, et fidem tertii alicuius, cui videre eandem contigerit, expectare. Non abnuo, nec tamen mihi tempero, quo minus ſuſpiciones meas addam. Audiffredum virum ſupra, quam dici poteſt, in iis omnibus, quae ad deſcriptionem libri alicuius ab eo inſpecti pertinent, ſedulum, in his tam diſtinctis verbis ab eo conceptis erraſſe, aegre mihi perſuadeo. Iam in titulis certe nullum extat typographi indicium. Igitur in calce tomi cuiuſque nomina ſubſcripſerint, neceſſe

*) Bibl. Curieuſe Hiſtorique et Critique T. II. p. 265 ſqq.

**) Edito *Berol.* 1715. 8. p. 783.

ceſſe eſt. Atqui titulos aliunde iam in ſuam Bibliothecam transſcripſerat Clementius, cum huius editionis exemplar ipſi in manus incideret. Tunc vero quid illum egiſſe putas ad Fabricii fidem explorandam? Euoluit ſcilicet ſingula volumina et circumſpexit typographos. Minime vero vnice tunc curabat, vt de integritate editionis, quam in dubium alii vocauerant, et defenderant alii, certior fieret. Incidit tamen in oculos, dum in hoc negotio occupatus erat, Dominici Nicolini epiſtola dedicatoria, fortaſſe etiam tomi noni et decimi ſubſcriptio et cum praeterea duos a Fabricio in illius commemoratione errores admiſſos animaduertiſſet, de tertio, puto, non amplius dubitandum ſibi exiſtimauit. Forte his, a me diſputatis, facilius credetur, ſi ipſa, quibus Fabricium taxat, verba adduxero, quam ob rem hic ſubiiciunda curauimus *).

Iam his remotis progredimur ad id, quod meliorem aut potius famoſam hanc editionem reddidit. Nimirum curam illius geſſit, ſeu quod credere malim, vel aliis bibliopolis in ſocietatem adſumtis parare eam inſtituit, vel ab aliis inceptam redemit Dominicus Nicolinus bibliopola, et typographus Venetus,

*) Mr. Fabricius ſ'eſt trompé, quand il a dit dans ſa Bibliotheca latina, T. III. p. 514. „Auguſtini opera decem tomis, in quarto comprehenſa, Valgriſius excudit, A. C. 1571.“ Il y a là trois fautes. 1mo: Cette Edition a onze Volumes, et non dix: 2do: elle eſt de l'année 1570. et non 1571. 3tio: Elle ne vient pas de *Valgriſius*, mais de *Dominicus Nicolinus*, qui l'a enrichie d'une Dedicace, addreſſée „*Ioanni Antonio Fachineto a Nuce*, Neocaſtri Epiſcopo, et apud Sereniſſ. Venetorum rempublicam Oratori Pontificio.“ Elle eſt datée de Veniſe, le 15 d'Octobre 1570.

tus, cuius aperta in ipſa fronte operis confeſſio, *quod ea omnia remoueri curauerat, quae fidelium mentes haeretica prauitate poſſent inficere, aut a Catholica et Orthodoxa fide deuiare*, haud benigna inter Heterodoxos eſt experta iudicia. Perſtrinxerunt eam hoc nomine *Caueus* in *Prolegom.* ad *Hiſt. litt. Script. Eccleſ. Sect. VII.* et *Io. Clericus* in *Praefatione Artis Criticae* Sect. III. §. 9. *); atque ante eos vehementiſſime in hoc auſum inuectus eſt *Franc. Turretinus* in Diſputationibus *de neceſſaria ſeceſſione noſtra ab Eccleſia Romana et impoſſibili cum ea Syncretiſmo* **). Neuter tamen eam vidit, ſed ſua ipſius confeſſione ſatis malignitatis conuictam eſſe ſtatuerunt. Sed hoc iniquius aut ſaltem praecipitatius iudicaſſe viſi ſunt, Caueus quidem et Clericus, *Rich. Simonio*, qui mutationes iſtas non in ipſo textu, ſed in cenſuris tantum et ſcholiis factas eſſe contendit ***). Quocum plane conueniunt, quae ex inedita Diſſertatione P. *de Vitry* in *Memoriis Treuoltinis* excitantur †). Sed repoſuit Clericus, non eſſe, cur ſui ſe iudicii poeniteat. Simonium textum huiuſce editionis cum alia vix contendiſſe, Italorum autem Correctorum, qui tam vaga oratione operam ſuam declaraſſent, religioni non multum eſſe tribuen-

*) Edit. nouiſſ. *Lugduni Bat.* 1778. T. I. p. 16.

**) Diſp. V. §. 26. p. 130. Prodierunt primum *Geneuae apud Sam. de Tournes.* 1687. 4.

***) *Seulement dans les Sommaires et les ſcholies.* v. in *Bibliotheque Critique de Sainjore.* T. I. p. 261. (Paris et Amſt. 1708. 8.) et *lettres choiſies* de Mr. Simon. (Amſt. 1730. 12. T. IV. p. 12.

†) *Memoires de Trevoux.* 1729. Sept. p. 1618.

buendum *). Ac ita quidem diu lis ſub iudice pependit, donec Clementius tandem arbitrium illius ſuſciperet. Nam cum rara in his literis felicitate ipſi contigiſſet, editiones Venetas anni 1552 et 1570. inter ſe conferre, vidit primum, quod plane vſque dum ignoratum fuit, priorem huic quodammodo pro fundamento fuiſſe, nec tamen per omnia eſſe deſcriptam, ſed vt quaeſtui conuenientiſſimum viſum eſſet, et conſilio, quod profeſſus eſt bibliopola, aptum, aliis demtis, et mutatis aliis. Sic acceſſiones, quae in titulo iactantur, iam iiſdem verbis in ſuperiore promitti, atque indicem, titulo tantum immutato et deleto imprimis auctoris nomine, plane ab eadem deſumtum eſſe, oſtendit. Contra vero in multis etiam recedere ab illa animaduertit, omiſſis et illatis tam ſingulis vocibus, quam libellis integris, quorum exempla ſat multa ab eo ſunt coacta, quibuſque omnibus effici colligit, defenſionem huius editionis a Simonio perperam eſſe ſuſceptam. Nec ſane nos videmus, quo meruerit Nicolinus, vt patrocinium eius Simonius ſuſciperet, cum nuſpiam ab ipſo aliquam cautionem ad mutationes ſuas defendendas allatam eſſe nouimus, quin potius omnia ſibi permiſiſſe, nec textui vllo modo peperciſſe, in epiſtola ſua, cuius initium ex Clementio hic apponimus, aperte faſſus eſt: „Cum Diui Auguſtini Opera, *inquit*, non ſine magno Catholicae fidei detrimento circumferri viderem, Haereticorum verſutia multis in locis deprauata, operae pretium me facturum exiſtimaui, ſi ea, integritati ſuae reſtituta, hoc tempore imprimerem. Id quod, vt facilius aſſequerer, curaui imprimis, vt a ſacrae Theologiae Pro-

*) v. *Bibliotheque choiſie* T. XVIII. p. 169.

Profeſſoribus recognoſcerentur, vtque cum vetuſtioribus codicibus collata, ad genuinam eorum lectionem redigerentur. Curaui praeterea, vt inter imprimendum accederet cura ac labor Excellentiſſimi viri *Borgarutii a Borgarutiis*, typorum accuratiſſimi ac diligentiſſimi caſtigatoris. Qui quantum in huiuſmodi operum caſtigatione praeſtiterit, ex collatione cum his, ceterorum exemplarium, facile patebit."

1571.

Lugduni apud Morellium, et Pariſiis apud Nivellium. Baſileenſis editionis factas eſſe iterationes a Fabricio proditur; quam vere, protinus non affirmare auſim. Sed memini me *Lugdunenſem* huius anni editionem *octonis* factam apud *Seb. Honoratum* deprehendere in Hendrichii Pand. Brandeb. vbi Enarrationes in Pſalmos II. Voluminibus 8. laudat, quae ſine dubio ad integram operum editionem pertinent.

1577.

Antuerpiae ex officina Chriſtophori Plantini. fol. XI Tomis. Opera Diui Aurelii Auguſtini, Hipponenſis Epiſcopi et Doctoris praecipui, Tomis decem comprehenſa, per Theologos Louanienſes ex manuſcriptis codicibus multo labore emendata, et ab innumeris erroribus vindicata: Illuſtrata praeterea eruditis cenſuris et locupletata multis homiliis et aliquot epiſtolis eiuſdem Beati Auguſtini, antea non editis. Cum indice tripartito.

Cum ſingulis tomis peculiares additae ſint, ab Eraſmianis fere deſumtae inſcriptiones, hic tamen generalis titulus praefigitur volumini, quod vltimum recte diceres, niſi vt hoc ipſo patet, reliquis omnibus praeponi deberet, indices cum Poſſidii Vita et indi-

indiculo ſcriptorum Auguſtini, nec non praefationem, quae de ratione totius inſtituti exponit, complexum.

Suſceperat nimirum hanc nouae et emendatioris Auguſtini operum editionis prouinciam primum *Thomas Gozaeus* Bellemontanus Hanno, Theologiae in Louanienſi ſtudio profeſſor, Apoſtolicus et Regius librorum per Belgium cenſor. Suſceperat autem ſic, vt ſumma quidem ac arbitrium totius operae penes ſe eſſet *), laborem vero cum pluribus viris doctis et ſtudiorum ſimilitudine coniunctis et affectu in S. Auguſtinum quaſi inuicem aemulantibus communicaret et penſa quaſi ſingulis diſtribueret, conquiſitis et diuiſis inter ſuos plus quam ducentis MSS. exemplaribus. Poſtquam vero apoplexia correptus vitam cum morte improuiſa a. M.D.LXXI. die VIII. Martii commutauerat, ſucceſſor eius in munere cenſorio Ioannes Molanus etiam hoc onus a Plantino ſibi iniungi paſſus eſt et remotis aliquot ſuffectiſque aliis in eorum locum lectoribus **) ſuis veluti auſpiciis profligari ac perfici tandem opus vidit.

Nec vero ſingulis modo Tomis dati ſunt adminiſtratores, ſed in ſingulis plures pro ratione codicum elaborauerunt. Praefuerunt autem operibus, teſte Molano, in *primo* tomo corrigendo *Martinus Baccius*, Tiletanus, poſtea Aloſlenſis Paſtor; in *epiſto-*

 lis

*) *Difficultates tantum, ac ea, quae dubitationem haberent, ad ſe referri eum voluiſſe*, ſcribit Molanus.

**) Sic vocat Molanus eos, qui conferendis cum MSS. exemplaribus et corrigendis Auguſtini libris atque repurgandis Eraſmi maxime cenſuris et Viuis commentariis ex Gozzaei diſpoſitione vacarent. *Examinatis lectorum operis, in multis quidem*, inquit, *acre iudicium cum ſumma diligentia coniunctum probaui:*

lis Iacobus Baius, Melunenſis, collegii Sabaudiae Louanii praeſes. Acceſſit autem additamentum earum ab *Ioanne Grauio* ex Societate Ieſu Bruxellis tranſmiſſum. In *tertio Tomo* deſudauit *Henricus Cuykius*, Culenburgenſis, Ethices tunc profeſſor, poſt Epiſcopus Ruraemundenſis; *Quartum* emendavit *Embertus Eueraerds*, Arendoncanus, paſtor eccleſiae D Iacobi. Libros de *Ciuitate Dei*, qui Tomum *quintum* faciunt, *Petrus Coretus*, Athenſis, paſtor et profeſſor Criſpinienſis correxit. In *ſexto* tomo *Chriſtophorus Broide*, ad Arienſis eccleſiae Decanatum euocatus, elaborauit. *Septimus tomus*, quem mendis ſcatuiſſe dicunt, ab *Henrico Grauio*, Louanienſi, Theologiae Doctore et profeſſore Regio, et alias celebri, recognitus eſt. *Pſalmis* praefuit *Claudius Porta*, Bapalmenſis, Theologiae Baccalaureus, poſt Binduae paſtor et canonicus. In tomi *noni* correctione *Guilielmus Eſtius*, Gorconius, operam ſuam ſtudiumque nauauit. Atque hi omnes, praeter Henricum Grauium et Claudium Portam, Theologiae Licentiati dignitatem aſſecuti erant. *Decimus* denique tomus *Regularibus Martinianis* datus erat, quippe in quem iam pridem apud eos *Martinus Lipſius*, Bruxellenſis, eiuſque diſcipuli *Ioannes Coſterius* et *Ioannes Vlimmerius*, Louanienſis, magni laboris impenſam egerant. *Ioannes* vero

baui: in aliis autem, etſi non tantum diligentiae deprehenderem, tamen id ſtudii, quod habebant, excitandum potius, quam improbandum putaui. Pauci fuere, quorum in locum, quod minus idonei viderentur, alios eruditione iudicioque praeſtantes viros ſuffeci, qui ex noſtro praeſcripto, tum ſuperiora, tum ea, quae reſtarent, accurate corrigerent, et difficultates ac dubia loca tantum ad nos referrent.

vero *Vlimmerius* in hanc quoque editionem contulit varios Auguſtini Sermones a ſe repertos et multos antea non editos ex Cambronae codicibus ſtudioſe transſcripſit. De ſe autem Molanus affirmat, ſibi reſervatum fuiſſe, vt ſingulis Auguſtini libris, vt in Manuſcriptis fieri obſeruatum erat, retractationem ipſius, aut ſi ea deeſſet, breuem cenſuram multorum Theologorum ſententia confirmatam praemitteret. Quae manifeſte deprehenſa conſtaret Auguſtini non eſſe, ea, praemiſſis cenſuris, in Appendice Tomi ſui reponenda cenſuit. *In his cenſuris autem*, inquit, *Eraſmus aliquoties, ſaepius autem Indiculus Poſſidii, citationes Bedae, cenſura manuſcripta doctiſſimi Theologi Ioannis Heſſelii in nouem tomos et reuerendi patris Martini Lipſii in tomum decimum magno nobis adiumento fuerunt. Nihil autem adhibui, quin a duobus collegii noſtri profeſſoribus, Henrico Grauio et Laurentio Weſterhouio, quos in hac parte ſocios et adiutores habui certe ſtrenuos, approbatum ſit.* Ac hoc quidem priuati hominis quaſi de ſua ipſius opera eſt iudicium atque profeſſio. Sed fortaſſe iuuabit etiam Cenſuram, quam auctoritate muneris publici emiſit, quaeque verſa ſtatim tituli pagina impreſſa legitur, cognoſcere. Ecce vero!

„Opera beatiſſimi Auguſtini, per Theologos Louanienſes caſtigata, tribus potiſſimum de cauſis, omnibus prioribus editionibus ſunt praeferenda. *Primum*, quia ex vetuſtiſſimis manuſcriptis exemplaribus innumeri foedique errores per ſingulos tomos ſint emendati, appoſita etiam ad cuiuſque tomi calcem ſua caſtigatione.

Secundo, quia quaecunque in his tomis erant indoctae, aut cenſurae, aut annotationes (vt nihil amplius dicatur) eae in hac editione abſunt.

 Tertio,

Tertio, quia ſingulis libris retractatio ipſius ſancti Auguſtini eſt praemiſſa, aut vbi ea deeſt, breuis cenſura, multorum Theologorum iudicio confirmata. Quae autem certo Auguſtini non eſſe ſunt deprehenſa, ea in ſui tomi Appendicem ſunt repoſita, praefixis cenſuris, quae per Theologos aliquot Louanienſes ſunt diſcuſſae et approbatae *)."

Ad quae pauca iamiam nobis ſunt obſeruanda. Ac praemonere quidem lubet, partitionem per ſingulos Tomos ex Eraſmiana eſſe ſeruatam, ſed mutatum paſſim librorum ordinem, maxime per eos, qui in Appendices reiecti ſunt. Non immerito autem hoc ſibi tribuerunt, quod textus a multis grauibusque mendis in mss. exemplarium, quorum immenſa ipſis ſuppetebat copia, ſit emendatus. Probant illud *Caſtigationes* ſeu *recognitiones* ad finem cuiuſque tomi praeter Decimum adiectae, in quibus diligenter, ſed paucis verbis lectio ſuperior cum lectione Codicum collatorum ſeu recens recepta comparatur, indiculo Codicum adhibitorum vbique praemiſſo. Harum vero emendationum vel locorum emendandorum largiſſima ſuccreuit ſeges in Tomum ſeptimum, qui controuerſias cum Donatiſtis atque Pelagianis continet. Multa quoque adeo intricata aut in vtramque partem explicabilia, vt parum ſibi laborem ſucceſſurum ſentiret, qui huius Tomi vindex conſtitutus erat, Henricus Grauius, niſi ab inſtituta in reliquis breuitate recederet. Vincebat enim *non tam infinita erratorum turba, quae hunc Tomum turpiſſime*

*) Signata eſt *Louanii* Anno M.D.LXXI. *Kalendis Septembris.* Ioannes Molanus Louanienſis, *Apoſtolicus et Regius librorum viſitator, meo nomine, et imprimis mandato et autoritate venerandae facultatis noſtrae Theologicae, ſic ſubſcripſi.*

ſime defoedabant, quam, quod neceſſe frequenter eſſet, mutatae lectionis rationem reddere, mendoſam conuincere, vitiatae cauſam et occaſiones aperire: interdum autem varios expendere, ac collatione aliorum inter ſe locorum diiudicare, nonnunquam et contra fidem MS. vulgatam aſſerere; aliquando vero diuinationem quoque proponere, quomodo hiulca impleri, luxata curari, deprauata reſtitui poſſe viderentur. Poſtremo, inquit, *annotanda etiam loca ſuſpecta, et quibus medelam ſine MS. praeſidio adferre non poſſemus; vt nimirum occaſio ſtudioſis praeberetur, veteres aliarum regionum bibliothecas excutiendi, nuncubi forte, vel antiquiora, vel fideliora exemplaria lateant, vnde corrigi, vel emendari ea poſſent.* Quin vbi ſemel ab inſtituto receſſiſſet, auſus eſt aliquanto etiam longius procedere. *Ac primum*, inquit, *hiſtoriam, quae plurima his et ignota frequenter occurrit, breuiter aperuimus; dehinc obſcura illuſtrauimus; ad haec ſuſpecta et periculoſa explicauimus; tum ab aliis arroſa defendimus; praeterea non recte a quibuſdam intellecta, quo ſenſu accipienda forent, oſtendimus; denique ſi quid contra hodiernas haereſes faceret, aut alioqui obſeruatione dignum occurreret, paucis annotauimus. Sed nec id viſum fuit praetereundum, vt, quoniam Germanicum exemplar corrigendum nobis datum erat, multi autem* Gallicana *vterentur* editione, quae alios frequenter ac alios a Frobeniana errores haberet, *eos quoque indicaremus. Id quod in locis aliquot non indiligenter fecimus, ſed temporum anguſtiis excluſi perficere non potuimus.* Singulare itaque volumen, et quod peculiari titulo ab ipſo tomo ſeptimo diſcretum eſt, hae Grauii diſcuſſiones efficiunt, inſcriptae, *Annotationes in Tomum VII. B. Auguſtini, Hipp. Epiſc., quibus caſtigationum ratio varietaſque lectionum indicatur, res*

memoratu dignae obſeruantur, obſcuriora difficilioraque loca explicantur et illuſtrantur. Antuerpiae M.D.LXXVII. Iam quod *alterum* attinet, quod in virtutibus huius editionis publica cenſura reponit, nihil attinet dicere quid in Eraſmi cenſuris et in Viuis commentario, hiſce Theologis diſplicuerit. Plus valet tertium, ſpuria a genuinis prorſus ſecreta et in appendicem reiecta, quod ſane laboris momentum multo eruditius, quam Eraſmus, perſecuti ſunt, qui plerumque, quae ſibi ſuſpecta eſſent, in cenſuris tantum notare contentus fuit, paucula ſeiunxit, quaedam plane eiecit. In ſermonibus tamen, vbi difficile fuiſſet, de ſingulis in particulari cenſere, Martini Lipſii exemplum ſe ſecutos eſſe profeſſi ſunt, vt iis, qui certo Auguſtini eſſe viderentur, nomen eius adſcriberent, et ex Beda, aut aliunde, prout occurreret, probationem adiicerent, qui vero certo Auguſtini non eſſe deprehenſi eſſent, eos in appendicem reiicerent, reliquos aut non ſatis diſcuſſos, aut ex iudicio quorundam eruditorum dubiae auctoritatis inter Auguſtinianos relinquerent, non addito tamen eius nomine. Atque haec hactenus de Louanienſium ſtudiis. Quod typographi partes attinet, impreſſa ſunt opera quidem charactere rotundo, ſatis nitido, binis columnis, cenſurae eodem, ſed minori, argumenta autem ſicut et in marginibus notata, italico. Omnes autem Tomi praeter eum, qui indices complectitur, et vniuerſi operis titulum praefert, itemque annotationes in Tomum VII., annum M.D.LXXVI. in fronte gerunt; nec tamen omnes hoc anno abſolutos eſſe, ex ſubſcriptione patet, quae in aliis annum ſeptuageſimum ſextum, in aliis ſeptuageſimum ſeptimum oſtendit. Denique adiecimus, Plantinum nuncupaſſe editionem *Chriſtophoro et Ludouico Madruciis* Cardinalibus.

1584.

1584.

Venetiis per Ioannem Baptiſtam Seſſam ſub ſigno Felicis. 4. *XI Tomis.* D. Aur. Auguſtini, Hipp. Epiſcopi, opera omnia impreſſa, recognita et emendata. *Cat. Bibl Reg. Pariſ.*

Iteratio eſt Venetae prioris. Saltem Turretinus verba, quibus tantopere offenſum eſſe nouimus, quaeque ſupra ſunt excitata, ex hac laudat, idque Colonienſes confirmant, qui *Ancillonium* corrigunt, in *Miſcell. Crit.* T. I. p. 243. perperam numerum a. 1548. efferentem. *Oudinus* tamen T. I. p. 952. Plantinianae deſcriptionem eſſe tradit, meque ipſum ancipitem reddidit Turretinus eo, quod apud *Iuntas* expreſſam vult, quod de priori ex parte quidem verum, de hac mihi non liquet. Facile autem fieri potuit, vt editionem, quam intenderet, a Typographo recte ſignificaret, anni numerum tamen cum alterius Venetae anno confunderet. Sed in ſuperiore ſententia confirmat nos Clementius, qui laudatis auctoribus alia teſtimonia addidit in *Bibl. Hiſt. Crit.* T. II. p. 268.

1586.

Pariſiis cum inſigni Magnae Nauis. fol. XI Tomis. D. Aur. Auguſtini opera etc. *vt in Antuerpienſi.* Additis nonnullis aliis homiliis Lutetiae nunc primum editis, quas pagina ſecunda Tomi 10. indicabit: cum indice tripartito.

Homiliae, quas de nouo adiecerunt, ſunt XIII. ex MS. Codice Bibliothecae Carthuſianae maioris deſumptae. 1. *In natali Martyrum;* 2. *de Suſanna;* 3. *in illud Euangelii Ioannis*, vſque nunc nihil petiiſtis in nomine meo; 4. *In natali S. Caſti et Aemilii Martyrum;* 5. *Tractatus in vigiliis Pente-*

coſtis; 6. *De Lectione Exodi, de Rubo, in quo flamma erat, et rubus non comburebatur;* 7. *De verbo et voce: et de Ieiunare et Eſurire;* 8. *In illud Ioannis: Ego non aſcendo ad diem feſtum iſtum;* 9. *De arbore, cui maledixit Dominus, et aruit, quia fructum in ea non inuenit;* 10. *De Apoſtolico*, Nihil in hunc mundum intulimus, verum nec auferre aliquid poſſumus; 11. In illud *Pauli*, Qui gloriatur, in Domino glorietur; 12. *in Peruigilio, in illud Exodi, quando in Aegypto agnus immolatus eſt;* 13. *in Pſalmum XLI. ad Neophytos.* Auguſtini nomen MS. praeferre notant, nec quemquam fore, ſibi perſuadent, quin illius eſſe agnoſcat. Praeter Homilias vero addita ſunt inſuper haec incertorum auctorum ex eodem fonte haud dubie petita: *Commonitorium ad vniuerſam Eccleſiam* *); *Forma epiſtolae de quodam epiſcopo Manichaeorum ſectae, Collatio Trinitatis B. Auguſtini a ſe ipſo ad ſemetipſum, Miſcellaneae ſententiae a quopiam collectae, Tractatus de XII. lapidibus, de quibus in Apocalypſi.* — Ceterum quoad typorum et chartae nitorem haec editio Plantinianam antecellit.

1596.

Geneuae excudebat Iacobus Stoer. 8. *XI Tomis.* D. Aur. Auguſtini opera per Theologos Louanienſes emendata. Laudant *Colonienſes* et *Ceillerius.*

Mihi nonniſi Vtum huius editionis Tomum videre contigit, libros de Ciuitate Dei complectentem, hoc titulo:

D.

*) Huic adſcriptum: *Videtur mihi potius Caeleſtini, aut Leonis, aut alterius papae, qui ſua vi deos extermineut.*

D. Aurelii Auguſtini, Hipp. Ep. de Ciuitate Dei libri XXII. Veterum exemplarium collatione nunc demum caſtigatiſſimi facti, eruditiſſimiſque Lvdovici Vivis *Commentariis illuſtrati. Quorum XII. priores hac omnium illius Operum* Tomi Qvinti Parte Prima *continentur. Cum Indice hac poſtrema editione caſtigatiſſimo ditiſſimoque facto.*

alterum vero volumen inſcribitur:

D. A. A. Operum Tomi Qvinti Pars Secvnda, *qua reliqui X. libri d. C. D. continentur. etc.*

Nimirum non raro huius et Lugdunenſium ſimili forma editionum tomi ſeparatim obueniunt et procliuius quidem erat, vt diſtraherentur, per modicam voluminum molem et vſum commodiorem et proinde crebriorem.

Saec. XVII.

1603.

Pariſiis. fol. XI Tomis. D. Aur. Auguſtini opera eiuſdem recenſionis. *Oudinus* et ex eo *Colonienſes.*

1609.

Pariſiis . . . . fol. XI Tomis. D. Aur. Auguſtini opera iuxta Theolog. Louanienſium recenſionem expreſſa. Citat eam *Vignerius* in *Praef.* ad *Supplem.* et hinc alii.

1613 - 14.

Pariſiis ſub ſigno magnae nauis. fol. X (XI) Tomis. D. Aur. Auguſtini opera ex ſecunda editione Theologor. Louanienſium emendata et locupletata, vna cum *Leonardi Coquaei* commentariis in Libros

Libros de Ciuitate Dei. *Cat. Bibl. Reg. Pariſ.* cui adde *Oudinum.*

Vignerius in Praefatione ad Suppl. hanc iuxta quam praecedentem non poenitendis additionibus locupletatam eſſe tradidit; ſed quibus, neſcio. Nec ſatis intelligo, quae fuerit *ſecunda* Theologorum Lovanienſium editio, quam ſequutos ſe in titulo profitentur curatores.

1616.

Coloniae Agrippinae [*ſumtibus Antonii Hierat.*] *fol. XI Tomis.* D. Aur. Auguſtini Opera ex Theologorum Louanienſium editione, iam longe auctiora.

Vignerius pronuntiat, hanc editionem praecedentibus editionibus auctiorem eſſe, ſed charta, ad oleum et piper releganda, impreſſam. Quapropter nullus equidem dubito, quin a bibliopola, dubitanter a nobis ſignificato, profecta ſit.

1626.

Pariſiis. fol. XI Tomis. D. Aur. Auguſtini Opera iuxta Theologorum Louanienſium editionem. *Vigner.*

1635.

Pariſiis. fol. XI Tomis. Eadem. *Vigner.*

1644.

Pariſiis apud Anton. Vitray. 8. *II. Voll.* Auguſtini opera contra Pelagianos. *Cat. Bibl. Reg. Pariſ. T. I. p.* 377. *n.* 679.

1647 - 48.

Louanii apud Bernardin. Maſium. 4. *III Voll.* B. Auguſtini, Hipp. Epiſcopi et veterum eiuſdem diſci-

diſcipulorum opuſcula inſigniora aduerſus Pelagianos et eorum reliquias; iuxta editionem Plantinianam. *Cat. Bibl. Reg. Pariſ.*

1651.

Pariſiis . . . . fol. XI Tomis. S. Aur. Auguſtini Opera ex Lov. Theol. recenſione. Teſtatur Cl. Rösler hanc deſcriptionem ſibi in Bibliothecae ſuae Tomo V. vſum praeſtitiſſe. Niſi fortaſſe vna editio ſit haec et inſequentis anni mox laudanda, adeo vt priores Tomi, in quibus Retractationes et Epiſtolae, a. 1651. reliqui a. 1652. excuſi ſint.

1652.

Romae per Ignat. de Lazaris. 4. S. Auguſtini, Hipp. Epiſc. aliqua opera inſigniora aduerſus Pelagianos et eorum reliquias. *Cat. Bibl. Reg.*

* *

Pariſiis. fol. XI Tomis. S. Aur. Auguſtini Opera ex Louanienſium Theologorum recenſione. Has omnes autem editiones auctiores quidem, ſed inemendatiores eſſe, Vignerius prodidit.

1654.

Bruxellis. 12. S. Auguſtini opuſcula quaedam ſelecta. Inſunt: *de Gratia et libero Arbitrio, de Correptione et Gratia, de Praedeſtinatione Sanctorum et de Dono Perſeuerantiae* cum tribus Auguſtini epiſtolis I. ad *Paulinum*, Epiſc. Nolanum; II. ad *Sixtum*, Eccleſiae Rom. preſbyterum (poſtea pontificem); III. ad *Vitalem* Carthaginienſem (inter Auguſtinianas olim CV. CVI. CVII. nunc CXCIV. CLXXXVI. CCXVII.) praemiſſis duabus *Hilarii* et *Proſperi* ad Auguſtinum Epiſtolis. Cf. *M. Bibl. Eccl.*

Eccl. Col. p. 745 et 746. Num vero titulus iuxta ipſa verba ibi declaratus ſit, ignoro.

1654 - 55.

Pariſiis ſumtibus Simeonis Piget, in via Iacobaea ad *Inſigne Prudentiae. fol. II Tomis.* Sancti Aurelii Auguſtini, Hipponenſis Epiſcopi, Operum omnium ante Annum M.DC.XIV. tam Baſileae, quam Lutetiae, Antuerpiae, Lugduni et Venetiis editorum ſupplementum; vna cum ſex libris ſecundae reſponſionis eiuſdem B. Auguſtini contra Iulianum haereticum, Pelagianum Variiſque Sermonibus et tractatibus hactenus ineditis. *Hieronymus Vignerius*, Congregationis Oratorii D. Ieſu Preſbyter, ex optimae fidei et bonae Antiquitatis codicibus MSS. eruit. T. I. Editio Secunda 1655. *In fine:* 1654. *ex typographia Franciſci le Cointe* T. II. 1655.

Animaduerterat Vignerius non ſolum in nouiſſimis, quae tum erant Auguſtini operum editionibus, plurima deeſſe opuſcula proximis ante annis recens ac ſeorſim euulgata, ſed quod moleſte potiſſimum iis accidebat, qui aliquam editionem comparaturi erant, recentiores omnes vtut auctiores ſingulae, nec integrae tamen, longe antiquioribus, quoad textus puritatem et emendationem, erant inferiores. In animum igitur induxit, ſupplementum operum ſancti huius Doctoris parare, non tam, vt recentioribus id commendationis afferret, vt hac ſua opera adſumta integrae omnino dici poſſent, ſed potius vt iis, qui antiquas et caſtigatiores mallent retinere, gratificaretur. Complectitur itaque I. Tomus: 1) *Sermones nouos XL.* a Sirmondo a. 1631. Pariſiis editos et in ſequiores inde editiones receptos cum appendice Sermonum V. et notis eiuſdem. 2) *Sermones de Diuerſis CXXVII.* duabus partibus diſtincti

ac

ac primum a Louanienſibus a. 1576. editi. 3) *Homiliae vndecim*, ex codice Manuſcripto Bibliothecae Carthuſianae maioris deſumtae. 4) *Sermones VI.* a Ioanne Baptiſta Maro Romae editi. Sed neſcio, quo caſu factum ſit, vt hi cum praecedentibus in vnum cogerentur, ita quidem, vt non vndecim, vt titulus pollicetur, ſed XII. Sermones ex Codice Bibl. Carthuſianae Maioris exhibiti ſint, iidem, qui primum a. 1586. a Pariſienſibus excuſi erant, ſed vno auctiores, qui hic deſideratur, cuiuſque in locum alius, *breuem Symboli explicationem* ſiſtens, ſucceſſit, quem, vt ſequentes tres *In Calendas Ianuarias*, *de Calendis Ianuariis et ante altare ad infantes de ſacramento* etiam in nouiſſima tunc temporis Pariſiana editione deeſſe notat. 5) *Tractatus de ſeptem vitiis et ſeptem donis Spiritus Sancti*, editos olim a *Guil. Camerario*, Theologo Scoto, a nouiſſima editione (a. 1652.) pariter exulans. 6) De geſtis Pelagii liber. 7) *Epiſtolae*, quae in antiquioribus editionibus, Baſileenſi, Pariſienſibus et Lugdunenſibus omiſſae erant. 8) *Speculum S. Auguſtini in Scripturam ſacram*, hactenus ineditum; de quo infra nobis ſermo erit. Sed longe inſignior Supplementorum horum pars, libri vſque dum inediti expanduntur in *Tomo ſecundo.* Quare ipſe ait, *quod Galliae ob hanc ſupplementi editionem applaudat vniuerſus orbis Chriſtianus potiorem ex altera parte, quam ex prima naſci rationem. Primo* nempe loco in lucem prodeunt ex tenebris, quibus ſepulti hactenus extinctique paene iacuerunt, *Sex libri Auguſtini contra Iulianum*, a Fulgentio Beda, Seruato Lupo aliiſque ſequioribus ſcriptoribus paſſim commemorati, ſed exigua tantum parte ſua Claudii Menardi beneficio cogniti, adeo vt ex octo libris amplius duobus ſupereſſe nemo iam ſperare auderet, cum ecce hic Vigne-

rio

rio fortuna obtigit, vt ſex integros libros bibliothecae Claraeuallenſis codice deprehenderet. Qua de felicitate ipſe quidem ſic exſultat, vt non iniuria fortaſſe dici poſſit, affectum aliquid detraxiſſe iudicio, animumque a tranquilla penſitatione praecipitaſſe, dum non ſex modo, ſed ipſos, quotquot ab Auguſtino ſcripti eſſe dicuntur, octo libros reperiſſe videri voluit. Sed de his infra in ſingulorum opuſculorum editionibus n. 98. Sequuntur tanquam altera quaedam ſecundi huius Tomi pars 1) S. Auguſtini Epiſtola vnica ad Macrobium. 2) *Sermones inediti* XL. et 3) Tractatus duo, alter de *Oratione* ex Codice Diuionenſi, alter inſcriptus, de *Oratione* et *Eleemoſyna* ex Codice regio, denique 4) *Sententiae aduerſus Pelagianum haereticum.* — Adiecti ſunt in vtroque Tomo indices neceſſarii. Inſcripſit autem Vignerius Tomum *ſecundum Claudio Largentier*, Abbati Claraeuallenſi; primum *Gondo* Cardinali de *Retz.*

1673.

Lugduni. 12. S. Auguſtini opuſcula quaedam ſelecta; eiuſdem collectionis, quae a. 1654. Bruxellis prodiit.

* *

Bruxellis. 12. Eadem ex quinta repetitione. *Colonienſes.* l. l.

1679 - 1700.

Pariſiis apud *Franciſcum Muguet.* fol. *XI Tomis.* S. Aur. Auguſtini, Hipponenſ. Epiſcopi, Opera poſt Louanienſium Theologorum recenſionem caſtigata denuo ad manuſcriptos codices Gallicanos, Vaticanos, Anglicanos, Belgicos etc. nec non ad edi-

editiones antiquiores et caſtigatiores. Opera et ſtudio Monachorum Ordinis Sancti Benedicti e Congregatione Sancti Mauri. Tomus I. II. 1679. III. 1680. IV. 1683. V. 1684. VI et VII. 1685. VIII. et IX. 1688. X. 1690. XI. 1700. Tomus I et II. recuſi ibidem 1689.

Tria ſibi in noua hac editione paranda cordi fuiſſe, fatentur Patres Maurini (in praef. gen. Tomo XI. praemiſſa): videlicet vt *accurata* eſſet, *commoda* et *rite illuſtrata*. His quartum adiunxerunt, quod per ſe non tam commendationem meretur in editore, quod iuſtum eſt, quam reprehenſionem pati debet, ſicubi praeter exſpectationem deſit, hic tamen ob cauſas omnibus notas et grauius multo et longe difficillimum, ſcilicet, vt nullis partium ſtudiis eſſet addicta.

Ac primum quidem, vt quam maxime *accurata* eſſet, tribus ipſis conſtare viſum eſt conditionibus: nempe vt contextui genuina integritas ad veteres et ſinceriores codices reſtitueretur; vt certa ac germana opera ſecernerentur a dubiis et ſpuriis; et vt editio ipſa a typographicis mendis repurgata prodiret. Vt vero perquam *commoda* redderetur, quatuor a ſe curata eſſe monent; nimirum *operum ordinem*, in quo inſtituendo et temporum, quo deinceps ſingula elaborata ſunt, et argumentorum ratio habita eſt, adeo, vt quae vnius generis eſſent, veluti exegetica, moralia etc. iunctim quidem exhiberentur, ſed eadem iuxta annorum ſeriem diſpoſita; *ſectiones*, quibus capitula in plures et minores particulas magno legentium vſu diuiſa ſunt; *ſummaria*, vel libris omnibus et plerisque capitulis praemiſſa, quae argumentum demonſtrarent, vel marginalia et partim ex ipſis contextus verbis expreſſa, partim a Louanienſibus deſumta; *indices* denique non ſolum in ſingulos to-

mos, ſed generales etiam et vniuerſales, vtroſque vero vberrimos. Ad *illuſtrationem* ſpectant partim praefationes ſingulis Tomis praemiſſae, in quibus potius res hiſtoricae, quam dogmaticae explicantur; partim admonitiones, ad explicandum ſingulorum opuſculorum argumentum additae; denique in margine inferiori notulae, quibus vel variantes lectiones indicantur, vel obſcura loca, maxime comparatione aliorum locorum explanantur. Quod attinet ad quartum, alte ſibi animo infixum fuiſſe affirmant, et a Praepoſitis ſuis inculcatum, vt partium ſtudia in explicanda Auguſtini doctrina ſedulo cauerent, idque cauſae fuiſſe, vt a prolixioribus commentariis et obſeruationibus abſtinuerint, vt ne cuiquam vel minimum offendiculi praeberent, vlliue Theologorum ſententiae praeiudicarent. Nihilominus conſtat, quantae in ipſos coortae ſint turbae, quanta adhibita ſtratagemata atque inſidiae, vt vel interciperetur ſucceſſus, vel perfectum in inuidiam adduceretur. Ipſi Benedictini dum in vndecimo Tomo generalem operis praefationem conſcribunt et curam ſuam ac prouidentiam palam facere ſtudent, fatentur, difficile fuiſſe cauere, ne quid in tam vaſto opere incauti ipſis ſubreperet, vel, ne quid ſecus, quam ipſi intendiſſent, in ſequiorem partem non acciperent homines male erga ipſorum ſtudia affecti. Sed non cum ſcrupuloſis forte, aequis ceteroquin aduerſariis ſibi rem eſſe, ſed a calumniatoribus et hoſtibus nullum inſidiarum genus, quamuis turpe, ſpernentibus ius petitos ſeſe conqueruntur. Et quoniam regis iuſſu vtrique parti ſilentium eſſet impoſitum, haud quidquam aliud praedicto loco in tutamen ſuum attulerunt, quam vt a grauiſſimis, quae ipſis impactae fuerant, criminationibus in virorum piorum ac beneuolorum, quorum forte animis ſcru-

puli

puli quidam exinde inſediſſent, gratiam ſeſe purgarent. Sed harum litium artiumque friuolarum hiſtoriam non attingimus. Nec enim ad noſtrum vel minimum facit, et ſuppetunt, quibus vel negotii, vel animi cauſa curare illa contigerit, ampli ſatis complurium virorum doctorum de iiſdem commentarii *). Pergimus potius ad opuſcula, quae ſingulis tomis comprehenſa ſint, accurate recenſenda, eaque, quae inſigniter hic a doctiſſimis Patribus praeſtita ſunt, declaranda, vbi ſimul Louanienſium ordinem et diſcrimen notabimus. Sunt autem *Contenta* in vnoquoque volumine haec:

Tomo Primo:

Opuſcula, quae adhuc Catechumenus, aut nondum Preſbyter edidit cum Retractationibus et Confeſſionibus; hoc ordine:

Retractationum lib. II.
Confeſſionum lib. XIII.
Contra Academicos lib. III.
De Vita Beata lib. I.

K 2 De

*) Praeter *Dupinium Bibl. nouv. des ant. eccl.* T. XVIII. ſub articulo: *nouvelle edition des oeuvres de S. Auguſtin*, et *Baelium* in *Dict. Crit.* e recentioribus Autores *Bibl. Colonienſis Eccleſiaſticae* p. 464. *Ceillier* T. XII. p. 680 ſeq. et auctores de *l' Hiſtoire litteraire de la Congreg. de St. Maur.* (à *Bruxelles* 1770. 4.) v. Blampin. pag. 287 ſeqq. Quid? quod peculiari adeo volumine ſcripta extat huius editionis hiſtoria auctore *Antonio Vincentio Thuillier*, eiuſdem congregationis quondam ſodali, h. t. *Hiſtoire de la nouvelle edition de S. Auguſtin, donnée par les PP. Benedictins de la Congregation de S. Maur. En France* (Paris) 1736. 4. mihi non viſa, ſed cuius ipſius varia fata in eadem Hiſtoria Congregationis p. 528 ſq. enarrantur.

De Ordine lib. II.
Soliloquiorum lib II.

De
- Immortalitate animae lib. I.
- Quantitate animae lib. I.
- Muſica lib. VI.
- Magiſtro lib. I.
- libero Arbitrio lib. III.
- Geneſi contra Manichaeos lib. II.
- Moribus Eccleſiae catholicae et moribus Manichaeorum lib. II.
- Vera Religione lib. I.
- Regula ad Seruos Dei.

In appendice:

De *Grammatica* liber.
Principia Dialecticae.
Categoriae decem.
Principia Rhetorices.
Regulae clericis traditae fragmentum.
Regula ſecunda.
De vita Eremitica ad ſororem.

Complectitur hic tomus ea omnia, quae ab Eraſmo et Louanienſibus in eo fuerunt comprehenſa. Illud tantum intereſt diſcriminis, quod Benedictini in appendicem reiecerunt nonnulla, quae ab illis pro genuinis Auguſtini ſcriptis habita erant, ſcilicet libellos de *Grammatica*, *Categorias*, *Principia Dialecticae* et *Principia Rhetoricae*, et quod alia quaedam cum aliis locum mutare iuſſerunt, *vt ſeriem ordinemque temporis, quo vnumquodque opus ab Auctore prodiit, quoad eius fieri poſſet, ſeruarent.*

Tomo Secundo:

Epiſtolae *ducentae ſeptuaginta* ſecundum temporum ordinem diſpoſitae, et quatuor in claſſes digeſtae.

In

In appendice:

Auguſtini nomine ad Bonifacium et contra, Epiſtolae breuiores ſexdecim.

Ad Demetriadem Pelagii epiſtola.

Auguſtini nomine ad Cyrillum et contra, de Laudibus Hieronymi.

Altercatio Auguſtini cum Paſcentio.

Longe nobiliſſima pars operae eruditiſſimorum Monachorum in hoc Tomo concluditur, vere talis, in qua Couſtantii ſagacitatem et ſolidam doctrinam agnoſcas. Licet enim totidem plane genuinas epiſtolas Louanienſes recenſeant, nec plura, nec pauciora ab iis in Appendicem huius tomi reiecta ſint, non auſi tamen ſunt longius progredi et quam omnes Auguſtini lectores ardentiſſimis votis exoptabant, moleſtam ſcilicet et multarum virium curam ſuis ſibi humeris imponere, qua intactam adhuc ſeriem et nexum tot diuerſi generis et aetatis epiſtolarum diſcriminaſſent, ac prorſus tandem expediiſſent. Ferebant omnes hoc deſiderium eo impatientius, quod, cum reliqua opuſcula paene omnia per ipſius Auguſtini in Retractationibus inſtitutum iuxta temporum et occaſionum, quibus enata eſſent, ordinem, cognoſcere ipſumque in ſacris ſtudiis et geſtis ſuis animo velut comitari liceret, ſolae epiſtolae, ex quibus pleniſſima fere caſuum et geſtorum temporis iſtius memoria depromenda erat, hoc beneficio carerent.

Sed Benedictini quoque hunc laborem declinaſſent non magis difficultatum metu, quas licet innumeras vel eis ſolis ſpernere licebat, quam quod vererentur, ne nouo inducto ordine lectionem Auguſtini apud eos, qui veteri ſemel aſſueuiſſent, retardarent. Sed vicit tandem Auguſtini amor et aliorum maximeque ſodalium ſuorum in aliis ſcriptoribus eccleſiaſti-

 cis

cis exemplum, iamque ex ipſis, quo negotium hoc aggreſſi ſunt animo, audiamus.

„In ſuperioribus editionibus, *inquiunt*, adeo perturbatus erat Auguſtinianarum Epiſtolarum ordo, vt, *quod temporis hiſtoriam ſpectat*, non facile quiſquam ſeriem rerum omnium aſſequi potuiſſet abſque longa et ſaepe repetita lectione ac meditatione. Nam eiuſdem temporis et argumenti Epiſtolae per totum Collectionis corpus hinc inde diſperſae erant, tum priores poſterioribus poſtpoſitae et in finem reiectae ac demum (quae intoleranda confuſio erat) Auguſtini reſcripta quam longiſſime ab interrogatis et conſultis nonnunquam aberant; immo reſcripta conſultis longe praeferebantur: adeo vt Euodii v. g. conſulentis Epiſtolae poſt multas interiacentes Epiſtolas Auguſtini reſponſum conſequerentur. Quapropter optandum erat, vt Auguſtini Epiſtolae in rectum ordinem pro temporum ratione digererentur. Quod procul dubio curaturus fuiſſet Auguſtinus ipſe, ſi eorum recenſionem, quam ſuſceperat, ei abſoluere licuiſſet. Quippe in Retractationum ſuarum proëmio optare ſe teſtatur, vt opera ſua eo, quo ſcripta ſunt ordine, perlegantur, eique rei daturum ſe operam, quo demum intelligant lectores, *quomodo ſcribendo* profecerit. At quo minus id tentaremus, intercedebant diuerſae res, nempe vſus ſuperiorum temporum, receptus ordo ab annis circiter centum ſeptuaginta, citationes vſitatae, quas violare, aut demum peruertere, nefas eſſe videbatur, ne mutatio haec plurimum negotii ſtudioſis faceſſeret. Ad haec non leves difficultates in conſtituendo Epiſtolarum ordine, qui omnibus probetur, cum de nonnullarum aetate diſputent eruditi. Atque haec potiſſimum nos ratio morabatur, quippe qui praecipue in animum induximus, hoc in labore noſtro neutrorum ſententiae

temere

temere aduerſari aut fauere. Haec ergo momenta a mutando Epiſtolarum ordine nos deterrebant, nec facile id a nobis contra ſuperiores editiones ſuſcipiendum videbatur. Ex aduerſo tamen aliud ſuadebant, non tantum varia eruditorum exempla in Epiſtolis S. Cypriani, S. Leonis etc. ſed etiam virorum non minus ſententia, quam dignitate, praeſtantium auctoritas, qui poſteritati hac noua editione conſultum volebant. His omnino exemplis et auctoritatibus adducti, tandem conſenſimus, vt Auguſtini Epiſtolas ad annorum ſeriem (quoad fieri poſſet) accuratam reuocaremus. Et ne leui fundamento hanc ſeriem deſignaſſe videamur, non modo noſtris, ſed etiam alienis eam ſtudiis et conſiliis inueſtigare ſategimus. Ordine Epiſtolarum chronologico conſtituto, eas in quatuor claſſes diſtinximus, quarum prima illas exhibet, quas Auguſtinus nondum Epiſcopus ſcripſit. Qua in re Auguſtinum ipſum ſecuti auctorem ſumus, qui in Retractationum priore libro ea duntaxat recenſuit opuſcula, quae antequam fieret epiſcopus in lucem protulerat. In ſecunda claſſe repraeſentantur epiſtolae, quas ab inito epiſcopatu ad Collationem cum Donatiſtis Carthagine habitam et Pelagianae haereſeos in Africam inuectionem edidit. In his enim duobus ſiue retegendis, ſeu expurgandis, erroribus verſantur vt plurimum hae litterae, quae eorum initia, progreſſus atque damnationem accurate deſcribunt. Tertia epiſtolarum claſſis eas complectitur, quas ab eo tempore S. Doctor ad vitae finem exarauit; quibus ſcilicet certa epocha poteſt aſſignari. In quartam demum claſſem reliquas Auguſtini litteras redegimus, quas quidem ſcripſit Epiſcopus, nulla tamen alia praefixa temporum aut circumſtantiarum nota, quae certum tempus prae ſe ferat. Ex hac quadruplici claſſis diſtinctione

 id

id commodi eueniet, quod antea obſeruabamus, vt ſtudioſus lector ea, quae ad haereſes Donatiſtarum et Pelagianorum pertinent, vno fere conſpectu ac tenore percipiat."

Monent praeterea, nonnullos tractatus, qui antea in Epiſtolarum ordinem relati eſſent, loco motos a ſe non eſſe, tametſi id non leuis momenti rationes ſuaſiſſent. Sed *Altercationem cum Paſcentio*, quae CLXXVIII. numerabatur inter Auguſtini Epiſtolas, vt iam pridem Louanienſes fecerant, in Appendicem relegarunt.

Reuocaſſe ſe deinde teſtantur Epiſtolas quaſdam, non ſolum quas Auguſtinus nomine ſuo miſit ad alios, ſed ex illis etiam, quae ad ipſum a multis fuerunt directae. Veluti *Timaſii* et *Iacobi*, item *Honorii* et *Theodoſii*, *Imperatorum*, *Quod vult Dei*, *Proſperi*, ad *Pelagium*, ad *Simplicianum* de opere ipſi dicato, ad *Aurelium*, ad *Valerium*, ad *Claudium*, ad *Quoduultdeum* ſuper libris eorum nomine nuncupatis, quae antea in epiſtolarum recenſu deſiderabantur. Eas omnes ergo ſuo loco inſerendas curarunt: vti et catholicorum Epiſcoporum reſcripta ad *Marcellinum* Tribunum occaſione Collationis Carthaginenſis, nec non Epiſtolam ad *Proculum* et *Cylinnium*, Gallicanos antiſtites, Leporii cauſa tranſmiſſam: quae ſcripta, inquiunt, non minus pro veris ac genuinis Auguſtini foetibus habenda ſunt, quam epiſtolae illae Carthaginenſis ac Mileuitanae ſynodi nomine *ad Innocentium* directae, quos vti a S. Doctore dictatas cum aliis eius Epiſtolis omnes recipiunt. In aliquibus tamen vſui iam pridem recepto obſecutos ſe eſſe fatentur. Reuocandum enim fuiſſe iuxta inſtitutum ſuum etiam tractatum *de Bono Viduitatis*, quippe qui vera ſit Auguſtini epiſtola, eoque nomine nulla eius in Retractationum libro mentio habea-

habeatur. Sed *libri* titulum, ex longinquo ipſi inhaerentem, detrahere nolebant. Eiuſdem conditionis fuit Epiſtola, quam Auguſtinus *fidelibus ad ſuae ſationis curam pertinentibus* ſcripſit contra Petilianum, quaeque iam inde ab Auguſtini tempore, ſicuti in libro II. Retractationum cap. XXV teſtatur, prioris aduerſus eiuſdem haeretici litteras libri locum obtinuit. Nec *Secundini* Manichaei ad *Auguſtinum Epiſtolam* huc retrahere ſuſtinuerunt, ſed in ſexto operum tomo reliquerunt, ſcilicet ob id ſolum legendum, vt ea plenius intelligantur, quae illic adverſus Secundini errores diſputat Auguſtinus.

Denique nec ſolum editas Epiſtolas reddidiſſe videri voluut, ſed nouas aliquot primi in lucem protulerunt; cuiuſmodi ſunt *Auguſtini* adhuc Preſbyteri ad *Alypium, epiſcopum Tagaſtenſem, epiſtola* n. XXIX, duae *Auguſtini,* item *Auguſtini* et *Alypii* ad *Paulinum Nolenſem epiſtolae*, quibus numerus earum Epiſtolarum in Poſſidii indice adnotatus completur, num. XLII et XLV, *Auguſtini Epiſtola* ad *Mercatorem*, ex tertia parte olim exhibita in libro ad Dulcitium, nunc autem primum ex integro data, num. CXCIII. Attamen miratio ſubit, qui factum ſit, vt licet *quatuor* epiſtolae de nouo, *ſeptemdecim* *) autem ex aliis ſuperiorum editionum tomis huc relatae fuerint, par tamen numerus in Louanienſi et Benedictina compareat; nec eiectas eſſe ali-

 quot

*) Sunt illae 1) *ad Simplicianum*, n. XXXVII. 2) *Siluani etc. Catholicorum Epiſcoporum collatio ad Marcellinum*, n. CXXVIII. 3) *Eorumdem ad Marcellinum*, n. CXXIX. 4) *ad Pelagium*, n. CXLVI. 5) *Timaſii et Iacobi*, n. CLXVIII. 6) *ad Aurelium*, n. CLXXIV. 7) *ad Valerium Comitem*, n. CC. 8) *Honorii et Theodoſii*, n. CCI. 9) *ad Claudium,*

quot ab illis, praeter *Altercationem cum Paſcentio*, vllo indicio proditum ſit. Iam quod rationes attinet, quibus in conſtituenda epiſtolarum aetate atque loco ducti fuerint, de ſingulis ſigillatim expoſuerunt, et in commentarium iuxta claſſes diuiſum retulerunt inſcriptum: *Epiſtolarum Ordo Chronologicus argumentis demonſtratus.* Nec indices, quoſcunque vſus requirere videbatur, deſiderari paſſi ſunt, in quibus maxime inſignis is eſt, in quo epiſtolae ſecundum praecipua eorum argumenta digeſtae ſunt, et epiſtolae *Theologicae*, *Polemicae*, *Exegeticae*, *Eccleſiaſticae*, *Morales*, *Philoſophicae*, *Hiſtoricae* et *Variae* denique recitantur.

Tomo Tertio:

Opuſcula exegetica, per Tomum III. IV et IX. in Louanienſi diſtracta, ſecundum Scripturarum ordinem diſpoſita et in duas partes, Veteris et Noui Teſtamenti, ſunt diuiſa, praemiſſis in fronte libris de Doctrina Chriſtiana, *veluti clauem atque artem quandam rectae interpretandi rationis*, *quam adhibuerit Auguſtinus et poſt eum catholici commentatores.*

In prima Parte:

De Doctrina Chriſtiana lib. IV. De Geneſi ad literam imperfectus liber. De Geneſi ad literam lib. XII. Locutionum lib. VII.	} *Louan.* T. III.

Quaeſtio-

dium, n. CCVII. 10) *Aur. Aug. etc. ad Proculum et Cylinnium*, n. CCXIX. 11) *Quoduultdei*, n. CCXXI. 12) *ad Quoduultdeum*, n. CCXXII. 13) *Quoduultdei*, n. CCXXIII. 14) *ad Quoduultdeum*, n. CCXXIV. 15) *Proſperi*, n. CCXXV. 16) *Hilarii Galli*, n. CCXXVI. 17) *Anonymi*, n. CCLXX.

Quaeſtionum in Heptateuchum lib. VII. Annotationum in Iob. lib. I.	*Louan.* T. IV.
Speculum.	*Louan.* T. III.

In ſecunda Parte:

De conſenſu Euangeliſtarum lib. IV. De Sermone Domini in monte lib. II. Quaeſtionum Euangelicarum lib. II. Quaeſtionum ſecundum Mathaeum lib. I.	*Louan.* T. IV.
In Iohannis Euangelium Tractatus CXXIV. In epiſt. Iohannis ad Parthos Tractatus X.	*Louan.* T. IX.
Expoſitio quarundam propoſitionum ex Epiſtola ad Rom. lib. I. Epiſtolae ad Romanos inchoata expoſitio lib. I. Expoſitio Epiſtolae ad Galatas.	*Louan.* T. IV.

In Appendice:

De Mirabilibus ſacrae ſcripturae lib. III. *De Benedictionibus Iacob Patriarchae.* *Quaeſtiones veteris et Noui Teſtamenti.* *Quaeſtiones veteris et Noui Teſtamenti poſt vulgatae.*	*Louan. App.* T. III.
In B. Iohannis Apocalypſin Expoſitio.	*Louan. App.* T. IX.

Praecipiunt in Praefatione de eximiis Auguſtini dotibus in exponendis Scripturis, multa quidem, nec inepta tamen ipſius laude. Vitia eius non defendere,

dere, ſed excuſare ſtudent. De verſione, qua in exponendo Veteri Teſtamento vſus fuerit, monent, eum ipſum Graecum contextum τῶν LXX. ab eo receptum eſſe, quem recenſuit Nobilius; huiuſque pleraſque variantes ex Auguſtino lectiones ex editionum vitiis ortas eſſe, quae veterum codicum ſubſidio in ſua editione ſuſtulerunt. In libris autem Locutionum et Quaeſtionum in Heptateuchum, quos iam ſenex compoſuit, itemque in Speculo, quod ſub finem vitae ſuae exarauit, verſionem eum conſuluiſſe docent, ex Hebraeis fontibus proxime deriuatam, vulgari noſtrae conuenientem, et forſan Hieronymianam; indeque factum eſſe colligunt, vt eadem in manus populi ab Auguſtino per librum huncce, ex variis Scripturae centonibus collectum, tradita, vulgaris euaſerit ac receptiſſima. Quod ad ſuam operam, cauent imprimis, ne quis negligentiae aut temeritati ſuae tribuat, ſi in nonnullis Scripturae teſtimoniis varietatem apud Auguſtinum deprehenderit, atque vnam eandemque ſententiam non conſtanter in integrum vbique, ſed certis quibuſdam in locis reſtitutam, ſed potius religioni et ſincerae fidei, qua codicum ſemper optimorum veſtigia ſecuti fuerint.

Tomo Quarto:

Enarrationes in Pſalmos continentur, quas octauus Louanienſium Tomus complectitur.

In praefatione exponunt de diuerſa enarrationum harum methodo ac indole, pro variis, a quibus progignebantur, occaſionibus; item de regulis, quas in interpretando ſeruauerit Auguſtinus, quae quidem, vt ex libro de Doctrina Chriſtiana diſcimus, ad duplicem de litera, et de ſenſu ſpiritali curam redeunt. Ad vtrumque igitur argumentum plurima vtilia obſeruant, in quibus, vt facile intelligitur, ea ſunt potiora,

tiora, quae de ſtudio Auguſtini, vt textum purum et integrum conſequeretur, componendo partim Latina, partim Graeca exemplaria, atque colligendis examinandiſque variantibus lectionibus, diſſerunt. Omnino autem, quae in commendationem huius operis ab iis afferantur, dicta eſſe volunt, vt generatim Auguſtini methodum defendant; non vero, *vt extorqueant ab omnibus, vt vel leuiſſimas eiuſdem alluſiones eadem, qua ipſi, veneratione proſequantur.* Satis eſſe, ſcribunt, ſi non indignas materia, quae tractatur, aequi rerum aeſtimatores iudicarent. Quoplurimum conducere exiſtimant, ſi reputarent, Auguſtinum temporis ingenio ſeruire ac plebis captui ſeſe accommodare, ad exemplum ab ipſo numine in ſacris literis propoſitum, debuiſſe. Inſuper de commentariorum horumce merito non eſſe pronuntiandum comparate ad Hebraeum textum hodiernum, neque etiam ad Hieronymianum; ſiquidem Auguſtinus LXX. interpretes, qui forte Hebraeum exemplar aeque vel etiam magis emendatum habuiſſent, ſequendos ſibi propoſuerit. Ac hoc loco ſequitur iam ad finem vſque praefationis pertingens digreſſio *de variis Pſalterii verſionibus* ex LXX. Interpretatione deductis, quae Auguſtini ac Hieronymi aetate vſurpatae fuerint. Inter hanc autem diſputationem ſubnata eſt illis cogitatio, permultis ſane et eorum etiam, qui minus Auguſtinum curant, grata futura, vt diſpicerent, *quem locum inter alia Pſalteria Auguſtinianum ſibi vindicaret; an variae illae lectiones, in quibus a Vulgata noſtra diſſidet, aliorum ſuffragio innitantur; et vtrum tandem cum Graeco LXX. Interpretum, quod noſtra hac memoria exſtat, plus minuſue conſentiat.* Quod vt bene ipſis cederet, exemplaria diuerſa, tum prelo, tum calamo edita contulerunt, varietateſque, quas deprehende-

henderent maxime inſignes, iuxta cum Auguſtinianis in quadam veluti tabula proxime poſt praefationem repraeſentarunt, addito MSS. et editorum exemplarium indiculo.

Tomo Quinto:

Duabus ille partibus complectitur Sermones ad populum in quatuor claſſes diuiſos, nempe *Parte prima:* 1) Sermones de ſcripturis veteris et noui Teſtamenti. 2) Sermones de Tempore. *Parte ſecunda:* 3) Sermones de Sanctis. 4) Sermones de Diverſis. Quibus 5) ſuccedunt Sermones dubii; in Appendice vero Sermones ſuppoſititii, quaternis ſimiliter claſſibus comprehenſi.

Scilicet ex *decimo* Tomo, vbi apud Louanienſes legebantur Auguſtiniani Sermones, in *quintum* tranſtulerunt, vt, cum plerique in Scripturam Sacram habiti eſſent, propius a Tractatibus tertii et quarti tomi, quibus eadem illa exponitur, quoſque maximam partem concionum formam prae ſe ferre dicunt, abeſſent. Nouo praeterea ac diuerſo a ſuperiore, quem in generali recenſu ſcriptorum Auguſtini n. 116. dedimus, ordine eos adſtrinxerunt, quo et ſecundum genuinam ſuam ſeriem diſponerentur, et ab adulterinis et ſuppoſititiis omnibus ſeiungerentur. Erat ſane in his tanto plus arbitrii, quod neque ab ipſo Auguſtino, neque in Poſſidii catalogo vel minima de iis ordinandis extaret praeceptio, nec denique vllius diſtinctae collectionis tractatuum Auguſtini viuente eo, aut poſt ex certis codicibus, factae memoria ad nos perlata ſit. Tres enim antiquiores, quae ſuperſunt collectiones, *de Verbis Domini*, *de Verbis Apoſtoli*, *et Homiliarum quinquaginta*, licet in codicibus octingentorum annorum et amplius reperiantur, nequaquam tamen, vt aliqui perſuadere

ſunt

ſunt conati, ipſius Auguſtini aetatem attingunt, vt Benedictini Patres tum ex ſilentio Poſſidii, tum vero etiam, quod ſuppoſititiis non carent, demonſtrarunt*). Ac primam quidem claſſem *de verbis Domini*, obſeruant Benedictini, non eodem ordine Sermones vbique in vetuſtis exemplaribus oſtendere. Plurima quidem cum editionibus conſentire, ſed non omnia. Coniectaſſe hoc ipſum ex locis a Beda ſeu Floro excerptis Theologos Louanienſes, ſe vero certum plane deprehendiſſe in codice Bibliothecae Colbertinae annorum fere octingentorum n. 2821. vnde non paucos depromſiſſe ſe fatentur ſermones antea non editos. Germanam quoque huius claſſis inſcriptionem, cum Flori, tum MSS. bene multorum teſtimonio comprobatam, monent, non *de verbis Domini*, ſed *de verbis Euangelii* ſonaſſe: quod Auguſtini commentationes in omne genus locorum e quatuor Euangeliis petitorum complecteretur.

Secundam claſſem *de verbis Apoſtoli*, eorundem eſt obſeruatio, nuſquam niſi cum illis coniunctam reperiri, quamuis dentur exemplaria, in quibus Sermones *de verbis Domini*, ſine illis *de verbis Apoſtoli* occurrant. Vnde colligunt, duas haſce claſſes nihil aliud eſſe, quam vnam Sermonum in Scripturam noui Teſtamenti collectionem.

Ter-

*) Ex lectionariis eas fuiſſe digeſtas, alioſque deinceps Sermones ex aliis Lectionariis deſcriptos, Auguſtinianis adiectos in editionibus, quae ſubinde apparuerunt, docent *Ballerinii* in *Praef. ad Sermones S. Leonis.* T. I. *opp.* P. I. §. LXIV. Addunt ibidem, non deeſſe alios, qui adhuc ex iiſdem fontibus deriuari queant eiuſdem S. Doctoris Sermones, et ſeſe ipſos viginti amplius genuinos eius Sermones in *Anecdotis Miſcellaneis* aliquando edituros eſſe.

Tertiam porro claſſem, aiunt, ſemper quidem ab aliis ſeparatam inueniri, at non raro numeroſiorem, quam in excuſis. Modo enim duos, modo quatuor, aut etiam plures ſupra quinquaginta Sermones in MSS. nonnullis exhiberi; tametſi propemodum in omnibus Sermones integri ex iis, qui numerum quinquagenarium in vulgatis libris conficiunt, deſiderentur. Omnino autem de his iudicant, Collectionem Caeſarii temporibus non poſſe dici antiquiorem propterea, quod eidem tot homiliae ab ipſo ſcriptae inſerantur et pleriſque aliorum recapitulationes ab eiuſdem ſtilo non abhorrentes aſſutae fuerint. Truncatos porro eſſe vt plurimum in ea Auguſtini ſermones, ac breuibus quibuſdam exordiis atque epilogis omni auditorum generi accommodatis interpolatos. Haec fere de tribus antiquioribus Sermonum Auguſtini collectionibus Benedictini cenſent. Iam inſequentes, exceptis Sermonibus *ad fratres in eremo*, quos ſequens Tomus habet, tempore inuentae iam typographiae exortae multo minus accuratiores ſunt, quippe e codicibus longe pluribus et magis inuicem diuerſis erutae; quique dehinc paſſim in editionibus variis additi fuerunt ſermones, eos nulli certo generi adſcriptos eſſe conſtat. Harum ergo claſſium cum maxime arbitraria fuiſſet deſcriptio, eademque tantum confuſionis ac turbarum ſecum ferret *), penitus eam abolitam et cum

*) „Animaduertet aliquis, *inquiunt Maurini Patres*, Sermones, qui commodius in quatuor claſſes reuocantur, in duodecim, quarum aliae debita aliis argumenta continebant, fuiſſe diſtractos. Agnoſcet libros, quos vocant *de verbis Domini* et *de verbis Apoſtoli*, tantummodo partem complecti ſermonum eorum, qui ad hoſce titulos pertinebant; intelliget Sermones de Feſtis, cum eos in claſſes de

cum accuratiore et concinniore permutatam eſſe nemo non, qui lubenter hocce S. Doctoris pabulo fruitur, debita cum laude editorum agnoſcet.

Alterum, quod in Sermonum editione praeſtare ſunt conniſi, eſt ſpuriorum a genuinis ſeparatio. In quo negotio haec potiſſimum ad iudicium regundum valuiſſe ſibi momenta fatentur: 1) Stilus, ſeu color, aut propria quodammodo orationis facies in Auguſtini aeque ac in aliorum inſignium ſcriptorum meditationibus facile conſpicua, ea cautione, vt eundem pro aetatis ratione, et rerum, quas iuuenis et maturiore deinde aetate tractauit, diuerſitate, itemque commentandi methodo, dum alios accurate et cum meditatione elucubratos, alios ex tempore fuſos eſſe conſtet, variare aliquantum debuiſſe cogitarent. „Ad huiuſmodi ergo, *inquiunt*, cenſuram recte ob„eundam, praeterquam quod ſtilus operis dubii ad „ſingula indubitata opera exigendus eſt, nequaquam „vis illa, ſiue ſpiritus, quo ſtilus quaſi animatur, „poſthaberi debet. Vbique enim agnoſcitur Augu„ſtinus proprio quodam eloquentiae grauis ac ſeriae „genere, quod ſibi lectorum animos ſubiicit, non „lepore comtae atque affectatae elocutionis, ſed effi„cacia quadam iudicii, prudentiae, pietatis, hone„ſtatis, modeſtiae, comitatis, aliorumque virtutum, „quae paſſim in eius oratione adeo fulgent atque „emi-

de *Tempore* et de *Sanctis* coactos oportuiſſet, in alias ſeptem aut octo diſſipatos, et ex Sermonibus amplius triginta, qui de feſtis Paſchalibus, vt hoc exemplo vtamur, inſcribuntur, nonniſi decem in ſerie de *Tempore* inueniri, alios vero, ſi quis omnes euoluere in animo haberet, inter L. homilias, a Pariſienſibus additas, in vtraque claſſis de *Diuerſis*, ac in poſterioribus claſſibus perueſtigandos. "

„emicant, vt ipſius ſtilum nemo imitatione aſſequa„tur. Hic eſt praecipue Lydius lapis, quo Sermo„nes vere Auguſtiniani probantur; et ad quem Ap„pendicem ſi quis adhibeat, in eam prope vniuer„ſam cognoſcet cadere illud poſſe, quod de Hy„pognoſtico pronuntiatum eſt: *Et ſenſus ab illius „ſenſu inferior habetur, et modeſtia atque humilitas „morum et ſermonum eius non ibi ſeruatur.*" 2) Verſio, qua ſinguli in teſtimoniis ſcripturae Veteris Teſtamenti vtantur. Cum enim Auguſtinus ſequi ſolet translationem antiquam, nouam autem, id eſt Hieronymianam ex Hebraeo concinnatam, iam inde a ſaeculo quinto Saluianum Maſſilienſem, Eucherium Lugdunenſem, Leonem Romanum alioſque amplexos eſſe conſtet, facile intelligitur, quam late huius iudicii vſus atque applicatio pateat. Hoc loco notamus, Benedictinos addidiſſe noua quaedam partim ad ſupplenda, partim etiam defendenda a quorundam obiectionibus ea, quae in praefatione Tomi quarti de Translatione Vulgata Pſalterii diſſeruerunt. 3) Doctrina, vt ſcilicet in vnaquaque examinarent, vtrum cum Auguſtiniana ſiue in fidei ac morum dogmatis, ſiue in Scripturae expoſitione ac vſu congrueret, non praetermiſſis iis, in quibus aut ſententiam, aut loquendi rationem eum mutaſſe compertum erat. 4) Obſeruatio temporum, locorum, perſonarum, negotiorum, factorum, errorum, aliorumque ſimilium, de quibus in Sermonibus diſputatur, vnde plurima ad ſtatuendam criticen argumenta ſibi depromta eſſe affirmant. 5) Indiculus Poſſidii, non quod Sermones omnes, quorum inſcriptiones ibi leguntur, Auguſtino putauerint adſcribendos, quaſi non potuiſſet a multis concionatoribus eadem materia tractari; ſed vt ei non ita facile Sermones illic minime deſignatos adſcriberent. Huic indiculo

priſcum

priſcum Carthaginienſis Eccleſiae Kalendarium, in III Tomo Analectorum Mabillonii recens tunc vulgatum, adiungentes, cenſoria nota confixerunt conciones quaſdam ad ſolemnitates, veluti *Litaniarum* ſeu *Rogationum*, *Conuerſionis S. Pauli*, *Cathedrae S. Petri*, *Annunciationis Dominicae*, *Aſſumtionis B. Mariae* etc. quarum in neutro mentio reperiebatur. 6) Bedae ac Flori collectiones in Paulum. Hic quidem tenendum eſt, Bedae collectionem eos appellare ineditam aliquam, quae ſine controuerſia illius ſit et nomine eius in MSS. exemplaribus inſcribatur; eam vero, quae inter vulgata eius opera ipſi adiudicari ſolet, Floro, diacono Lugdunenſi, tribuunt eandemque ſententiam ſuam pluribus adſtruxerunt in III Analector Mabillonianor. tomo. 7) MSS. Codices, quorum immenſam copiam recenſere non ſuſtinuerunt. Horum autem ſubſidio partim locos quoſdam, quibus permoti nonnulli Criticorum Auguſtinum de poſſeſſione Sermonum aliquot vere Auguſtinianorum exegerant, in excuſis compte legi deprehendiſſe ſe aſſeuerant, partim aliorum quorundam, qui ipſius eſſe ferebantur, auctores detexiſſe. Ad haec aliorum Patrum opera diligenter ſibi lecta et comparata fuiſſe profitentur, vt ſcilicet ex ſtilo et argumentis, quae tractant, dignoſcerent, quinam Sermones ipſis tribuendi eſſent, et lacinias inueſtigarent, ex quibus adulterini Tractatus conſarcinati eſſent. Eſſe autem inter eos, qui ex Origine, Cypriano, Ambroſio, Maximo, Fauſto, Gregorio Magno, Alcuino, Iuone Carnutenſi atque aliis deſumti fuerint, hac opera experti ſunt. Magnam autem partem eorum, qui Auguſtinum auctorem mentiri deprehenderunt, Caeſarium Arelatenſem agnoſcere demonſtrant, de quibus adeo pluribus nobis in Tomo tertio noſtrae Bibliothecae dicetur.

Poſtremo monent eorum, qui a ſe reiecti fuerint, longe plurimos ex illis eſſe, *quos non ſatis diſcuſſos, aut dubiae auctoritatis vocauerint* Louanienſes Theologi. Conſultas ſibi etiam eſſe aliorum in Auguſtinianos Sermones cenſuras, inter quas duas praecipuas, vnam *Simonis Verlini*, editam a. 1618. alteram *Bernardi Vindingii*, a. 1622. et cum his quoque viris, vtut ſagaciſſimis interdum hallucinari licuerit, idem ſibi, ſi nonnunquam iudicio fallerentur, conceſſum iri ſperant. Seueriſſimos denique ſe in Sermonibus nondum editis, qui Auguſtino in manuſcriptis codicibus adſcriberentur, praebuiſſe ſe affirmant, ex quorum numero longe maximo octodecim tantum cum fragmentis aliquot adiiciendos curarunt, vtpote in quibus illius character, ingenium ac doctrina luicidiſſime emicaret.

Tomo Sexto:

Opera moralia cum aliquot quaeſtionum libris comprehenduntur, hoc ordine:

De diuerſis quaeſtionibus LXXXIII. lib. I. De diuerſis quaeſtionibus ad Simplicianum lib. I. De octo Dulcitii quaeſtionibus lib. I.	*Louan.* T. IV.
De fide rerum, quae non videntur, lib. I.	- - - IV. App.
De fide et Symbolo lib. I.	- - - III.
De fide et operibus lib. I.	- - - IV.
Enchiridion de fide, ſpe ac caritate lib. I. De agone Chriſtiano lib. I.	- - - III.
De catechizandis rudibus lib. I.	- - - IV.

De

De continentia lib. I.	*Louan.* T. IV.
De bono coniugali lib. I. De ſancta Virginitate lib. I.	- - - VI.
De bono Viduitatis lib. I.	- - - IV.
De coniugiis adulterinis lib. II.	- - - VI.
De Mendacio lib. I. Contra Mendacium lib. I.	- - - IV.
De opere Monachorum lib. I. De diuinatione Daemonum lib. I.	- - - III.
De cura pro mortuis gerenda lib. I. De patientia lib. I.	- - - IV.
De ſymbolo ad Catechumenos tractatus IV. De diſciplina Chriſtiana tr. I. De cantico nouo tr. I. De quarta feria tr. I. De cataclyſmo tr. I. De tempore barbarico tr. I. De vtilitate ieiunii tr. I. De vrbis excidio tr. I.	- - - IX.

In Appendice:

Liber XXI Sententiarum. *Dialogus LXV quaeſtionum.*	*Louan.* T. IV. App.
Liber de fide ad Petrum. *De Spiritu et anima.*	- - - III. -
De amicitia. *De Subſtantia dilectionis.*	- - - IV. -
De diligendo Deo. *Soliloquia.* *Meditationes.* *De contritione cordis.*	- - - IX. -

Manuale. *Speculum.* *Speculum aliud quod dicitur peccatoris.* *De triplici habitaculo.* *De ſcala paradiſi.* *De cognitione verae vitae.* *De vita Chriſtiana.*	*Louan.* T. IX. App.
De ſalutaribus documentis.	- - - IV. -
De duodecim abuſionum gradibus.	- - - IX. -
De ſeptem vitiis et ſeptem donis Spiritus Sancti.	Ex ſupplemento Vignerii.
De conflictu vitiorum et virtutum. *De Sobrietate et caſtitate.*	*Louan.* T. IX. App.
De vera et falſa poenitentia.	- - - IV. -
De Antichriſto. *Pſalterium, quod Auguſtinus matri ſuae compoſuiſſe fertur.* *Expoſitio cantici Magnificat.* *Tractatus de Aſſumtione B. Mariae.* *De viſitatione infirmorum lib. II.* *De rectitudine catholicae converſationis.*	- - - IX. -
De Symbolo.	- - - X. -
De eſu Agni.	Ed. Par. X. App.
Sermones ad Neophytos.	A Iac. Sirmondo editi.
De creatione primi hominis. *De vanitate ſaeculi.* *De contemtu mundi.*	*Louan.* T. IX. App.

De bono diſciplinae. *De obedientia et humilitate.*	*Louan.* T. IX. App.
Sermones alii ad populum.	Ex App. T. X. Edit. Par. aut ex Vignerio aut Sirmondo.
Sermones ad fratres in Eremo.	*Louan.* T. X. App.

Haec quoque opuſcula, vt ex appoſitis numerorum notis patet, in diuerſos a Louanienſibus Tomos diſtracta erant, et partim inter exegeticos, partim inter polemicos libros, nonnulla vero poſt tractatus in Iohannem legebantur. Fundamentum ordinis noui eſt generis atque argumenti ſimilitudo, qua effectum iri ſperabant, vt continenter ac ordinate perlecta et melius intelligerentur, et altius infigerentur ſtudioſorum animis. Quod criticae partes attinet, receſſerunt ſubinde ab aliorum iudiciis et nonnulla genuinis aſſeruerunt a Louanienſibus reiecta, et eliminarunt contra, quae pro ſinceris venditari antea ſolebant. Appendicis praecipuam curam habuerunt, imprimis eruendis et declarandis veris librorum Auguſtino ſubditorum auctoribus.

Tomo Septimo:

De ciuitate Dei contra Paganos lib. XXII.

In Appendice

Exhibentur ſcriptiones aliquot de Stephani martyris detectione, translatione et miraculis, ſcilicet

Auiti ad Palchonium Epiſtola de reliquiis S. Stephani, et de Luciani epiſtola a ſe e Graeco in Latinum verſa.	*Louan.* T. X. App.

Luciani Epiſtola ad vniuerſam Eccleſiam de reuelatione corporis Stephani martyris.	Louan. T. X. App.
Anaſtaſii ad Landuleum epiſtola de ſubſequente ſcriptura.	
Scriptura de alia detectione ac translatione S. Stephani in vrbem Bizantium, quam Anaſtaſius Latinitate donauit.	
Seueri Epiſtola ad omnem Eccleſiam de virtutibus in Minoricenſi inſula factis per reliquias ſancti Stephani.	
De miraculis ſancti Stephani lib. II. ad Euodium.	

Inſignem plane manuſcriptorum exemplarium copiam, quam hoc opus propter multifariam hiſtoriam et reconditiorem doctrinam poſtularet, a ſe collatam fuiſſe teſtantur Benedictini. Repetierunt quoque *Capitulorum cum argumentis ſuis diſtinctionem*, tanquam ipſius Auguſtini opera aut iuſſu concinnatam operique abſoluto adiectam, quod codicum ante annos nongentos exaratorum teſtimonio comprobari dicunt. Ex virorum doctorum commentariis, quae in hos libros extant vberioribus, non improbando, vt nobis quidem videtur, conſilio, perpauca admodum excerpta ſunt, et criticis notulis interſperſa.

Tomo Octauo:

Opera polemica aduerſus Iudaeos, Manichaeos, Priſcillianiſtas et Arianos, cum praefixo in capite libro

de

de haereſibus et adiunctis in calce libris de Trinitate, exhibentur.

De haereſibus ad Quolduultdeum lib. I. Tractatus aduerſus Iudaeos. De vtilitate credendi ad Honoratum lib. I. De duabus animabus contra Manichaeos lib. I. Acta ſeu Diſputatio contra Fortunatum Manichaeum lib. I. Contra Adimantum Manichaei diſcipulum L. I. Contra epiſtolam Manichaei, quam vocant Fundamenti lib. I. Contra Fauſtum Manichaeum lib. XXXIII. De Actis cum Felice Manichaeo lib. II. De natura boni contra Manichaeos lib. I. Contra Secundinum Manichaeum lib. I. Contra aduerſarium Legis et Prophetarum L. II. Ad Oroſium contra Priſcillianiſtas et Origeniſtas lib. I. Sermo Arianorum. Contra Sermonem Arianorum lib. I. Collatio cum Maximino, Arianorum epiſcopo.	*Louan.* T. VI.

Contra eundem Maximinum Arianum lib. II.	*Louan.* T. VI.
De Trinitate lib. XV.	- - - III.

In Appendice:

Tractatus contra quinque haereſes. *Sermo contra Iudaeos, Paganos et Arianos.*	*Louan.* T. VI.
Dialogus de altercatione Eccleſiae et Synagogae.	- - - VI. App.
De fide contra Manichaeos liber Euodio tributus.	- - - VI.
Commonitorium (vulgo Auguſtini) *de recipiendis Manichaeis, qui conuertuntur.*	- - - X. App. Edit. Par.
Contra Felicianum Arianum de fide Trinitatis liber Vigilio Tapſitano epiſcopo reſtitutus.	- - - VI.
Quaeſtiones de Trinitate et de Geneſi, ex Alcuino deſcriptae.	- - - III. App.
De Incarnatione Verbi ad Ianuarium libri duo ex Origine collecti.	- - - IV. -
Lib. de Trinitate et vnitate Dei.	- - - IV. -
De eſſentia diuinitatis.	- - - IV.
Dialogus de vnitate ſanctae Trinitatis.	- - - X. App. Ed. Par.
Liber de eccleſiaſticis dogmatibus.	- - - III. App.

Tomo Nono:

Opera Polemica contra Donatiſtas.	*Louan.* T. VII.

Pſalmus

Pſalmus contra Partem Donati.
Contra Parmenianum lib. III.
De baptiſmo contra Donatiſtas lib. VII.
Contra literas Petiliani lib. III.
Epiſtola ad Catholicos contra Donatiſtas, vulgo de vnitate Eccleſiae lib. I.
Contra Creſconium grammaticum Donatiſtam libri IV.
De vnico baptiſmo contra Petilianum.
Breuiculus Collationis cum Donatiſtis.
Poſt Collationem ad Donatiſtas lib. I.
Sermo ad Caeſareenſis Eccleſiae plebem Emerito praeſente dictus.
De geſtis cum Emerito.
Contra Gaudentium Donatiſtam epiſcopum. L. II.

} *Louan.* T. VII.

Sermo de Ruſticiano ſubdiacono, a Donatiſtis rebaptizato et in diaconum ordinato. — Ex ſupplemento Vignerii.

In Appendice:

Contra Fulgentium Donatiſtam, incerti auctoris liber.
Excerpta et ſcripta vetera ad Donatiſtarum hiſtoriam pertinentia. — *Louan.* T. VII. App.

Tomo Decimo:

Opera Polemica contra Pelagianos.

De

De peccatorum meritis et remiſſione et de baptiſmo parvulorum ad Marcellinum lib. III.
De ſpiritu et litera ad eundem lib. I.
De natura et gratia contra Pelagium, ad Timaſium et Iacobum lib. I.
De perfectione iuſtitiae hominis epiſtola, ſeu liber ad Eutropium et Paulum.
De geſtis Pelagii ad Aurelium lib. I.
De gratia Chriſti et de peccato originali contra Pelagium, ad Albinam, Pinianum et Melaniam lib. II.
De nuptiis et concupiſcentia ad Valerium lib. II.
De anima et eius origine contra Vincentii Victorem lib. IV.
Contra duas epiſtolas Pelagianorum, lib. ad Bonifacium l. VI.
Contra Iulianum haereſis Pelagianae defenſorem lib. IV.
De gratia et libero arbitrio ad Valentinum et cum illo monachos Adrumetinos lib. I.
De correptione et gratia ad eoſdem lib. I.
De praedeſtinatione ſanctorum ad Proſperum et Hilarium l. I.

} *Louan.* T. VII.

De

De dono perſeuerantiae ad eosdem lib. I.	*Louan.* T. VII.
Contra ſecundam Iuliani reſponſionem imperfectum opus, ſex libros complectens.	Ex Vignerii Supplem.

In Appendice.

Prima Parte.

Hypomneſticon contra Pelagianos et Caeleſtinos, vulgo libri Hypognoſticon. *Liber ſuſpecti auctoris de praedeſtinatione et gratia.* *Libellus incerti auctoris de praedeſtinatione Dei.*	*Louan.* T. VII. App.

Secunda Parte.

Varia ſcripta et monumenta ad Pelagianam hiſtoriam pertinentia.

Tertia Parte.

Proſperi Aquitani pro Auguſtino contra iniquos doctrinae ipſius de gratia et praedeſtinatione reprehenſores apologetica opuſcula ſcilicet.

Epiſtola ad Rufinum de gratia et libero arbitrio.

Liber contra Collatorem. *Reſponſiones ad capitula calumniantium Gallorum.* *Reſponſiones ad capitula obiectionum Vincentianarum.*	*Louan.* T. VII. App.

Reſpon-

Reſponſiones ad excerpta, quae de Genuenſi ciuitate ſunt miſſa.	*Louan.* T. V. App.
Eiuſdem liber ſententiarum ex Auguſtino,	- - - III. -
Auguſtini Vita, auctore Poſſidio.	- - - I.
Indiculus librorum, tractatuum et epiſtolarum Auguſtini, cura Poſſidii editus.	

Cum trium poſteriorum voluminum ſeries fere tota cum Louanienſium ordine conſentiat, minor in his labor exantlandus fuit. Quapropter in ipſas rerum tractatarum origines et cauſas acrius incubuerunt, ac Donatiſticarum et Pelagianarum litium hiſtoriam in introitu cuiuſuis tomi accurate enucleari ſtuduerunt. Cui induſtriae debetur etiam, quod in Appendice vltimi Tomi quaedam aliena incerta ſint, quo plenior ſcilicet rerum iſtarum memoria ex iunctis monumentis hauriri poſſet.

Tomo Vndecimo

inſunt, primo loco, praefationes generales duae, vna in opus vniuerſum, quae de conſilio, occaſione, auxiliis, laborum diſtributione, ſucceſſu, offendiculis, patronis eius exponit, altera breuior in Appendices ſingulis Tomis adiunctas, et ipſa denique huius vndecimi voluminis contenta. Ad hanc poſteriorem proxime ſpectat indiculus ſcriptorum, quibus tanquam veris auctoribus varia opuſcula Auguſtino perperam tributa denuo aſſeruerunt. Haec excipit *Vita S. Auguſtini* ex Tillemontii ſchedis, quas adhuc tum ineditas auctor ipſis communicauerat, fere traducta. Hanc pone ſequuntur indices librorum, nempe vnus, qui ſeriem librorum tomi cuiusque

que

que nouae editionis; ſecundus, qui Louanienſis ordinem oſtendit; tertius alphabeticus ſingulorum opuſculorum. Proximi ſunt indices rerum: primus vniuerſalis in omnia decem Tomorum contenta copioſiſſimus et mole ſua ampliſſimus; alter generalis ſcripturarum ſacrarum; tertius denique omnium ſpuriorum opuſculorum, quae per decem voluminum Appendices diſperſa ſunt.

Supereſt, vt de iis adhuc verba faciamus, quae ex MSS. exemplaribus iam primum excuſis incrementa atque ornamenta duxerit Maurina editio. Non leuem ſane Louanienſes Theologi congeſſerant copiam codicum manu exaratorum et tamen omnes fere vnum ſuppeditauerat Belgium, ſi Anglicanos nonnullos, ſed qui ſerius ad manum peruenerant, excipias. Longe igitur vberior variantium lectionum meſſis ex Gallicanis, monaſteriorum imprimis, Bibliothecis expectari poterat, quarum colligendarum induſtria magis etiam accendebatur beneficio tam inſigni, quam inſperato. Nimirum centum ipſi iam expleti erant anni, cum ſub auſpiciis *Sixti*, dein *Clementis VIII.* nouuam Auguſtini operum editionem Vaticanis codicibus ſuperſtruendam aggreſſi erant *Petrus Morinus*, Vaticanae typographiae praefectus, *Adrianus* Abbas, *Obrius*, Doctor Pariſienſis, aliique docti viri, confiſi et numero exemplarium manuſcriptorum et bonitati, quippe quae plurima adeo continere affirmarent, quae in Louanienſi editione quantumuis accurata deſiderarentur. Collati itaque ſunt Louanienſes libri cum Vaticanis codicibus perquam accuratiſſime et ad marginem appoſitae variantes lectiones ad adornandam editionem, cui Cardinalis Veronae ſacri collegii princeps praefectus fuit. Verum cum res effectu caruiſſet, omnes illae variationes iuſſu *Clementis X.* per Cardinalem Bonam

nam cum Benedictinis ſunt communicatae, vt iis in noua editione ſua vterentur. Tum vero vndiquaque tum ex ſuis, tum alienis per Galliam Bibliothecis conquirere coeperunt ſubſidia, et non ſolum in ſancti Germani Pariſienſi, ſed et in aliis aliarum prouinciarum Congregationis ſuae monaſteriis ſodales ad conferendos codices adſtrinxerunt. Ac horum quidem omnium immenſa plane fuit copia, ex quibus textus quam plurimis in locis vere emendatus eſt, in aliis tamen locis potiores tantum lectiones variantes ſubnotatae ſunt. Emendationum autem, iuxta quam varietatum commemoratio partim, vt in Louanienſi, fit indiculo poſt ipſos genuinos libros exhibito, in quo etiam exemplaria, quae in ſingulis comparata ſunt, nominatim demonſtrantur; partim vero ſub ipſo ſtatim textu: cuius diſtractionis cauſas nec ab editoribus proditas inuenimus, nec ipſi aſſequi potuimus. Qui vero in appendices reiecti ſunt libri, etſi non omnino expertes fuerunt huiuſce curae, ſimili tamen adnotatione non gaudent.

Denique nefas videbitur, ſi eorum, qui praecipuas tanti laboris partes ſuſtinuerunt, nomina ſileamus. Initio igitur cura huius editionis commiſſa fuit a Praepoſitis Congregationis iſtius P. *Franciſco Delfau*, qui *Proſpectum* eius publicaſſe traditur a. 1671. Cum autem edito a. 1673. libro, cuius tit. *l'Abbé Commendataire*, exilii poenam iſte meruiſſet, concredita eſt relicta ab eo prouincia P. *Thomae Blampino*, quem in diuerſis partibus diuerſi ſodales iuuarunt. Ac *Petro* quidem *Conſtantio* debentur cenſura et indices omnium Tractatuum ſuppoſititiorum ac praeterea Sermonum recenſio. Vitam Auguſtini compoſuerunt, ſeu ex Tillemontii commentariis, paucis mutatis, traduxerant *Hugo Vaillantius* et *Iacobus du Friſche* (Ambroſii editor). Tabulam

gene-

generalem atque indices confecit *Claudius Guesnié.* *Nicolaus* denique *Goyſot* impreſſioni praefuit ac corrigendarum de prelo plagularum curam moleſtiſſimam in ſe recepit et praeclare adminiſtrauit. Nihil autem a celeberrimo *Ioanne Mabillonio* huic editioni acceſſit, quam epiſtola dedicatoria ad Ludouicum XIV, vnde recte quidem, ſed nimia fere contentione, Oudinus reprehendit Caueum, qui in Hiſtoria ſua Litteraria hanc editionem duce et ἐργοδιώκτῃ Mabillonio eſſe perfectam ſcripſerat *). De ornatu ac ſplendore operis, digno et hoc nomine quod regi offerretur, dicere ſuperſedemus, hoc vnum adiicientes, Auguſtini effigiem aeri impreſſam ſimul cum Tomo XI. exhiberi **). Grauem autem haec Benedictinorum Patrum opera reprehenſionem paſſa eſt ab *Richardo Simonio* in *Bibl. Crit.* T. III. p. 101-116.

*) *Oudin.* Comment. T. I. p. 954 ſqq. *M. Bibl. Eccl. Colon.* p. 761. *Hiſt. litt. de la Congregation de S. Maure.* p. 292.

**) Extant de hac editione multae tam iuſtae deſcriptiones, quam relationes breuiores, quarum nonnullas haud grauate commemorabimus. Ac primo loco nominanda ſunt Diaria Erudita, quae, ſimulac ſinguli Tomi prodierant, eos indicarunt. Quo pertinent *Diarium Erud. Gall. (Journal des Sçav.) Pariſienſe* (40) ad Tomum I. April. 1679. p. 96. ad Tom. II. *ibid.* p. 114. ad Tom. III. *ibid. Aug.* 1680. p. 272. ad Tom. IV. *ibid. Noubr.* 1683. p. 325. ad Tom. V. *ibid. Febr.* 1684. p. 46. ad Tomum VI. *ibid.* 1685. Dec. p. 545. ad Tom. VII. *ibid. Ian.* 1686. p. 18. ad Tom. VIII. *ib. Septemb.* 1688. p. 415. ad Tom. IX. *ib. eod.* m. et a. p. 422. *Acta Erud. Lipſ.* T. II. 1683. in Ian. pag. 1-5. T. VII. 1688. m. Noubr. pag. 1618 23. Frequentior etiam in commentariis literariis occurrit eius memoria, veluti apud *Caueum* in Hiſt. lit. T. I. ed.

116. iterumque in *Cenſura Bibl. Eccl. Dupinii* T. I. p. 147. Et primum quidem vniuerſe ſuccenſet iis, qui nouis ſemper omnium operum ſcriptorum eccleſiaſticorum iterationibus medendum eſſe exiſtiment ſuperiorum vitiis aut defectibus, quod multo aptius et commodius, minori item ſumtu fieri poſſet, ſi libri ſingulares minimae molis, ſed a iudicio auctorum ſuorum tanto ditiores ederentur, in quibus vel integra recenſio vel ſupplementa et variarum lectionum delectus proſtarent, cuiuſmodi exempla producit, *Arcudii Collationes Iſidorianas* et *Combefiſii Baſilium integro recenſitum*, et in ipſo Auguſtino ſimile laudauimus ſupra *ſupplementum Vignerii*. Quam viri docti aeque ac ſagacis ſententiam nobis etiam haud diſplicere fatemur, tametſi veram omnino et iuſtam non cenſeamus. Etenim in re literaria, quem-

prior. Lond. p. 242. ed. Oxon. a. 1740. pag. 292-298; *Io. Fabricium* in *Hiſt. Bibliothecae propriae* T. I. (1717.) p. 203-29. † *Oudin.* in *Comment. de SS. Eccl.* T. I. pag. 954-85; † in *Bibl. Magna Eccleſ. Colon.* T. I. (a. 1734.) p. 761-65. in *Bibl. Crit. Sacra et Prof. Michael. a S. Ioſepho.* T. I. (a. 1741.) pag. 419-23. in *Bibl. Caſan. Cat.* T. I. (1761.) pag. 338-40. in *Bibl. Auguſtiniana Io. Fel. Oſſingeri* (a. 1768.) p. 1-8. Quorum potiores et accuratiores appoſito ſigno crucis diſtinximus. Poſſem etiam hic commemorare *Dupinium* T. III. p. 160 ſeqq. et *Ceillerium* in *hiſt. gen. des aut. eccl.* T. XI. p. 41. T. XII. pag. 255. (a. 1744.). Sed hi non tam editionis curam habuerunt, quam indicem Auguſtini ſcriptorum iuxta eandem contexuerunt, argumento vniuscuiuſque et occaſione vbique fuſius declarato. Iam qui vnum forte aut alterum ex hiſce libris, aut omnes iuxta ad manum habent, comparent, ſi lubet, noſtra cum iiſdem et cognoſcent, ſpero, nobiſne libuerit aliorum induſtria frui, an ipſi excuſſerimus ſingula.

quemadmodum in vita communi dandum eſt aliquid tempori et delicatiorum aut nummatorum hominum oblectamentis. Rareſcunt porro ipſo temporis lapſu et vſu antiquiorum editionum exemplaria, et ſi in plures regiones perferenda ſunt, quamuis ſaepe repetita, haud facile obueniunt. Quod in Louanienſi editione manifeſtum, cuius Antwerpienſis deſcriptionis exempla per Germaniam ſunt rariſſima, ex Gallicanis nonniſi pauca et vnius fere impreſſionis, primae ſcilicet a. 1586. oſtendi ſolent. Vt nihil dicam de *Vignerii Supplemento*, quod per multas puto Bibliothecas fruſtra quaeſiueris, ſine quo tamen omnia Louanienſis huius recenſionis apographa manca eſſe conſtat. Illud autem omnino praeter veritatem contendit Simonius, nouam Auguſtini editionem poſt Louanienſem locum non habuiſſe et iniquius ſtatuit, Louanienſem Benedictinae multis ex cauſis eſſe praeferendam, idemque dicemus, ſi iudicium hocce ſuum ad reliquas Benedictinorum Patrum Latinorum vel Graecorum editiones extendere velit, e quibus vix vllus eſt, Hilarium ipſe excipit, quin recentem tunc ab ingeniis eruditorum et preli munditie cultum deſideraſſet. Vt vero ad ea tandem accedamus, quae in ipſa hac Patrum Maurinorum opera vel perperam, vel imperite facta eſſe queritur, reprehendit primum, omiſſas eſſe notas Louanienſium Theologorum eccleſiae catholicae cauſae tam vtiles (nam id ſibi vult *ſi importantes à la Religion)*. Nec vero eam excuſationem admittendam cenſet, qua ab omnibus omnino Theologicis notis ſeſe abſtinuiſſe affirmant. Quippe quod partim ab iis factum eſſe negat, partim damnat, quod criticis obſeruationibus aeque in Theologia ac in Grammatica, quam ſolam exercuerint, locus fuerit. At maius his omnibus opprobrium eſt, et quod non

parum huius editionis pretium eleuaret, ſi ſatis ille probaſſet, defuiſſe monachis eis omnes, quas critices munus ſibi poſtulet, facultates, doctrinam, iudicium et acumen. Praebet exempla aliquot, in quibus non neges, non admodum ſcite eos eſſe verſatos, ſed pleraque omnia verſionem locorum Veteris aut Noui Teſtamenti concernunt, in quibus ſi timidius aut etiam non docte ſatis aliquid elocuti ſint, quis tanto ſtomacho ferat. Praeterea pauca ſunt, et licet de multis ea ſpeciminis quaſi loco exhibere ſe ſignificat, et in altera quidem harum cenſurarum ad librum iuſtae magnitudinis conficiendum materiam de praetermiſſis et perperam dictis ſibi ſuppetere ſcripſerit; tamen quoniam hunc talem librum non ſcripſit, nec exemplorum numerum vſquam auxit, illud viri huius iudicium non temere quiſquam ſuſcipiat. Illam vero critices partem, quae ad genuitatem et integritatem librorum tendit, de qua ſemper huius congregationis monachi praeclare meruiſſe exiſtimati ſunt, quaeque in Auguſtino ſane non poſtremi laboris fuit, quam tamen Simonius ne verbo quidem attigit, quis aequus iudex, vbi ad ſententiam de toto opere ferendam conſederit, praetermittere auſit.

1700 - 1703.

Antuerpiae ſumtibus Societatis. fol. XII Tomis. Sancti Auguſtini, Epiſcopi Hipponenſis, operum T. I - XI. Poſt Louanienſium Theologorum recenſionem caſtigatus denuo etc. *vt in praecedenti.* Editio noua a multis mendis purgata. *Prodierunt T. I - V. a. 1700. T. VI. 1701. T. VII - X. 1700. T. XI. 1702; tandem 1703. Antuerpiae apud Petrum Mortier:* Appendix Auguſtiniana, in qua ſunt *S. Proſperi* Carmen de Ingratis, cum Notis Louanienſis

ſis Theologi; *Ioannis Garnerii*, Societatis Ieſu Preſbyteri, Diſſertationes pertinentes ad Hiſtoriam Pelagianam; *Pelagii Britanni* Commentarii in Epiſtolas S. Pauli; ac denique *Deſ. Eraſmi, Io. Lud. Viuis, Iacobi Sirmondi, Henrici Noriſii, Ioannis Phereponi* et aliorum Praefationes, Cenſurae, Notae et Animaduerſiones in omnia S. Auguſtini opera. *T. XII*, qui huic editioni peculiaris, vndecim prioribus ex ſola Editione Pariſienſi ſine mutatione expreſſis.

Conſtat hanc editionem non Antuerpiae, ſed Amſtelodami per Petrum Mortier, bibliopolam Amſtelodamenſem, qui non ſolum nomen ſuum in Appendicis ſeu Tomi XII. titulo profeſſus eſt, ſed ad calcem XImi quoque adſcripſit, eſſe perfectam, qua fraude id conſecuturos ſeſe ſperabant curatores, vt in terris Pontificis formulam colentibus vendibilior eſſet, ſi ex vrbe pontificiae doctrinae addicta exire videretur, quam ſi nomen vrbis heterodoxae praeferret. Nec minus peruulgatum eſt, editorem fuiſſe celebrem illum, ſed apud catholicos male imprimis audientem *Ioannem Clericum*, qui ſub *Ioannis Phereponi* larua latere voluit.

Sunt autem duo genera ſcriptorum in hanc Appendicem a Clerico coniecta, libri ſcilicet tum veterum aliquot auctorum, tum recentiorum ſcriptorum diſſertationes Auguſtiniana ſcripta illuſtrantes, quibus et praefationes et cenſurae ſuperiorum editorum accenſeri merentur, et ipſius notae recens in ſingulos Tomos operum conſcriptae. Ad prius ſpectant *Proſperi Carmen* et *Pelagii Commentarii*, de quibus iuſtior, vbi ad ipſos hoſce auctores perueneriмus, nobis dicendi locus erit; *Garnerii diſſertationes*, quae inter Proſperi et Pelagii opuſcula locum obtinent, quaeque ſimiliter ad *Marium Mercatorem* a no-

b's commemorabuntur. Ad eas autem pertinent *Henrici Noriſii Cardinalis Epiſcopi Epiſtolae, quibus Garnerii errores in Geographia Sacra Africae*, dum Epiſcopis Synodum Africanae et Numidicae ſedis aſſignauerat, *perſtringuntur* et *emendantur*, animaduerſionibus in Tomum II. ſubiectae. Ad Pelagium obſeruat editor, additurum ſe fuiſſe ſeorſim omnes eius reliquias, niſi quae praeter Epiſtolam ad Demetriadem exſtarent in ipſis Garnerianis diſſertationibus iam collectae fuiſſent, illa vero in Tomo II. Antuerpianae huius editionis inter Auguſtinianas epiſtolas locum obtinuiſſet. Quod Praefationes attinet, prima eſt *Eraſmi dedicatio* ad *Alfonſum Fonſecam*, Archiepiſcopum Toletanum, dein praefatio *Ioannis Vlimmerii*, ſermonibus a ſe a. 1564. editis praemiſſa et in ſequenti Baſileenſi repetita, tum ipſa haec Baſileenſis a. 1569. praefatio verſibus concepta ac denique Eraſmi in libros Retractationum et Confeſſionum Cenſura. Poſtremam hanc, cur ſeorſim a reliquis cenſuris Eraſmianis, quas ſuis animaduerſionibus interpoſuit, hic exſcribendam dederit, nullam video cauſam. Nec magis intelligo, cur vnam Vlimmerii praefationem ad *Pamelium*, quae proprie tantum Poſſidii indiculum vna cum Sermonibus euulgatum attinet, huc repoſuerit, alteram ad *Martinum Rithouium*, primum Yprenſem Epiſcopum, vna cum Sirmondi praefatione Sermonibus XL. Pariſiis a. 1631 publicatis adiecta, ante animaduerſiones in T. V. recudendam tradiderit. Certe in his feſtinationem quandam cognoſcere mihi videor, cuiuſmodi non raro Clericum, ſi typis aliquid parandum eſſet, vrgebat *). Sed vt ipſius tandem *Ani-*

*) Eam ipſe fatetur in admonitione animaduerſionibus in T. X. praemiſſa. Sed maior etiam conturbatio

Animaduerſiones attingamus, de iiſdem vniuerſe pronuntiauit: „ſe non aggreſſum eſſe Commenta„rium aut notas perpetuas in S. Auguſtinum ſcri„bere, ſed tantum ſparſim quaedam in varia eius „opera adnotare, quorum, ſi quae aliis debuerit, „auctorum nomina ſe diligenter vbique appoſuiſſe, „vt vnicuique laus ſua conſtaret; alia intacta, aut „quae, an alii attigiſſent, neſciuerit, ſuo nomine „protuliſſe. Eſſe autem tum Grammatici aut Cri„tici generis, tum multa Philoſophica ac Theolo„gica permiſtim a ſe exhibita, quod non tantum in„terpretem Auguſtini agere, ſed ratiocinationes eius „expendere ſtatuiſſet. Non voluimus, *inquit,* dum„taxat obſcura quaedam explicare, aut alia illuſtrare; „ſed et vere ac recte dicta ſubinde meritis laudibus „afficere; eaque, in quibus hallucinatus eſſe videba„tur, notare; ne alios incautos, vel viri auctoritate „territos, fallerent. Noueramus non legi hoſce li„bros, vt ex iis eruditio Critica colligatur, ſed po„tius ratiocinationum ac dogmatum cauſa; ideoque „haec potiſſimum expendi a nobis oportere credidi„mus, vt eſſent Animaduerſiones noſtrae veluti „Manuductio quaedam in eorum vſum, qui mul„tum tempus hiſce legendis impendere nequeunt; „iudiciumque magis, quam memoriam, Veterum „lectione excolere atque acuere ſe debere merito „exiſtimant. Verum audire mihi videor homines „nonnullos clamitantes, quae a me dicta ſunt va-

 riis

batio per eandem illata eſt. Quippe praefationes Louanienſium, quas hoc loco inſertas eſſe in Praefatione huius appendicis dicit, exciderunt, dum per incuriam Vlimmerii epiſtolam ad Pamelium, quae infra inter animaduerſiones ad Tomum X. pag. 621 ſeqq. iterum, ſed hic iuſto loco exſcripta eſt, imprimendam deſignaſſet.

„riis in locis, ea apta eſſe ad corrumpendum potius, „quam excolendum iudicium. Quibus reſpondeo, „me, ſi in illorum ſententia fuiſſem, ea omiſſurum „fuiſſe; ſed cum aliter ſenſerim, non potuiſſe com- „mittere, vt ea, quae mihi optima dictu videban- „tur, praetermitterem. Ita ſe et ipſi gerunt; neque „enim ea ſcribere ſolent, quae putant mihi aut aliis „probatum iri, ſed quae ipſi vera eſſe cenſent. Ne- „ceſſe eſt profecto vnumquemque id facere, quod „optimum factu ei videtur. Sed erit poſtea omnium „Iudex ſupremus, qui aliquando tandem, quinam „rectius ſenſerint, certo docebit. Quin et noſtra „aetas, ne poſteros dicam, iudicium hac de re ferre „poterit; nec, ſi rationibus meis adſentire nequeat, „auctoritate mea, quae nulla plane eſt, tranſuerſa „ſaltim agi poterit. Erat, cur timerem, ne aucto- „ritate *S. Auguſtini* obruerer, quamuis rationibus „eſſem ſuperior; at nihil ſimile a me poſſunt vereri, „qui niſi firmiſſimis argumentis verum eſſe euicero „quod defendo, ſine dubio damnabor.“

Generatim diximus, cenſuras et admonitiones Eraſmi inſertas eſſe animaduerſionibus, ſed acceſſit etiam ad Tomum II. eius praefatio epiſtolis praemiſſa, quas ideo tantopere ab eo laudatas eſſe ſcribit Clericus, ne in conſuetudinem peccaret. Varia porro his animaduerſionibus inſunt ad verſionem LXX. Interpretum, vexationem Donatiſtarum, aliorum Haereticorum et damnationem Pelagianam ſpectantia, quae Lectorem praeiudiciorum vacuum expendere iubet. Animaduerſiones ad T. III. qui libros de interpretatione Scripturae S. complectitur, frequentes Auguſtini propter Graecae et Hebraicae linguae imperitiam in interpretando lapſus oſtendunt, quo Caſtigationum genere et Hieronymo grauem ſe praebuiſſe Clericum nouimus. De *quarto* Tomo,

qui

qui Sermones Auguſtini in Pſalmos habet, ipſius Clerici verba proferre non pigeat, veriſſimum, ſed nouum tunc et inauditum iudicium complexa. „Ser„mones Auguſtini in Pſalmos, *inquit*, valde laudat „Eraſmus; et ad eorum exemplum etiam ipſe varios „Pſalmos interpretatus eſt Tomo V. Operum. Ve„rum iam exoleuit, et quidem merito, ea ra„tio interpretandi Scripturam, vbicumque Linguae „praeſertim Hebraicae ſtudia floruerunt a ducentis „propemodum annis. Igitur *praefatiuncula Eraſmi* „*ad examen hic a nobis reuocatur*, oſtendimusque „eadem opera, quis poſſit eſſe vſus horum S. Augu„ſtini Sermonum; quamuis ad intelligendos accu„rate Pſalmos nihil aut parum conferre queant. Qui „eos legere poſſunt Hebraice, nec Criticae ſacrae „ſunt prorſus imperiti, ex ſola lectione horum ali„quot Sermonum intelligent, nihil eſſe verius. Quod „et alii animaduertent, ſi veritatis ſtudio ducti ex„pendant *examen interpretationis Auguſtinianae* „*trium primorum Pſalmorum;* nam plures excutere „non vacabat, nec vero opus erat." Animaduerſionibus in *quintum* Tomum Sirmondi notas, quarum nonnullas tantum Benedictini ediderant, integras interſperſit, ſed nomine addito a ſuis ſecreuit. Ad *Tomum VI.* animaduerſiones pleraeque quaeſtionibus et obiectionibus conſtant. Continet enim hic tomus Theologica, quibus varia appoſuit Clericus, quae ex principiis in illis libris poſitis vix ſolui poſſe videbantur. Imprimis in iis, quae ad Enchiridion ad Laurentium notauit, demonſtrare ſtuduit, Auguſtini de libero arbitrio ſententiam interdum non facile intelligi, quia vocibus *libertatis* et *liberi arbitrii* aliud intelligat, quam quod iis ſolet ſignificari. Animaduerſiones in libros de Ciuitate Dei, qui *Tomum VII.* conſtituunt, reliquis copioſores ſunt, ſed

caedem diuerſi generis. Praemittitur Io. Lud. Viuis Praefatio. Additurus erat etiam Coquaei notas, ſed prolixitas earum et belli tunc per totam Europam ingruentis, librarii commercii rationes iuxta conturbantis calamitas, deterruit bibliopolas. Quae animaduerſionum ad *Tomum VIII* et *IX.* indoles ſit, ab ipſo iterum Clerico diſce. „ *Tomus VIII.* totus „ eſt contra Haereticos, et praeſertim contra Mani-„ chaeos et Arianos. Eos quidem nulla ratione de-„ fenſos cupimus, nec ab eorum deliriis quemquam „ longius abeſſe, quam nos putamus; ſed optaſſe-„ mus ſaepe alia via, aliiſue armis oppugnatos, vt „ intelligere licebit praeſertim ex iis, quae habemus „ ad Librum *de Vtilitate Credendi* atque ad Libros „ *de Trinitate.* Alioqui cum bene eos aggreſſum „ eſſe *S. Auguſtinum* exiſtimauimus, laudes in eum „ pleno modio, vt alibi, effudimus, et ambabus vl-„ nis rationes eius amplexi ſumus, ſicut ad Lib. XXXIII. „ contra *Fauſtum* Manichaeum. *Tomus nonus*, in „ quo cum Donatiſtis pugnat *S. Auguſtinus*, nos „ non valde exercitos habuit, quia eadem ferme ibi „ repetit, cum Donatiſtae eaſdem obiectiones, eos-„ demue paralogiſmos aduerſariis ad faſtidium vſque „ oggererent. Mirum tamen eſt *S. Auguſtino* tae-„ dium aut ſomnum non obrepſiſſe, idem toties di-„ centi. In libros contra Epiſtolam Parmeniani nos „ quoque iterum egimus de perſequutione Haereti-„ corum, de qua ſat multis in Animaduerſionibus ad „ Tom. II. dixeramus; deque Synodorum auctoritate „ in Libros de Baptiſmo, vbi tamen ſummatim dum-„ taxat rem attigimus." In Tomum decimum minus ſtudium collatum eſt. Nam exhibentur non niſi haec: *Praefatio ed. libri de Geſtis Pelagii* Anno 1611. *Auguſtae Vindelicorum* euulgatae; *Henr. Noriſii*, Hiſtoriae eccleſiaſticae in Academia Piſana Pro-

Profeſſoris, poſt Cardinalis, *Aduentoria* ad Franciſcum Macedonem in Patauina Acad. Ethices interpretem, *in qua de Inſcriptione libri S. Auguſtini de Gratia Chriſti, Albine, Piniane et Melania diſſeritur. Animaduerſiones paucae in librum de Correptione et Gratia; Claudii Menardi Praefatio in ed. librorum II. operis imperfecti contra Iulianum; Animaduerſiones in eundem librum, Vlimmerii praefatio ad editum a ſe primum Poſſidii indiculum*, altera vice hic excuſa; *Animaduerſio in vitam Auguſtini.* Plura quo minus addiderit tria obſtitiſſe monet, videlicet typographorum feſtinationem, ipſorum librorum Auguſtini contra Pelagianos indolem, in quibus innumerae repetitiones, vt, quae tribus verbis abſolui potuiſſent, millenis dicta ſint, multaque praeterea aliena infarta; taedium denique omnium harum rixarum, quod tantopere ſe cepiſſe affirmat, vt eas vix, aut ne vix quidem ferre poſſet. *Cui vero etiam nauſeam non moueant*, exclamat, *tot et tam longae, vt voce ſequioris aeui vtar, rhetoricationes, aut ad declinandum aduerſarii ictum, aut ad eum inſectandum, aut denique ad inuidiam vel mouendam, vel fugiendam? Mihi certe tantum crearunt inter legendum faſtidium, vt plane recreatione gratiorum et vtiliorum ſtudiorum indigeam.* Sic Clericus cocta incoctaque iuxta lance ſatura lectoribus apponens. Fatendum enim, eum, quae ſic affectus ſcriberet, non ſemper ſatis meditatum fuiſſe, linguamque impotentiorem non raro praecurriſſe mentem. Id quod graues ei, nec omnino iniuſtas reprehenſiones conciliauit. Nam peculiarem contra has eius animaduerſiones Cenſuram emiſit Anglus quidam *Robertus Ienkins*, Cantabrigiae 1707. *) et *Ludov. Ant.*

*) Integer libri titulus eſt: *Defenſio S. Auguſtini adverſus Ioannis Phereponi in eius Opera animaduerſiones.*

Ant. Muratorius in libro III. operis *de ingeniorum moderatione in religionis negotio*, ſub *Lamindi Pritanii* perſona a. 1714. editi, Auguſtini patrocinium contra eundem ſuſcepit. Inania autem ſunt et inſulſa plane, quae in *Io. Clericum* in huius editionis et praecipue appendicis commemoratione coniecit conuitia *Caſimirus Oudinus* T. I. *Commentar.* p. 986. ſeqq. Coronat opus *index* admodum ſcite confectus et Bibliopolae monitum, quo ſeorſim quoque hunc XII. Tomum, cum in minori, tum etiam maiori charta, vt poſſet cum Pariſienſi editione coniungi, venditurum ſe promiſit. Recenſent Appendicem Auguſtinianam *Acta Eruditorum* Lipſ. 1703. m. Iul. pagg. 289-92.

1729 - 32.

Venetiis excudebat Io. Bapt. Albrizzi Hieron. fil. fol. Sancti Auguſtini, Hipp. Epiſcopi, Operum Tomus I - V. poſt Louanienſium Theologorum recenſionem caſtigatus denuo ad manuſcriptos codices Gallicanos, Vaticanos etc. etc. Opera et ſtudio Monachorum Ordinis Sancti Benedicti e Congreg. S. Mauri.

Nuda deſcriptio editionis Pariſienſis. Sic enim ab initio profeſſus erat typographus. Cf. *Nov. della Rep. delle Lettere* Martii 1729. *pag.* 94. Ibidemque m. *Iunio pag.* 199. innuitur *Tomum Imum* prodiiſſe. *Tertius* pleno titulo indicatur ibidem a. 1730. m. Iun.

ſiones. Cantabrigiae, typis Academicis, impenſis *Richardi Thurlbourne*, Bibliop. Cantabr. Proſtant venales apud *Rob. Knaplock*, ad Angelum in Coemeterio D. Pauli, *Londin.* MDCCVII. 8. Auguſtinum interdum bene tuetur, non aeque ſecundo ſucceſſu reliquas Clerici ſententias impugnans.

Iun. *pag.* 193. *Quintus* ibidem 1731. m. Auguſt. *pag.* 237. Reliqui Tomi an prodierint, nec ne, ignorare me fateor.

1754.

Romae apud Fratres Palearinios. 8. Tomi II. S. Aur. Auguſtini, Hipponenſis Epiſcopi, de Gratia Dei et libero Arbitrio Hominis et Praedeſtinatione Sanctorum opera ſelecta. Editionem emendatiſſimam, et variis lectionibus vndique collectis, praecipue vero ex Codd. MSS. Vaticanis adornatam curauit *P. F. F. (Petrus Franciſcus Foggini.)*

Duo haec volumina, quae ſeorſim veneunt, vti titulus exterior *(S. Auguſtini opera ſelecta)* prodit, ſeriem etiam faciunt cum tribus aliis *Proſperi, Aquitani* et *Fulgentii,* potiſſima eiuſdem argumenti exhibentibus, quae iunctim ſub vna formula *SS. Patrum opera ſelecta de Gratia Dei et Praedeſt. SS.* comprehenduntur. Editio eſt nitidiſſima et vſui forma deſcriptioneque aptiſſima. Ex Auguſtinianis ſuper hoc argumento libris nonniſi ii huc repoſiti ſunt, quos iam epiſcopus poſt exortam Pelagianam haereſin exarauit, ex quo tempore ſcilicet ipſe fatetur, ſe diligentius haec eſſe rimatum *). Itaque primus tomus habet Librum *de Gratia Chriſti contra Pelagium et Caeleſtium*, *Epiſtolam ad Sixtum*, *Epiſtolas duas ad Valentinum Abbatem et cum illo Monachos Adrumetinos*, Epiſtolam *Valentini* Abbatis ad S. Auguſtinum, *Librum de Correptione et Gratia ad Abbatem Valentinum et cum illo Monachos Adrumetinos*, *Epiſtolam ad Vitalem;* Tomus ſecundus autem *Proſperi epiſtolam ad S. Auguſtinum*, *Hilarii epiſtolam ad eundem*, *Librum S. Auguſtini ad Proſpe-*

*) *De Praedeſtin. SS.* cap. 3 et 4.

Proſperum et Hilarium de Praedeſtinatione Sanctorum, *eiuſdem ad eoſdem de Dono perſeuerantiae*, denique *Enchiridion* ſiue *librum de Fide*, *Spe* et *Charitate ad Laurentium*. Nuncupata ſunt duo haec volumina *Benedicto* XIV. ſedem Apoſtolicam tunc obtinenti. Additus eſt in ſecundo index locuples vtrique communis.

✻ ✻

VERSIONES. Plura Auguſtini opuſcula certo reſpectu collecta et in aliam linguam iunctim conuerſa, praeterquam in *Germanicam*, nec ipſum me deprehendere memini, nec ab alio nouimus commemorata. Quapropter tanto iucundior nobis accidit Germanicae huius verſionis mentio. Conſtat illa duobus voluminibus ſic inſcriptis:

Auguſtini des heyligen Biſchofs IIII. Bücher von Chriſtlicher leer. I. Buch vom Geiſt vnd Buchſtaben. I. Buch vom glauben vnd wercken. Durch Doctor CASPAR HEDION *vertolmetſcht. Alles vorhin in Teütſcher ſprach nie geleſen, nützlich aber yedem Chriſten der zum heil begert gelert zu werden.* Straſsburg. Im Iar MDXXXII.

Auguſtini des heyligen Biſchofs Bücher. 1. *Von warem gottsdienſt.* 2. *Enchiridion, das iſt Handbüchlein, von Glauben, Hoffnung vnd Liebe.* 3. *Von warer Vnſchuld.* 4. *Von natur vnd gnad.* 5. *Von Fürſehung der heiligen* 6. *Wie ein gutt ding ſey vmb beharrligkeit. Alles durch D.* CASPAR HEDION, *warheyt vnd frid in vnſern tagen zu fürdern, neüwlich verteüſcht.* Straſsburg. Anno. M.D.XXXIII.

In priori volumine praeter ea, quae titulus pollicetur, additur n. IX. *Ambroſii vom mittleiden gegen armen*,

armen, vnnd wann die Kirchenſchaetz anzugreiffen. Praemittuntur autem libris conuerſis n. I. *Vorred D. C. Hed. an den Erwürdigen vnd wolgebornen Herrn, Herren Wilhelmen Graven zu Eyſenberg etc.* n. II. *Erklaerung etlicher ſchwerer wörter auff die verteüſchten Bücher A. Auguſtini.* n. III. *Entwerffung kurtz vnd ohne alle gevar des lebens Auguſtini.* n. IIII. *Zeügniſs ſanct Hieronymi von Auguſtino.* V. *Erleüterung aus den büchern Retractationum, vff die bücher von chriſtlicher leer, Geiſt vnd Buchſtaben, Glauben vnd Wercken.* Alteri inſertae ſunt poſt librum de natura et gratia, *Brieff Proſperi an Auguſtinum* et *Brieff Hilarii an Auguſtinum.* Praecedunt autem, n. I. *an den Hochgebornen Fürſten und Herren Herrn Georgen Graven zu Würtenberg etc. Vorred D. Caſpar Hedions, darynnen eins freyen Chriſtlichen Concilii gedacht, vnd was Chriſtlicher und Teütſcher Nation hierauff zu beradtſchlagen etc.* n 2. *An den Leſer kurtzer bericht von ſchweren ſentenzen vnd worten in Auguſtino.*

* *

Codices. In recenſendis libris MSS. qui ad Patrum latinorum, quotquot ad conſilium noſtrum pertinent, ſcripta ab editoribus excuſſi ſunt, non vnam hactenus vbique ingreſſi ſumus viam. Plerumque ipſos quidem editores in hoc ſecuti ſumus, vt, ſi diligenter ab iiſdem tractati eſſent, nobis non minus incumbere exiſtimaremus accuratam enumerationem. Plurimum enim prodeſt haec induſtria non ſolum ad ipſius textus ſingulorum hiſtoriam, quod proximum; ſed etiam ad cognoſcendam immenſam illam ſcriptorum copiam, quae quoniam abdita latet in ſcriniis et cancellis circumſepta, fugere

gere propemodum ſolet bibliographorum imperium. Quam ob rem deinceps etiam, vbicumque datum fuerit, non laſſi erimus in hac parte operis noſtri, hiſtoriae literariae amplificandae cauſa. Aliter ſe res habuit, quando ſtrictim tantum vel vniuerſe, vel ad ſingulos libros vnius auctoris libri, qui conſulti fuerint, indicarentur. Tum generatim fere nominum elencho contentos eſſe oportuit, quem ex diſperſis etiam ad ſingulos libros notitiis non ſine moleſtia concinnauimus, modo ne eoſdem ſexcenties repetere per ſcriptorum enumerationem cogeremur. Exempla ſunt Hilarius, Ambroſius et Hieronymus. Idem quoque in Auguſtino nunc euenit, ſed labore longe maiori nobis conſtitit, quamquam non deerant, quae alteram rationem, quae minus certe moleſtiae habebat, amplecti ſuaderent cauſae. Nam cum MSS. librorum Auguſtini in omnibus fere bibliothecis ingens ſit copia, tum iidem mirum inter ſe differant pro numero et ſcriptorum contentorum; vel ipſi editori difficillimum omnes ſeligere et ad claſſes quaſdam reuocare, et re ipſa nec Louanienſes, nec Benedictini tale quidquam ſuſtinuerunt (Eraſmo autem, vt aliquoties monitum, ſolemne fuit, parui aeſtimare librorum MSS. declarationem): ſed ad calcem tomi cuiuſuis cum inſigniore lectionis varietate longam nominum pompam codicum, ad quos ſinguli recogniti fuerint, adduxerunt. Tantum vero abeſt, vt deſcriptionis aliquid ſit additum, vt potius illa ipſa nomina non ſingulos codices, vel aetatis aliqua nota aut bibliothecarum numeris aliiſue ſignis diſtinctos, ſed claſſes plurium vnius loci librorum denotent, et ſi quis indagare vellet, quae Auguſtini ſcripta ad vnumquemque pertineant, fruſtra multum laboris eſſet conſumturus. Fortaſſis itaque non inepte ea ipſa nominum per ſingula S. Doctoris

ctoris ſcripta enumeratio a nobis exhibita fuiſſet, qua id ſaltem conſecuturos nos ſperandum erat, vt qui in Bibliothecarum MSS. abundantium catalogos inciderent, dum omnes fere paginas Auguſtinianis ſcriptis repletas viderent, aut ſi ipſas bibliothecas acceſſiſſent, et eundem omnes paene forulos eccleſiaſticis ſcriptoribus deſtinatos obſediſſe cognoſcerent, parcius has gazas admirarentur, moniti, iam ſatis optimorum librorum cum hoc vel illo ſcripto comparatum eſſe. Sed facile etiam videbamus, tot nominum introductionem vanam ac inanem fore, niſi diſertior explicatio acceſſiſſet, quae domicilia ſingulorum, vnde illae appellationes petitae eſſent, demonſtraret. Tandem haec expeditior via viſa eſt, licet ingratae operae multum in ea ſubeundum eſſet, vt omnibus illorum nominum indicem alphabeticum concinnaremus, et ad vnumquodque velut ad claſſem quandam et ordinem, quantum fieri poterat, notaremus, quot, aut qui, aut quales in ſingulis adhibiti eſſent, quo factum eſt, vt, ſi non ſinguli codices, quod vix vnquam in Auguſtino ſperandum, nec optandum valde videtur, certe bibliothecae, in quibus repoſiti fuerint, noſcantur. Pertinet autem haec opera ſola ad Benedictinam editionem: de Lovanienſi enim ſufficere putauimus, ſi generatim nomina bibliothecarum, ad quas pertinebant, et numerus, quemadmodum ab ipſis proditum eſt, recitarentur. Ceterum Benedictini Belgicos aut Louanienſes codices ad ſingulos etiam libros denuo a ſe excuſſos diligenter laudarunt. Sequitur iam index.

Codices Belgici *a Louanienſibus Theologis excuſſi.*

Alnenses i. e. Codices *Bibliothecae Alnenſis Abbatiae Ciſtercienſis in ditione Leodienſi.* Aderant *viginti.* Huius Bibliothecae Codices et inter eos etiam Auguſtinianos recenſet ſtrictim *Antonius Sanderus* in *Bibliotheca Belgica Manuſcripta. Parte II. pagg.* 234 (241 - 43.)

S. Amandi i. e. *Coenobii Elnonenſis*, vulgo *S. Amandi in Pabula,* codices *triginta duo* transmiſſi erant a *Max. Morillonio*, prouinciae Medelinenſis Vicario generali. In *Bibl Belg. MS. P. I. p.* 22 ſeqq. Auguſtinianos huius monaſterii codices inuenies.

Cambronenses i. e. *Biblioth. Coenobii Camberonenſis Ord. Ciſtercienſis in Hannonia haud procul ab vrbe Montenſi.* Praeſto fuerunt *triginta.* Cf. *Bibl. Belg. MS. T. I. p.* 346. ſeqq.

Floreffiacenses. Coenobii neſcio cuius *Floreffiae. Octo.*

Gemblacenses i. e. *Abbatiae Gemblacenſis triginta.* Omnes ex Membrana.

Lovanienses. Horum alios acceperant e Collegio Theologorum, alios e *Collegio Societatis Ieſu,* alios a *Carthuſianis*, *Martinianis Praemonſtratenſibus* in *Parcenſi monaſterio* et *Bethlehemitis.* Numerum ſingulorum tamen non indicarunt. Ex his in *Bibl. Belgica MS.* recenſentur codices *Collegii Societatis Ieſu. Parte I. pag.* 326. *Abbatiae Parcenſis P. II. p.* 166. et *Bibl. Canon. Regul. S. Auguſtini in Valle S. Martini P. II. p.* 210. ſeqq.

Tornacenses i. e. *Monaſterii S. Martini Tornaci,* vnde *triginta* et *vnus* allati erant. De his vide *Bibl. Belg. MS. T. I. p.* 93. ſeqq.

Codices

Codices, qui BENEDICTINORVM *vſibus conceſſi fuerunt.*

I. *Gallicani* *).

ALBINENSES apud *Andegauos*, i. e. *Abbatiae Andegauenſis S. Albini* codices. *Vnum* fere citant in plurimis *primi* Tomi libris, inter quos *Retractationes* et *Confeſſiones;* item Tomo *ſexto* et *decimo*, nec non ad libros *de Ciuitate Dei* tomo *ſeptimo*, et libros *de Trinitate* tomo *octauo*.. Ad librum *de Symbolo ad Catechumenos* tomo *ſexto*, monent, in Albinenſi 800 annorum codice primum ex quatuor, quibus conſtat ſermonibus, reperiri.

ANTISSIODORENSES, i. e. *Abbatiae Praemonſtratenſium S. Mariani Antiſſiodori* codices. Vnum ex quatuor, quibus inſtructi fuerunt codicibus MSS. *librorum contra ſecundam Iuliani reſponſionem* ſuppeditauit.

Monaſterii S. ARNVLFI *Metenſis* codex. Vnum fuiſſe coniicio, ſiquidem Arnulfenſem vbique nunquam plurali numero laudant. Frequens potiſſimum in tribus prioribus Tomis eius fit mentio. Lectiones ſcilicet habebant, non ipſum MSS. vt ad Retract. libros monent.

Abbatiae S. AVDOENI *Rotomagenſis* codices. Ex his *Opus de ciuitate*, *Sermones* et plurima alia Auguſtini ſcripta emendata ſunt. Praecipue in Tomo primo frequenter *Audoënenſes* appellantur, in

N 2 ſequen-

*) Sunt tamen inter eos et Belgici quidam, quos ipſi conſuluerunt et Corbeienſes, ſed hos ſeiungere dubitauimus, partim, quod ipſi eos Gallicanorum nomine comprehenderent, partim quod Corbeienſis monaſterii codices adeo omni tempore Maurinorum Patrum ſtudiis paruerunt, vt veluti domeſtici apud eos facti eſſe videantur.

ſequentibus parcius. Neſcimus, an omnes vnius aetatis fuerint, ſed in opere *Enarrationum* in Pſalmos, 700 annos iis tribuunt.

PP. Avgvstinianorvm *maioris Conuentus Pariſienſis* codices. *Quatuor* ad *Confeſſionum libros* ſuppetebant; *vnius* ſaepius fit mentio.

Beccensis *Abbatiae* codices plures annorum 700 laudantur ad *Opus Pſalmorum*, vnus ad libros *Retract. de Civ Dei*, *Epiſtolas*, *librum de haereſibus*, *de trinitate* et *ad Donatiſtas* (tomo 8 et 9.) et ſaepius in tomo *decimo;* duo ad libros *de conſenſu Euangeliſtarum* et *de Sermone in Monte*, plures in *Sermonibus.*

Becheronense exemplar citant in *Tractatibus* in *Euangelium Iohannis* tomo *tertio* et *in libro de Haereſibus* tomo *octauo.*

Bellovacensis eccleſiae exemplar antiquiſſimum ad *tractatus in Iohannis epiſtolam*, cui ad calcem adſcriptum fuerit: *anno regis Clotharii duodecimo;* aliud item *ad poſteriores L. Pſalmos* tomo *tertio* et *quarto* praeſto fuit.

Ab hoc differt Codex Bellovacensis Abbatiae S. Qvintini adhibitus iiſdem *tractatibus in Epiſtolam Iohannis.*

Benigniani, i. e. *bibliothecae* S. Benigni *Diuionenſis* codices. In Retractationum et Confeſſionum libris vnum 700 annis antiquiorem notant. Neſcio an idem ſit, qui in *Epiſtolis* quoque et *Tractatibus in Iohannem*, libro *de diuerſis Quaeſtionibus*, *contra Mendacium*, *de Cura pro mortuis gerenda*, *de trinitate* etc. praeſto fuit. Codicem, quo in libro *de ſymbolo* vſi ſunt, 800 annorum aetatem praeferre tradunt. *Tres* aut *plures* habuerunt ad Sermones caſtigandos.

Bernar-

Bernardinorvm *collegii Pariſienſis* codex MS. *vnus* et *alter.* Profuit in libris *de opere Monachorum* tomo *ſexto*, item *expoſitionum Epiſtolae* ad *Romanos* et *Galatas* tomo *tertio*, nec non *libris* VII. *de baptiſmo* et *libris* IV. *contra Creſconium* tomo *nono.* *Alterum* appellant ad *libros contra Maximinum et collationem* cum *eodem.* Diuerſum ab hoc puto librum *PP. Fulienſium* coenobii *S. Bernardi Pariſiis*, quod exemplar *Fulienſe* appellare ſolent.

Bernardinorvm *de miſericordia Dei* liber MS. vnus laudatur in libro *de Opere Monachorum.*

S. Bertini in *Belgio* codex perantiquus, vnde eruta eſt *Epiſtola Auguſtini ad Mercatorem*, quae in Benedictina primum prodiit num. CXCIII.

Bigotianvs ſeu Codex MS. ex Bibliotheca Emerici Bigot *Rotomagenſis.* Ex eo ſunt recognita, Epiſtolae, aliquot libri tomi *ſexti*, *de Civitate Dei* tomo *ſeptimo*, libri *de natura Boni*, *de trinitate* XV. tomo *octauo*, et libri ſex *contra Iulianum* tomo *decimo.*

Carcassonensis *Eccleſiae* liber MS. laudatur ad Sermones tomo *quinto* et ad *Tractatus CXXIV. in Iohannis Euangelium* tomo *tertio.*

Carnotensis, i. e. *Abbatiae S. Petri in valle Carnotenſi* codex. *Vnius* mentio fit ad librum *contra Mendacium* tomo *ſexto*, libros *contra Fauſtum* tomo *octauo* et librum *contra Secundinum*, qui in Belgicis codicibus fruſtra quaeſitus ex eo vnico ab innumeris mendis repurgatus eſſe dicitur, item librum *de natura* et *gratia*, et *de perfectione hominis* tomo *decimo.*

Ab iis diuerſus eſt liber Ecclesiae Carnvtensis, qui laudatur in *Sermonibus.*

Casalensis ſeu Casalinvs, i. e. Codex MS. *Coenobii Caſalis Benedicti.* Ex eo (nam ſingulari numero ſemper laudarunt) *Epiſtolae*, item plures tomi *primi* et aliquot tomi *octaui*, *noni* et *decimi* libri caſtigati ſunt.

Cisterciensis *Abbatiae*, haud dubie Pariſinae, codices. Ex Ciſtercienſi, ſi modo vnus fuit, ſinguli paene tomi *primi*, *tertii*, *ſexti* et *octaui* libri, tum ſecundo tomo *Epiſtolae* emendantur. Ciſtercienſis porro crebro appellatur in *Sermonibus*. *Duos* Ciſtercienſes laudant in *libris de Conſenſu Euangeliſtarum* tomo *tertio*, de *Ciuitate Dei*, tomo *ſeptimo*, libro de *diuerſis quaeſtionibus* tomo *ſexto*, et de *gratia* et *libero arbitrio* tomo *decimo*.

PP. Cisterciensivm *S. Crucis in Ieruſalem in vrbe* codex vetus. Ex eo edita eſt primum *Epiſtola* XXIX. ad *Alypium*. Plures in *Sermonibus* laudant; ex iiſque Sermonum aliquot occaſionem didiciſſe ſe dicunt, itemque quo loco eos Auguſtinus dixerit.

Claraevallensis *Abbatiae* exemplar *librorum ſex contra ſecundam Iuliani reſponſionem.* Hoc ipſum eſt, ex quo primus eos depromſerat *Vignerius*, ex eoque denuo diſcrepantes a Vigneriana editione lectiones in vſum Benedictinorum excerptae ſunt.

Colbertinae *Bibliothecae* codices complures ſuppetias tulerunt. Erat enim haec Bibliotheca libris vetuſtis inſtructiſſima, qui omnes deinde in *Regiam* migrarunt. In tomo *primo* nulli adfuerunt, ſed *Epiſtolae* iuxta eoſdem excuſſae ſunt. Laudantur etiam modo *vnus*, modo *duo* in tomo *tertio* et *ſexto*; item tomo *quarto* in *Enarrationibus* in *Pſal-*

Pſalmos Colbertini Codices optimae notae *); *tres* ad opus de *Ciuitate Dei.* Paſſim etiam in tomo *octauo* eorum fit mentio, et quidem ad librum *de haereſibus*, *quatuor* memorantur; in *decimo* vero ad ſingulos fere libros citantur. Inter plures, ex quibus *Sermones* tomo *quinto* caſtigati ſunt, vnum praecipue commemorant, qui 821 notatus fuerit, Sermones de verbis Euangelii veteri ordine, ſecundum quem in Bedae ſeu Flori collectione plerumque laudantur, digeſtos complexum, iiſque inſertos quosdam, quorum vel nihil prorſus in ante editis, vel fragmenta ſolum exſtabant. In libro *de mendacio* tomo *ſexto* Colbertinus 800 annorum et ibidem in libro *de opere Monachorum* alius 900 fere annorum appellatur. Ex Colbertina itidem bibliotheca nacti ſunt codicem *Operis imperfecti contra ſecundam Iuliani reſponſionem* mutilum tertia parte, illum ipſum nempe, ex quo *Claudius Menardus* a. 1617. primum priores duos libros publicauerat.

In Colbertinam Bibliothecam iam tum, neſcio an omnes, tranſierant *Thuanei MSS*, vnde *Thuanei codices* interdum cenſendi ſunt ex Colbertina,

 e. g.

*) Inter hos etiam erat vnus, qui *Epitomen Commentariorum Auguſtini in Pſalmos* continebat, cui codici propylaeum, camerae forma ad Dauidis complectendam imaginem appictum, conſpiciebatur et inſcriptum his ad fornicem verbis: *Landulfus ouans hunc libellum fieri iuſſit, pro quo funde preces carmina qui legis* etc. Ad imaginis vero pedes: *Orate pro Annone, hoc ſupplico.* Verſus ſubiecti conſtant XIV Diſtichis, incipiunt, *Cantica Dauidico Chriſtum modulantia plectro, Explanata tenet floridus iſte liber;* finiunt, *Atque duos inter Cherubinos voce tremenda Intonat, et rapidi fulguris igne micat.*

e. g. in libro de *agone Chriſtiano* et *bono coniugali* tomo *ſexto.*

Compendienses vide Cornelienses.

Corbeienses. Antiquiſſimi et numeroſiſſimi. Vix enim vllus liber eſt, quin ad eoſdem caſtigatus fuerit. Nam ab initio ſtatim, ad *Retractationum libros*, *librum de ordine* et *Regulam ad Seruos Dei* praeſto fuit codex 900 ferme annos praeferens; ad *Confeſſiones Corbeienſis* ante annos 700 ſcriptus laudatur et ſic ad omnes paene tomi primi libros, Corbeienſium optimae notae fit mentio.

Qui ad *Epiſtolas* tomo *ſecundo* adhibiti ſunt, plerique ante annos 800 aut 900 ſcripti dicuntur.

Tomi *tertii* libri, excepto vno, omnes ad Corbeienſes excuſſi ſunt, quorum vnus ad *Quaeſtionum Euang. libros*, 900, item alter ad libros *de Conſenſu Euangeliſtarum*, 900 aut 1000 annos habere et optima manu deſcriptus dicitur.

Ad libros *Enarrationum in Pſalmos* tomo *quarto* adhibiti ſunt per totum opus, *duo*, in eoſdem tractatus interdum *plures*, plerique ante annos 800 ſcripti.

Pariter in *Sermonibus* tomo *quinto* Corbeienſes optimae notae et vetuſtiſſimi notantur, et in ſingulis paene tomi *ſexti* libris codices 800 et 900 annorum et ad libros de *diuerſis Quaeſtionibus* ad *Simplicianum* vnus peregregius *ante annos mille* deſcriptus. In libris de *Ciuitate Dei* tomo *ſeptimo* praeſto fuerunt *duo.* Nec parcius in *tribus poſterioribus* tomis Corbeienſis Abbatiae librorum antiquiſſimorum et elegantiſſimorum fit mentio, et in vltimo quidem ad libros de *Gratia* et *libero Arbitrio*, nec non de *Correptione* et *Gratia* vnum vetuſtiſſimum *ante mille annos* ſcriptum cenſuerunt.

Aderat

Aderat quoque ex eadem bibliotheca *Excerptorum Eugyppii codex* et liber MS. ante annos circiter 500 ſcriptus, qui *Flori* ſeu *Bedae* vulgati *collectionem in Epiſtolas Apoſtoli* complectebatur.

Cornelienses, i. e. libri MS. abbatiae *S. Cornelii Compendienſis.* Vnus peruetuſtus memoratur ad librum de *Immortalitate animae* tomo *primo.* Plures ad *Sermones* tomo *quarto.*

Abbatiae de Cvltvra *apud Cenomanos* codices. Laudatur ad *Epiſtolas*, item ad *Tractatus* in *Euang. Iohannis* tomo *tertio;* nec non tomo *quarto* in *Enarrationibus* ad *Pſalmos* perantiquus, qui priores L. Pſalmos complectebatur. Citatur quoque ad librum de *anima* et *eius origine* tomo *decimo.*

Dominicanorvm *maioris Conuentus Pariſienſis via Iacobaea* libri MSS. adhibiti ſunt ad libros *Confeſſionum* et de *libero arbitrio* tomo *primo*, ad libros de *Trinitate* tomo *octauo*, librum de *unico baptiſmo* tomo *nono*, libros tres de *peccatorum meritis* et *remiſſione* tomo *decimo.*

Ebrvlphenses, i. e. *S. Ebrulphi* Vticensis codices. Laudatur ad librum de *immortalitate animae* et de *quantitate animae* tomo *primo*, ad librum de *agone chriſtiano* et de *cura pro mortuis gerenda* alioſque libros tomo *ſexto.*

Codex MS. D. Antonii Favre, *Doctoris Theol. Pariſ.* praebuit librum de *fide*, *ſpe* et *charitate;* et libros de *ciuitate Dei.*

Ferrariensis *Abbatiae* codex *viginti ſex Pſalmos* ex Opere Enarrationum, nempe LXIII-XCVIII. complectebatur.

Fiscannensis liber MS. Notatur ad librum de *Magiſtro* tomo *primo*, ad librum de *Conſenſu Euangeliſtarum* tomo *tertio*, ad librum de *catechi-*

ſandis rudibus tomo *ſexto*, contra *aduerſarium legis* et *prophetarum* tomo *octauo*.

FLORIACENSES. *Bibliothecae Floriacenſis MSS.* frequentiſſime laudantur non ſolum ad integros tomos, veluti *ſecundum*, *Epiſtolas; quartum*, *Enarrationes in Pſalmos; quintum*, *Sermones* complectentem: quorum illis, qui ad tomum *quartum* memorantur, anni tribuuntur 700; ſed etiam ad ſingulos libros per diuerſa volumina, veluti ad *Retractationes* et librum de *quantitate animae*, *primo;* ad omnes paene tomi *tertii;* ad librum de *octo Dulcitii quaeſtionibus*, *de agone chriſtiano*, et hic quidem *duo;* de *catechiſandis rudibus*, de *Opere Monachorum* et de *patientia* tomo *ſexto;* ad libros de *Haereſibus*, contra *Fauſtum*, de *Trinitate* tomo *octauo;* ad libros VII. de *Baptiſmo*, contra *Petiliani literas*, de *vnitate Eccleſiae* et de *vno Baptiſmo* tomo *nono;* denique ad *libros ſex* contra Iulianum tomo *decimo*.

FOSSATENSIS *S. Mauri Abbatiae* neſcio *vnus* an *plures;* ſed veroſimilius poſterius. Adhibiti ſunt ad *Confeſſionum* libros tomo *primo*, *Epiſtolas*, tomo *ſecundo;* ad libros de *conſenſu Euangeliſtarum* tomo *tertio*. Perantiquus laudatur ad *Pſalmos Graduales* in *Enarrationum* opere tomo *quarto*. *Sermones* etiam ex iiſdem caſtigati ſunt; item tomo *ſexto* liber de *diuerſis quaeſtionibus* XXXVIII. et de *cura pro mortuis gerenda;* tomo *octauo Collatio cum Maximino* et *libri contra ipſum duo*. Ad *tractatus in Euangelium Iohannis* laudatur *Foſſatenſe* exemplar iuſſu *Ingilberti* abbatis circiter annos 840 ſcriptum.

PP. FRANCISCANORVM *Pariſienſium* codex. Hi *vnum* librum MS. praebuerunt emendando libro de *Moribus Manichaeorum* tomo *primo*.

PP.

PP. Fvliensivm *coenobii S. Bernardi Pariſiis* codices MSS. duo adhibiti ſunt ad caſtigandum *Opus Enarrationum in Pſalmos.* Alter Pſalmos ſexdecim a XXXV-L, alter octodecim a CI-CXVIII complexus erat. *Sermones* quoque ad eiuſdem Bibliothecae codices excuſſi ſunt; item liber de *Continentia*, de *ſymbolo* ad *Catechumenos ſermones quatuor*, et *Sermones de Cantico nouo*, de *quarta Feria*, de *Cataclyſmo* et de *Tempore Barbarico* tomo *ſexto.*

Fvxensis *Collegii* apud *Toloſates* exemplar ad *Epiſtolas* praeſto fuit. Laudatur etiam ad librum de *agone chriſtiano* tomo *ſexto.*

Eccleſiae S. Gatiani *Turonenſis* codex optimae notae laudatur ad *Enarrationes in Pſalmos*, complexus *centum priores;* item ad libros de *Trinitate* tomo *octauo*.

Libri MSS. *Abbatiae* Gemmeticensis creberrime laudantur. Ex iis caſtigantur *Epiſtolae*, *Sermones*, *Enarrationes in Pſalmos*, et ex *vno* eorum opus *de Ciuitate Dei.* Porro in *primo* Tomo libri de *libero arbitrio*, de *Geneſi contra Manichaeos*, de *Moribus Eccleſiae Catholicae*, de *Moribus Manichaeorum* et de *vera Religione;* in *tertio*, libri de *conſenſu Euangeliſtarum*, de *Sermone Domini in monte* et *Tractatus in Euangelium Iohannis;* in *ſexto* de *ſymbolo ad Catechumenos ſermones quatuor* et qui ibidem proxime ſequuntur Sermones de *Diſciplina Chriſtiana*, de *Tempore Barbarico*, *Cantico nouo* etc.

Genofevaevs, i. e. liber MS. bibliothecae *Abbatiae S. Genofeuae Pariſiis* laudatur in libro de *beata vita* tomo *primo;* in libris de *Conſenſu Euangeliſtarum* tomo *tertio;* in libro de *diuerſis quaeſtionibus octoginta tribus* et de *Quaeſtionibus ad Sim-*

Simplicianum tomo *ſexto;* in libro de *Natura* et *Gratia* tomo *decimo.*

GEORGIANVS, i. e. Codex *Domini* de S. GEORGES, Canonici Comitii *Lugdunenſis*, poſt Epiſcopi *Claraemontani*, et, cum ad finem opus Maurinorum properaret, Archiepiſcopi *Turonenſis* a Rege deſignati. Adhibitus eſt ad libros de *Conſenſu Euangeliſtarum* tomo *tertio;* ad *librum de diverſis Quaeſtionibus octoginta tribus* tomo *ſexto;* ad libros de *Baptiſmo* contra *Creſconium* et de *vnico Baptiſmo* tomo *nono;* ad libros de *Peccatorum meritis et remiſſione* et de *Spiritu et Litera* tomo *decimo.*

S. GERMANI *a Pratis in ſuburbio Pariſienſi* codices permulti vetuſti et elegantes collati ſunt ad integros tomos *Epiſtolarum*, *Sermonum*, *Enarrationum in Pſalmos; duo* ad opus de *Ciuitate Dei*, ad tractatus in *Euangelium*, itemque in *Epiſtolas Iohannis* tomo *tertio; vnus alterue* in plerisque tomi *primi*, *tertii*, *ſexti*, *octaui* libris opem tulit, ex quibus is, qui ad librum de *Mendacio* collatus eſt annorum 800. et ad librum de *Bono Viduitatis* mille, aut amplius, aeſtimatur. Exemplar *Germanenſe* valde inſigne, quod recens tunc eidem bibliothecae donauerat dux *Noalienſis*, vſum praeſtitit libro de *agone Chriſtiano* tomo *ſexto.*

Collegii GERVASIANI *apud Pariſios* codex amplus et elegans laudatur in *Epiſtolis.*

IOLYENSE exemplar pertinebat ad Dominum *Joly.* Ex eo emendatae dicuntur *Epiſtolae.* Citatur etiam in *Expoſitionibus in Epiſtolas ad Romanos et Galatas* tomo *tertio. Iolyenſis* codex annorum 800 laudatur ad *Retractationes.*

LAVDVNENSIS *Eccleſiae* codices citantur ad *Epiſtolas* et *Sermones.* Priori loco antiquiſſimi audiunt.

audiunt. Frequenter inprimis adfuerunt caſtigandis quam plurimis Tomi *ſexti* libris, ad quos identidem *Eccleſiae Laudunenſis* libri memorantur. Non diuerſos puto ab his, quoad domicilium, qui tomo *ſexto* ad librum de *Bono viduitatis*, *Laudinenſis Eccleſiae maioris* dicuntur *). Ac poſteriori titulo imprimis frequenter citatur liber MS. tomo *octauo*, ſemel *nono*.

Lavdvnensis Abbatiae S. Vincentii codex libris de *Ciuitate Dei* tomo *ſeptimo* et de *Trinitate* tomo *octauo* vſui fuit.

Lyrensis *Abbatiae* codices collati ſunt ad tomum *quartum*, Expoſitiones in Pſalmos, et *quintum* Sermones comprehendentem. Vnus adfuit libris de *Ciuitate Dei*, item ad *Confeſſionum* libros tomo *primo*; libros de *Sermone in Monte* tomo *tertio*; de *agone Chriſtiano* tomo *ſexto*; de *Trinitate* tomo *octauo*; *libros ſex contra Iulianum* tomo *decimo*.

Exemplar *Nicolai* Manessier, *Doctoris Theologi Pariſienſis et ſocii Sorbonici*, iuxta quod liber de *Gratia et libero arbitrio*, nec non de *Correptione et Gratia* ad *Proſperum* et *Hilarium* libri *duo*, i. e. libri de *Praedeſtinatione Sanctorum* et *Dono Perſeuerantiae*, tomo *decimo* emendati ſunt.

Liber *Domini* Maran, *Archidiaconi Eccleſiae Toloſatenſis*. Adhibitus eſt emendandis *Epiſtolis*; item libro de *vtilitate credendi*, *contra Sermonem Arianorum*, et *libris Collationis cum Maximino* et *contra eum* tomo *octauo*.

Martinensis liber citatur ad libros de Geneſi *contra Manichaeos* tomo *primo*. Fortaſſe idem eſt, qui frequentius nomine *Sagienſis* venit.

Medar-

*) Sed codex ad libros *Retractationum* commemoratus *ex Archiua Laudina* ad Anglicanos pertinet.

MEDARDENSIS liber laudatur ad *Regulam ad Seruos Dei* tomo *primo.*

METENSIS vide *Arnulphenſis.*

MICHAELINI, i. e. *Monaſterii* et *Abbatiae S. Michaelis de monte in periculo maris* codices frequentiſſime per omnia *decem* volumina citantur, quod plures fuiſſe liquidum eſt teſtimonium, licet vbique fere vnus tantum appellari ſolet, ſemel *duo* ad libros de *Nuptiis et Concupiſcentia* memorantur. Caſtigata ſunt ex eis *Epiſtolae*, *Sermones*, *Enarrationes in Pſalmos*, libri de *Ciuitate Dei*, tum plerique, et tantum non omnes tomi *primi*, *ſexti*, *octaui*, *noni* et *decimi;* pauci tamen *tertii.*

NAVARRICI *Collegii* ſeu *Gymnaſii*, *Pariſiis*, codices. Huius exemplar ampliſſimum laudant ad *Epiſtolas.* In *Sermonum* quoque et librorum de *Ciuitate Dei* recognitione vno eiuſdem Bibliothecae vſi ſunt. Porro *Nauarricus* laudatur ad *Soliloquiorum libros*, ad librum de *Moribus Eccleſiae Catholicae*, de *Moribus Manichaeorum*, et de *Vera Religione* tomo *primo; Nauarrici duo* ad librum de *beata Vita*, librum de *Magiſtro*, *ibidem;* ad vnum eorum recogniti ſunt libri de *Conſenſu Euangeliſtarum* tomo *tertio;* ad duos itidem liber de *diuerſis quaeſtionibus octoginta tribus;* ad *vnum* rurſus liber de *fide et ſymbolo*, liber de *agone chriſtiano* et de *Diuinatione Daemonum* tomo *ſexto.*

NOALIENSE Exemplar vide ſub GERMANENSIBVS.

NOVIOMENSIS eccleſiae MSS. annorum ad minus 600. ad *Enarrationes in Pſalmos* emendandas adhibiti ſunt.

Illuſtris familiae PHIMARCONENSIS *codex corticeus*, quem olim *Narbonenſis* Eccleſiae fuiſſe Benedictini ſuſpicantur, in ſermonibus vſum praeſtitit.

ſtitit. [Ex] eodem *Epiſtolae duae* XLII et XLV. perbreues ad Paulinum antehac ineditae erutae ſunt.

Carthuſia PORTARVM *Bugienſis prouinciae* in *Gallicis* praebuerat exemplar MS. *librorum contra ſecundam Iuliani reſponſionem.*

PRATELLENSES, i. e. *Abbatiae S. Petri de Pratellis Codices MSS.* ante annos 600 exarati laudantur in Opere *Enarrationum in Pſalmos;* ad eoſdem recenſiti ſunt *Sermones*, et ſinguli libri ex mediis tomis, e. g. *Retractationes*, *de libero arbitrio et de Geneſi contra Manichaeos*, tomo *primo; de conſenſu Euangeliſtarum, de Sermone in Monte et Tractatus in Euang. Iohannis* tomo *tertio; liber de catechiſandis rudibus*, *de ſancta Virginitate*, *de coniugiis adulterinis*, *de Mendacio*, *de Patientia*, et ad *duos liber de cura pro mortuis gerenda*, tomo *ſexto.* Nec parcius laudantur tomo *octauo*, vbi *libri contra Fauſtum*, *contra Aduerſarium legis ac prophetarum*, *contra Sermonem Arianorum* et *de Trinitate;* et *nono* ad libros contra *Epiſtolam Parmeniani*, *de Baptiſmo*, *contra literas Petiliani;* denique *decimo* ad libros de *peccatorum meritis et remiſſione*, *de natura et Gratia*, *de Nuptiis et Concupiſcentia*, *de anima et eius Origine*, *ad libros quatuor ad Bonifacium contra duas Epiſtolas Pelagianorum*, ad *libros* porro *ſex contra Iulianum de gratia et libero arbitrio*, *de Correptione et Gratia*, ad libros denique *de Praedeſtinatione Sanctorum* et *Dono Perſeuerantiae.*

PVXENSIS codex laudatur ad librum de *Continentia*, additusque, iam in *Colbertinis* eum reperiri.

REMENSES. Hoc nomine quidem duo generis manuſcripti intelliguntur, *Eccleſiae Cathedralis Remenſis* ſcilicet et *Abbatiae S. Remigii Remis;* plerumque tamen nuda illa appellatio libros Eccleſiae

cathe-

cathedralis ſignificat, quorum *vnus* profuit libro *de Magiſtro* tomo *primo; Epiſtolis*, libris *de fide et operibus*, *de bono coniugali, de ſancta Virginitate*, *de cura pro mortuis gerenda*, tomo *ſexto;* libris *de ciuitate Dei*, tomo *ſeptimo;* libris *contra ſermonem Arianorum* et *de Trinitate*, tomo *octauo;* denique libris *de Natura et Gratia*, *de Perfectione iuſtitiae hominis*, *de Gratia et libero Arbitrio*, *de Correptione et Gratia* tomo *decimo.*

REMIGIENSES, i. e. *Abbatiae S. Remigii Remenſis* libri. Vnus adhibitus fuit libro *de quantitate animae*, tomo *primo;* libris *de conſenſu Euangeliſtarum*, *tractatibus in Euang. Iohannis*, tomo *tertio.*

Pariter tomo *quarto* plurium in eoſdem *Pſalmos* copia fuit, quorum alii ante annos 500, alii ante 800 deſcripti erant. Plures item conſuluerunt in *Sermonibus.* Tomo *ſexto* vero profuerunt in libris *de fide et ſymbolo, de Agone Chriſtiano, de Opere Monachorum* et *de Diuinatione Daemonum.* Remigianus *vnus* laudatur quoque ad libros *de Ciuitate Dei* et tomo *octauo* ad libros *contra Maximinum et Collationem cum ipſo*, *duo* vero ibidem in libris *de Trinitate.*

Denique ex vno emendati ſunt tomo *nono*, libri *de Baptiſmo; decimo*, libri *de Peccatorum meritis et remiſſione*, *de Spiritu et litera*, et *de anima et eius origine.*

Libri REGII. Regia Bibliotheca Pariſienſis iam tum ſatis magnam librorum MSS. Auguſtini complexa erat copiam, nunc vero, migratis in eandem *Colbertinis* et *Thuaneis* ſingulas fere Catalogi eorum paginas Auguſtinus occupat. Tanto magis iuuat ſcire, qui in vſum conuerſi ſint, quo rectius de vniuerſis iudicari queat. Igitur ad *Regios* codi-

ces

ces ſinguli fere, duobus tribuſue exceptis, tomi *primi* libri caſtigati ſunt. Iidem ad *Epiſtolas* praeſto fuerunt, non item in *tertio* et *nono* tomo.

Sed in *Enarrationibus in Pſalmos* adiuti ſunt *Codice Regio;* quem ſic deſcripſerunt: „Eſt liber „mirae magnitudinis et in duos nunc tomos diuiſus, „qui in prima pagella vacua praefert: *Hoc immen-„ſum opus donauit mihi vir egregius, Dominus Io-„hannes Bocaccio, poëta noſtri temporis, quod de „Florentia Mediolanum ad me peruenit 1355. April.* „10. Quod Franciſci Petrarchae manu inſcriptum „intelliges ex data ab ipſo ad Bocaccium epiſtola, „quae Variarum in Veneta eſt XXIV, in Baſileenſi „XXII, incipiens, *Beaſti me munere magnifico* etc. „Vbi Auguſtini in Pſalmos *opus immenſum totum „vno volumine comprehenſum*, *Bocaccii* beneficio ſibi „tranſmiſſum teſtatur, ſcribens *Mediolani V. Idus „Maii.*“ Hanc Petrarchae Epiſtolam Benedictini hoc ipſo tomo poſt indices praefationibus ſubiunctos recudendam curarunt.

Porro ad *Sermones*, tomo *quinto*, praeter alia exemplaria ex Bibliotheca Regia, adfuit vnum volumen ſingulare, a *Iacobo Sirmondo* occaſione Sermonum a ſe editorum laudatum, complectens duas priores partes *collectorii Sermonum Auguſtinianorum Roberto de Bardis*, Cancellario Pariſienſi, auctore adornati *).

Nec

*) De hoc *Collectorio* ipſi Benedictini in Praef. ad Tomum *quintum* haec referunt. „*Robertus de Bardis*, Pariſienſis Cancellarius, aliam pulcriorem ac magis ingenioſam (quam vulgata, quam ante recenſuerant) inſtituerat Sermonum diſtributionem in *Collectorio,* vt vocat, *Sermonum Auguſtini,* numquam vulgato, quod trecentis annis abhinc retro elapſis excogitauit, iiſdem Sermonibus in quinque

Nec pauci, immo ſinguli paene libri tomi *ſexti* ex iiſdem caſtigati ſunt, ex quibus vnus ad librum *contra Mendacium* cenſetur annorum 900.

Ad libros de Ciuitate Dei recenſendos duo ſuppetebant. *Duo* itidem ad librum *de Haereſibus ad Quoduultdeum*, tomo *ſeptimo.*

Vnus denique adhibitus eſt tomo *decimo* libris *de Gratia et libero Arbitrio*, nec non *de Correptione et Gratia*, item *de Praedeſtinatione Sanctorum et Dono Perſeuerantiae.*

Liber REGIOMONTENSIS. Ad hunc paucis exceptis omnes tomi *primi* libri excuſſi ſunt. Laudatur praeterea in *ſexto* ad librum *de mendacio.*

Liber MS. Abbatiae SAGIENSIS *S. Martini.* Iuxta eum recenſiti ſunt libri *de Sermone in monte* tomo *tertio;* liber *contra Mendacium et de Opere Monachorum* tomo *ſexto;* libri *contra Fauſtum et contra*

partes diſcretis. *In prima parte collecti ſunt Sermones de quibuſdam geſtis et ſanctis veteris Teſtamenti. In ſecunda parte de ſolemnitatibus et ſanctis noui Teſtamenti. In tertia de verbis et ſcripturis veteris Teſtamenti. In quarta de verbis et ſcripturis noui Teſtamenti. In quinta de ornamentis et impedimentis Eccleſiae ſiue fidelium, ac de retributionibus vltimis bonorum et malorum.* Seruatur in Bibliotheca Regia manuſcriptus vnus, quo primae duae iſtius collectionis partes continentur; et in Colbertina duo, in quibus index Sermonum illarum quinque partium repraeſentatur. Ceterum, *iudicant,* licet Sirmondus in praef. ſuorum XL Sermonum affirmet, in *recenſendis approbandiſque Auguſtini operibus. . . . . minime contemnendum eſſe Roberti ſuffragium:* tamen adulterinos Sermones prope innumeros admiſit, vt qui in prima Collectorii parte ſolos legitimos relinqueret, illam paene ad nihilum reduceret etc."

contra Sermonem Arianorum, tomo *octauo;* libri *de anima et eius origine*, tomo *decimo.*

Sergiensis, i. e. *S. Sergii Andegauienſis* liber laudatur tomo *primo* ad libros *de quantitate animae et de libero arbitrio; ad Expoſitionem inchoatam Epiſtolae ad Galatas; ad librum de agone chriſtiano.*

Codex Sigiramnensis, i. e. *Abbatiae S. Cygiranni* ſeu Cygirannensis. Notatur in libris *de Bono Viduitatis* et *contra Mendacium* tomo *ſexto;* ad libros *de Ciuitate Dei*, tomo *ſeptimo;* ad librum *ad Oroſium contra Priſcilianiſtas*, tomo *octauo;* ad libros *contra literas Petiliani*, *contra Creſconium* et *de vnico Baptiſmo*, tomo *nono;* idemque ad libros *de Peccatorum meritis et remiſſione*, ad librum *de natura et gratia, de perfectione iuſtitiae hominis*, item ad librum *de Gratia Chriſti et de peccato originali*, *de nuptiis et concupiſcentia* et *de anima et eius Origine* tomo *decimo.*

Codex Silvaemaiorensis. Eius fit mentio ad libros *de Conſenſu Euangeliſtarum* tomo *tertio.*

Silvanectensis *Eccleſiae* exemplar ſuppeditauit *Epiſtolas* et *libros de Ciuitate Dei.*

Sorbonici. Modo *vnus*, modo *duo*, immo *tres* identidem adhibiti ſunt ad ſingulos fere, quos Tomus *primus* complectitur libros. Ad eosdem excuſſae ſunt *Epiſtolae*, *ſecundo* tomo; libri *quaeſtionum Euangeliorum* tomo *tertio; Sermones*, *quinto;* et in *ſexto* vix tres aut quatuor numerabis, qui ex iiſdem non fuerint caſtigati. Tomo *octauo* laudatur Codex Sorbonicus ad librum *contra Adimantum*, *contra Epiſtolam Manichaei*, *de natura Boni*, *contra aduerſarium legis et prophetarum*, *ad Oroſium contra Priſcillianiſtas*, *contra Sermonem Arianorum*, *contra Maximinum.* Libri vero *de*

Trinitate ad *quinque* Sorbonicos recenſiti ſunt. Tandem in tomo *decimo* vix *quatuor* ſunt ex omnibus, qui non ex *vno* ſaltem *Sorbonico* emendati fuerint.

Svessionensis *Abbatiae B. Mariae* liber vnus libris *de Ciuitate Dei* recognoſcendis profuit.

Tellerianae *bibliothecae* codices. Duo fere laudantur in recenſione *Epiſtolarum* frequentiſſime.

Libri Theodoricenses, i. e. *Abbatiae S. Theodorici prope Remos.* Vnum Theodoricenſem, qui olim Hincmari Remenſis fuerit, laudant ad *Retractationes.* Neſcio an idem ſit, cuius etiam ad libros *contra Academicos*, *de Ordine*, *de Geneſi contra Manichaeum*, et *de Moribus Eccleſiae Catholicae* tomo *primo* ſit mentio. Paſſim dicitur *optimae notae* et ad libros *de Ordine*, *nongentorum* fere annorum, quae temporis nota in aetatem Hincmari convenit. Ad eoſdem emendatae ſunt *Epiſtolae.* Vetuſtiſſimus et optimae notae MS. citatur ad *Tractatus in Epiſtolam Iohannis* tomo *tertio;* in *Enarrationibus in Pſalmos* tamen vſi ſunt libris huius bibliothecae aetatis aliquanto recentioris. *Theodoricenſes* ad *Sermones* quoque praeſto fuerunt; in tomo *octauo* vero nonniſi libri *de Trinitate* opem hinc experti ſunt.

Libri Bibliothecae Thvaneae. Ex Thuaneo annorum 700 vel 800 recogniti ſunt *Confeſſionum* libri. Idem fortaſſe eſt, quocum collati ſunt in eodem tomo libri *de beata vita*, *ſoliloquiorum*, *de libero arbitrio*, *de vera Religione et Regula ad ſeruos Dei.* Libri *de Ordine* duobus gauiſi ſunt. Tomo *tertio* citatur Thuaneus *ad Expoſitionem quarundam propoſitionum ex Epiſtola ad Romanos*, nec non in *Expoſitione inchoata Epiſtolae ad Galatas.*

Valiensis liber memoratur ad *Confeſſiones.*

Veda-

V E D A S T I N I, i. e. libri *Abbatiae S. Vedaſti Atrebatenſis.* Laudatur Vedaſtinus codex tomo *primo* ad libros *Retractationum*, *Confeſſionum*, *de beata Vita*, *de Ordine*, *Soliloquiorum*, *de Immortalitate animae* et *de Geneſi contra Manichaeos;* item ad *Epiſtolas* tomo *ſecundo.*

V I C T O R I N I, ſeu *Codices Abbatiae S. Victoris Pariſienſis.* *Tres* ſuppetebant ad caſtigandos libros *Retractationum et Confeſſionum*, *de Ordine*, *de Magiſtro*, *de quantitate animae*, *de Moribus Manichaeorum;* duo in libris *contra Academicos*, *de immortalitate animae*, *de Geneſi contra Manichaeos et moribus eccleſiae catholicae;* *vnus* in reliquis *primi* tomi paucis exceptis. Profuerunt porro emendandis *Epiſtolis* et *Sermonibus*, tomo *ſecundo* et *quinto;* nec non libris *quaeſtionum Euangeliorum*, *quaeſtionum XVII. in Mathaeum*, tomo *tertio;* item libris *de diuerſis quaeſtionibus ad Simplicianum*, *de octo Dulcitii quaeſtionibus*, *de fide et ſymbolo*, *de agone chriſtiano*, *de catechiſandis rudibus*, *de Bono viduitatis*, *de Mendacio*, *contra Mendacium*, *de Opere Monachorum*, *de cura pro mortuis gerenda* et *de patientia.* Similiter libri tomi *octaui*, *de Haereſibus*, *aduerſus Iudaeos*, *de vtilitate credendi*, *de duabus animabus*, *contra Fortunatum*, *contra Adimantum*, *contra Epiſtolam Manichaei*, *contra Fauſtum*, *acta cum Felice*, liber *de Natura Boni*, liber *ad Oroſium contra Priſcillianiſtas* ad *vnum* vel *duos* Victorinos excuſſi ſunt; nec non liber *de vnico Baptiſmo*, tomo *nono;* liber *de gratia Chriſti* et liber *de peccato originali*, libri *de nuptiis et concupiſcentia* et libri ſex *contra Iulianum* tomo *decimo.*

V I N D O C I N E N S I S *Abbatiae* libri. Libri *Soliloquiorum*, *de immortalitate animae*, *de quantitate animae* tomi *primi* ex vno caſtigati ſunt; item *Epi-*

ſtolae tomo *ſecundo*, *Enarrationes in Pſalmos*, *quarto*, et *Sermones* tomo *quinto.* Vnus quoque adhibitus eſt ad libros *de Ciuitate Dei*, tomo *ſeptimo.* In tomo *tertio* collati ſunt cum *vno* libri *de conſenſu Euangeliſtarum*, *de Sermone in monte*, *tractatus in Epiſtolam Iohannis*, cum *duobus*, *tractatus in Euangelium Iohannis:* tomo *ſexto* libri *de agone Chriſtiano et de patientia;* tomo *octauo* libri *contra Fauſtum* et *de Trinitate.*

VTICENSIS. Vid. *Ebrulphenſis.*

II. *Itali.*

I. VATICANI, quorum ſcilicet variantes Lectiones, collectae olim per ſelectos viros, qui poſt Louanienſem editionem denuo caſtigandis S. Auguſtini operibus auctoritate Clementis VIII. incumbebant, cum Benedictinis communicatae fuerant.

Generatim ad *plures* eorum recognitae ſunt *Epiſtolae; quinque* adhibiti ſunt in libris *de Ciuitate Dei; vnus* in *Enarrationibus in Pſalmos ad priores quadraginta nouem Pſalmos.* Deinde, vno excepto, omnes Tomi *primi* libros cum Vaticano aliquo codice, *Regula ad Seruos Dei* etiam cum *duobus*, collati ſunt. Similiter in *tertio* tomo vix tres reperiantur, qui ad hoſce codices non fuerint emendati; libri *de Sermone in Monte* ad *duos;* libri *de Conſenſu Euangeliſtarum* ad *quatuor.* In *ſexto* itidem modo *duo*, plerumque *tres*, vel etiam *quatuor*, immo *quinque* praeſto fuerunt. Similiter in tomo *octauo* duo tantummodo libri ſunt, quibus non auxilii aliquid ex iis acceſſerit, cum aliis *duo*, aliis *quatuor*, *quinque*, *ſex*, vt libris *contra Fauſtum;* quin libris *de Trinitate*, *vndecim* adeo exemplaria adhibita eſſe notatum reliquerunt. Parcius profuerunt Tomo *nono:* quippe *duo* tantum iuuarunt libros contra

Epi-

Epiſtolam Parmeniani et *libros VII. de Baptiſmo*, *vnus* collatus eſt cum libro *de vnico Baptiſmo.* Sed in *decimo*, ſi duo demſeris, ſinguli ad libros Vaticanos non raro *quatuor* aut *quinque* ſunt recogniti.

2. CHRISTIANAEANI, quos vocant *Codices*, i. e. *MSS. Chriſtinae Reginae Suecorum*, fortaſſe Vaticanis accenſendi ſunt. Nam ſi tum nondum ad Vaticanam Bibliothecam pertinebant, certe poſtmodum illati ſunt. Sed hoc praeterea intereſt inter eos et reliquos diſcriminis, quod Vaticani, quos appellant Maurini Patres centum et quod excurrit annos collati eſſent, hi nunc demum et, vt mihi quidem videtur, ab ipſis PP. oculis vſurpati ſunt. Laudant autem *vnum* tomo *primo* ad librum *de moribus Manichaeorum*, quem fortaſſe vna cum parte *Enarrationum in Pſalmos* complectebatur. Nam ad hoc opus praeſto fuerunt *duo*, *vnus*, qui ſeptemdecim ex prioribus Pſalmis, nempe XXXIV - L: *alter*, qui poſteriores triginta duos exhibebat, a CXIX - CL.

3. ROMANVS codex libri Auguſtini *de geſtis Pelagii*, cuius variantes lectiones ad oram libri ſui adnotauerat *Marcus Velſerus.*

4. FLORENTINI, i. e. tres MSS. in Bibliotheca Ducali Florentiae exiſtentes, quorum in eodem *de Pelagii geſtis* libro variantibus vſi ſunt.

III. *Anglicani.*

Abſoluta iam tota editione tranſmiſſae ſunt ex Anglia lectiones variantes *octo* fere codicum per *E. Bernardum*, Aſtronomiae in Oxonienſi Academia profeſſorem, ex quibus in ſecunda demum tomi primi, ad quem vnice ſpectant, editione correctiones aliquot translatae ſunt. Erant autem *tres* ex bibliotheca *Bodleiana*, ex Collegio *Mertonenſi duo*, vnus

ex Archiua *Laudina, duo Cantuarienſes* *). Priores *ſex* adhibiti ſunt ad *Retractationum* libros; *quatuor* ad *Confeſſiones*, ſcilicet *vnus Bodlei.* et Laud. et Mert. *duo;* quinque ad libros *ſoliloquiorum*, nempe *vnus* Bodl. *duo* Mert. et *totidem* Cant.

Haec de codicibus ex iis indicibus, quos ſingulorum librorum lectionibus diſcrepantibus ad calcem genuinorum ſcriptorum cuiuſque tomi Benedictini PP. adiecerunt. Alios paucos, quos interdum in ipſis notulis textui ſubiunctis aut in farragine variantium laudant, inde excerpere non vacat. Operae vero ſit *impreſſos* etiam codices *antiquiores* fere, quos in ſingulis libris caſtigandis adhibuerint, conſignare, ſi quidem hi ipſi MSS. inſtar cenſendi ſunt, quos illorum temporum incuria, modo ſemel imprimendo operi vacaſſent, parui ducebat et nulla memoria dignos.

Igitur in *Primo* tomo ad libros *Retractationum* ſubſidio fuerunt editio Amerbachiana (a. 1505.) et prima Eraſmi; ad *Confeſſiones* praeter eaſdem Badiana, quo nomine illa opuſcula appellant, quae Iodocus Badius a. 1520. per Iohannem Paruum excudi curauit, et Arnaldina (verſio), quae a. 1649. ad XII. MSS. codices recognita prodiit. Ad ſuperiores tres porro recogniti ſunt libri *contra Academicos*, *de beata Vita*, *de Ordine*, *de immortalitate animae*, *de magiſtro;* ad ſolas Bad. et Eraſm. libri *ſoliloquiorum*, *de Quantitate animae*, *de libero arbitrio:* ad Bad. Eraſm. et Arnald. recentiorem, libri *de moribus eccleſiae catholicae*, *de moribus Manichaeorum*, *de vera religione;* ad Amerb. et Eraſm. libri *de Muſica*, *de Geneſi contra Manichaeos* et *Regula ad Seruos Dei.*

In

*) Sic enim interpretor compendium illud vocis *Cant.*

In Tomo *ſecundo* Epiſtolarum editiones laudantur ſequentes: Amerbachiana a. 1493. f. Badiana. Pariſiis. 1515. et Eraſmiana Baſ. ap. Frob. 1528.

In *tertio* Tomo notarunt ad libros *de conſenſu Euangeliſtarum* editionem eiuſdem Iodoci Badii, quam ex recenſione Auguſtini *Ratiſponenſis* excudi curauit Lugduni 1497. et Eraſmianam a. 1528; ad libros *de Sermone Domini in Monte* praeter Eraſmianam et Amerbachianam (a. 1506.) editionem Iacobi Mareſchalli, Lugdun. 1520; ad libros *Quaeſtionum Euangeliorum* et *Quaeſt. XVII. in Mathaeum* eandem Badianam, nec non Eraſm. et Amerbach., ad *Tractatus in Ioh. Euangelium*, Bad. et Eraſm., ad *Tractatus in Epiſt. Ioh.* Amerb. Bad. et Eraſm., ad *Expoſitionem quarundam Propoſitionum* in Ep. *ad Romanos et Galatas*, nec non *Expoſitionem inchoatam Epiſtolae ad Rom.* (quae in Gallicanis MSS. non reperta, emendata eſt vnius Vaticani ope) Amerbach. et Eraſm.

In tomo *quarto* ad *Enarrationes* in *Pſalmos* praeſto fuerunt liber Baſ. per Io. Amerbach 1489 excuſus et Eraſmiana 1529.

Sermonibus in *quinto* tomo caſtigandis adhibitae ſunt editiones, Amerbachiana a. 1494 et 1495. Eraſmiana a. 1571. Sirmondiana 1631. et Supplementi Vigneriani ed. altera. 1655.

In tomo *ſexto* ad librum *de diuerſis quaeſtionibus octoginta tribus* conſultae ſunt Lugdunenſis, quae Auguſtini Ratiſponenſis cura apud Ioannem Trechſel a. 1497 excuſa eſt, et Eraſmiana a. 1528; ad libros *de diuerſis quaeſtionibus* et *de catechiſandis rudibus*, et *de fide et operibus* Amerbach. et Eraſm., ad librum *de VIII Dulcitii quaeſtionibus* et *de fide et ſymbolo*, eaedem et Lugdunenſis ante laudata; *ad Enchiridion de fide, ſpe et charitate* praeter Amerb.

et Eraſm. editiones Lauberti Danaei et Ant. Arnaldi; tandem ad librum *de Agone chriſtiano* praeter Amerb. et Eraſmianam, ed. Ioh. Parui a. 1513.

Libri *de Ciuitate Dei* tomo *ſeptimo* recogniti ſunt ad ed. Venetam Vindelini 1470. Amerb. a. 1490. et Eraſm. 1529.

Denique Amerbachiana et Eraſmiana editiones etiam per totum Tomum *octauum*, *nonum* et *decimum* adhibitae fuerunt.

Ex quo indiculo librorum impreſſorum etiam hoc patet, Romanas et Venetas aliaſque inſigniores ſingulorum operum Auguſtini editiones, quibus ſi vti voluiſſent, carere non poterant, praeter vnam *de Ciuit. Dei* a Benedictinis Patribus eſſe neglectas.

II. *Annales editionum ſingulorum Auguſtini librorum.*

A. *Genuinorum.*

(1) *Contra Academicos.*

Seorſim hi libri nunquam prodierunt. Attamen in compluribus antiquis opuſculorum Auguſtini collectionibus primum fere locum occupant, de quibus infra fiet mentio. Gallice conuerſi ſunt iuxta Benedictinorum editionem a *Villefortio.*

1703.

Paris chez Elie Joſſet. 12. Les livres de St. Auguſtin contre les philoſophes Academiciens, avec le traité de la grace et de la liberté, traduits en François ſur l'édition des PP. Benedictins (par Mr. Villeford ou Villefort) *Cat. Bibl. Reg.* cf. *Journal des Sçavans.* 1703. p. 221.

(3) *De*

(3) *De Ordine libri II.*

Latine nunquam ſeorſim excuſi ſunt, ſed *gallice* eos conuertit *Villefortius* vna cum libris *de libero arbitrio* et *de Doctrina chriſtiana*, de quibus ſuis locis.

(4) *Soliloquiorum libri II.*

Horum vnam tantummodo eamque vetuſtiſſimam editionem latinam reperire potuimus. Nam pleraque huius nominis edita ad ſpuria pertinent et infra a nobis commemorabuntur. Hanc vero accipe.

Sine anno

loco et typogr. f. S. Auguſtini Soliloquiorum libri duo.

Volumen eſt foliorum XXIII. lineis latis XXXV. per paginam impreſſum. Exorditur verbis: *Aurelii Auguſtini epiſcopi ipponenſis incipit ſoliloquiū liber primus feliciter.* Similiaque habes in fronte libri ſecundi folio XI. In fine primi: *Aurelii* etc. *explicit.* Aſt in fine ſecundi, qui contingit in prima pagina folii XXIII. nulla prorſus formula extat. Literae ſunt gothicae, breues et pingues, quae, licet multae verborum abbreuiaturae ac literarum notae ſint inſperſae, oculis tamen nequaquam ingratae accidunt. Ad *Guntherum Zainer*, typographum Auguſtanum, qui ab anno inde 1468. decem fere per annos ibidem libris imprimendis operam nauauit, referri ſolet. Certe inter plura cum Auguſtini, tum aliorum opuſcula hiſce libris plane conformia, nec raro vno volumine cum iiſdem comprehenſa, quae quidem manifeſto ſe vnius eiuſdemque familiae eſſe profitentur, vna occurrit *Thomae a Kempis de imitatione Chriſti* editio cum ſubſcriptione: *per Gintheum* (ſic) *zainer ex reutlingen pgenitū literis impſſi ahenis*, vnde de ceteris coniecturam haud improbabilem

babilem viri in his literis exercitatiſſimi capiunt. Vide, quos laudauimus occaſione ſimilium quorundam Hieronymi opuſculorum *Tomo I. p.* 488. Nuper etiam Cl. *Braunius* in *Not. H. Lit.* (1788.) p. 38. hanc editionem retractauit.

(7) *De Moribus Eccleſiae Catholicae.*

Huius *duae* extant *verſiones gallicae* iiſdem auctoribus, qui librum *de vera Religione* transtulerunt, quem videſis.

(9) *De quantitate animae.*

Sine anno

loco et typogr. f. S. Auguſtini liber de quantitate animae.

De charactere omnique huius voluminis deſcriptione plura differemus ad *libros Soliloquiorum* ex eadem officina emiſſos. In praeſenti notabimus tantummodo, conſtare illud foliis XXIX. ac plerumque cum vno vel pluribus eiuſdem generis impreſſis compactum inueniri, in quibus inaequalis pariter foliorum numerus deprehenditur. Ex quo ſequitur, manifeſte fuiſſe ea omnia continuo ac vna ſerie excuſa. Sic apud *Braunium* in *Notit. Hiſt. Lit. p.* 38. adhaeret illi *ſpeculum peccatoris*, in noſtro exemplari compacta ſunt *ſoliloquiorum libri duo*, *ſpeculum peccatoris*, *de quantitate animae* et *ſoliloquium de arra animae.* Exorditur in ſumma pagina titulo: *Aurelii Auguſtini hipponenſis epiſcopi liber de aīe quantitate incipit feliciter.* Definit in extrema folii vltimi: *Explicit liber aurelij auguſtini de anime quantitate.*

Auguſtiniani huius libri artificium omnemque indolem late explicauit et commentarium quaſi in eun-

eundem contexuit ſub extremum ſaeculi praeteriti homo doctus Siculus in opere ſequenti: *Animae humanae natura ab Auguſtino detecta in libris de animae quantitate, decimo de Trinitate et de animae immortalitate, exponente* Michaele Angelo Fardella, *Drepanenſi, S. Th. D. et in Patauino Lyceo Aſtronomiae et Meteorum Profeſſore, Eminentiſſimo Henrico de Noris, S. R. E. Cardinali conſecrata. Venetiis, ſumtibus Hieronymi Albricci* 1698. *f.* cuius argumentum expoſitum eſt in *Actis Erudit. Suppl. III. p.* 302 - 307. contractius habetur in *M. Bibl. Eccleſ. Colonienſi p.* 729. ſq. Ipſe auctor denuo ideam operis ſui delineauit epiſtola inſerta diario italico, *Giornale di Minerva T. III. P. I. p.* 29. *Venetiis apud Albriccium* 1700. f. hoc titulo: *Lettera al Illuſtriſſimo ed Eruditiſſimo Sig. Antonio Magliabecchi, Bibliothecario del Sereniſſimo Gran Duca di Toſcana, in cui ſi contiene l'argomento, e l'Idea della ſua opera già ultimamente ſtampata col titolo, animae humanae natura ab Auguſtino detecta* etc. teſtante *Antonio Mongitore* in *Bibl. Sicula T. II. p.* 71 *).

(10) *De libero arbitrio lib. III.*

1524.

Baſileae. 8. D. Auguſtini de libero arbitrio l. III. Ad fidem *Cat. Bibl. Traiect.* P. II. p. 59. laudant Colonienſes.

1568.

*) Auctorem Bibl. Siculae non ſatis curioſe inſpexit auctor huius articuli in *Bibl. Eccl. Colonienſi*, dum duplicem huius epiſtolae editionem, alteram ſeorſim a. 1700. *Ven. f.* alteram in laudato *diario* fingit, cum potius hoc ipſo anno et loco eaque forma tertium volumen diarii illius editum ſit.

1568.

Coloniae. 12. Iidem libri in Enchiridii formam redacti. Eiuſdem de Praedeſtinatione et Gratia liber vnus. Laudant *Poſſeuinus App*. p. 154. *Hendreich Pand. Brandb*. p. 341. cf. lib. *de Gratia*.

Gallice reddidit *Villefortius* cum libris *de Doctrina christiana*.

(13) *De vera Religione.*

Singularem huius libri editionem *Venetiis* a. 1484. 4. procuſam laudant Colonienſes; ſed perperam. Nam quam illi viderint, ea nihil amplius fuit, quam particula et quidem extrema, *Opuſculorum* ibidem editorum; vnde ex ſubſcriptione ad calcem propoſita licebat hariolari.

Duas illius *verſiones gallicas* iam ſupra obiter commemorauimus. Prodiere autem

1647.

Paris chez Anton Vitré. 8. Le livre de S. Auguſtin de la veritable religion, traduit en François, avec le Latin enſuite, reveu exactement; par *Antoine Arnauld*, Docteur de Sorbonne. Repetita eſt *Bruxellis* 1675. Theologorum Louanienſium errores a ſe obſeruatos antiquiorum editionum et aliquot MSS. Codicum ope emendaſſe in praefatione profeſſus eſt. Vid. *Magna Bibl. Colon*. v. *Ant. Arnaldus*. Iterata vice prodiit a. 1652 et 1657. Neſcio vero, qui liber prior ſit in volumine, quiue poſterior. Vtroque enim modo profertur a Bibliographis.

1690.

Paris chez Veuve Jean Bapt. Coignard. 8. Les deux livres de St. Auguſtin, de la veritable religion et des moeurs de l'Egliſe Catholique, traduits en Fran-

François ſur l'edition Latine des PP. Benedictins, avec des notes et des nouveaux ſommaires des chapitres; par *Philippe Goibaud du Bois.*

(14) *De vtilitate credendi.*

1602.

Moguntiae . . . . S. Auguſtini liber de vtilitate credendi ad Honoratum. Argumentis, Notis atque Analyſi illuſtratus a *Iuſto Caluino.* Extat in eiuſdem ſub ementito nomine *Iuſti Baronii Praeſcriptionum adv. Haeret. Tractt.* a p. 423. In *Cat. Bibl. Bodl.* eundem librum laudatum inuenio a. 1605.

1680.

Louanii per Hieron. Nempaeum. 12. D. Auguſtini liber vnus ad Honoratum, de vtilitate credendi; eiuſdem libellus de catechizandis rudibus. *Cat. Bibl. Reg. Pariſ.*

(19) *De ſermone Chriſti in monte.*

1683.

Paris chez André Pralard. 12. Les commentaires de S. Auguſtin ſur le Sermon de N. S. ſur la montagne, qui contiennent toutes les regles de la morale chretienne, traduits en François par *Pierre Lombert.*

Capita ſingula argumentis ſunt inſtructa. cf. *Journal des Sçavans* 1683. n. XXIII. p. 273. (4.)

1767.

Mantoua. 8. I due libri di S. Agoſtino, per iſpiegare il *Ragionamento del Redentore a Diſcepoli ſul Monte ec.,* trad. in Ital., con note del *P. Agoſtino Nicolo Bianchi. Cat. Bibl. Firm.*

Plura

Plura de his libris diſputare *Rich. Simonium* in *Hiſt. Crit. Commentat. N. T.* cap. 17. monent Colonienſes; non item *Baelii* ſunt in librum obſeruata, quae iidem laudant ex Dictionario eius v. *Septimius Acindynos;* ſed ibi ſimpliciter exponitur hiſtoriola, quam Conſtantii temporibus Antiochiae ſub Acindyno praefecto accidiſſe Auguſtinus narrat cap. L. l. 1.

(23. 24. 25) *Auguſtinus in Epiſtolas Pauli.*

1499.

Pariſiis per Vdalr. Hering et Berth. Rembolt. f. Diui Auguſtini in ſacras Pauli epiſtolas noua et hactenus abſcondita interpretatio: per venerabilem *Bedam* ex innumeris illius codicibus mira induſtria ſummoque labore collecta, vbi quid primum ammirari debeas, non facile iudicabis: diuinumue interpretis ingenium: aut ſingularem Bedae in excerpendo pariter et expingendo ſollertiam. Vtcunque ſit: Abiſſalem ibi comperies eruditionem. Porro interpretationi praefatae ſeptem aureas Chryſoſtomi omelias ſapientes addere curauerunt impreſſores: quibus clariſſimas Pauli laudes, dotes et praeconia paruo labore, ſed non mediocri fructu facile deprehendet Lector ſtudioſus.

Haec titulus; cui inſuper inſigne Remboltianum et epigramma in operis commendationem impreſſa. *In fine* Commentariorum in Ep. ad Hebraeos, poſt epilogum, operis ſummam iterum verbis complectentem: *Impreſſum eſt autem praeſens opus ad omnipotentis dei gloriam et fidelium ſalutarem eruditionem opera et impenſa Vdalrici Hering et Magiſtri Bertholdi Rembolt ſociorum: Parrhiſiis in ſole aureo vici Sorbonici. Anno incarnationis dominicae M.CCCC.XCIX. Die vero XXVIII. Nouembris.*

Prae-

Praecedunt cum indice alphabetico rerum ac verborum admodum copioſo, qui auerſa ſtatim tituli pagina incipit, praefationes *Gaufridi Bouſſardi theologorum minimi, ad Petrum Securabilem (Sacrarum literarum interpretem archidiac. Rothomag.) adque omnes viros ſtudioſos et litt. amantes in ſequens Bedae et Auguſtini opus, et ſancti Hieronymi in omnes Epiſtolas Pauli.*

Vetuſtam hanc *Flori* Lugdunenſis *Excerptorum* editionem commemorare viſum eſt, non ſolum quia paucis innotuiſſe eam cognouimus, ſed maxime etiam propterea, quod MSS. eius collectionis codices haud raro cum fructu a PP. Maurinis conſulti ſunt.

Ad Epiſtolam ad Romanos ſpectat opus a Colonienſibus laudatum: *Auguſtinus, Pauli ad Romanos interpres Apoſtolico - Romano - Catholicus, ſeu Via Veritatis et Vitae, in vnitate Fidei ſaluificae, per genuinam interpretationem S. Auguſtini ſuper Epiſtolam ad Romanos, perque varias deductiones Theologico - Polemicas, contra Atheos, Paganos, Iudaeos, Mahometanos, Haereticos et Infideles quoscunque, nouiſſime ac perſpicue demonſtrata per* Barthol. Fibvs *Soc. Ieſu, S. Theol. Doctoris* Coloniae Agripp. 1696. *fol.*

(27) *De Continentia.*

Verſionem huius libri *Gallicam* v. infra n. 43.

(29) *De diuerſis Quaeſtionibus VII. libri II.*

Editi ſunt in Collectione *Quaeſtionum* Auguſtini, Lugduni 1497. f. quam v. inter *Opuſcula eiuſdem.*

(32) *De Doctrina chriſtiana.*

Saec. XV.

Sine anno

et loco. fol. S. Auguſtini Ep. de Doctrina chriſtiana libri IV.

Profert *Ge. Pray* in *Indice libr. rar. Bibl. Budenſis* typum vetuſtiſſimum dicens, quod ex defectu numeri paginarum, item cuſtodis et aliorum ſignorum recte coniectauerat. Addit ibi, ſententias ſingulas vno puncto eſſe diſcretas, literam i vbique caudatam apparere etc. praeterea literas initiales exemplaris illius picturatas eſſe. Adeo autem obtuſus eſt voluminis huius character, vt vir laudatus literas magis ad ligneas, quam ex aere fuſas accedere prodiderit. Inſuper, quod longe etiam memoratu digniſſimum eſt, inſignem huius voluminis a reliquis, quae vulgo praeſtant, illius libri editionibus diſcrepantiam notauit eiuſdemque ſpecimina aliquot ab initio et fine librorum deſumta propoſuit, quae nec nos omittenda duximus. Itaque initium libri I. ſic ſe habet: „Hoc opus noſtrum, quod inſcribitur de „doctrina chriſtiana, in duo quedam fueram prima „diſtribucione partitus. Nam poſt prohemium quo „reſpondi eis qui hoc fuerant reprehenſuri. due ſunt „res inquam quibus nititur omnis tractacio ſcripturarum. modus inueniendi que intelligenda ſunt. et „modus proferendi que intellecta ſunt. De inue„niendo prius de proferendo poſtea diſſeremus. quia „ergo de inueniendo multa iam diximus. et tria de „hac vna parte volumina abſoluimus. adiuuante do„mino de proferendo pauca dicemus, vt ſi fieri po„tuerit vno libro cuncta clamamus: (*claudamus*) to„tumque hoc opus quatuor voluminibus termine„tur.“ *Finis libri IV. autem:* „Longius euaſit liber „hic

„hic quam volebam. quamque putaueram — — —
„Ego tamen domino noſtro iheſu chriſto gratias „ago. quod in his quatuor libris. non qualis ego eſ„ſem cui multa deſunt. ſed qualis eſſe debeat qui in „doctrina ſana. non ſolum ſibi ſed et aliis eciam la„borare ſtudet. quantulacunque potui facultate diſ„ſerui. Explicit quartus de doctrina Chriſtiana bea„ti Auguſtini epiſcopi."

Sine anno

et loco. 8. *maj.* B. Auguſtini — liber de doctrina chriſtiana diuiſus in quatuor partes. Incipit ſtatim a prologo libri primi; in fine: *Finit opus egregium aurelii auguſtini ipponenſis epi de doctrina xſtiana in quatuor libros diſtinctum valens oimode pro itellectu ſcripturarũ et ſerie proferēdi eaſdem qualis* (ſic) *doctorem decet catholicũ* . · . ·

Deo gracias.

Impreſſum eſt volumen charactere gothico luculento in charta pura et denſa. In ſuperiori margine libri, in inferiori vero plagulae numerus notatur, ſed cuſtodes et foliorum numeri deſunt.

Sine anno

et loco. (Argentorati apud Ioh. Mentelinum.) ſ. Auguſtini liber *de arte praedicandi* (qui quartus eſt eiuſdem de doctrina chriſtiana).

Editor anonymus cum valde vtilem praedicantibus hunc librum fore exiſtimaret et propter totius operis magnitudinem vix paucis innoteſcere eum videret, bene mereri de aliorum ſtudiis hoc voluit, quod a reliquo corpore ſegregatum typis multiplicandum daret. Nec leuem etiam, ſi fides ipſi habenda eſt, operam in corrigendo et emendando ex

pluribus exemplaribus poſuit, qua de re ipſa eius verba non indigna iudicamus, quae memoriae ſerventur, quae ſic ſonant: *Feci ergo. deo teſte magnam per eius correctionem diligenciam. ita. quod omnia exemplaria. que in ſtudio heidelbergenſi nec non in ſpira et in wormacia. atque tandem eciam in Argentina in vllis librariis reperire potui. diligenter proinde reſpexi. Et. cum inter hec. experimento diſcerem. quod idem liber auguſtini. raro inuenitur eciam in magnis et precioſis librariis. Et adhuc rarius. de vllo ex eiſdem librariis ad reſcribendam potuit haberi. Atque eicam quod peius eſt. rariſſime correctus ſiue emendatus inibi queat reperiri. Idcirco permotus fui. ad hoc ſtudioſe laborare, vt ſecundum exemplar meum. tanto nunc ſtudio et labore quantum ſaltem potui correctum. dictus libellus taliter in breui tempore multiplicari poſſet. vt ad plurimorum vſum et ad omnem profectum eccleſiaſticum. facile et cito perueniret. Quapropter. cum nullo alio modo ſiue medio. id expedicius fieri poſſe iudicarem. diſcreto viro* Iohanni mentelino *incole argentinenſi impreſſorie artis magiſtro. modis omnibus perſuaſi. quatenus ipſe aſſumere deſignaretur. onus et laborem multiplicandi hunc libellum. per viam impreſſionis. exemplari meo ante oculos habito* etc. Inſcripta eſt haec praefatio: *Canon pro recōmendatione huius famoſi operis ſiue libelli ſequentis. de arte predicandi S. aug.* Volumen impreſſum eſt foliis XXI. charactere gothico minuto, obtuſo et oculis ingrato lineis latis, quarum XXXIX paginam faciunt. Abſunt vero omnes cuiuscunque generis chartarum et paginarum notae. Prima atque vltima pagina nudae ſunt relictae atque ſeorſim adiicitur duabus plagulis rerum notabilium index bene inſtructus. Dirigitur nimirum iuxta literas, quibus omnis textus, continuus ceteroquin, in pluri-

plurimas ſectiones iuxta alphabeti ordinem (A-LL.) eſt deſcriptus, ita quidem, vt mediis lineis ab initio particulae cuiuſuis eae ſint inſertae. Quocirca ipſe editor in praefatione, *Intermixtae ſunt*, inquit, *operi literae maiuſculae tam ſimplices quam duplicatae. deſeruiunt pro eiuſdem libelli tabula alphabetica. in fine eius poſita. quae tabula ad eaſdem literas remittit per ſingula puncta. Et quiſque cui placuerit. poterit eas faciliter manu ſua per pennam. eciam in marginibus nigro vel rubrico colore ſignare. correſpondetur ad iſtas intra literam poſitas. quod non parum vtile erit. quia cicius in margine poſitae occurrent quaerenti. Et ſic. per remiſiones tabulae ad ipſas eaſdem literas. vnumquodque ex hoc libello contentorum. ad vota cum placuerit. cito potuerit reperiri.*" Ceterum experta eſt haec editio diligentiam bibliographorum doctiſſimorum Cl. *Morelli* in *Bibl. Pinell. T. I. p.* 87. *ſqq.* et *Placidi Braun* in *Notitia Hiſt. Litt. libr. ab arti typogr. inuentione ad a. 1479. impreſſ. in Bibl. Monaſt. ad S. Vdalr. et Afram Aug. Vind.* p. 3.

* *

(Moguntiae per Io. Fuſt.) f. Idem liber ex praecedenti editione fideliter expreſſus, adeo vt in praemonitione impreſſoris tantum nomen mutatum ſit atque hic legatur: *diſcreto viro Iohanni Fuſt incole maguntinenſi impreſſoris artis mgro. modis omnibus perſuaſi* rel. Ceterum conſtat hoc volumen foliis XXII. quorum duo priora occupat praefatio, dehinc textus protenditur ad medium folium XVII., tandem tabula materiarum ſequitur, poſtremo denique foliis duobus, altero auerſa, altero aduerſa paina impreſſis tractatuli duo *De tribus precipuis operibus predicatoris* et *De tribus generibus dicendi,*

quibus vti debet predicator claudunt. Plura vide apud *Deburium* in *Cat. Bibl. Duc. de la Val. T. I. p.* 174. Obiter eundem commemorat *Cat. Bibl. Bunav.* cf. *Memoires de Trevoux* 1765. *Juin* p. 1454. et Cl. *Steigenberger* l. l. p. 47. Quod aetatem huius et ſuperioris editionis attinet, Deburio iam animaduerſum eſt, *Fuſtinam* vel ipſo anno 1466. vel ante eum expreſſam eſſe debuiſſe, quoniam compertum eſt, *Io. Fuſtum* poſt hunc annum artem ſuam exercere deſiiſſe. Vtra vero antiquior ſit, haec, an Argentoratenſis, de eo dubitat *Morellus*, minus ambigit *Gerh. Steigenberger*, Argentinenſi primum locum aſſignare inductus, primum, argumento duorum opuſculorum, quibus Moguntina Argentinenſi eſt locupletior, quae quidem de nouo potius illi acceſſiſſe, quam in hac fuiſſe omiſſa cenſet; deinde etiam, quod praefatio Moguntinae quatuor lineis, quae noua eſt eius obſeruatio, ſit prolixior. Quibus addimus tertium, quod literae, quibus textus in ſectiones diſtinguitur, in Moguntina non iam mediis lineis inſperſae, ſed in margine interiori collocatae conſpiciantur, quo artificii aliquem progreſſum agnoſcere mihi videor. Iam vero optauerim, vt vir doctus aliquis, cui Fuſtinae editionis ſit copia, praefationem excutiat, animumque intendat ad hoc, num iiſdem verbis ibi legantur, quae in Argentinenſi de literis illis calamo in margine priuato ſtudio pingendis erant monita. Quod ſi nihilominus factum cognoſcet, negligentia in iſtius temporis editionibus non adeo rara accidiſſe oportet.

✲ ✲

Ibidem per eundem. fol. Idem liber eiuſdem editionis, priori valde, nec tamen per omnia ſimilis.

Teſtatur

Teſtatur ſe vidiſſe apud amicum quendam *Morellus* l. l. p. 59. atque in Bibliotheca Canon. Regular. Rottenbuchii deprehendit *Cl. Gerhoh. Steigenberger* in tr. *üb. die zwo alleraelteſte gedr. deutſche Bibeln. (Münch.* 1787. 4.) p. 48.

Saec. XVI.

1527.

Coloniae apud Heronem Alopecium (impenſis Godefr. Hittorpii) menſe Iulio. 8. D. Aur. Aug. de Doctrina Chriſtiana libri quatuor, omnibus ſacram ſcripturam vel recte intelligere, vel fructuoſe populo proponere volentibus, perquam et vtiles et neceſſarii.

1534.

Venetiis per Ioa. patauinum et Venturinum de ruffinellis. 8. D. Aur. Aug. de Doctrina Chriſtiana libri IV. rel. *vt in praecedenti.*

Sine anno.

Coloniae. 8. S. Auguſtinus de Doctrina chriſtiana. *Cat. Bibl. S. Aug. ad Nidum Neapoli.*

Saec. XVII.

1601.

Antuerpiae. 8. Laudant Colonienſes.

1604.

Wittebergae typis Cratonianis. 8. S. Aur. Auguſtini de doctrina chriſtiana l. IV. c. praef. *Sal. Gesneri.* cf. *M. Bibl. Eccleſ. Colon. Cat. Bibl. Thott.*

1629.

Helmaeſtadii in academia Iulia, typographeo autem Calixtino excudit Henningus Mullerus. 8.

Sancti Patris et Doctoris Aurelii Auguſtini, Ep. Hipp. de Doctrina Chriſtiana libri IV. de Fide et Symbolo liber Vnus: Vincentii Lerinenſis commonitorium. *Georgius Calixtus* recenſuit et edidit.

Laudatiſſimus ille Theologus cum forte occaſione, quam recuſare aegre poterat, ſibi oblata typos graecos et latinos vna cum prelo et reliquis ad artis typographicae exercitium neceſſariis armis emiſſet, iuſtam domi officinam inſtruxerat, ex qua et propriae delectationis et a ſerioribus ſtudiis relaxationis cauſa et in ſtudioſorum, quibus anguſta domi res eſſet, gratiam, annuente principe Brunouicenſi, complures ab hoc inde anno vtiles libellos inque iis prima haec Auguſtini et Vincentii volumina foras dedit. Ipſe inſtituti huius rationem in epiſtola his praemiſſa ad Petrum Tuckermannum (Theol. Doct. Aulae et Ditionis Brunſuicenſis Protoeccleſiaſticen et Abb. Riddageshuſanum) vberius explicauit. Quod librorum vero horum edendorum concernit conſilium, de eo ita in ſubiecto ad lectorem prooemio praecepit, vt ſimul vniuerſam eorum indolem et deſcriptionem patefaceret et laudaret. Nec vero cauere ſibi potuit, quin apud multos tunc temporis religioſae opinionis homines ob Vincentii de eccleſiae traditione dogmatis commendationem male traduceretur. Cum reliquas aliquot in calce libri ſuperfuturas cerneret plagellas *Paciani Ep. ad Sympronianum fratrem epiſtolam tertiam* iis inſcribere placuit.

1643.

In Venezia. 4. S. Auguſtinus de Rhetorica eccleſiaſtica (qui eſt liber IV. de Doctrina chriſtiana). *Ext.* in *Autori del ben parlare Vol. XII. part. vlt.* p. 57.

1655.

1655.

Helmeſtadii ex typogr. Calixtino opera Henningi Mulleri. 4. – Aur. Aug. de Doctrina chriſt. libri IV; rel. Ge. Calixtus recenſuit et edidit. Editio prima prodiit anno cIↃIↃCXXIX. nunc ſuccedit altera anno cIↃIↃCLV. Acceſſit in hac altera editione titulo *Admoniti ad lectorem* diſputatio Calixti *de Symbolis et Confeſſionibus veterum Chriſtianorum*, cui temporum iniuria inſigne aliquod momentum conciliabat.

SAEC. XVIII.

1769.

Lipſiae ſumtu Io. Frid. Langenhemii. 8. Aur. Auguſtini, Hipp. ep. de Doctrina Chriſtiana libri IV. e recenſione Benedictinorum e Congregatione S. Mauri. Varietate lectionum animaduerſionibuſque breuibus illuſtrauit atque cum praefatione S. R. *Ioh. Frider. Burſcheri, Th. D. et P. P. O.* etc. edidit *Ioh. Chriſt. Beniam. Teegius, Schol. Sangerhuſ. Colleg. III.*

Ad elegantiam huius deſcriptionis accedit inſignis a munditie chartae ac typorum commendatio, quae optare facit, vt plura optimorum Patrum graecae ac latinae eccleſiae ſcriptorum exemplaria pari cura inſtructa et aeque luculenter excuſa venalia redderentur. Theologus Lipſienſis interpretem ſuſcepti ab editore negotii agens, ipſum a praefandi neceſſitate liberauit. Secutus vero eſt *Teegius* textum Benedictinorum ex Antuerpiana Clerici iteratione deſcriptum et varietate *Amerbachianae* et *Eraſmianae* anni 1569. nec non vtriuſque Helmſtadienſis mactatum. Commode etiam harum et Benedictinae ſimul recen-

ſionis partitiones diuerſis numeris ſunt expreſſae, additusque eſt index non contemnendus.

❧ ❧

Versiones. Duae *Gallicae Colletetii* altera, altera a *Villefortio*, vnaque *Germanica* Hedionis, de qua ſupra in *Collectionibus* egimus.

1636.

Paris chez Jean Camuſat. 12. La doctrine chreſtienne de S. Auguſtin, diviſée en IV. livres, avec le manuel addreſſé à Laurentius, le tout traduit en François par *Guillaume Colletet.*

1701.

Paris chez Jean Bapt. Coignard. 8. *II. Voll.* Les livres de la Doctrine Chretienne de S. Auguſtin et les Livres de l'Ordre et du Libre - Arbitre du même. Traduits en François ſur la nouvelle Edition Latine des PP. Benedictins de la Congregation de S. Maur.

Auctor eſt Dn. de *Villefort*, qui plures Auguſtini libros inſigni cum laude in linguam gallicam tranſtulit. De praeſenti enim traductione auctores *Diarii Eruditorum Pariſ.* (4.) 1702. p. 195. ſic teſtantur: „Les matieres que S. Auguſtin traite dans ces trois ouvrages, et particulierement dans le Livre de l'Ordre, étant abſtraites, ils étoient très - difficiles à traduire d'une maniere intelligible et agreable. C'eſt cependant ce que *Mr. de Villefort* a fait, ayant trouvé le moyen, en rendant exactement le ſens de ſon Auteur et ſ'attachant à la pureté des termes, d'égaler la beauté et la liberté de l'Original.“ Praeterea tenendum eſt, vtrumque huius verſionis tomum etiam ſeparatim haberi, adeo, vt de Doctrina chriſtiana

ſtiana libri IV. itemque reliqua peculiari volumine conſtent. cf. *Cat. bibl. Reg. Pariſ. T. I p.* 379. *ſq.* n. 724 et 727 Neſcio vero, quid ſit, cur ibidem verſio haec nomen *Philippi Goibaud du Bois* ferat. Fuerat is Academiae Pariſienſis ſocius anno 1694. vita functus haud inceleber. Nec me fugit nomen eius ementitam eſſe verſionem aliam, nempe libri ſpurii *Soliloquiorum*, vt ſuſpenſo hoc ſigno merx eſſet vendibilior. Sed huius auctor nec latuit, nec latere voluit, immo maximopere famae traducendis pluribus Auguſtini libris ſtuduit. Quocirca equidem de errore confectoris Regii Catalogi iam vix dubito.

Compendium Doctrinae Chriſtianae ex Auguſtini libris excerptum edidit *Theod. Bibliander* Epiſcopocellenſis, *Theol. Prof. Tigurinus.* Baſil. 1550. 8. *Lipen.* et ex eo *Colonienſes.* Iuxta eoſdem quartum huius operis librum, qui de eloquentia ſacra potiſſimum tractat, diligenter excuſſit, eiuſque ſententiam non alia eſſe Eloquentiae Chriſtianae praecepta, quam Ciuilis, pluribus adſtruxit *Balth. Gibert*, Rhetorices quondam in Collegio Mazariniano Profeſſor, in *Jugemens des Sçavans ſur les Auteurs qui ont traité de la Rhetorique.* T. II. p. 115-135. Pariſ. 1716. quem librum indicarunt *Acta Erudit. Lipſ.* 1721. p. 257.

(35) *Auguſtini Confeſſionum libri XIII.*

Saec. XV.

1475.

Mediolani. 4. S. Aurelii Auguſtini Confeſſionum libri XIII. Folii vltimi pagina aduerſa impreſſi verſiculi cum ſubſcriptione:

Quam

Quam laetum auguſtina ferat confeſſio fetum
Praeſens fratre refert pagina preſſo ſuo.
Theutonicis delatus enim bonus aere Iohannes
Hoc mediolani fertile preſſit opus.
ANNO INCARNATIONIS DOMINI
M° CCCC° LXXV°:
XII°. KALENDAS AVGVSTI:

Character rotundus eſt, elegans, lineae per paginam latae XXVI. Deſunt numeri, ſignaturae, cuſtodes. *Saxius* tribuit *Ioanni Wurſter de Campidonia.* Cf. *Cat. Bibl. Creuennae nouiſſ.* Duo exempla illius ſervabat *Bibl. Pinelliana.*

1482.

S. l. 8. mj. Confeſſionum libri XIII. Eadem voluminis deſcriptio eſt idemque character, quem in libris *de doctrina chriſtiana* ſimili forma ſine l. et a. excuſis notauimus, ſolo libri numero in ſuperiori margine deficiente. Incipit a locorum quorundam obſcurorum in his Auguſtini libris annotatione, quae alteram folii primi paginam replet, prima vacua relicta. *In fine: Explicit ɔfeſſionū beatī auguſtini liber XIII. Anno dñi MCCCCLXXXII. in pfeſto laurētij.*

Editio *Veneta.* a. 1484. 4. quam *Colonienſes* laudant, non eſt vnius huius libri, ſed opuſculorum plurium, quam ſuo loco latius deſcripſimus.

Sine anno

et loco. fol. min. B. Auguſtini epiſc. libri confeſſionum.

Volumen eſt foliorum impreſſorum CLII. quibus in aliis exemplaribus, vt in eo, quod *Cl. Braun* manu

manu verſauit, praecedit vnum non impreſſum, in noſtro deperditum. Incipit a particula *Ex libro retractationum ſancti auguſtini epiſcopi.* Formula finalis deſideratur, miniatori adſcribenda relicta, id quod in noſtro exemplari tam in fine totius, quam ſingulorum librorum, factum eſt. Nec initia librorum magnis ſpatiis a fine praecedentium, ſed vna tantum linea: *Sancti Auguſtini liber — Incipit* diſcreta comparent. Character eſt gothicus medius obtuſior *), paginae lineas latas XXXII. complectuntur amplis marginibus circumdatas. Diſtinctionis ſigna punctum, colon et interrogationis nota. Abſunt omnino cuſtodes, ſignaturae, numeri et tituli paginarum. Meminere huius rariſſimi libri *Debure* in *Cat. Bibl. Duc. de la Val.* T. I. p. 168. Cl. *Morellus* in *Bibl. Pin.* T. I. p. 90. ſq. ac nuper iterum deſcripſit *Plac. Braun* in *Notitia Hiſt. Lit.* (1788.) p. II. Ac hic quidem ad inſignem eius vetuſtatem confirmandam obſeruat, in *exemplari Tegernſeenſi* a calligrapho adſcriptum eſſe annum 1470.

Aliam horum librorum editionem, quaternis, nulla appoſita *loci*, *anni* et *Typographi*, aut editoris nota, quam tamen Romanam putat, Saeculi XV. certe, notauit *Audiffredus* in *Cat. Bibl. Cajanat.* Adde *Cat. Bibl. Pinell.*

Saec. XVI.

1531.

Coloniae. 8. Auguſtini Confeſſionum libri tredecim. *Cat. Bibl. Bernenſ. T. I. p. 15.*

1563.

*) Eodem, inquit *Braunius*, quo impreſſa fuerit Epiſtolarum S. huius Doctoris abſque anni locique profeſſione editio, vt adeo ex eadem officina vtra que prodierit.

1563.

Louanii. 12. S. Auguſtini Confeſſionum libri XIII. *Cat. Bibl. S. Angeli ad Nidum Neapoli.*

1567.

Antuerpiae. 8. Iidem libri. *Poſſeuinus* in *App.* T. I. p. 154. ex eoque *Hendreich* in Pand. Brandeburgicis, *Lipenius* et *M. Bibl. Eccleſ. Col.*

1568.

Ibidem. 16. Iidem libri. *Poſſeuinus* et ex eo *Colonienſes.*

1569.

Coloniae. 12. Iidem libri. *Hendreich.* Sed neſcio, an idem ſit liber, quem e *Poſſeuino* laudant *Colonienſes*, *Confeſſionum S. Auguſtini Libri XIII. in Epitomen redacti* a Io. Schwaygero ſ. Schweigero, *Collegii ad B Virginem Francofurti Scholaſtico*, *Coloniae apud Cholinum.*

1573.

Louanii. 8. S. Auguſtini Confeſſionum libri XIII. *Hendreich.*

1578.

Baſileae. 8. S. Hilarii et Auguſtini Confeſſiones. *Colonienſ.*

1581.

Wirceburgi. 12. S. Auguſtini Confeſſionum libri XIII. *Hendreich*

1588.

Turoni apud Claudium Michaelem (....) Iidem libri. *Poſſeuini App.* T. I. p. 154.

SAEC. XVII.

1604.

Coloniae Agrippinae in officina Birkmannica. 12. D. Aur. Auguſtini libri XIII. confeſſionum: eiuſdem confeſſio theologica et expoſitio ſuccincta miſſae Romanae: omnia ex MS. cod. emendata, opera et ſtudio Theologorum Louanienſium. *Cat. Bibl. Reg. Pariſ.*

1606.

Lugduni. 12. S. Auguſtini libri XIII. Confeſſionum iuxta Louanienſium correctionem. *Hendreich.*

1607.

Duaci. 8. S. Auguſtini Confeſſionum libri XIII. editi per H. Sommalium. *Cat. Bibl. Bodl.*

1608.

Lugduni. 12. Iidem libri ex recenſione Louanienſ. *Hendreich.*

1610.

Ibidem. 12. Iidem libri. *Hendreich.*

1619.

Coloniae Agrippinae. 12. D. Auguſtini Confeſſionum libri XIII. per H. Sommalium. *Cat. Bibl. Muſ. Britt.*

1628.

Duaci. 16. Iidem libri ex eiuſdem recenſione. *Lipen.* et *Colon.*

1629.

Coloniae Agrippinae ap. Corn. ab Egmond. 24. vulgo 12.) D. Aur. Auguſtini libri XIII. confeſſionum ad III. MSS. exemplaria emendati opera et ſtudio *Henrici Sommalii. S. I.*

1630.

Ibidem. 24. Iidem libri. *Hendreich.*

* *

Dilingae. 8. S. Auguſtini Confeſſionum libri X. priores cum notis et ſummariis *Henr. Wagnereck* Soc. I. *Colonienſes* ex *Alegambii Bibl. SS. S. I.*

1631.

Coloniae Agripp. 8. S. Auguſtini Confeſſionum l. XIII. per *Henr. Sommalium.*

1632.

Ibidem. 16. S. Auguſtini Confeſſionum libri X. priores per *Henr. Wagnereck.* Occurrit eiuſdem a. et l. editio apud *Hendreichium.* Nos addidimus titulum libri, cum certum ſit, nonniſi X. libros a Wagnereckio eſſe in lucem editos.

1637.

Coloniae Agr. ſumt. Corn. ab Egmond. et ſoc. 12. D. A. Auguſtini — libri XIII. Confeſſionum. Editio Sommalii.

1638.

Ibidem. 12. Iidem libri. *Hendreich.*

1640.

Ibidem. 8. Iidem libri. *Hendreich.*

1645.

Lugduni ap. Sim. Rigaud. 16. (*vulgo* 12.) Eadem Sommaliana recenſio.

1646.

Coloniae apud Iodoc. Kalcouium et ſocios. 12. D. A. Aug. Conf. libri X. cum notis R. P. *Henrici Wag-*

nereck

nereck Soc. Ieſu. Praeter Notas cuicunque capiti *Vſus* ſuus ſubiectus eſt. Ad hanc editionem quodammodo pertinet et cum exemplari quidem, quod manu terimus, compactus eſt liber hoc titulo munitus: *Rei Poenitentis Simplex et Humilis Confeſſio. cum Sermone de S. Auguſtino. Ib. apud eund.*

1647.

Ibidem. Iidem libri X. per eundem. *Hendreich.*

1649.

Coloniae Agr. ſumt. Egmond. 16. [24.] D. A. Aug. Confeſſ. l. XIII. opera *Sommalii.*

1650.

Antuerpiae ex off. Plant. Balthaſaris Moreti. 8. D. Aur. Aug. libri XIII. Confeſſionum. Hendreichius editionem Antuerpienſem tanquam repetitionem editionis Wagnereckianae profert. Sed perperam, niſi forte plane diuerſam viderit. Argumento ſint ea, quae ex diligentiori eius inſpectione referunt Colonienſes. „Typographus monet ſe, cum „audiret prae ceteris laudari exemplar a R. P. *Som-* „*malio* recenſitum, varias eius editiones conquiſiuiſſe, „earumque facta comparatione, multos errores ty- „pographicos emendaſſe, ac poſtea exemplar con- „tuliſſe cum editione Operum S. Auguſtini a *Chri-* „*ſtophoro Plantino* excuſa, idque in multis diſcre- „pare animaduertiſſe, attamen in quibuſdam P. *Som-* „*malii* recenſionem, in aliis *Plantinianam* editio- „nem praeferendam cenſuiſſe. *Quod ne temere fe-* „*ciſſe culpares, adhibui Codicem MS. antiquiſſimum,* „*qui ante plura ſaecula conſcriptus cum aliis multis* „*MSS. codicibus in hoc Plantiniano Typographeio* „*aſſeruatur.* Hunc codicem fideliſſimum expertus, „ex eius auctoritate emendauit exemplar a *Sommalio*

„recenſitum, idque gaudet, quod viri docti, quibus „correctiones ſuas oſtenderit, non improbauerint.“

1652.

Duaci. 12. Iidem libri ex ed. *Sommalii. Cat. Bibl. Thuaneae.*

1661.

Coloniae. 12. Iidem libri. *Hendreich.*

1665.

Lugduni. 24. Iidem libri. *Cat. Bibl. Nic. Roſſii.*

1675.

Lugd. Bat. ap. Elzeuir. 12. S. Auguſtini Confeſſionum libri. Profert *Debure* in *Bibliogr. inſtr.* T. I. p. 249. adde *Cat. Ducis de la Valiere.*

1679.

Bruxellis. 8. Iidem libri per eundem Sommalium recenſiti.

1685.

Auguſtae Vindelicorum. . . . . . . S. Auguſtini Confeſſionum liber octauus ex Sommalii recenſione. *Ext. in* Pio Literati hominis ſeceſſu *Theoph. Spizelii* a pag. 42.

1687.

Pariſiis ap. Io. Bapt. Coignard. 12. S. Aur. Auguſtini libri XIII. Confeſſionum emendatiſſimi et notis illuſtrati, cum nouis in ſingula capita argumentis.

1699.

Antuerpiae vel Coloniae Agr. apud Corn. ab Egmond. 24. Iidem libri. Ita plane proferunt Colonienſes.

SAEC. XVIII.

1740.

Antuerpiae apud Gotthard. Ioa. Püttnerum. 8. D. A. Aug. Confeſſ. l. XIII. ſtudio *Sommalii.* Binis columnis paginae impreſſae ſunt.

1743.

Antuerpiae. . . . . f. S. Auguſtini Acta priora ſiue prima vitae pars S. Doctoris ab infantia vſque ad 33. aet. annos excerpta ex IX. prioribus libris Confeſſionum. *Ext.* in Actis SS. Auguſtini *tomo* VI. p. 387. ſqq.

1757.

Florentiae ex typographio Petri Caietani Viviani, ad inſigne Iani. S. Aur. Auguſtini, Hipp. Ep. Confeſſionum libri tredecim vario Commentariorum genere illuſtrati, ab aemulorum obtrectatorum vel datis, vel dandis, ſeu conuiciis, ſeu Cenſuris, ſeu etiam Cauillationibus vindicati et expediti opera et ſtudio FR. ARCHANGELI A PRAESENTATIONE *Sacerd. Profeſſi Carmelitae Excalceati Theol. et S. S. Lectoris.*

1776.

Pariſiis, typis Philippi-Dionyſii Pierres, via San-Iacobeâ. 16. Diui Aurelii Auguſtini, Hipponenſis Epiſcopi, Confeſſionum libri tredecim. Ad calcem additae ſunt Variae Lectiones.

Editio nitidiſſima, accuratiſſima atque emendatiſſima, in qua nihil omiſſum, quod ad partes typographicas et emendationem pertinet. Quippe non ſolum ad impreſſa melioris notae exacta fuit, ſed collata eſt etiam cum codicibus manuſcriptis Bibliothecarum, Regiae ac San Genofeuanae, quorum omnium *Variantes* copioſiſſimae diligentia inſupe-

rabili viri cuiuſdam docti *L. St. Rondet*, cuius eximias in hoc genere virtutes in praefamine debita laude proſequitur Typographus, excerptae ad Calcem extant. Interſperſae etiam ſunt notulae quaedam; addita *librorum et capitum ſummaria* ſumma cura confecta, vt et ab initio *Auguſtiniani Annales*, *ſiue Compendioſa D. Auguſtini Vita cum ſuis annorum notis.* Idem Typographus pollicitus erat, ſe, ſi lectores huic eius ſuſcepto et ſpecimini fauerent, ad alia Patrum Latinorum ſcripta minora ſimili nitore ac caſtigatione foras danda perrecturum: quod eius promiſſum ſucceſſum habuerit, nec ne, ignoro. Codicum vero, qui hoc loco vſum praeſtiterunt, elenchum infra dabimus.

V e r s i o n e s. Extant *Italicae*, *Hiſpanicae*, *Luſitanicae*, *Gallicae*, *Anglicae*, *Germanicae.* Nec vero mirabitur quiſpiam viri tam eximie, ne dicam tanta adoratione culti vitam ab ipſo tam inſigni arte ingenioque ſuperante perſcriptam a multis cum voluptate eſſe lectitatam. Immo ſummis etiam per proxima abhinc tempora viris adeo placuit ſancti doctoris inſtitutum, vt imitari non indignum ducerent, id quod Petrarcha, Huetius, et nuperrime, qui nomen etiam traduxit, Ruſſauius, quiſque pro ingenio ſuo modo preſſius, modo ex longinquo Auguſtinum ſecuti, effecerunt. Singulas ergo ordine indicato enumerabimus.

Italicae.

1564.

In *Venetia preſſo Bolognino Zaltieri.* 4. Le divote confeſſioni del Diuino Padre S. Agoſtino tradote *(ſic)* per l'eccellente Medico M. *Vincenzo Buondi.* cf. Cat. Bibl. Creuennae nouiſſ.

1595.

1595.

Roma nella Tipografia Medicea, appreſſo Giacomo Luna. 4. Confeſſione di S. Agoſtino tradotti di Latino in Italiano per il S. *Giulio Mazzini* nobile Breſciano. Ed con alcune annotazioni dal medeſimo illuſtrati coſi nelle margini, come nel fine de' Capitoli ecc. *Cat. Bibl. Caſanat.* et *Creuennae nouiſſ.*

1620.

Milano per Gio. Batt. Bidelli. 4. I tredici libri *ecc. eiuſdem verſionis.* Cf. *Bibl. degli Aut. volg.* ſaepius a nobis laudata.

1760.

In Venezia. appreſſo Marzellino Piotto. 4. Delle Confeſſioni di Sant' Aur. Agoſtino Veſc. di Bona, libri tredeci da copioſi Commentari illuſtrati e dalle cenſure degli averſari difeſi: e volgarizzati del P. *Giangiuſeppe da S. Anna,* Carmelitano ſcalzo della prouincia di Venezia.

Immenſa notarum ex omni Commentatorum populo colluuies. Imprimis Colonienſem interpretem Henr. Wagnereck ſtudioſe excerpſit.

Philippus Alegambius ex S. I. in *Bibl. SS. Soc. Ieſu* nouiſſime Romae 1676. a *Nathanaele Soluello* edita p. 830. in recenſu librorum tacitis auctorum nominibus a commilitonibus S. I. editis notat etiam *Confeſſiones Auguſtini Italice redditas* auctore *Iacobo Fuligato*, idque transſcripſerunt Hendreichius in Pandectas Brandeb. et Colonienſes in M. Bibliothecam Eccleſiaſticam; ſed neuter illam vidit, neque ego quidem eiuſmodi verſionem, quae intra annos 1624- 1653. prodire debuiſſet, vſpiam memoratam inueni.

Hiſpanicam verſionem Confeſſionum, Meditationum, Soliloquiorum et Manualis D. Auguſtini curavit *Petrus Ribadeneira* Toletanus ex S. I. Matriti 1598. II. Tomis, quae repetita eſt in *Operibus eiuſdem* Matriti 1604. f. editis P. III. p. 633. ſqq. Hendreich in Pand. Brandeb. Hiſpanicam commemorat *Bruxellis* 1674. 24. Sed illius auctoritatem parui pendendam eſſe crebro vſu edoctus ſum.

Luſitanice conuertit *Sebaſt. Toſcano* ſiue *Tuſcanus* Eremita Auguſtinianus Portuenſis, cuius verſionis duas editiones *Antuerpiae* 1555. et *Coloniae* 1556. prodidit *Nic. Anton* in *Bibl. Hiſp.* T. II. p. 186. Hendreich l. l. perperam tanquam Hiſpanicam citat.

Gallicae.

Primam laudant Colonienſes *Pariſienſem* 1609. 8. cum Annotat. *Hernequinii.* Hanc ſubſecuta eſt verſio *Renati Ceriſerii (René de Ceriziers)* ex S. I. quam *Lugduni* 1649. 12. et 1650. 24. prodiiſſe iidem referunt. Nos recentiorem deinde oſtendemus. Succeſſerunt *Arnaldus Andilliacenſis* eodem a. 1649. et nouiſſimus *Duboiſius*, qui abſque Codicum MSS. ſubſidio ſola ingenii ſagacitate et eruditione accurataque ſententiarum Auguſtini cognitione fretus, plurima feliciter correxiſſe dicitur. Vtriuſque opera frequentiſſime typis eſt deſcripta, ex quibus ea, quae nobis diſquirentibus ſe obtulerunt, iam enumerabimus.

1649.

Paris chez Veuve Jean Camuſat. 12. Les confeſſions de S. Auguſtin, traduites en françois par *Robert Arnauld d'Andilly.* Eaedem repetitae apud eoſdem bibliopolas a. 1651.

1659.

Paris chez Pierre le Petit. 8. Les confeſſions de S. Auguſtin, traduites en François par *Robert Arnauld d'Andilly*, ſeptieme edition avec le Latin à coté, reveu et corrigé ſur XII. anciens MSS., et des notes à la fin, où l'on rend raiſon des principales corrections par Antoine Arnauld, Docteur de Sorbonne. Eandem ab eodem typographo a. 1656. 12. excuſam laudat *Cat. Bibl. Caſanat. Hendreichius* quoque repetitiones annorum 1653. 1660 et 1665. notat.

1675.

A Paris chez Pierre le Petit. 8. Les Confeſſions de S. Auguſtin traduites en François par Mons. *Arnauld d'Andilly.* nouv. ed. *Hendreichius* in *Pand. Brandeb.* commemorat verſionem factam *par les Meſſieurs de Port Royal* et impreſſam hoc anno Bruxellis 12. Editiones item a. 1671. Pariſiis 12. nec non Bruxellis 1691. 8. factas ſe vidiſſe teſtantur Colonienſes p. 734. n. 68.

1688.

Paris chez Jean Bapt. Coignard. 4. Les Confeſſions de S. Auguſtin, traduction nouvelle ſur l'edition Latine des PP. Benedictins, avec des notes et des nouveaux ſommaires des chapitres par *Philippe Goibaud du Bois.* Prima lucem vidit a. 1686. Eadem vero apud eoſdem bibliopolas repetita a. 1700 et 1716.

1690.

Bruxelles chez François Foppens. 8. La Converſion de S. Auguſtin décrite par lui-même (liber VIII et IX. Confeſſionum).

1703.

Paris chez Chart. Robuſtel. 12. Les confeſſions de S. Auguſtin abregées, où l'on n'a mis que ce qui eſt le plus touchant et le plus à la portée de tout le monde, traduction nouvelle par *Simon Michel Treuvé.*

1709.

Paris chez Nic. le Gras. 12. Les confeſſions de S. Auguſtin, traduites en François par le *P. René de Ceriziers.*

1719.

Paris chez Phil. Nic. Lottin. 12. Les Confeſſions de S. Auguſtin abregées etc. v. ad a. 1703. Sed nomen interpretis abeſt. *Journal des Sçav. Mai* 1719. *Bibl. Colon.*

1722.

Paris chez Jean Bapt. Coignard. 12. Repetitio ſuperioris quartae editionis verſionis Duboiſianae.

1740.

Paris. 8. Iidem libri per *Arn. d' Andilly.*

1743.

Paris chez P. G. le Mercier. 8. Les Confeſſions de S. Auguſtin traduites en françois ſur l'edition latine des PP. Benedictins de la Congregation de Saint Maur, avec des Notes et des nouveaux Sommaires des Chapitres par M. *Du Bois, de l'Acad. Franc.* nouv. Ed.

Anglica.

1650.

London. 12. Saint Auguſtines confeſſions translated and, with ſome marginal notes illuſtrated: by

by WILLIAM WATS: ou, Confeſſions de S. Auguſtin, traduites en Anglois, avec des notes par Guil. Wats. *Cat. Bibl. Reg.* Eandem verſionem iam a. 1631. Londini octonis editam prodidit *Cat. Bibl. Bodl.*

Germanica.

1673.

Cölln b. Willh. Frieſſen. '12. Des heyligen vnd Hocherleuchten Vatters Auguſtini Biſchoffs zu Hippon vnd furtrefflichen Kirchenlehrers Dreyzehn Bucher der Bekandtnüſſen. — Titulum iuſto verboſiorem, quantum licuit, contraximus.

✲ ✲

CODICES, qui in nouiſſima eaque elegantiſſima Pariſienſi horum librorum deſcriptione ſunt adhibiti.

Codices Regii:

I. num. 1807. *Colbertinus.* Libros XIII. integros complectitur, ſed vltimus ceteros praecedit. Tribuitur Saec. XIII.

II. num. 1911. Libri XIII. integri. Tribuitur Saec. IX.

III. num. 1912. Libri XIII. integri. Tribuitur Saec. IX.

IV. num. 1913. *Colbertinus*, complectens libros XIII. ſed deficientibus foliis a Libro VII. cap. VI. n. 4. ad Librum VIII. cap. V. n. 3. Tribuitur Saec. IX.

V. num. 1913. A. *Colbertinus.* Libri XIII. integri. Tribuitur Saec. IX.

VI. num. 1914. *Colbertinus.* Libri XIII. integri. Tribuitur Saec. XI. Hunc integrum legiſſe ſe teſtatur Rondetius.

VII. num. 1915. *Colbertinus.* Libri XIII: ſed deficiunt folia priora vſque ad Libri I. cap. XVI. n. 3. Tribuitur Saec. XII.

VIII. num. 1916. *Colbertinus.* Libri XIII. integri. Tribuitur Saec. XIII.

IX. num. 1917. Libri XIII. ſed deficientibus ſoliis aliquot libri IX. a cap. IV. n. 2. ad cap. IX. n. 1. Tribuitur Saec. XIII.

X. num. 1918. *Tellerianus.* Libri XIII. integri. Tribuitur Saec. XIII.

XI. num. 1919. *Colbertinus.* Sub titulo *Confeſſionum* aliud opus eſt, maiorem habens affinitatem cum libro *Meditationum;* ſed ab vtroque pariter diuerſum. Sed cum inſerta quaedam Confeſſionum fragmenta in eo reperirentur, ex iisdem ſingularia quaedam haurire licuit. Tribuitur Saec. XIV.

XII. num. 1948. Libri tredecim in fine mutili, in cap. XXXVI. libri vltimi. Tribuitur Saec. XIV.

XIII. num 2375. Libri XIII. integri. Tribuitur Saec. XIV.

XIV. num. 2694. Libri XIII. ſed ab initio et in fine truncati. Tribuitur Saec. XIII.

XV. num. 5296. *Colbertinus.* Fragmentum Libri I. ab initio vſque ad cap. XI. n. 1. Videtur tribuendum Saec. IX.

Codex Genofeuanus:

XVI. num. 34. Libri tredecim, ſed lacunis quibusdam libro X. XI. XII. XV. et vltimo, adfecti. Tribuendus Saec. XIV. Etiam hunc totum legiſſe affirmat *Rondet.*

S. *Auguſtini* Confeſſionum Floſculi reſectis rerum difficilium ſpinis et in ſex areolas diſtributi. Lugduni 1618. 24. et Coloniae 1640. 12. *Colonienſ.* et *Hendreich.*

(38) *De*

(38) *De Natura Boni liber.*

Gallice verſus iuxta Benedictinorum editionem inſertus eſt in libro, cui titulus: *La Diſtinction et la nature du bien et du mal* etc. Pariſ. 1704. 12. Vide *Colonienſes*, qui de eodem libro lectores ad ſequentem Bibliothecae ſuae, ſed qui nunquam prodiit, tomum remittunt.

(41) *Quaeſtionum Euangelicarum XCVIII. l. II.*

Inſunt in *Opere Quaeſtionum D. Auguſtini* edito *Lugduni* a. 1497. de quo ſupra. A *Colonienſibus* affertur hoc loco *Auguſtinus in Nouum Teſtamentum*, Paris 1619. nec non Gallica eiuſdem verſio in *Explication de St. Auguſtin, et des autres Peres Latins ſur le Nouveau Teſtament.* Paris 1675. 8. nec non alia, modo recte mentem eorum ceperim, verſio gallica edita *Lugduni apud Plaignard* 1694. 8. IV. Voll.

(43) *De catechizandis rudibus.*

1678.

Paris chez André Pralard. 12. Les livres de S. Auguſtin de la maniere d'enſeigner les principes de la religion chretienne à ceux qui n'en ſont pas encore inſtruits; de la vertu de continence et de temperance; de la patience et contre le menſonge: traduits en François.

(44) *De Trinitate libri XV.*

1489.

Mediolani per Leon. Pachel. f. S. Auguſtini libri XV. de SS. Trinitate; in fine: *mediolani impreſſus per magiſtrum Leonardum Pachel. Anno a natiuitate domini noſtri ieſu chriſti mileſimo quadringenteſimo octuageſimo nono ſeptimo Kalendas Iunii.*

Excuſi

Excuſi ſunt hi libri vna cum Hilario de Trinitate vnoque plerumque volumine incluſi occurrunt Cf. T. I. p. 279. Auerſa nempe vltimi eius voluminis, quod Hilarium complectitur, pagina regiſtrum chartarum vtriuſque operis praebet. Impreſſa vero ſunt charactere gothico minuſculo duabus columnis in charta nitida ac firma. Initiales literae paruae. Paginarum foliorumue notae deſunt. Deſcribit Braunius l. l. T. II. p. 187.

1489.

Baſil. per Io. Amerbach. f. Auguſtinus de Trinitate. *In fine libri XV.* Aurelii Auguſtini de Trinitate liber explicitus eſt. Anno domini M.CCCC. LXXXIX. Sequitur proxime *tabula* in libros praecedentes, in cuius calce decem diſticha, quorum initium: *Aequora ſi penetrat Cyclops* etc. Poſtremum ita ſonat:

Numine ſancte tuo pater o tueare Ioannem
De amerbach: preſens qui tibi preſſit opus.

Charactere gothico binis columnis impreſſum eſt vt pleraque Amerbachii. Plerumque vna cum libris de Ciuitate Dei per eundem h. a. impreſſis compactum cernitur.

1490.

Baſil. per Io. Amerbach. f. Auguſtinus de Trinitate. Concordant omnia cum praecedente accuratiſſime. Character luculentior et aequalior. Commemorant eandem *Denis Garell. Bibl.* p. 135. et *Gemeiner Regensb. Stadtbibl.* p. 197. *Geſsner Lübeck. Stadtbibl.* p. 51. Vberius deſcripſit *Maſch Beytrr. z. Geſch. merkw. Bb.* St. II. p. 73. ſq.

1494.

S. loco. f. Auguſtinus de Trinitate. Editionem Amerbachianam refert, ſed verſus in fine tabulae deſunt. Niſi me fallit iudicium Friburgi, hi libri excuſi ſunt per eoſdem typographos, qui hoc anno quoque opus *de Ciuitate Dei* dederunt.

Sine anno

et loco. f. (Auguſtinus de Trinitate.) *Incipit* ſtatim a Sententia beati Auguſtini de libro Retractationum. *In fine:* Aurelii Auguſtini epiſcopi liber de Trinitate finit feliciter.

Volumen charactere gothico magno admodum eleganti ac nitido, lineis late, aequaliter tamen diſtantibus impreſſum eſt. Charta candida ac denſa, folia maximi moduli ſunt, columnae binae, margines lati. Abſunt omnes ſignaturae ac numeri.

Sine anno

loco et typographo. fol. max. B. Auguſtini de Trinitate liber (libri XV.) *In fine:* Aurelii Auguſtini epiſcopi liber de trinitate finit feliciter.

Vetuſtiſſimi huius iuxta quam rariſſimi libri deſcriptionibus, quas primus omnium *Deniſius* in *Bibl. Garell.* p. 37. et poſt eum *Seemillerus in Incunabb. typ. Ingolſt. Faſc. I. p.* 34. harum deliciarum amatoribus obtulerunt, adeo ſatisfactum cognoſcendi eorum ſtudio vidimus, vt quid a nobis addi vltra poſſet, quantumuis curioſa comparatione vix inueniremus. Conſtat autem volumen hoc foliis CV. maximi moduli, impreſſum paginis ſectis, lineis XLVII. quas margines ampliſſimi et lata interſtitia condecorant. Chartae denſae ſunt, ſed paulo crudiores, nec candidae ſatis. Character gothicus grandis et aliquanto pinguior. Deſunt numeri, ſignaturae, cuſto-

cuſtodes, item literae initiales librorum et capitum, quas quidem noſtrum exemplar minio habet appictas. Capita tamen vnius aut duarum linearum ſpatiis inter ſe diſtant, eorumque argumenta ante libri cuiuſque initium ſummatim indicantur. Incipit totum a *Sentencia beati auguſtini de libro retractionum* (ſic), quam *Epiſtola auguſtini aurelii yponēſis epiſcopi ad aurelium epiſcopum cartaginenſis ecclesie*, mox, *capitulis* praemiſſis, ipſius libri primi initium ſequitur. Exemplo, quod celeb. Deniſius deſcribit, coaeui cuiuſdam manus adpoſuerat annum 1471. illud vero, quod Seemillerus manibus verſauit anno 1478. Doctor Georgius Fingel, Prof. Theol. Ingolſt. octo florenis comparauerat. Ceterum plures lectiones ab editione Benedictina et Antuerpienſi diſcrepantes hanc editionem exhibere Deniſius ſignificauit et exemplis quibuſdam additis comprobauit, nec non prooemiorum ratione et diſtributione capitum differre vtramque obſeruauit, quod, quoniam omnes hactenus bibliographos fugerit, non negligendum eſt. cf. *Braun Not. H. Lit.* p. 82.

Sine anno.

Venetiis per Paganinum de Paganinis. 4. S. Auguſtini de Trinitate libri XV. adiectis eiuſdem argumenti libris Hilarii. cf. T. I. p. 280.

Saec. XVI.

1515.

Baſil. per Io. Ad. de Langendorff. f. *D. Aug. Hipp. Ep. de ſumma Trinitate* que deus *(ſic): Ad Aurelium*, Carthaginienſem Epiſcopum: *Libri quindecim:* opus prorſus diuinum: *et cui laus omnis inferior*, vbi peruerſa haereticorum *dogmata:* diſputationibus doctiſſimis *confutans* profunda myſteria *inattin-*

attingibilis diuinitatis mira ingenii claritate aperuit. Cui *Theologice veritates* illuminati *doctoris Franciſci Maronis* aptiſſime connectuntur. Iuxta inſigne typographi: Anno M.D.XV. Infra: *Directorium.* Vide ed. librorum *de Ciuitate Dei* per eundem typographum, vbi quae dicta ſunt, de hac etiam dicta putes. In ſubſcriptione notatus annus M.D.XIIII. Calendae Iuniae. In auerſa tituli pagina breuis Io. Amerbachii ad lectorem praefatio extat, ſed quae ſolas librorum Auguſtini laudes tractat.

1520.

Lugdun. aere et impen. Io. Koburger; arte tamen ac cura Iac. Saccon. f. S. Auguſtini de Trinitate libri XV. quibus Theologicae veritates illuminati doctoris Franciſci Maronis connectuntur. Vna cum libris Auguſtini de Ciuitate Dei plerumque circumferri ſolent. *Cat. Bibl. Caſanat. T. I. pag.* 342.

VERSIONES.

Graece conuertiſſe dicitur hos libros Maximus Planudes, cuius *capita nonnulla*, quae probant Sp. S. etiam ex Filio procedere, extant inter *Opuſcula Aurea Theologica quorundam* (ſequiorum) *Graecorum* de Proceſſ. Sp. S. collecta a *P. Arcudio*, edita *Romae typis S. C. de propag. fide.* 4. *a pag.* 187. Eadem iam a. 1630. ibidem edita eſſe, quin etiam multo prius 1578. Baſileae 8. gr. lat. per *Io. Leunclauium* fuiſſe publicata ex *Whartoni ad Caueum* Supplementis, monent Colonienſes. Sed Leunclauii opus dubito an huc trahi poſſit, quod aliunde memoria teneo ibidem capita aliquot de Trinitate ex libro *de verae vitae cognitione* extare, quae ab Arcudio pariter in opus laudatum p. 672. relata ſunt.

De

De *Gallica* verſione, cuius *Crucius Cenomanenſis* meminit, recte ſtatuunt Colonienſes, libros de Trinitate cum libris de Ciuitate Dei, ad quos verſio iſta ſpectat, ab eo eſſe confuſos.

(45) *De conſenſu quatuor Euangeliſtarum l. IV. Sine anno loco et typogr. f.* De conſenſu quatuor euangeliſtarum. Volumen charactere gothico admodum luculento et aequali, in charta candida et denſa, binis columnis amplo ſpatio ſecretis impreſſum, quod in duplo ſeruat Bibliotheca Regia Academiae noſtrae, haud dubie Italiam patriam agnoſcit. Incipit ab ipſius Auguſtini ſuper hoc opere in libris Retractationum teſtimonio, quod ſtatim libri primi initium ſubſequitur. Secundo autem, tertio et quarto libro praemittuntur *capitula*, id eſt ſummaria cuiuſuis capitis. In fine: *Explicit feliciter liber quartus Aurelii Auguſtini yponienſis Epiſcopi De ɔſenſu ſanctorum quattuor Euangeliſtarum. Deo gratias.*" Plagulas quaternas numerat a - l. Aliae notae deſunt. Literis initialibus ſpatium plane vacuum eſt relictum.

1473.

Lauingae abſque typogr. indicio. f. *Liber beati yponenſis epiſcopi Auguſtini de conſenſu Euangeliſtarum in quatuor libros incipit feliciter:* Sic in ipſa libri fronte legitur. In fine: *Liber. Beati. Auguſtini. Yponenſis Epiſcopi de Conſenſu euangeliſtarum. explicit feliciter. In ciuitate. Laugingen. Impreſſus. Anno a partu Virginis ſalutifero. Milleſimo. quadringenteſimo ſeptuageſimo tercio. Pridie. Idus. Aprilis.* Conſtat haec editio foliis CV. literis rotundis ac nitidis impreſſum, abſque cuſtodibus, numeris, ſignaturis, literis initialibus ac titulis. Deſcripſit

pſit Cl. *Braun* in *Not. H. Lit.* (1788.) p. 154. Rariſſimam eſſe complures teſtati ſunt Bibliographi, quos etiam Braunius laudat.

1538.

Paris 12. D Aur. Auguſtinus de conſenſu Euangeliſtarum. *Muſ. Britt.*

1539.

Coloniae ex off. Heron. Alopecii. 8. D. Aur. Aug. de conſenſu Euangeliſtarum libri quatuor. *Catal. Bunav.*

Gallicam huius operis *verſionem* Lugd. 1526. 8. memorat *Jac. le Long* in *Bibl. Sacr.* p. 619. *Colon.*

(52) *De S. Virginitate.*

1562.

Romae ap. Paul. Manutium. . . . S. Auguſtini liber de S. Virginitate. *Ext.* inter Opuſcula SS. DD. Ambroſii, Hieronymi et Auguſtini de Virginitate.

1638.

Paris chez Jean Camuſat. 8. De la ſainte virginité, diſcours traduit de S. Auguſtin, avec des remarques pour la clarté de la doctrine par *Claude Seguenot* (cuius ſub nomine latuiſſe ferunt *Ioannem du Verges de Hauranne*, Abbatem *San-Cyranum*). Pertinet ad hunc librum: *Cenſura S. Facultatis Theologicae Pariſienſis, lata in librum, qui inſcribitur: De la ſainte virginité etc. Paris apud Adrian Tapuinort* 1638. 4. Cf. *Bibl. Ianſen.* p. 198. a. 1722.

Huc etiam referas:

1680.

Paris chez Helie Joſſet. 12. Traitez de morale de S. Auguſtin, pour tous les etats, qui compoſent le corps de l'Egliſe, ſçavoir I. de la Ste virginité, pour les vierges; II. du bien de la viduité; III. de la maniere dont on doit prier Dieu pour les veuves; IV. du bien de mariage; V. du mariage et de la concupiſence: traduits en François par Mr. *Jean Hamon.*

(55) *De vnitate Eccleſiae.*

1602.

Moguntiae .... S. Auguſtini liber ſeu Epiſtola de vnitate Eccleſiae contra Petiliani Donat. Epiſtolam, Argumentis, Notis atque Analyſi illuſtrata, ſtudio *Iuſti Caluini.* Extat in Eiuſdem *Praeſcriptionum aduerſus Haerett. Tractt.* a *pag.* 249. In *Cat. Bibl. Bodl.* idem liber praefixo a. 1605. laudatur, vt ſemel iam a nobis monitum.

1657.

Helmaeſtadii ex typogr. Calixt. 8. SS. Cypriani et Auguſtini de vnitate Eccleſiae tractatus. Accedit Georgii Calixti, S. Theol. Doct. et in Acad. Iulia Prof. primarii, in eorundem librorum lectionem *Introductionis* fragmentum, edente *Frid. Vlrico* Calixto, *Georgii filio.*

1690.

Vltraiecti apud viduam Guil. Clerck. 4. Aurelii Auguſtini, Epiſcopi Hipponenſis, Liber de Vnitate Eccleſiae contra Donatiſtas. Ext. cum Commentariis vberrimis et vtiliſſimis in *Melchioris* Leydeckeri *Hiſtoria illuſtrata Eccleſiae Africanae,* cuius

cuius totum paene tomum ſecundum conſtituit inſcriptum: *Tomus Secundus* ad *Librum Auguſtini de Vnitate Eccleſiae contra Donatiſtas, de Principiis Eccleſiae Africanae, illiuſque fide in Articulis de Capite Chriſto et Eccleſia, de Vnitate et Schiſmate, plurimiſque Religionis Chriſtianae capitibus agit.*

✣ ✣

Gallice vertit notulaſque ad difficiliorum locorum intelligentiam adſperſit *Jac. Tigeou*, Andegauenſis, Theol. Doctor et Canonicus Eccleſiae Cathedralis Meteoſis, quae illius verſio prodiit *Rhemis* 1567. 8. ſub tit. *Epiſtre ou le Livre de St. Auguſtin de l' Unité de l' Egliſe, contre Petilien, Evesque Donatiſte, avec certaines obſervations pour entendre les lieux plus difficiles; imprimé à Reims par Jean de Foigny.* Cf. *Duverdier* ed. *de Juvigny. T. IV. p.* 314.

(67) *De Spiritu et Litera liber.*

SAEC. XV.

Sine anno

loco et typogr. 4. S. Auguſtini liber de Spiritu et Litera. Adiectus eſt *Tractatus* anonymi *de periculis, quae contingunt circa Sacramentum Euchariſtiae, cui adnexa eſt reſolutio quaeſtionis: vtrum ſuffragia facta pro multis aequaliter proſint ſingulis?*

Exhibet Cl. *Seemiller faſc. I. p.* 191. Totum volumen foliis XXXVIII. conficitur, exſcriptum charactere gothico, quem alius comparatione ibidem propius declarauit. Lineae XXVIII paginam faciunt. Numeri, ſignaturae, cuſtodes, initiales literae et tituli deſunt, niſi quod ab initio legitur: *Incipit prologus beati Auguſtini Epiſcopi in libro* (ſic) *de Spiritu*

ritu et litera; et in fine libri, qui in primam paginam folii XXXV. incidit:

Explicit liber Beati Auguſtini
epiſcopi de ſpiritu et litera.

SAEC. XVI.

1524.

Norimbergae. . . . . D. Aur. Auguſtini de Spiritu et litera liber vnus. Laudant *Colonienſes.*

1527.

Coloniae apud Heronem Alopecium. 8. D. Aur. Auguſtini de Spiritu et litera liber vnus. Eandem editionem ſub anno 1528. profert *Oſſinger* in *Bibl. Auguſtin.*

1538.

Pariſiis apud Ioan. Roigny. 16. Idem liber. *Oſſinger.*

* *

Pariſiis apud Anton. Augarellum ſub interſignio D. Iacobi, via ad S. Iacobum. . . . . S. Aur. Auguſtini de Spiritu et litera liber vnus vna cum epiſtola ad Sixtum Presbyterum aduerſus Pelagianorum argumenta.

1542.

Pariſiis. . . . 8. Idem liber. Vidiſſe ſe teſtatur auctor Colonienſis.

1545.

Wittembergae impreſſit Ioſephus Klug. 8. Auguſtini, Hipponenenſis *(ſic)* Epiſcopi, liber de Spiritu et litera. Cum praefatione et praemonitione lectoris. Neſcio an fallitur *Hendreichius* in *Pand. Brandeb.* p. 341. editionem Vitebergenſem a. 1548. laudans.

1568.

1568.

Antuerpiae. 16. S. Aur. Aug. de Spiritu et litera ad Marcellinum liber vnus. Eiuſdem de natura et gratia. Item de fide et operibus. *Colonienſes* ex *Lipenio* et *Becmanni Cat. Bibl. Francof.* p. 35. quibus adde *Hendreichium l. l.*

SAEC. XVIII.

1767.

Lipſiae apud Io. Frid. Witzleben. 8. Aur. Auguſtini, Hipp. Ep. de Spiritu et Littera ad Marcellinum liber vnus e recenſione Benedictinorum e Congreg. S. Mauri Varietate Lectionum animaduerſionibuſque breuibus illuſtratus ab *Io. Chriſt. Beniam. Teegio.* S. S. Theol. Cult.

In praefatione pauca de occaſione libelli huius itemque de editionibus ac recenſionibus eius monentur, vbi etiam ad aliorum librorum ſingulatim editorum mentionem decurrit. Inſcripſit Erdm. Rudolpho Fiſchero, Theologo Coburgenſi.

1770.

Lipſiae apud Ioh. Frid. Langenhemium. 8. Aur. Aug. — de Sp. et literis ad M. liber vnus. — iterum edidit rel. *Io. Chriſt. Beniam. Teegius.* Scholae Sangerh. Col. III.

Correctiorem ſeſe profitetur altera editio, aucta inſuper indice rerum memorabilium.

VERSIONES.

Circumfertur *Italica* h. t.

1543.

Venezia per Comin da Trino. 8. Opera vtiliſſima del B. Agoſtino V. I. de ſpiritu et litera chia-

mata, al B. Marcellino, novamente di latino in volgare tradotta.

Gallice etiam aliquoties conuerſa eſt, vt ſequentia teſtari poſſunt.

1547.

Lyon par Jean Pitier. 16. Le livre de l'Eſprit et de la Lettre de S. Auguſtin, traduit par *Jacques le Conte.* cf. *Duverdier* ed. noua. *T. IV. p.* 274.

1551.

Paris de l'imprimerie de Mich. Voſcan. 4. Opuscule de St. Auguſtin Evêque de Hyppone en Afrique de l'Eſprit et de la lettre traduit par *Valentin du Caunoy. Maitt.* P. II. T. III. p. 598. *Duverdier* ed. noua T. IV. p. 439.

1700.

Paris chez Jean Bapt. Coignard. 12. Le livre de S. Auguſtin de l'eſprit et de la lettre, traduit en François ſur l'edition des PP. Benedictins, par *Philippe Goibaud du Bois.*

(68) *De fide et operibus liber I.*

1473.

Coloniae. . . . 4. B Auguſtini liber de fide et operibus. *Cat. Bibl. Bodlei.*

1523.

Argentorati ex officina litteraria Ingenioſi viri Io. Grieninger. 4. Diui Auguſtini libellus aureus de fide et operibus: Extat cum *Yſidoro de ſectis et nominibus haereticorum*, item Hieronymi *libro de perp. Virg. Mariae* et *Epiſtola eius contra Vigilantium* iunctim editis ab *Hier. Gebwiler*, cathedralis aedis Arg. Litterarii Ludimagiſtro. *fol.* V - XXVI.

Augu-

* *

Auguſtae Vindelic. 8. D. Aur. Aug. liber de fide et operibus. *M. Bibl. Eccl. Col.* p. 737.

1528.

(Coloniae.) Excudebat Eucharius Ceruicornius. 8. D. Aur. Auguſtini de fide et operibus liber vnus. Occurrit ſubinde compactus cum libro eiuſdem *de natura et gratia* ex eadem officina.

1534.

Paris apud Ioannem Roigny. 16. D. Aug. liber de fide et operibus. *Maitt. T. II. P. II. p.* 799. ed. 2.

1539.

Lipſiae. 8. B. Aur. Aug. liber de fide et operibus cum praefatione *Georgii Wicelii.* cf. *Becmanni Cat. Bibl. Francof.* p. 35. vnde iam laudarunt *Hendreichius* et *Colonienſes.*

1552.

Coloniae apud Petrum Horſt. 8. Idem liber cum *Enchiridio* eiuſdem vide ſuo loco.

1568.

Antuerpiae. 8. Idem liber laudantibus *Colonienſibus* l. l.

1652.

Francof. ad M. et Rintelii. 8. S. Aur. Auguſtini — liber de fide et operibus. Edente *Ioan. Hennichio.* Cum diſſertatione eiuſdem argumenti eodem auctore. *Hendreich. in Pand. Brandeb.* p. 342.

* *

1545.

Venezia per Comin da Trino. 8. Il libro del B. Agoſtino V. I. della Fede e dell' opere, di latino in volgare novamente tradotto.

(72) *De natura et gratia.*

1524.

Norimbergae. 8. D. Aur. Auguſtini de natura et gratia liber vnus. Notatur a *Colonienſibus.*

1528.

Eucharius Ceruicornius excudebat. In fine: *Apud S. Coloniam impenſa M. Godefridi Hyttorpii, ciuis Agrippinenſis celeberrimi.* 8. D. Aur. Aug. de Natura et Gratia liber vnus. Praefatus eſt paucis verbis *Io. Petreius.*

1568.

Antuerpiae ap. Gymnicum. 8. D. Aur. Aug. liber de Natura et Gratia. *M. Bibl. Eccl. Col.* p. 737. quae ſi vera prodidit, accenſeri debet haec editio rariſſimis, paucis nimirum libris iis, quos Antuerpiae Ioannis Gymnici celebris quondam typographi Colonienſis impenſis impreſſi ſunt. Sic enim ſtatuere malim, quam cum Maettario Gymnicum ipſum Antverpia Coloniam migrantem facere, cum ex Annalibus etiam conſtet, eum iam anno 1535. Coloniae prelum exercuiſſe, adeoque non poſt annum 1540. demum, cuius anni editionem Antuerpienſem Maettarius commemorat, domicilium ibi figere potuit.

* *

Conuerſus eſt hic liber in linguam *Italicam* h. t.

1545.

Venezia per Comin da Trino. 8. Il libro del B. Agoſtino Veſcovo Ipponenſe, di natura e grazia, contra Pelagiani; di latino in volgare novamente tradotto.

(74) *De*

(74) *De Ciuitate Dei Libri XXII.*

Saec. XV.

1467.

E Monaſterio Sublacenſi. f. max. S. Aur. Auguſtini de Ciuitate Dei libri XXII. In calce:

Avrelii Avgvstini. doctoris egregii atque Epiſcopi ypponenſis de ciuitate dei liber viceſimuſſecundus explicit contra paganos. Sub anno a natiuitate domini M.CCCC.LXVII. Pontificatꝰ Pavli Papae ſecundi anno eius tertio. Tertio regnante Romanorum Imperatore Friderico. Indictione XV. die vero duodecima menſis Iunii

Deo Gratias GOD AL.

Impreſſerunt Conradus Sw. et Arnoldus Pannartz iuuante haud dubie viro aliquo ſolerti, cuius nomen in literis GOD AL. inſidere tam facile ſibi omnes perſuadent, quam operam in explicandis eorum myſteriis perdunt *). Paginae in duas columnas linearum 44. impreſſae ſunt, quas ampli margines ambiunt. Praecedunt XII. Rubricarum folia. cf. *Audiffr.* p. 6. Recenſent etiam *Debure Bibliogr. inſtr.* T. I. p. 243. Extabat in *Bibl. Ducis de la Valiere.*

1468.

Romae in domo petri de Max. f. max. S. Auguſtini de Civ. Dei libri XXII. In Calce: *Hoc Conradus*

*) Lairius *Gratias Omnipotenti Deo a Laudembachio* interpretatur. Sed huic omnino obſtare videntur verba *Deo gratias*, vt recte etiam Audiffredus monuit. Probabilior *Petri Scriuerii* ſententia, *Godeſchalci* ſ. *Godofredi Alemanni* nomen ſubſtituentis, videri poſſit.

dus opus etc. *In Domo Petri de Maximo.* M.CCCC. LXVIII. Huius editionis character, mea quidem ſententia, nitidior eſt, quam in Lactantio eiuſdem anni. Sed textus inquinatior eſt et mendis ſcatet foediſſimis. Praecedunt XIV. folia rubricarum. Cf. *Debure Bibl. inſtr.*, *Cat. Bibl. Smithianae* (Venet. 1755. 4.) p. 27. et *Bibl. Pinell.* T. I. p. 86.

1470.

Romae apud eoſdem. f. max. S. Auguſtini de Civ. D. libri XXII. *In calce:* Aſpicis illuſtris etc. Audiffredus diligenti trium editionum Romanarum inter ſe comparatione citra omnem dubitationem poſuit, diuerſas inuicem eſſe atque ſingulatim iteratas. Atque haec tertia etiam praecedente emendatior eſt et pleraque vitia eius abſterſit. Extabat in *Bibl. Pinell.*

* *

Venetiis per Io. de Spira et Vindelinum fratrem. f. Auguſtini libri XXII. de ciuitate Dei. In fine:

Qui docuit Venetos exſcribi poſſe Iohannes,
Menſe fere trino centena volumina Plini,
Et totidem Magni Ciceronis Spira libellos
Ceperat Aureli, ſubita ſed morte peremtus,
Non potuit ceptum Venetis finire volumen,
Vindelinus adeſt eiuſdem Frater et arte
Non minor Hadricaque morabitur Vrbe.
M.CCCC. LXX.

Praecedit rubricorum tabula XIV. foliis. *Debure Bibliogr. inſtr. Biblioth. Smithiana. Cat. Bibl. Bunav.* Laudant eandem *Cat. Bibl. Reg.* et *Bibl. Pinell.*

1473.

Moguntiae per Petr. Schoeffer de Gernsheim. f. II. Voll. B. Aur. Aug. libri XXII. de Ciuitate Dei cum

cum *Thomae Valois* et *Nic. Triueth* commentariis. In fine rubris characteribus: *Igitur Aurelii Auguſtini* etc. (cf. edit. Hieronymianam ib. a. 1470. per eund. typogr. excuſam) *conſummatum per Petrum Schoiffer de Gernzheim, anno Domini* M.CCCC. LXXiij *die V. menſis ſeptembris preſidibus eccleſie katolice Sixto tercio Pontifice ſummo, ſedi Ant. Moguntine Adolfo ſecundo preſule magnifico tenente autem ac gubernante Chriſtianiſſimi Monarchia Imperatore ſereniſſimo Frederico tercio Ceſare ſemper Auguſto.*

Incipit a tabula capitum libri primi, quae vna cum excerpto ex libris Retractationum vno folio comprehenditur. Tum ſequitur ipſum Auguſtini opus totum intra hoc primum volumen abſolutum, inque fine legitur: *Finito libro ſit laus et gloria Chriſto.* Deinde minio impreſſum: *Textus ſancti Auguſtini de Ciuitate Dei, Maguntiae impreſſus, explicit feliciter, anno LXXiij.* Alterum volumen complectitur commentaria ſupra laudata cum indice alphabetico. Ad vtramque voluminis calcem finita ſubſcriptione, more conſueto, inſignia typographi minio impreſſa cernuntur. *Debure Bibliogr. inſtr. Seemiller faſc. I. p.* 49. *Braun Not. H. Lit.* (1788.) *p.* 159.

Auctores vero horum Commentariorum, quae prima vice hic excuſa ſunt, Angli vterque fuerunt et de Praedicatorum ordine ambo. *Nicolaus Treueth* ſeu *Triuet*, vel etiam *Traueth*, origine Nortwicenſis erat, natus circa annum 1258. vitaque functus a. 1328. Commentatus eſt in omnes libros XXII. *Thomas Walleis* vero ſeu *Vallenſis*, aliis *Gualois* vel corrupte *Valois*, haud dubie quod ex principatu Wallia oriundus eſſet, Theologiae Doctor Oxonienſis, diem ſuum obiit a. 1340. ſcripſitque Expoſitionem in decem primos libros e XXII. de Ciuitate Dei,

quae finitur in libro X. cap. 29. Vtriuſque operam magni olim factam eſſe teſtantur innumera MSS. quae adhuc in bibliothecis Pariſienſibus potiſſimum ſuperſunt exempla, de quibus vid. *Echard* in SS. Ord. Praed. Tom. II. pag. 561 et 597. Creditum eſt aliquando, Treuethum et Thomam coniuncto ſtudio iſtas lucubrationes compoſuiſſe, falſo tamen. Nam iſta coniunctio, quemadmodum etiam in hac prima editione obtinet, notariis debetur et omnibus codicibus MSS. eſt ſolemnis. Nicolai autem Treuethi expoſitio in X priores libros nunquam prodiit atque hoc caſu fortaſſe in perpetuum luci ſubtracta eſt. Cf. praeter laudatum Echardum locupletiſſimum in his auctorem, Fabric. Bibl. Med. et Inf. Lat.

1474.

Romae ap. Vdalr. Gallum. f. max. S. Auguſtini de Ciuitate Dei libri XXII. In calce: *Preſens Aurelii Auguſtini Hipponen Epi de Ciuitate Dei preclarum opus: Alma in vrbe Roma totius mundi regina et digniſſima imperatrice: que ſicut ceteris vrbibus dignitate preeſt: ita ingenioſis viris eſt referta: non attramento plumali calamo neque ſtilo ereo: ſed artificioſa quadam adinuentione ſeu caracterizandi ſic effigiatum ad dei laudem induſtrieque eſt conſummatum. per Vdalricum Gallum Almannum et Symonem Nicolai de Luca. Anno Domini M.CCCC.LXXIIII. die vero IIII. menſis Februarii, Pontificatu vero Sixti diuinina (ſic) prouidentia Pape quarti anno eius tertio.*

Antecedunt rubricarum folia XIII. cum foliis duobus puris. Character non omnino tam luculentus eſt et magnus ac Romanarum editionum, ſed longe contra aequalior.

1475.

1475.

Venetiis ap. Nic. Ienſon. f. S. Auguſtini de Ciuitate Dei libri XXII. In fine: *Aurelii Auguſtini opus de ciuitate dei feliciter explicit: confectum venetiis ab egregio et diligēti magiſtro Nicolao ienſon: Petro Mozenicho principe: Anno a natiuitate domini mileſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo quinto: ſexto nonas octobres.*

Impreſſum eſt columnis binis; incipit a *tabula capitum* IV. folia complectente. *Cat. Bibl. Ducis de la Valiere*, it. *Bibl. Smithianae.* Seruabat eandem olim *Bibl. Pinellii*, itemque vna cum ſex praecedentibus *Bibl. Creuennae.* vid. *Cat. nouiſſ.*

* *

Venetiis per Gabrielem Petri de Taruiſio. f. S. Auguſtini de Ciuitate Dei libri XXII. In fine: *Aurelii Auguſtini de Ciuitate Dei Liber XXII. et vltimus feliciter finit. Impreſſumque eſt opus hoc a diligenti Magiſtro Gabriele Petri de Taruiſio.* M.CCCC. LXXV. *exiſtente Petro Mocenico Duce Venetiarum. Venetiis. Cat. Bibl. Bud. T. I. p.* 89. vbi merito *rariſſimis* libris accenſetur. Ex Catalogo vero *Bibl. Ducis de la Valiere* diſcimus, binis columnis volumen eſſe impreſſum, praecedere materiarum tabulam XIV. foliis, ſignaturas eſſe a 1 - D ſecundi alphabeti. Memoratur etiam in Catalogo Bibl. Bodleianae ed. recent. p. 88. apud *Deniſ.* in *Bibl. Garell. T. I. p.* 135. Addatur Cl. *Reuſs* in *Bibl. Tubing.* (1780.) p. 69.

1477.

Neapoli per Matthiam Morauum. f. min. S. Auguſtini de Ciuitate Dei libri XXII. In fine: *Aurelii Auguſtini de Ciuitate Dei liber XXII. et vltimus feliciter*

liciter explicit. Impreſſumque eſt opus hoc Neapoli a diligenti magiſtro Matthia Morauo. Anno Chriſti. M.CCCC.LXXVII. Cat. Bibl. Ducis de la Valiere.

1479.

Baſileae per Mich. Wenſzler. fol. Iidem cum commentariis Thomae Valois et Nicolai Triueth. In fine charactere rubro impreſſum.

Igit aurelij auguſtini ciuitatis orthodoxe ſideris pſulgidi de ciuitate dei opus praeclariſſimum. binis ſacre pagine pfeſſoribus eximiis id commentantibus. rubricis tabulaque diſcretum pcelſa in vrbe Baſilicā. partium alemanie. quam non ſolum aeris clementia et fertilitas agri verum etiā impmentium ſubtilitas reddit famantiſſimā. ad laudem trinitatis indiuidue ciuitatis dei pſidis. ingenio et induſtria Mihahelis Wenſzler. Anno ſalutis noſtre poſt. M. et CCCC. LXXIX. Viij kl. aprilis operoſe eſt conſummatum.

Subter his inſigne typographi minio pariter refulget. Incipit a *Sententia Auguſtini ex libris retractationum*, quam ſtatim *tabula* capitum libri primi ſequitur, cuiuſmodi vnicuique libro eſt praefixa. Poſt textum legitur ſubſcriptio rubro item charactere exarata additoque infra typothetae inſigni: *Textus ſancti Auguſtini de ciuitate dei Baſilea impreſſus. Explicit feliciter. Anno LXXIX.* Adhibiti ſunt characteres gothici luculentae formae, in textu maiores, in Commentariis, qui pone ſequuntur, longe minores. Columnae binae, prorſus abſunt numeri, ſignaturae, cuſtodes, literae initiales titulique. *Debure in Cat. Bibl. Ducis de la Valiere. Seemiller Incunab. Ingolſt. Faſc. II. p. 36. ſq.*

[1482.]

[*Romae. . . . . fol.*] Auguſtinus de Ciuitate Dei. Huiuſce editionis memoria ſola perſtat apud *Labbeum Noua Bibl. MSS.* p. 347. *num.* DCLXXXIX. vnde *Maettarius* in forulos ſuos retulit *T. I. P. II. p.* 435. *Laerius* laudabat inſuper eiuſdem libri paginam 354. n. MXXIX. Sed perperam vt dudum ſolita acerbitate monuit *Audiffr.* p. 252.

1484.

[*Louanii.* . . . . f. S. Auguſtini de Ciuitate Dei cum Comment. Th. Valois.] *Maitt. T. I. P. II. p.* 455. addito *Heidani* teſtimonio ex *Cat. p.* 6. *n.* 121. abſque vberiore declaratione. Incertum ergo eundemne typographum, qui a. 1488. prelo eum commiſit, an alium auctorem agnoſcat.

1486.

Venetiis per Bonet. Locatellum. 4. B. Auguſtini libri XXII. de ciuitate Dei. In fine: *Opus de ciuitate Dei feliciter explicit: confectum Venetiis per Bonetum Locatellum, impendio et ſumptibus Octaviani Scoti Modoetienſis.* 1486. *quinto Idibus Februarii. Cat. libr. rarior. Bibl. Budenſ.* et *Bibl. Pinell.*

1488.

Tholoſae per Henricum Mayer Alamanum. (die XII. Octobris.) f. min. Thomae Valois et Nicolai Trиueth Commentaria in libros S. Auguſtini de Ciuitate Dei, vna cum complemento fratris Nicolai Cerſeth. Cf. *Cat. Bibl. Creuennae nouiſſ.*

* *

Louanii per Ioannem Weſtfalenſem. f. Auguſtini de Ciuitate Dei l. XXII. cum Comment. Th. Valois

Valois et Nic. Triueth. In fine: *Impreſſum in alma Vniuerſitate Louanienſi, quae Brabantiam haud paruum prae ceteris ornatam reddit, ingenio et induſtria Ioannis Weſtfalenſis. Anno M.CCCC.LXXXVIII. XIIII. Calendas Octobris.*

Maittaire T.I. P.II. p. 493. Apud alios tamen bibliographos mentionem eius non inuenimus, nititurque adeo ſolius Maettarii fide, ex qua eandem editionem laudant Colonienſes, Oſſingerus aliique.

1489.

Venetiis typis Vincent. Octauiani Scoti. f. Auguſtinus de Ciuitate Dei cum commentariis Thomae Valois, ſiue Walleis et Nicolai Triueth. *Cat. Bibl. Caſanat.* vnde ſuppleri poterit Maettarius T.I. P.II. p. 510.

⁂

Baſil. ap. Io. Amerbachium. f. Auguſtinus de ciuitate dei cum commento. In fine:

Hoc opus exactum diuina arte Ioannis
Amerbacenſis: lector vbique legas
Inuenis in textu gloſis ſeu margine mirum:
Quo merito gaudet vrbs Baſilea decus.

Anno ſalutiferi virginalis partus octogeſimo nono ſupra milleſimum quaterque centeſimum Idibus Februarii.

Commentarii ſunt *Thomae Valois* et *Nicolai Triueth*, ſacrae paginae profeſſorum ord. praedicat. Ac illius quidem notae in cap. 29. libri X. deficiunt; reliqua per Nicolaum Triueth ſunt conſcripta. A *Nicolao* quoque profecta eſt tabula ſeu index. Character eſt gothicus, columnae duae, ſed *Commento* vtrinque appoſito quatuor plerumque paginam faciunt. In interiore tituli pagina Auguſtini effigies

ligno

ligno impreſſa cum alia figura emblematica, inſcriptione et verſibus conſpicitur. Deſcripſit eandem *Braunius Not. H. Litt.* T. II. p. 182.

1490.

Baſileae ap. Io. Amerbach. f. Editio anni praecedentis accurate iterum expreſſa, *finita idibus Februariis. Denis Garell. Bibl.* p. 134. *Gemeiner Regensburg. Bibl.* p. 197. Extabat etiam in Bibl. *Ducis de la Valiere. Geſsner Lübeck. Bibl.* p. 51. Curioſe deſcripſit *Maſch Beytrr. z. Geſch. merkw. Bb.* St. II. p. 73. ſq.

1494.

Friburgi. f. Amerbachianae iteratio. In fine: *Finitum eſt hoc opus in friburga. Anno incarnationis Dñi MCCCCXCIIII.* Ext. etiam in *Cat. Bibl. Bodl.* et *Creuennae nouiſſ.*

Sine anno

loco et typogr. f. S. Auguſtini de ciuitate Dei l. XXII. cum Commentariis Thomae Valois et Nic. Triueth.

Huius editionis rariſſimae iuxta quam antiquiſſimae notitiam ſuppeditant Cl. *Morellus in Bibl. Pin.* T. I. p. 86. *Seemiller* faſc. I. p. 120. iterumque non minori diligentia deſcripſit *Plac. Braun in Notitia Hiſt. Lit.* p. 9. Conſtat, vt editio a. 1473. duabus quodammodo partibus, quarum prior textum, maioribus literis, poſterior commentarium minori charactere columnis duabus impreſſum ſiſtit. Ac textus quidem pagina XLVII. commentariorum vero LVII. lineas complectitur. Literas Germanicas appellat *Morellus; Seemillerus* plane ſimiles eſſe vult iis, quibus recuſus eſt Auguſtini liber quartus de doctrina chriſtiana per Io. Mentelin Argentinenſem,

cui idcirco acceptam referre nullus dubitat. Qui cum iam a. 1478. diem obierit, ante hunc certe expreſſa eſſe deberet. Sed longe vetuſtiorem putat, nec ab anno 1470. valde remotam, adeo, vt princeps forte cum commentariis laudatis ſtatuenda foret, quam ſententiam iam Morellus amplexus fuerat. Caret omnibus, quas ſequior aetas per artis progreſſum ſenſim introduxit, foliorum paginarumque notis numeriſue, item literis initialibus, nec non titulis tam in fronte operis, quam ſingulorum librorum aut capitum initiis, quae ſolo ſpatio vacuo, nec eo admodum amplo inter ſe diſtinguuntur, praeterquam quod ad calcem libri XVIII. ſubſcriptio, et dehinc a libro decimo nono inſcriptiones librorum et capitulorum inueniantur. Nihilominus occurrunt frequenter marginalia decurtatis textus lineis appoſita, quod in Baſileenſibus quoque eorum librorum editionibus deprehendere me memini. Denique in fine textus legitur: *Finito libro ſit laus et gloria Chriſto;* poſt commentaria vero tabula materiarum decem foliis non omnino integris comprehenſa deſinit ſubiecto: *Explicit Tabula.*

Saec. XVI.

1515.

Baſileae per Ad. Petri de Langendorf. f. Diui Aurelii Auguſtini, Hipponenſis Epiſc. ad Marcellinum de Ciuitate Dei contra paganos libri duo et viginti: opus digniſſimum: humanarum diuinarumque literarum diſciplinis clariſſime refertum. *Cum Commentariis Thomae Valois* et *Nicolai Triueth:* nec non additionibus *Iacobi Paſſauantii* atque theologicis veritatibus *Franciſci Maronis.* Porro impreſſum eſt titulo inſigne Adami Petri addito *Anno* M.D.XV.

M.D.XV. Infra: *Directorium in ſingulos totius operis libros indice certo congeſtum.* In pagina auerſa eadem, quae in Amerbachiana habentur. Praefigitur deinde praefatio *Fratris Conradi Leontorii Malbonnenſis* (ſic) charactere romano impreſſa, qua rationem et inſtitutum operis Auguſtiniani docet. In fine eiuſdem *Conradi Leontorii Malbronnenſis* (ſic) ſubiicitur epilogus, in quo ingentem textus emendationem, multorum MSS. collatione perfectam pollicetur, nec non ſubſcriptio, quae Iohannem Koburger, Nurimbergenſem Bibliopolam, impenſas imprimendi voluminis feciſſe ſignificat. Haec quoque rotundo charactere, reliquum volumen literis gothicis quatuor plerumque, interdum etiam quinque columnis et crebris ſectionibus impreſſum oculos et hoc ipſo et vario characterum genere in eadem pagina obuio offendit. *Caſp. Barthius Aduerſ.* 59. 10. p. 2795. hanc editionem multis MSS. meliorem vocat.

1520.

Lugduni impenſis Io. Koburger, arte Iac. Saccon. f. Auguſtinus de Ciuitate Dei *vna cum libris* de Trinitate, quos vide. Plane expreſſa eſt praecedens Baſileenſis.

1522.

Baſileae apud Io. Froben. f. D. Aur. Auguſtini opus abſolutiſſimum de Ciuitate Dei, ad vetera exemplaria collatum et commentariis illuſtratum ſtudio et labore *Io. Lud. Viuis. Cat. Bibl. Reg. Muſ. Britt. et Budenſ.* Prima haec eſt editio cum Viuis commentariis. Poſt dedicationem ad *Henricum VIII.* Angliae Regem, dat. Louanii Nonis Iuliis M.D.XXII. praefatio occaſionem operis Auguſtiniani docens et ſingularis praeterea *de veteribus interpretibus huius*

libelli deque *Gothis qui Romam ceperint* diſſertatio eſt adiecta.

1554.

Paris. f. S. Aur. Aug. de Ciuitate Dei, edente *Lud. Viue. Cat. Bibl. Bern. T. I. p.* 16.

1555.

Pariſiis apud Carolum Guillard. f. Iidem libri cum eodem Commentario. Laudant *Colonienſes* p. 739. Si praecedens editio recte ſe habet, non dubito, quin ex eodem bibliopolio profecta ſit ac haec.

* *

Baſ. ap. Hier. Froben. et Nic. Epiſcop. f. D. Aurelii Auguſtini, Hipp. Ep. de Ciuitate Dei libri XXII. ad priſcae venerandaeque vetuſtatis exemplaria denuo collati eruditiſſimiſque inſuper Commentariis per vndequaque doctiſſ. Virum *Io. Lud. Viuem* illuſtrati et recogniti. Acceſſit index foecundiſſimus.

In auerſa tituli pagina Henrici, Angliae Regis, epiſtola legitur, qua Lud. Viui pro oblatis ſibi Auguſtini libris gratias agit, data *Grenuici die XXIIII. Ian.* 1523.

1570.

Baſileae per Ambroſium et Aurelium Frobenios fratres. f. D. Aurelii Auguſtini, Hipp. Ep. de Ciuitate Dei libri XXII. ad priſcae venerandaeque vetuſtatis exemplaria iam iterum poſt virum vndequaque doctiſſimum *Ioannem Ludouicum Viuem* ſummo ſtudio collati ac eiuſdem commentariis eruditiſſimis illuſtrati. Acceſſit *Index* multo, quam antea fuerat, foecundior.

Videantur quae de hac editione in *Annalibus Collectionum* notauimus. In toto volumine nihil

eſt

eſt praeter praefationem, quod ad integram operum editionem reſpicit et impedire potuit, quo minus ſeparatim hic tomus venderetur.

1596.

(Geneuae) excudebat Iacobus Stoer. 8. *II. Tomis.* D. Aur. Aug. Hipp. Ep. de Ciuitate Dei l. XXII. Tomum *quintum* Operum omnium h. l. et a. excuſorum efficiunt. Vid. ſupra in *Annalibus Opp.*

SAEC. XVII.

1600.

Antuerpiae apud Plantin. fol. Iidem libri. *M. Bibl. Colon.*

1610.

Geneuae. . . . . 8. Iidem libri. *Iiſdem ſponſoribus.*

1613.

Pariſiis ſub inſigni vrbis. f. S. Auguſtini l. XXII. de ciuitate Dei, recogniti per Theologos Louanienſes; cum comment. *Leon. Coquaei* et *Io. Lud. Viuis. Cat. Bibl. Thott.*

1624.

Francof. typis Wechel. ap. Dan. et Dav. Aubrios et Clem. Schleich. f. Caſp. Barthii Commentariorum in D. Aur. Auguſtini Ciuitatem Dei Liber primus ſeu Aduerſariorum Comment. Lib. LX. Extat cum *Adverſariis* a pag. 2816. ſqq. Praecedit haec eius admonitio: *Eccum tibi, amice lector, commentariorum noſtrorum in Ciuitatem Diuinam Auguſtini, multis expetitum. Sequentur ipſa Commentaria, ſi Deus vita dederit; Opus immenſum, et, licet ominari, aeternum. Reliquimus autem, vt ſcripſimus;*

non ſublatis iis, quae ex Aduerſariis in hunc Commentarium transtulimus; idque conſilio, vt quale ipſum Opus ſit, eo facilius perſpiciatur. Quae ipſius Barthii verba eo lubentius huc transſcripſimus, quod nuper demum *Lipenii*, ſubleſtae non raro fidei teſtis, auctoritati tantum dediſſe Colonienſes vidimus, vt refragantibus licet *Chriſt. Daumii*, Barthio quondam familiariſſimi, aliorumque, quos ipſi in medium producunt, melioris notae ſcriptorum teſtimoniis grauiſſimis, non prorſus tamen de integri huius Barthiani commentarii editione, qualem Halae Sax. a. 1620. fol. lucem vidiſſe Lipenius prodiderat, deſperarent. Impoſuerat illis etiam hoc, quod ipſe Barthius in ſuis ad Statium Animaduerſionibus ſaepius huius commentarii in Auguſtinum meminiſſet. Sed quae ibidem ex iis proferunt verba, tantum ſcriptum iam fuiſſe eum probant, non item, vt ipſi volunt, editum. Ceterum ingens tunc temporis apud doctos homines huius commentarii fuit deſiderium, imprimis quoniam ipſe auctor de eo tam magnifice locutus erat, et oppido pauci erant, qui non eximie reconditam iſtius viri doctrinam admirarentur. Hodie non maiorem in eo iacturam orbem eruditum feciſſe credimus, quam in eo, quem Salmaſius ſuper Arnobium meditabatur.

1636.

Pariſiis ſub inſigni magnae Nauis. f. S. Aurelii Auguſtini, Hipp. Ep. De Ciuitate libri XXII. Ex vetuſtiſſimis manuſcriptis exemplaribus per *Theologos Louanienſes* ab innumeris mendis repurgatus. Quorum diligentiam atteſtatur ſub finem Tomi, caſtigationum ratio et lectionum varietas maiori ex parte annotata. Cum Commentariis nouis et perpetuis R. P. F. *Leonardi Coquaei*, Aurelii Eremitae,

tae, Auguſtiniani, Doct. Theol. Pariſ. et *Io. Lud. Viuis.*

Inſcripſit *Leon. Coquaeus* Chriſtianae a Lotharingia Magnae Etruriae Duci Matri a ſacris Confeſſionibus. Notae eius aeque copioſam theologicam eruditionem oſtendunt, quam Lud. Viuis commentarius omnigena antiquitatis doctrina illuſtris eſt. Ipſe quoque *de inſcriptione, occaſione, partitione, dignitate et vtilitate* horum librorum, quod haud perfunctorie Viues egerat, denuo commentatus eſt.

1651.

Pariſiis. . . . . f. Iidem cum Coquaei commentariis. Ita *Colonienſes.*

1661.

Hamburgi ſumt. Zach. Hertelii. 4. *II. Tomis.* S. Aur. Aug. Hipp. Ep. de Ciuitate Dei libri XXII. in duos tomos diuiſi, ex vetuſtiſſimis MSS. exemplaribus emendati, iuxta nouiſſimam editionem Colonienſem. Accedunt Commentarii eruditi et integri quidem, Io. Lud. Viuis, Hiſpal. ac Leonh. Coquaei Aurelianenſis. Cum indice gemino, altero locorum Sc. S. altero rerum ac verborum locupletiſſimo.

Saec. XVIII.

1748.

Neapoli. . . . . 4. S. Auguſtini libri XXII. de ciuitate Dei cum notis Monachorum S. Mauri. *Cat. Bibl. S. Aug. ad Nidum Neap.*

Versionvm quoque huius Auguſtiniani operis non exiguus eſt numerus. Nam et vario idio-

mate redditum eſt, et ſaepius eodem, ſed nullo frequentius, quam gallico. Ex pluribus autem qui huc ſtudium ſuum contulerunt Francogallis, nemo laude ſua apud populares caruit, ſtudioſeque excepta ſunt et prelo multiplicata *Radulphi de Praellis*, *Gentiani Herueti*, *de Ceriziers*, *Ludouici Giry* et *Petri Lomberti* conanima. Sed ſingula breui indiculo complectamur.

1) *Italicae.*

S. l. et a. f. Il libro di S. Auguſtino, de la Cita di Dio, il quale è diviſo in XXII. libri, tradotti in lingua volgare. *Cat. Bibl. Reg. T. I. p.* 381. *n.* 786. appoſito lemmate *vetus editio.* In *Bibl. Smithiana* p. 28. legitur: *la Città di Dio: tradetta (forſe) da Iacopo Paſſauanti.* *Deburius* in *Cat. Bibl. Ducis de la Valiere* circa annum 1480. excuſam exiſtimat ſcripſitque characterem eſſe romanum minorem, binas columnas, ſignaturas a - H ſecundi alphabeti, tabulamque materiarum ab initio XI. foliis praefixam. Erat eadem penes *Creuennam* olim, teſte *Cat. Bibl.* eius nouiſſimo. Cf. *Biblioteca degli Autori volgarizz.* in *Raccolta d' Opuſc. ſcient. e filol.* T. XXXII. pag. 342.

De auctore huius verſionis inter ipſos Italos haud conuenit. dum alii, in quibus *Fontaninus*, (in opere ſuo *de Eloquentia Italica*) *Nicolao Piccolomineo* eam aſſeruerunt, quos tamen refellit Apoſtolus Zenus in Annotationibus ad Fontanini librum; alii, veluti Iacobus Corbinellus, *Iacobum Paſſauantium* auctorem ſtatuerunt; vtriſque aduerſatus eſt Petrus Baſſaglia in editione Veneta a. 1742. a Florentino quodam anonymo eam profectam et Venetiis circa a. 1480. elaboratam eſſe dicens.

1734.

1734.

Roma per Antonio de Roſſi. fol. La Città di Dio, opera del gran Padre S. Agoſtino Veſcovo d'Ippona tradotta nell' idioma Italiano dal *P. D. Ceſare Benvenuti* da Crema Abate Generale dei Canonici Regolari della Congregazione Lateranenſe.

Plurima commendant hanc operam, verſionis elegantia, index copioſus, ſplendor artificii, ipſumque denique P. M. Benedicti XIV. cui dedicata eſt, nomen, teſte *Bibl. degli Aut. volgarizz.* in *Raccolta d' Opuſc. ſcient. e filol.* T. XXXII. p. 343.

1742.

Venezia, appreſſo Piet. Baſſaglia e Franc. Hertzhauſer. 4. Della Città di Dio di S. Aurelio Agoſtino: Tomo primo, che comprende gli XI. primi libri.

Haec eſt recens editio antiquae illius verſionis, de cuius auctore editorem Petrum Baſſagliam prolixius in epiſtola dedicatoria huic tomo praemiſſa diſputaſſe diximus. Alterum tum (a. 1745.) nondum abſolutum fuiſſe diſerte monet auctor *d. Bibl. degli Aut. volg.* l. l. Sed poſtmodum additus eſſe debet. Nam Audiffredus in Cat. Bibl. Caſanat. *duos* citat. Textus Latinus verſioni adiungitur, inſuperque Vita Auguſtini a Poſſidio ſcripta latine acceſſit.

2) *Gallicae.*

1486.

Abbeville chez Jean du Pré et Pierre Gerard. f. II. Vol. Dix premiers livres de Monſeigneur S. Auguſtin de la Cité de Dieu translatés par Raoul de Preulles. *In fine Tomi I:* Imprimé en la Ville d'Abbeville par Jean du Pré et Pierre Gerard

marchans libraires, acheve le XXVIII. de Novembre, l'an mil quatre cens quatre vingt et ſix. — *Tomo II:* Les ſept derniers livres. *In fine:* Imprimez *par les mêmes* à Abbeville. VII. d'Avril, mil quatre cens quatre vingt et ſix, après l'Paſques.

Commemorant hanc editionem *Maettarius*, *Debure Bibliogr. inſtr. T. I. p.* 248. *Deburius ſen.* in *Cat. Bibl. Ducis de la Valiere* T. I. p. 167. Notatur etiam in *Cat. Bibl. Reg. Pariſ.* Primus liber eſt ex paucis, qui Abbatisvillae ſunt impreſſi. Superat tamen editionis vetuſtatem ipſius verſionis aetas. Auctor enim, cuius nomen diuerſe, modo *de Preulles*, modo *de Praelles*, *Praesles*, *Presles*, quin etiam *de Praieres*, latine vero *de Praellis*, *de Praieriis*, *Preslaeus*, efferri ſolet, Caroli V. Franciae regis temporibus floruit, penesque eum magiſtri libellorum ſupplicum officio functus eſt, natus ex illicito concubitu *Radulphi de Praellis*, Philippi Pulcri quondam conſiliarii a. 1315. cum iniqua cuſtodia pater eius detentus eſſet. Sed filii legitimi iura Radulphus noſter iam ſenex regis ſui beneficio a. 1376. eſt conſecutus. Diem obiit menſe Nouembri 1382. Variis ille ſcriptis tam vernaculo, quam latino, ſermone compoſitis aetate iam deuergente inclaruerat, cum ſingulari regis mandato ſtipendioque ad conficiendam Auguſtini huius libri verſionem adigeretur, quam inchoatam anno 1371. die I. Nouembris ſeu feſto omnium Sanctorum, anno 1375. die I. Septembris abſoluiſſe fertur *). Praeſto erant XXX. Codices, quos

*) Ab eodem auctore profecta eſt Bibliorum verſio gallica, quam ſpecimine propoſito accurate deſcripſit P. *le Long* in *Bibl. Sacra* p. 318. quaeque eidem regi in literas propenſo debetur. cf. *Lancelot* in *Mem. de l'Ac. des Inſcr. T. XIII. p.* 656.

quos ita tamen ſecutus eſt, vt parcius verborum quam ſenſus explicationi ſtuderet, et regis iuſſui obtempe-rans ſententiae veritatem claritatemque per ambages orationis ſectari mallet, quam eandem verbis inſi-ſtendo periclitari. Vt vero commodius ſua legeren-tur, ſingulos libros in capita plura diſpeſcuit, qua-cum deſcriptione neſcio an hodierna latini textus diuiſio concordet. Nec contentus, Auguſtinum gal-licani ſermonis eloquio ciuibus ſuis admouiſſe, eiuſ-dem etiam, vbi doctius locutus eſſe videretur, inter-pretem egit, ſubiuncta ſingulis capitibus *expoſitione*, in qua de mythicis, hiſtoricis, philoſophicis aliiſ-que reconditioris ſcientiae capitibus, prout quidem eruditionis tunc temporis conditio ferebat, diſſeruit, vt tamen oſtenderet, ſe hominum doctorum aeui ſui longe eſſe excellentiſſimum. Nempe auctores, vnde ſua depromſit, ſi a paucis diſceſſeris, ſaeculo VII. non antiquiores ſunt, ſiquidem frequenter imprimis laudat *Iſidorum Hiſpalenſem*, *Oroſium*, *Paulum Diaconum*, *Hugonem*, *Papiam*, *Fulgentium*, *Catholicon*, *Nicolaum Triueth*, *Vincentium Bellouacenſem*, *Alanum* de Complanctu Naturae, *Ioannem Sarisberienſem*, *Gulielmum Paris*, *Petrum Comeſtorem*, *Helinandum* alioſque, aliquoties *Paulum Diaconum* de mirabilibus Mundi, *Coranum Mohamedis* et *Ioannem Magdunenſem (Jean de Meun)* tanquam auctorem fabellae gallicae *de Roſa* appellat. Plura etiam ex hiſtoria tum ſui temporis, tum antiquiori Franciae admiſcuit, nec non traditiones paſſim vul-gique ſuperſtitiones varias adſperſit, ex quibus ſpeci-minis loco nonnulla propoſuit *Lancelotus*, *Academiae Inſcriptionum et liter. elegantior. Pariſ.* quon-dam Socius, cuius binae de Radulpho Preslaeo eius-que ſcriptis commentationes inſertae ſunt *Memoriis* eiuſd. Academiae T. XIII. a p. 607 - 665. Illius enim

enim viri laudabili diligentia effectum eſt, vt quaecunque auctorem verſionis huius concernunt iuxta documentorum optimorum fidem explorata nunc habeantur, ſimulque tenebrae iſtae, quibus *Crucius Cenomanenſis (la Croix du Maine)* in *Bibl. Gall.* p. 427. haec obſepſit, quibuſque diſpellendis non admodum profecerunt coniecturis ſuis auctores *M. Bibliothecae Colonienſis* (p. 740. n. 157.) clariſſima luce ſint colluſtratae. Prae ceteris autem illius ſcriptis hunc librum pauciſſimis viſum, inſpectum vero, quantum equidem ſcio, memini, diligenter examinauit, praecipuaſque eius dotes cum iudicio expoſuit. Enumerat praeterea p. 654. inſigniores aliquot codices MSS. qui ad vnum omnes in Bibliotheca Regia Pariſiis aſſeruantur et numeris ſuis ſunt notati. Ceterum non minus rara hac principe huius verſionis editione eſt altera diu poſtea facta.

1531.

Paris (chez Galiot du Pré) par Nicolas Savetier. f. II. Tomes. La Cité de Dieu de Monſeigneur Saint Auguſtin, translatée de Latin en françois par Raoul de Praesles; cuius ſplendidum exemplar olim inter ornamenta *Bibliothecae Ducis de la Valiere* numerabatur. Cf. *Cat. T. I. p.* 168. *n.* 458. Laudat eandem *Cat. Bibl. Muſei Britt.* Tenendum eſt autem, Lancelottum etiam aeque ac Colonienſes huius editionis mentionem facere, ſed ita, vt apud *Galiotum du Pré* prodiiſſe affirment, cum tamen Deburius l. l. Nicolao Sauetierio tribuit. Quocirca nos coniecturam ſecuti vtrumque in titulo poſuimus, alterum redemtoris, alterum impreſſoris partes geſſiſſe ſuſpicati.

1570.

1570.

Paris chez Nic. Cheſneau. f. La Cité de Dieu du St. Auguſtin traduite en françois par GENTIAN HERVET. *Cat. Bibl. Muſ. Britt.* cf. *M. Bibl. Col.*

1585.

Paris chez Mich. Sonnius. f. S. Auguſtin de la cité de Dieu, illuſtré des commentaires de Jean Louis Vivés, traduit en François par GENTIAN HERVET, avec les annotations et obſervations de *François de Belleforeſt.* troiſieme edition augmentée. *Cat. Bibl. Reg.* Eandem repetitam *Pariſiis* 1610. *fol.* tradunt Colonienſes.

1655.

Paris chez Pierre le Petit. f. S. Auguſtin, de la cité de Dieu, traduit en François par DE CEREZIERS, *Aumonier du Roy. Cat. Bibl. Reg. et Caſanat.*

1665 et 67.

Paris chez Pierre le Petit. 8. *II. Voll.* S. Auguſtin de la cité de Dieu, traduit en François par LOUIS GIRY, tomes I et II. contenant les dix premiers livres. *Cat. Bibl. Reg.*

1675.

Paris chez André Pralard. 8. *II. Voll.* La Cité de Dieu de S. Auguſtin, traduite en François et reveue ſur pluſieurs anciens MSS. avec des remarques et des notes, contenant des corrections du texte par PIERRE LOMBERT. *Cat. Bibl. Reg.* et *Ducis de la Valiere.* Eadem repetita eſt eodem anno *Bruxelles* et 1693. *Paris. II. Voll. (Cat. Bibl. Thott.)*

1701.

1701.

A Paris chez Nicolas Pepie. 8. *en II. Tomes.* La Cité de Dieu de S. Auguſtin, traduit en François et revüe ſur l'edition des PP. Benedictins, avec des remarques etc.

1736.

A Amſterdam chez Pierre Mortier. 8. *IV. Tomes.* La Cité de Dieu de St. Auguſtin, traduit en François et revue ſur pluſieurs Manuſcrits: avec des Remarques et des Notes qui contiennent quantité de corrections importantes du Texte Latin; et la Vie de M. *Lombert.*

Notae imprimis de verſione tractant eiuſque licentiam ex eo, quod elegantiae ſenſui traductor debeat et quod linguarum inuicem abhorrens ingenium poſtulet, excuſant. Hinc nec vbique eadem iterum inculcare, ſed ad priores tantum XI. libros talia monere ſatis viſum eſt. Emendationes, quas in titulo profitetur, ex X. circiter aut XI. MSS. Gallicanis nonnulliſque Vaticanorum, quas Benedictini PP. ipſi conceſſerant, lectionibus hauſtas eſſe monet. Eadem verſio totidem voluminibus in 12. *eodem anno ibidem apud Iac. Rollin* excuſa, quae ſimiliter ac praecedens vitam traductoris in titulo gerit, memoratur in *Cat. Bibl. Reg. T. I. p.* 379. Eandem *duodenis IV. Voll. Pariſiis* 1737. excuſam laudat *Cat. Bibl. Firmianae.*

3) *Hiſpanicae.*

1614.

Matriti. f. S. Auguſtinus de Ciuitate Dei l. XXII. Hiſpanice per Ant. de Roys et Rozas. Laudant *Colonienſes.*

1676.

1676.

Amberes (Antuerpiae) *f.* Iidem eiuſdem verſionis. *Cat. Bibl. Thott.* iterumque ibidem repetiti dicuntur a. 1696. *f.* in *Bibl. Eccl. Colon.*

Belgicam verſionem impreſſam *Lugduni Bat.* 1621. ex *Cat. Bibl. Traiect.* T. II. p. 3. proferunt Colonienſes.

Germanicam Ioannis Godfridi de Odernheim, qui circa a. 1495. Oppenheimenſis eccleſiae paſtor fuiſſe perhibetur, ex *Eiſengrenii* fide commemorat *Poſſevinus App. Sacr. T. I. p.* 889. Aliam auctore *Hans Nicolao Sigmaro a Schlüſſelberg*, excuſam *Ratisbonae* 1666. 4. laudat *Gemeiner Regensb. Stadtbibl.* p. 197. attamen non niſi librum primum eam complecti ſignificat.

(75) *De Bono Viduitatis liber.*

1517.

Paris chez Jean Petit. 4. De l'Etat de Veuvage; de la Maniere de prier Dieu; la Vie de Sainte Monique; Opuſcules de St. Auguſtin, traduites par ADRIAN GEMELLI (Jumel), Prêtre Docteur en Theologie et grand Archidiacre de Laon en Picardie. *Du Verdier* ed. recent. *T. I. p.* 7. Tractatus *de orando Deo* inter Epiſtolas cenſetur CXXX.

(79) *De Geſtis Pelagii liber.*

1611.

Auguſtae Vindelicorum. 8. D. Auguſtini liber de geſtis Pelagii, nunc primum editus ſtudio MARCI VELSERI.

Faeſulis (vrbe agri Florentini, quam hodie *Fieſoli* dicunt) inuentus erat in Bibliotheca Abbatiae S. Bartholomaei Canonicorum Regularium Lateranenſium.

ſium. Hinc eius antigraphum Cardinalis *Scipio Cobellutius*, tunc ab Epiſtolis et Secretis Summi Pontificis, Roma ad *Marcum Velſerum* Duumuirum Auguſtanum tranſmiſerat; qui quidem aliquamdiu editiones, quae Romae Florentiaeque accuratiſſime parari ferebantur, cupide expectauit; ſed quoniam longum id futurum negotium res loquebatur, gratiam apud viros pios et eruditos, antiquae doctrinae amantes, Romanis Florentiniſque editoribus ipſis non inuitis, ſe initurum eſſe ratus, ſi nuda interim Auguſtini verba vtenda fruenda proponeret, exemplum Romae tranſmiſſum cum fide exprimendum curauit, lectionibus variantibus, quae ad marginem eiuſdem comparauerant, pariter in ora adſcriptis, ſubiectis vero in ima pagina aliis, quas maximam partem *Marco Velſero*, Canonico tunc Friſingenſi, deberi editor ſignificat, eaſque coniectura fere ſubitaria inter legendum notatas, paucas etiam paulo audaciores ab auctore improbatas ſcribit. Nullas vero quantauis probabilitatis ſpecie blandientes in contextum a ſe receptas eſſe aſſeuerat. Praefationem hanc repeti fecit *Ioannes Clericus* in Append. Auguſtiniacea (T. XII. ed. Antuerp.) p. 607. Exſpectatae vero illae Romanorum Florentinorumque editiones lucem non viderunt, ſed Pariſiis paulo poſt cum libro *contra ſecundam Iuliani reſponſionem* cura *Menardi* iterum prodiit, quem vide n. 98. Nec dubito, quin inter *Opuſcula Auguſtini diſcipulorumque eius* editus ſit, quae ſupra a nobis ſunt in medium producta.

(80) *De correctione Donatiſtarum liber.*

Edidit ſeorſim hunc librum Nic. Bergivs Reualenſis *Holmiae* 1696. in 8. ſub tit. *D. Auguſtini liber de moderate coercendis haereticis ad Bonifacium Comitem.*

(82. 83)

(82. 83) *Auguſtinus in Euangelium Iohannis*
et
Epiſtolam eius I. ad Parthos.

Sine anno

loco et typogr. fol. *Auguſtinus ſuper Iohannem.* Haec verba tituli loco literis maioribus folio primo ceterum vacuo ſunt impreſſa. In limine textus: *Diui Aurelii Auguſtini, Hipponenſis epiſcopi: in euangelium ſecundum Iohannem Tractatus primus foeliciter incipit. Ab eo quod ſcriptum eſt: In principio erat Verbum: et verbum erat apud deum: et deus erat verbum. vſque ad id quod ait: Et tenebre eam non comprehenderunt.* In fine: *Diui Aurelii Auguſtini hipponenſis epiſcopi expoſitio in euangelium ſecundum Iohannem foeliciter explicit.* Praecedunt *Annotatio ſeu Inuentarium principalium ſententiarum*, nec non *Tituli ſeu Rubricae tractatuum* X. foliis. Impreſſio facta eſt literis gothicis minoribus, duabus columnis. Chartae literis ſignatae ſunt, deſiderantur tamen foliorum numeri et cuſtodes. In ſumma pagina non ſolum Tractatus, ſed et capita indicantur. In ipſo contextu autem verba euangelii aut alia loca biblica commentariorumque initia, illa medio, haec maiori charactere diſtinguuntur. Addita ſunt marginalia, in quibus vel loca parallela, vel lectiones variae locorum biblicorum ab Auguſtino laudatorum producuntur. His conſideratis nemo non inſignem huius editionis ſimilitudinem cum impreſſis Amerbachianis, quorum exemplaria paſſim a nobis inter Auguſtiniana proferuntur, agnoſcet. Lubens tamen conceſſerim in Cl. *Braunii* ſententiam, qui Tomo II. Not. H. Litt. p. 33. *Norimbergae* per *Antonium Kobergerum* excuſam eſſe ſtatuit, modo non in ſola typorum ſimilitudine, ſed totius operis deſcriptione

nitatur illius iudicium. Vnum accedit, Kobergerum plura, Amerbachium contra vel nulla, vel pauca admodum abſque nomine ſuo emiſiſſe.

VERSIONES.

1670.

Romae typis S. C. de propag. F. 4. Capita nonnulla ex diuerſis tractatibus in Euangelium Ioh. de Sp. S., Lat. et Gr. interpr. MAX. PLANVDE; *inter* opuſcula aurea collecta a *P. Arcudio* a pag. 631. In Bibl. Eccl. M. Colonienſi laudatum inuenio LIBRVM *de Spiritu S.* ex diuerſis Auguſtini Tractat. *ſuper Ioannem* collectum, qui prodiiſſe dicitur Baſileae 1578. Gr. lat. Ex his intelligere mihi videor, non alium indicari librum, quam *Leunclauii Legationem Manuelis Comneni ad Armenios*, cui aliquot capita de Trinitate ex Auguſtino gr., conuerſa ſunt inſerta. At ſi hunc voluit quem teſtem laudat *Lipenius in Bibl. Theol.* T. II. p. 783. fallitur ille quidem; nam iſta prorſus ibidem non leguntur. Neſcio vero, an huc forte pertineat *liber Auguſtini de Spiritu Sancto. Geneuae* 1540. 8. quem profert *Cat. Bibl. Bernenſ.* T. I. p. 15.

1670.

Paris chez Jean Bapt. Coignard. 12. Homelies de S. Auguſtin ſur la premiere epiſtre de S. Jean; traduction nouvelle.

1700.

Paris chez Jean Bapt. Coignard. 8. *IV. Voll.* Les traitez de S. Auguſtin ſur l'evangile du S. Jean et ſon epiſtre aux Parthes, traduits en François ſur l'edition des PP. Benedictins, avec des ſommaires à la marge, par *Philippe Goisbaud* DU BOIS.

(84) *De*

(84) *De Gratia Chriſti et peccato originali contra Pelagium et Caeleſtium.*

1687.

Moguntiae typis Petri Hermans. 8. Liber Diui Aur. Auguſtini, Hipp. Epiſc. contra Pelagium et Caeleſtium de Gratia Chriſti, Commentario breui et continuo illuſtratus a R. P. *Carolo Ioſepho* TRICASSINO, Ord. Fratr. Min. Capucin. S. Franciſci. Cf. *Act. Erud. Lipſ. Suppl.* T. I. p. 134.

Ad hunc Auguſtini librum ſpectat editoris liber, *Gratia efficax refutata ex libris S. Auguſtini*, per eundem typographum hoc ipſo anno excuſus, quem recenſent *Acta Erud.* vol. eod. p. 128-133. idque intendiſſe auctorem declarant, Pelagianos ab Auguſtino propterea haereſeos fuiſſe inſimulatos, quod nullam omnino Gratiam Dei admitterent in voluntate neceſſariam, non vero ob id, quod gratiam eam indifferentem, ſeu talem, cui voluntas humana ſeu obtemperare ſeu reſiſtere poſſet, ſtatuerent. Idem fere *Tricaſſinus* iam ante in libro *de natura peccati originalis, ſecundum mentem S. Auguſtini* etc. edito *Pariſiis* 1677. in 4. docuerat. Ceterum Auctor Colonienſis non *Moguntiae*, ſed *Trecis*, vnde oriundus erat *Tricaſſinus*, eum impreſſum exiſtimat.

1738.

Paris chez Franc. Babuty. 12. Les deux livres de St. Auguſtin de la grace de J. C. et du peché originel, traduits en François ſur l'edition des PP. Benedictins de la Congregation de S. Maur.

(93) *De Coniugiis Adulterinis libri II.*

1698.

Ienae per Ioa. Bielkium. 4. D. Aur. Auguſtini libri duo de adulterinis coniugiis ad Pollentium, cum

 notis

notis Iuriſconſulti celeberrimi, quibus dogma Eccleſiae de matrimonii diſſolutione illuſtratur.

Auctor notarum fertur IOANNES SCHILTERVS Anteceſſor quondam Argentoratenſis, ingenio aeque ac doctrina inter Iuriſconſultos eminens; edidit vero et praefatus eſt *Georgius Schubartus*, humaniorum literarum tunc temporis apud Ienenſes Profeſſor. Occaſionem libro cauſamque ſimul cur latere Schilterus voluit, dediſſe ferunt *Vlricum Obrechtum*, virum eleganti doctrina et multis editis ſcriptis tunc apud Argentoratenſes inſignem. Qui cum Argentorato vrbe in poteſtatem Ludouici XIV. redacta Ieſuitarum captionibus in caſtra Pontificia eſſet pellectus, idque deinde praemii tuliſſet, vt ſenatui Argentoratenſi praeſidis nomine a rege praeficeretur, morem in iudiciis receptum, matrimonia adulterii cauſa diſſoluendi, patrum iſtius ſocietatis placitis haud dubie obtemperans, aboleri fecit eiuſque rei gratia etiam hunc Auguſtini librum germanice vertiſſe traditur. Cf. *Morerius* in *Dictionario (ed. Amſt. in Suppl.)* Tametſi vero poſterius adſerere non auſim, arbitror tamen, Auguſtini ſententiam a cauſae huius patronis fuiſſe iactitatam, idque ipſum Schilterum impuliſſe non vt eludendam ſibi ſumeret, quod a tali viro exſpectari non poterat, ſed vt denuo ſub iudicium eandem reuocaret et ab omni parte perpenſam proponeret. Facile tamen temporum ratio ſuadere poterat, vt nomen inuidiae ſubtraheret. Liceat nunc breuem diſputationis eius conſpectum, quemadmodum a *Frid. Bened. Carpzouio* per examen huius libri in *Actis Erud. Lipſ.* 1698. p. 340. delineatus eſt, ſubiungere. „Primum, *inquit*, animaduertit Schilterus, controuerſiam eſſe duplicem: alteram *de iure diuortiorum*, quae Auguſtinus niſi ex cauſa adulterii negabat eſſe permiſſa; altera *de iure iterum nubendi*, quod

quod Auguſtinus viuente altera parte concedit nemini, ne quidem ex cauſa adulterii: niſi quod cap. VI. innuit, Chriſtianos tantum coniuges hoc praecepto teneri; vnde colligas, ab adultero non Chriſtiano diſcedenti nuptias ſecundas minus fuiſſe interdictas. Pollentium vero in priori quaeſtione labi docet notarum Auctor, abreptum Hebraeorum Romanorumque moribus ac legibus, quibus diuortiorum licentia inualuerat. In hac ergo parte triumphare Auguſtini facundiam et diſputandi ſubtilitatem, licet argumentis eius non id ſemper conficiatur, quod illis colligere velit. Sic locum illum Paulinum 1 Cor. VII. 10. 11. nec ab Auguſtino, nec a Pollentio recte capi et explicari obſeruat. Auguſtinum ex praeiudicata opinione mulierem, quae diſcedat a viro, accipere de ea, quae ob adulterium diuortat aut repudietur, atque adeo, vt Scholae loquuntur, petere principium. Pollentium contra, quae Apoſtolus in eam conditionem conferat, ſi fiant, pure accipere, ac ſi licite fieri poſſunt, atque adeo, quae *de facto* dicuntur, perperam *de iure* intelligere. In altera vero parte controuerſiae, qua de iure iterum nubendi, ſi factum eſt diuortium, quaeritur, Auguſtinum ſine cauſa ab apertis Chriſti verbis Matth. V. 32. diſcedere, eiſque vim inferre notat; cum ea, quae particulis exceptiuis regulae eximuntur, non in vim exceptionis, ſed exempli valere velit, inuito ſenſu communi, rectiſque interpretandi regulis, ad Grammaticae, Logicae, ſubiectaeque materiae principia reuocatis. Neque reliquas eius rationes ita eſſe comparatas, vt nos cogant, ad contortam interpretationem verborum perſpicuorum confugere, euoluto cuiuſque argumenti paralogiſmo demonſtrat. Haec fere ſunt, quae priori libro diſputantur et notantur. Altero libro eadem controuerſia diſcutitur, a Pollentio denuo et luculen-

tius expoſita, nouiſque rationibus munita, quibus Auguſtinus occurrit, ſuamque ſententiam tuetur et expolit. Doctiſſimus vero Schilterus et hic Auguſtinum *κατὰ πόδα* ſequitur, et quid ſit in controuerſia, cuius ponderis ſint rationes aut reſponſiones allatae, quae inter ſe conſentanea ſint aut diſſentanea, magno iudicio examinat: ſub finem ex Lib. 2. Retractat. cap. 57. obſeruans, in hac ſententia ipſum ſibi non ſatis fidere, nec ſatisfacere Auguſtinum." Hactenus Carpzouius. Reſtat, vt obſeruemus, rariſſime iam occurrere Schilterianam hanc opellam, quippe qua noſtra etiam Bibliotheca caret cuiuſque mentionem in Catalogis praecipuarum Bibliothecarum, praeterquam in Catalogo Bibl. Regiae Pariſienſis, fruſtra quaeſiuimus.

(98) *Contra ſecundam Iuliani reſponſionem,* operis imperfecti *libri VI.*

1617.

Lutetiae Pariſ. apud Sebaſt. Chappelet. 8. S. Aur. Auguſtini, Hipp. Ep. contra ſecundam Iuliani reſponſionem, operis imperfecti, libri duo priores. Nunc primum ex Manuſcriptis codicibus editi. Additus eſt et eiuſdem Auguſtini *de Geſtis Pelagii* liber ante paucos annos editus. Nunc primum in lucem editus cura *Cl.* Menardi, Iuliomagi Andium Propraetoris.

Paucas ſed ſelectae doctrinae notas editor haud inceleber adſperſit. Nuncupauit autem Archiepiſcopo Lugdunenſi Dionyſio de Marquemont ep. d. pridie Non. Aug. 1616. Extat eadem editio hoc ipſo anno ab iiſdem typographis in folio excuſa. Cf. *Cat. Bibl. Reg. Pariſ.*

1642.

1642.

Louanii apud Cornel. Coeneſtenium. 4. S. Aur. Auguſtini contra ſecundam Iuliani reſponſionem, operis imperfecti, libri duo priores, reſtituti a F. MICH. PALVDANO, Gandauen. O. Eremit. S. Auguſtini. *Praemittuntur iidem libri, quales a.* 1617. *Pariſiis editi fuere. Cat. Bibl. Caſanat.*

* *

Louanii apud Iacobum Gezers. 4. S. Aur. Auguſtini libri duo priores, operis imperfecti, contra Iuliani ſecundam reſponſionem: ex recenſione MICHAELIS PALVDANI. *Cat. Bibl. Reg. Pariſ.* In hac iteratione prioris editionis errata innumera ſola coniectura correcta eſſe ex Riueto monent Colonienſes.

1654.

Pariſiis ſumpt. Simeonis Piget. f. S. Auguſtini Epiſcopi Catholici contra Iulianum haereticum Pelagianum operis *perfecti* libri ſex; in *Suppl. Hieron. Vignerii.* T. II. p. 1 - 322.

Octo libris opus ſecundae reſponſionis Iuliani conſtabat. Eam vero Auguſtinus ſic refutare aggreſſus eſt, vt ſingulis libris librum apponeret. Sed morte praeuentus nonniſi ſex libros abſoluere potuit atque imperfecta adeo haec eius reſponſio manſit, vt Poſſidius etiam teſtatur. Ex his diu nonniſi *duo* habebantur editi per *Claud. Menardum* Pariſ. 1617. Enimuero a. 1654. *Hieronymus Vignier* ex Soc. I. *ſupplementis* ad editiones Auguſtinianas anteriores hoc anno editis clarus, non ſolum quatuor de nouo ex Codice MS. Abbatiae Claraeuallenſis eruit, ſed ſibi etiam perſuaſit et aliis perſuadere conatus eſt, integrum hiſce VI. libris Auguſtini opus a ſe exhiberi.

Argumentis vtebatur, *primo*, quod nullus a ſe inſpectus ſit Poſſidii codex, in quo vox iſta, *imperfectum*, extet; *ſecundo*, quod in MS. Claraeuallenſi ſexto demum libro vocula *explicit*, non item reliquis ſit addita, vnde colligit, finem totius operis eo indicari; *tertio* denique, id quod longe foret grauiſſimum, ſi probaſſet, ſextum librum ceteris eſſe longiorem atque tam Iuliani inuectiones, quam Auguſtini reſponſa ceteris prolixiora; quocirca concludit, probabile videri, ſexto hoc libro tres Iuliani ſimul eſſe collectos idque ex ipſius verbis finalibus adſtruere nititur, in quibus omnia ad generalem ex illatis concluſionem apprime conſpirent. Enimuero Benedictini Tomo X. P. II. omnia haec vana eſſe pronuntiant atque exemplis contrariis luculenter demonſtrarunt. Praemiſit editor diſputationem de Iuliano eiuſque in B. Auguſtinum ſcriptis et teſtimonia veterum, qui horum ſex librorum meminerunt et locos ex iis in ſuos commentarios retulerunt.

1736.

Paris chez Franc. Barbuty. 12. *II. Voll.* Les VI. livres de S. Auguſtin contre Julien, defenſeur de l'hereſie Pelagienne, traduits en François ſur l'edition des PP. Benedictins.

(99) *Enchiridion ad Laurentium.*

SAEC. XV.

Sine anno et loco. fol. min. S. Auguſtini Enchiridion. Conſtat foliis XXXIII. Exordium capit ab ipſo ſtatim prologo verbis: *Incipit liber enchiridion ſācti auguſtini de ſide, ſpe et caritate.* In fine textus folii XXXI. pagina auerſa: *Deo gracias.* dein poſt *capitulorum titu-*

titulos folio XXXII. incipientes, folio XXXIII. pagina prima: AMEN. Deſcribit hanc editionem antiquiſſimam ſane Cl. *Seemiller* faſc. I. p. 156. ſq. inter eos libros, de quorum typographis ne coniectura quidem experiri auſus eſt. Quod aetatem attinet, ante annum 1477. excuſam eſſe non dubitat literaſque, quibus expreſſa eſt, non fuſas, ſed ſculptas propter inaequabilitatem ſibi videri edixit, genus tamen earum declarare oblitus eſt. Vnicum ab eo interpunctionis ſignum, punctum nempe, atque id ipſum rariſſime obſeruatum. Deerant ſigna quaeuis paginarum foliorumue, nec non literae initiales, capita tamen numero romano diſtinguebantur. Lineas per paginam numerabat XXXIIII.

SAEC. XVI.

1527.

Auguſtae Vindelic. ſeu *Coloniae.* 8. S. Aur. Auguſtini Enchiridion de doctrina Chriſtiana ad Laurentium vrbis Romae primicerium, nec non libellus de eſſentia Diuinitatis eiuſdem. Laudat *Hendreich* in *Pand. Brandeb.* p. 341. ſed adeo negligenter locum, vbi impreſſa ſit, editio indicat, vt in medio relinquam, *Auguſtam* an *Coloniam* voluerit.

1552.

Coloniae ap. Petr. Horſt. 8. S. Aur. Auguſtini Enchiridion de fide, ſpe et charitate, accedit eiuſdem liber de fide et operibus. *Cat. Bibl. Thott.*

1575.

(Geneuae) apud Euſtath. Vignon. 8. D. Aur. Auguſtini Enchiridion ad Laurentium, ſiue ſumma et praecipua totius Chriſtianae religionis capita. | Liber vtiliſſimus iis omnibus, qui breuiſſimam Augu-

ſtinianae doctrinae epitomen ex ipſo Auguſtino, et quidem iam ſene, habere deſiderant, multis mendis et gloſſematis, quibus antea ſcatebat, ex veteri manuſcripto repurgatus et commentariis illuſtratus. Per Lamb. Danaevm. Acceſſit operi triplex index.

Diuinas plane Auguſtini Scriptorum virtutes *Lamb. Danaeus* in epiſtola dedicatoria ad Edzardum Friſiae orientalis principem praedicat, indeque progreſſus ad querelas de iniquo eorum paulo poſt auctoris ſui exceſſum fato, dum partim temporum iniuria perdita, partim hominum improborum malevolentia corrupta et interpolata fuerint, anſam capit operam ſuam vtcunque commendandi, quippe qua non ſolum verborum vulnera ſanaſſe, ſed Auguſtinum ipſum ſui teſtem et interpretem produxiſſe glorietur. De manuſcripto, quo ad emendandum textum vſus ſit, nihil amplius ab eo proditum eſt. Praemittuntur vero praeter dictam epiſtolam, *de methodo librorum Auguſtini et de eorum euoluendorum ratione diſputatio*, nec non *Prolegomena* ad librum iamiam editum, in quibus *de titulo*, *vtilitate*, *aetate operis* ac *de Laurentio*, *ad quem dirigitur*, praecepit. In Commentariis dogmata cum Auguſtiniana, tum Caluiniſtarum latiſſime explicantur, et quod iſta aetas in deliciis habere coeperat, contra diſſentientes ſtrenue defenduntur.

1579.

(Geneuae) apud Euſt. Vignon. 8. Idem liber, ſecunda editio aucta et ab ipſo auctore recognita.

1583.

Geneuae. fol. Eadem libri huius recenſio recuſa in *opuſculis theologicis Lamb. Danaei* pag. 729-896.

1597.

1597.

Ibidem. 8. Eadem recenſio. Laudante *Hendreichio* in *Pand. Brandeb.*

SAEC. XVII.

1604.

Witebergae. ſumpt. Pauli Helwichii typis Cratonianis. 8. D. Aur. Aug. Enchiridion ad Laurentium Vrbis Romae Primicerium, nec non libellus de Eſſentia Diuinitatis, qui inter opera Auguſtini extat tomo quarto: In gratiam ſtudioſorum Theologiae ſeorſim edita, cum praemiſſa ad illuſtres et generoſos Barones, Dom. Richardum et Dom. Iohannem a Tſchernemel, *de vera patrum lectione et lectionis vtilitate*, praefatione et dedicatione SALOMONIS GESNERI, *Theol. Witeb.*

1641.

Lugd. Bat. 12. Idem liber. Notat *Hendreich* in *Pand. Brandeb.* l. l.

1656.

Helmaeſt. 4. Idem liber. *Hendreich* in *Pand. Brandeb.* Sed in his omnibus adeo deſultorius eſt viri huius labor, vt quamuis prouidus metuam tamen, ne male eum intellexerim. Vereor, ne, quod hanc editionem attinet, in errore verſetur, diuerſa Auguſtini ſcripta, Enchiridion Doctrinae Chriſtianae cum libris IV. de Doctrina Chriſtiana, a. 1655. hac forma Helmaeſtadii editis, confundens.

1665.

Pariſ. apud Steph. Loyſon. . . Auguſtini Enchiridion ad Laurentium V. Romae primicerium. Ext. in *opere Spirituali* a pag. 129.

SAEC.

SAEC. XVIII.

1705.

Lipſiae. ſumpt. Ioh. Heinichii, Viduae, literis Io. Heinr. Richteri. 8. D. Aur. Aug. Enchiridion ad Laurentium Vrbis Romae Primicerium, in vſum ſtudioſae iuuentutis, cum praefatione *de ſtudio theologico D. Adami Rechenbergi* recuſum.

✠ ✠

VERSIONES. *Demetrium Cydonium* in *Graecam* linguam Enchiridion Auguſtini transtuliſſe tradunt, inquit *Poſſeuinus App. S. T. I. p.* 153. Sed vnde hanc notitiam hauſerit tacet. Edita certe haec verſio non eſt, et ſi extitit vnquam, in *Bibl. Vaticana* latere etiamnum debet *). Ex *Gallicis* duabus alteram COLLETETII iam ſupra, cum librorum *de doctrina chriſtiana* editiones recenſeremus, commemorauimus. Supereſt altera ANTONII ARNALDI, quae prodiit

1648.

Paris chez Anton Vitré. 8. Le livre de S. Auguſtin de la Foy, de l'Eſperance et de la Charité, traduit en François par ANTOINE ARNAULD, Docteur de Sorbonne, avec le Latin enſuite, reveu ſur VI. anciens MSS. Addit Hendreichius huius verſionis repetitiones annorum 1652 et 1656.

1681.

Kiöbenhav. 8. Idem liber *Danice*, overſ. af *Henr. Olafsen.* Cf. *Cat. Bibl. Thott.*

Per-

*) Hendreichius in *Pand. Brandeb.* p. 342. manuſcriptam Demetrii verſionem laudat adducto teſte *Hottingero* in *Bibliothecario* p. 372. Vbi tamen altum de ea ſilentium.

Pertinet ad hunc Auguſtini librum peculiariter opuſculum abſque auctoris nomine hoc titulo editum: *Theologia Moralis S. Auguſtini, in qua praeceptum de amore Dei plene pertractatur etc.* per *E. B. S. M. R. D.* de quo v. *M. Bibl. Eccl. Col.* p. 744.

(100) *De cura pro mortuis gerenda liber.*

1543.

Pariſiis ex officina Ioannis Palieri. 8. D. Auguſtini de cura pro mortuis gerenda, ad Paulinum liber vnus; item D. Chryſoſtomi Homilia, Latine, quod pro defunctis lugendum non eſt, ſed orandum. *Maitt. T. III. P. I. p.* 345.

Laudant *Germanicam* huius libri verſionem auctore *Vito Mileto, Moguntiae* 1604 et 1634. 12. Lipenius in *Bibl. Theol.* T. II. p. 329. T. I. p. 498. et ex eo Colonienſes, apud quos praeterea egregias quaſdam ſuper Auguſtini de mortuis et ſanctorum cultu ſententia obſeruationes ex doctorum Theologorum ſcriptis collectas h. l. inuenies.

(102) *Regula ad ſeruos Dei*, ſeu verius *Regula Sanctimonialibus ſcripta*, alias *Epiſtola CCXI vel CIX.*

Bernardus Vindingus et *Proſper Stellartius*, ambo ex familia Auguſtiniana, primi viderunt, *regulam ad ſeruos Dei* ex epiſtola laudata fuiſſe depromtam viriſque aptatam. Quo, quibus id factum ſit auctoribus, ignoratur. Sed mature admodum factum eſſe apparet. Obſeruant enim Benedictini, eam perantiquae Tarnatenſis regulae potiſſimam partem facere et laudari in Concordia regularum a Benedicto Aniano abbate et in Codice etiam Corbeienſi,

mille

mille annorum, viris accommodatam, et cum ea, quae inſcribitur *regula ſecunda*, in vnum corpus compactam exhiberi. Tenendum eſt autem, hac tranſmutatione priorem epiſtolae partem a verbis initialibus: *Sicut parata eſt ſeueritas* etc., vſque ad illa, *Sed potius lacrymas Petri paſtoris*, penitus eſſe abiectam: cuius loco pauca haec praemitti ſolent adſcititia: *Ante omnia Fratres cariſſimi, diligatur Deus, deinde proximus, quia iſta praecepta ſunt principaliter nobis data.* Atque hac forma ſaepius ſeparatim ab Operum collectionibus, ita, vt vel ſola adiectis nimirum *Hugonis de S. Victore* aut *Lairveltzii* commentariis volumen efficiat, vel cum aliis Ordinis Auguſtiniani Conſtitutionibus excuſa eſt. Sed cum latiſſime hic Ordo pateat, totque diuerſae eo nomine comprehendantur Congregationes, quarum omnium Conſtitutiones, quae plus minuſue hanc regulam reſpiciunt, ſaepius quidem ſunt impreſſae, ſed natura ſua paucorum manibus teruntur et fere deliteſcunt: intelligitur, quam lubricum ſit, accuratum aut plenum *editionum* huius *regulae* indicem contexere. Equidem oppido paucas ipſe vidi, nec quos, ceſſantibus illis, ſequi potuiſſem nobilium Bibliothecarum Scriptores ſatis fidos hac in re expertus ſum. Collegi tamen, quantum potui, atque hoc ſaltem aſſecutus mihi videor, vt, quod deſit, aut minus recte ſe habeat, ſi tanti putatur ab aliis ſuppleri aut corrigi facilius poſſit *).

SAEC.

*) Quae *cruce* notantur, eas ſolummodo in *Catalogo Bibl. Bodleianae* laudatas reperi, qui vt inter praeſtantiſſimos Bibliothecarum publicarum indices merito numeratur, ita haud raro bibliothecariorum vſibus magis, quam communi vtilitati eſt accommodatus libroſque, quibus aliqui tractatus inſerti

SAEC. XV.

1481.

Romae. fol. Regula S. Auguſtini cum Commentario *Ambroſii Coriolani.* *Orlandi* pag. 284 et 316.

1490.

Argentinae per Martinum Schott. fol. Canones *Aurelii Auguſtini iuxta triplicem quam edidit regulam omni ſtatui modum viuendi praeſtantes.* (Haec litteris maiuſculis, ſequentia minoribus tituli inſtar in prima pagina;)

Prelati. regendi copiam nanciſcuntur
Hic *Subditi. ſuis curatis obſequendi debitum preſtare docentur.*
Mores accipiunt xp̄i fideles vniuerſi.

Ad calcem: *Opus canonum Aurelii Auguſtini. cum noua ac preclara interpretatione* Ambroſii Choriolani *viri preſtantiſſimi. generalis magiſtri totius ordinis heremitarum diui Auguſtini per ſpectabiles viros* Tilmannum limperger. *ordinis heremitarum ſancti Auguſtini fratrem.* Iacobum fedderer. Iohannem ſcherrer. *artium liberalium profeſſores et ſacre theologie bachalarios formatos exquiſitiſſime caſtigatum atque reuiſum eſt. Impreſſumque* Argentine

ferti ſunt, non verbis indicat, ſed vbi in forulis reperiantur, ſignis declarat. Ceterum neſcio etiam, an omnes Ordinis Auguſtiniani Conſtitutionum editiones *regulam* hanc a limine praeferant. Alias numerus earum ex Lipenio (*Bibl. Theol.* T. I. pag. 118. ſqq.) Hendreichio (*Pand. Brandeb.* pag. 343.) et Catalogo Bibliothecae Caſanatenſis (v. *Conſtitutiones*) facile augeri poſſet.

gentine *arte et impenſis ſolertiſſimi viri* Martini ſchott. *Anno ſalutis*. M.CCCCXC.

His omnibus denique ſubiecta ſunt *monimenta ad lectorem* ſex diſtichis conſtantia ſubſignataque literis: *F. D. L.* Ab initio occurrit *Tilmanni Limperger* praefatio ad *Nicholaum Frieſs*, theologum Auguſtinianum, epiſcopum tripolitanum. Deinde a folio inde primo vſque ad octauum praemittuntur *Vita Auguſtini per Coriolanum*, et *commendatio regulae eiuſdem.* Tandem folio IX. incipiunt *Commentarii ſuper regula Diui Auguſtini* - *editi ab Ambroſio Coriolano — per modum Dialogi;* continuantur vero vſque ad folii CXVIII. finem. Dehinc ſeparatim folio CXX. vſque ad finem fol. CXXXIII. excuſi ſunt *Commentarii Ambroſii Choriolani in primam regulam ſancti Auguſtini* cum tribus eius in laudes et doctrinas quaſdam huius doctoris orationibus. Praefatio, quae huic parti fol. CXIX. pag. altera praemittitur *Oliuerii Seruii Tholentinatis* ad *Guillermum de Eſtouteuilla Epiſcopum Oſtienſem et Cardinalem*, in qua ſe primum haec foras mittere ſcribit, ad aliam, quae hanc praeceſſerit, Editionem ſpectare videtur. Ceterum ſedulo cautum eſt a typographis, ne vacuas paginas admitterent; quocirca paſſim, veluti fol. VIII. pagina altera, nec non eadem pagina tituli, item prima fol. CXIX. Auguſtini effigiem ligno impreſſam videbis. Conferri etiam de hoc opere poterit *Braun Not. H. Lit.* T. II. pag. 195.

1500.

Venetiis impenſis Giuntae, arte Iohannis de Spira. 4. S. Auguſtini Regula vna cum Vita eius; inter *Regulas quatuor primum approbatas*, de quibus ad *Benedictum* dicetur, ſimulque hanc editionem latius deſcriptam dabimus.

Saec.

SAEC. XVI.

1516.

Lugduni. 8. (†) S. Auguſtini Regula.

[1517.]

Sine loco et typographo. 8. B. Auguſtini epiſcopi regula. *Extat* in *Conſtitutionibus* fratrum Heremitarum ſancti Auguſtini ad Apoſtolicorum priuilegiorum formam pro reformatione Alemanniae.

Praemittitur *ad omnes ordinis fratrum Heremitarum S. Auguſtini per Alemanniam Conuentus adhortatio* Iohannis de Staupitz, *Prioris Generalis ad negotium dictae reformationis tunc Vicarii*, ſignata a. 1517.

1526.

Pariſiis. . . . . *Hugonis a S. Victore* in Regulam D. Auguſtini expoſitio, edita in prima integra *Operum eiuſdem* collectione h. a. facta. Num ipſa quoque *regula* vna expreſſa ſit, ignoro. Hugonis vero Commentarius poſtea pariter recuſus eſt in editione *Veneta (apud Io. Bapt. Somaſcum)* 1588. et Colonienſi 1617. nec non nouiſſima, quam ſingulatim indicabimus.

1550.

Venetiis. 4. S. Auguſtini Regula ad Seruos Dei, *ſeu verius* Regula Sanctimonialibus praeſcripta: *cui praemittitur* Regulae Clericis traditae fragmentum cum Regula ſecunda (ſuppoſititia). *Ext.* inter quatuor primum approbatas Regulas collectore *Io. Franciſco Brixiano*, Congreg. S. Iuſtinae O. S. Benedicti; — *circa finem.*

1561.

Venetiis per Bernardinum Faſianum ſumptibus Canonicorum Regularium Lateranenſium. Menſe

 Aprili.

Aprili. 4. S. Auguſtini Regula, cum expoſitione *Hugonis de S. Victore. Latine* et *Italice. Cat. Bibl. Pinell.* cf *Fabric.* in *Bibl. M. et Inf. Lat.* ed. Manſi T. III. pag. 301.

1575.

Coloniae Agripp. 8. S. Auguſtini Regula et Conſtitutiones fratrum Ord. Praedicatorum. *Cat. Bibl. Bodl.* cui addatur *Hendreich* in *Pand. Brandeb.*

1581.

Dilingae. 4. S. Auguſtini Regula cum Commentario *Hugonis a S. Victore. Lipen. Bibl. Th. T. I. p.* 119.

1582.

Venetiis (†) S. Auguſtini Regula.

1585.

Mantuae. 4. Regula S. Auguſtini et Conſtitutiones Eremitarum Congregationis Obſeruantiae Longobardicae. Laudat *Greg. Rimius* Puritanus (i. e. *Ge. Burch. Lauterbachius*) in *Hiſtoria Monaſtica Occidentis T. I. pag.* 45.

SAEC. XVII.

1601.

Venetiis. . . . . S. Auguſtini Regula, cum Comment. Hugonis. Teſte *Lipenio.*

1605.

Comi apud Hieron. Froirae. 8. Eadem cum Expoſitione Hugonis a S. Victore. *Poſſeuin.*

1614.

Coloniae Agrippinae. 8. Eadem cum Commentario ſeu *Optica Regularium Siruatii de Lauruelz.*

1617.

1736.

Gandaui. 8. S. Auguſtini Regula et Conſtitutiones fratrum Ord. Praedicatorum. *Hendreicn.*

1618.

Coloniae Agrippinae. 8. Eadem cum *Comment. Lairueltzii*, laudante *Lipenio* T. II. pag. 647.

1620.

Barcinonae. 8. S. Auguſtini Regula et Conſtitutiones Fratrum Praedicatorum. *Cat. Bibl. S. Aug. ad Nidum Neapoli.*

1625.

Pariſiis apud Seb. Chappelet via Iacobaea ſub ſigno Roſarii. 8. Regula S. Auguſtini Epiſcopi et Conſtitutiones FF. et ſororum Ord. Praedicatorum. Cum declarationibus ex Actis Capitulorum Generalium etc. etc.

* *

Ingolſtadii. (†) S. Auguſtini Regula.

* *

Romae. . . . . S. Auguſtini Regula cum expoſitione Hugonis a S. Victore. *Fabric. Bibl. M. et I. L.* l. l.

1648.

Rotomagi. fol. Hugonis a S. Victore Expoſitio in Regulam Auguſtini in *Operibus* eiuſdem T. II. p. 5.

1660.

Monachii. 12. Auguſtini Regula: Acceſſerunt Conſtitutiones Canonicorum Regularium eiuſdem S. Auguſtini Congregationis Gallicanae Anno 1638. *Lipen.* T. I. p. 118.

1661.

Romae. 4. S. Aur. Auguſtini, Hipp. Ep. Epiſtola CIX. Regulam Sanctimonialibus praeſcriptam continens. *Ext.* in *Codice Regularum* L. HOLSTENII, *parte* IIIa (in qua SS. PP. regulae ad Virgines) a pag. Ia.

1663.

Pariſiis apud Ludov. Billaine. 4. Eadem Epiſtola; *Ibidem* in eadem Collectione Regularum hic recuſa.

SAEC. XVIII.

1759.

Auguſtae Vindelicorum. fol. S. Aur. Auguſtini Hipponenſis Epiſtola CIX. Regulam Sanctimonialibus ſcriptam continens; in *P. III. Cod. Regular. Holſtenii* ed. denuo a *P. Mariano Brokie.* T. I. pag. 347. ſqq.

VERSIONES. Harum indicem ad annorum ſeriem componere viſum eſt, quam iuxta *Anglica* primas tenet, ſequuntur proxime *Hiſpanicae* et *Italicae*, vltimumque locum *Gallicae* tenent.

1525.

London. 4. The Expoſicyon of Saynt Auguſtynes Rule after the great Clerke and holy Saynt, Saynt Hugh, called de Sancto Victore, by the Wretche of Syon *Rycharde Whytforde: Imprynted at London in Fleteſtrate by me Wynkyn de Worde* M.CCCCC.XXV. the XXVIII. of November. *Maittaire.*

1600.

1600.

Cordoba. . . . La Regla de San Agoſtino declarada por *Iuan de Montoya* (Matritenſi Dominicano).

1613.

Firenze per Bartolommeo Sermartelli. 4. Regola di S. Agoſtino. Aliam antiquiorem translationem adiuncto textu latino ad a. 1561. notauimus.

1635.

Viterbo. 8. S. Agoſtino Coſtituzioni delle Monache di penitenza. *Cat. Bibl. S. Angeli ad Nidum Neap.*

1654.

Venezia per il Giolito. 4. La Regola di S. Agoſtino Veſcovo, e Dottore di S. Chieſa Cattolica, poſta nel libro dell' Epiſtole nell' Epiſtola CIX., tradotta di latino in lingua volgare fedelmente da *Bernardino Scardeone*, Canonico di Padova, inſieme coll' eſpoſizione di Ugone di S. Vittore.

1687.

Brescia per il Rizzardi. 4. Regola data dal P. S. Agoſtino alle Monache; e qui per maggior loro iſtruzione, e profitto ſpirituale dal P. Maeſtro Fra Paolo Richiedei de' Predicatori volgarizzata, ed eſpoſta.

1691.

Paris chez Guillaume Desprez. 12. La Regle de ſaint Auguſtin expliquée par le venerable Docteur Hugues de ſaint Victor.

Auctor fuit *Io. de la Grange*, Canon. Reg et Subprior eiuſdem Abbatiae de S. Victore, cui nomen Hugo ille debet. Regulam ipſam iuxta Benedictinorum

norum recenſionem interpretatus eſt. In praefatione vberius diſſerit ſuper pauca illa verba, quae in mutata regula Auguſtiniana aſſuta eſſe ſupra monuimus, quaeque a Hugone nondum lecta fuiſſe docet. Cf. *Journal des Sçav.* pour l'année 1691. (Amſt. 1692. 8.) pag. 353 et 56.

* *

Proſperi Stellartii (Prioris Coenobii Tornacenſis † 1626.) Nucleus hiſtoricus Regulae S. Auguſtini. *Tornaci apud Guil a Tongris.* 1618. 8.

Discorſi clauſtrali ſopra la Regola del gran Padre S. Agoſtino, recitati a' ſuoi Religioſi dal Padre *Proſpero da San Giuſeppe* (Vicario Gen. Auguſtinianorum Diſcalceatorum). *Bibl. M. Eccl. Col.*

(103) *De Gratia et libero Arbitrio.*

1563.

Fiorenza a iſtanza di Giorgio Mareſotti per Bartolomeo Sermartelli. 12. Libro della grazia e del libero arbitrio di S Agoſtino Veſcovo d'Ippona a Valentino e Monaci che eran con lui; tradotto da *Lodovico Domenichi.* *Bibl. degli Aut. volg.*

(105) *Retractationum libri II.*

Nonniſi vnicam horum librorum editionem ſeorſim factam hucuſque comperi *Lugduni apud Frellonios* 1536. 8. quam ex Geſnerianis Pandectis laudat *Maettarius* T. II. P. II. pag. 836.

Germanice eos vertit et annotationibus neceſſariis inſtruxit *Chriſt. Frid. Roesler* in *Tomo V. der Bibliotheck der Kirchenvaeter* (Leipz. 1785.) pagg. 237 - 416.

(106) *De*

(106) *De Haereſibus.*

1576.

Geneuae apud *Euſtathium Vignon.* 8. D. Aur. Auguſtini, Hipp. Ep. liber de haereſibus, ad Quodvultdeum. LAMBERTI DANAEI opera emendatus et commentariis illuſtratus, a quo eodem additae ſunt haereſes ab orbe condito ad conſtitutum Papiſmum et Mohametiſmum, etiam eae, quae hic erant ab Auguſtino praetermiſſae. Acceſſit operi quadruplex index, vt non modo Chronologiae haereſeon ratio, ſed etiam, quae ex illis vtilitas percipi poſſit, intelligeretur, et a quibus in vnoquoque Decalogi praecepto, Symboli apoſtolici articulo, item diſputatione de Sacramentis ſit erratum. In calce operis addita eſt arbor haereſeon, ex qua quomodo aliae ex aliis natae ſint et propagatae, et vt ſaepe vna quaedam hydra plura capita produxerit, perſpicue docetur. Per eundem *L. Danaeum.* Additus eſt praeterea tractatus de eccleſia, vbi, quibus ſenſim gradibus illa tandem in Papiſticam tyrannidem inciderit, oſtenditur.

Digna eſt aeuo iſto et imprimis huius eximii haereſeon genealogiſtae ingenio epiſtola ad Senatum Geneuenſem ab eo ſcripta, qua ſortem ſibi gratulatur diuinitus conceſſam, quod in ea ciuitate viuere contigerit, quam nulli gloria in exſtirpandis igne ferroque haereſium auctoribus ſecundam cenſeri oporteat, atque laetabundus ſupplicia a haereticis Geneuae ſumta recenſet.

1578.

Ibidem apud eundem. 8. Eadem plane editio. *Cat. Bibl. Thott.*

1583.

Geneuae. fol. Idem liber in *Opuſculis Theologicis Lamb. Danaei. pagg.* 897 - 1048.

1595.

Geneuae. 8. Idem liber cum iiſdem commentariis. *Cat. Bibl. Bodl.*

1621.

Helmaeſtadii typis haeredum Iacobi Leui. 4. D. Aur. Auguſtini liber de haereſibus ad Quoduultdeum. Item S. Philaſtrii eius coaetanei Catalogus haereſium paene omnium, quae a condito mundo ad illud vſque Saeculum notae fuerunt. Acceſſit vtriuſque ſcripti ſupplementum et index genuinus: vnus chronologicus, alter alphabeticus.

1631.

Oxoniae. 8. S. Auguſtini liber de Haereſibus. *Cat. Bibl. Bodl.*

1673.

Helmaeſtadii ap. Io. et Frid. Lüderwald. 4. Idem liber cum commentariis et ſupplementis Lamb. Danaei, cura *Gebhardi Theodori* Meieri. Vid. *Cat. Bunav.*

1687.

Cantabrigiae. 12. (8.) Idem liber *cum* Vincentii Lirinenſis Commentario pagg. 169 - 269. *Cat. Bunav.* Addit Cat. Bibl. Bodleianae: *cum notis Baluzii.*

1721.

Oxonii e theatro Sheldoniano. 8. D. Aur. Auguſtini, Hipp. Ep. Liber de haereſibus ad Quoduultdeum, vna cum Gennadii Maſſilienſis appendice. Edidit notiſque illuſtrauit *Eduardus* Welch-

mann,

MANN, *Eccl. Anglic. Presb. Coll. Merton quondam ſocius.*

Notae ſunt aptae, ſed doctis nequaquam ſcriptae.

Commentarii Hiſtorico - Dogmatici in librum S. Auguſtini de Haereſibus ad Quoduultdeum. Digeſti atque illuſtrati labore et ſtudio P. LAVRENTII COZZA a S. LAVRENTIO, *Ord. Min. Reg. Obſeruantiae Lectoris Iubilati, eiuſd. Ord. Scriptoris, in Romana Prouincia Miniſtri Prouincialis, Dioeceſis Viterbienſis Examinatoris Synodalis, Sacrae Congregationis Indicis Conſultoris.* Oblati Eminentiſſ. et Reuerendiſſ. S. R. E. Cardinalibus, *eiuſdem S. Congregationis indicis.*

Opus omnigena eruditione refertum. Vtile Theologis, Philoſophis, Scriptoribus, Hiſtoricis, Concionatoribus, Confeſſariis, curam animorum habentibus, humanarum diuinarumque Litterarum atque rerum Eccleſiaſticarum ſtudioſis. *Pars prima continens haereſes XII. a Simone Mago vſque ad Marcionem.* Adiecta ad calcem cuiuſcunque haereſis Collatione eiuſdem cum recentiorum Euangelicorum haereſibus. *Romae* 1707. *typis Ge. Plachi, ſumptibus Val. Fregianti.* (5 Alph. 7 Plagg. et Praef. plagg. 6.)

Auguſtini verba velut *rari nantes in gurgite vaſto* apparent. Potiorem voluminis partem collatio in titulo praedicata occupat. Ceterum ignoro, vtrum pius viri ardor morte ſit exſtinctus, an vero bibliopola iuuenilem iubilati ſcriptoris impetum repreſſerit. Cf. *Mem. de Trevoux Juin* 1707. pagg. 1110, et *Acta Erud. Lipſ.* 1708. *Nov.* p. 489.

(110. 111) *De Praedeſtinatione Sanctorum Libri II. quorum alter inſcribi ſolet de Dono Perſeuerantiae.*

Cf. *de Gratia et libero Arbitrio n.* 103. item *Opuſcula ſelecta.*

1711.

Pariſiis apud Guil. Desprez. fol. S. Auguſtini de Praedeſtinatione et de Dono perſeuerantiae libri. Ext. in *Opp. S. Proſperi* a p. 23.

✲ ✲

VERSIONES. *Italicae.*

1537.

Brescia per Lodovico Britannico. 4. Della Predeſtinazione de' SS. e del bene della Perſeveranza; absque nomine traductoris.

1544.

Venezia al ſegno del Pozzo. 16. Del bene della Perſeveranza, tradotto da *Lodovico Domenichi.*

1547.

Venezia per Comin da Trino. 8. Libro del bene della Perſeveranza compoſto dal B. Agoſtino Vescovo Ipponenſe, di latino in volgare novamente tradotto. Eſt verſio ſuperior, quicquid titulus venditet; id quod etiam de ſequenti valet.

✲ ✲

Ibidem. 8. Il libro del B. Agoſtino V. I. della Predeſtinazione de' Santi, di latino in volgare novamente tradotto. Laudantur iſtae verſionum editiones in *Bibl. degli Aut. volg.* Inſerta in *Racc. d' Opuſc. ſc. e filol.* T. XXXII. p. 349. Ei vero potiſſimum Fontaninus auctor fuit.

Galli-

✤ ✤

Gallicam vtriuſque libri, editam *Lugduni* 1616. commemorant Colonienſes. Notior eſt, quae, longo abhinc ſpatio, prodiit auctore *Dubois*, vt proditum eſt in Bibl. Eccl. Colonienſi (p. 746.) Sed aliam indigitat Catalogus Bibl. Reg. Pariſienſis hoc titulo:

1676.

Paris chez Guil. Desprez. 12. Les deux livres de S. Auguſtin, de la predeſtination des ſaints et du don de la perſeverance avec les lettres 105. 106 et 107. de ce ſaint Docteur; le tout traduit en François par JEAN SEGUI. Ephemerides Pariſ. *(Journ. des Sçav.* 4.) h. a. num. XIV. pag. 92. de auctore omnino tacent.

1715.

Paris chez Jacq. Eſtienne. 12. Les deux livres de S. Auguſtin, de la predeſtination des Saints et du don de la perſeverance, avec les lettres 105. 106 et 107. du même ſaint; le tout traduit en François.

✤ ✤

S. Auguſtini ſententia de Praedeſtinatione et Perſeuerantia excerpta, cum Scholiis GEORGII CASSANDRI *Belgae.* Pariſiis 1616. Eadem *anglice* per *I. Scory.* 8. *Lipen. Bibl. Th.* T. I. p. 525.

(113) *Speculum ex vtroque Teſtamento.*

Diuerſi ſub hoc nomine editi extant libri, qui vtique ab editoribus ſuis Auguſtino vindicantur, vnus, qui in omnibus hactenus operum Auguſtini editionibus vulgatus proſtat, et in nouiſſima Benedictinorum Antuerpiae recuſa recenſetur, Tomo III. a pag. 507-612. iuxta ſeriem librorum V. et N. T. compoſitus, alter, qui ab *Hieronymo Vignier* in ſupplem. T. I.

a pag.

a pag. 515 - 545. ex Autographo Bibliorum MSS. *Theodulphi Aurelianenſis* Epiſcopi, qui circa a. 820. obiit, eſt prolatus, in quo ad capitula certa moralia Bibliorum ſententiae referuntur, abſque praefatione. Hunc plane ſpurium cenſent Benedictini, quod et minus cum *Poſſidii* verbis et cum praefatione Auguſtini exemplari a ſe edito praefixa conueniat, Praefationem autem iſtam nemo non Auguſtinianum calamum ſapere profiteatur. Nec vero aſſenſum eis quemquam in hoc negaſſe comperio, niſi quod textus biblicos concernit, qui non ex antiqua, qua procul dubio Auguſtinus vtebatur, ſed ex Hieronymiana ſeu vulgata verſione ſunt deſcripti. Auguſtini manum a ſciolo aliquo monacho temeratam eſſe, non improbabiliter viri aliqui doctiſſimi, refragantibus tamen Benedictinis, contendunt *).

1679.

Romae apud Ioſephum Vanuccium. 8. D. Aur. Auguſtini ſpeculum, vt in eo, quam obediens Deo, inobediensque ſit, facilius quiſque agnoſcat, hac minori forma primum editum. Acceſſit eiuſdem Doctoris Pſalterium, quod matri ſuae compoſuit. Edidit et praefatus eſt tacito tamen nomine *Ioſephus Maria* TOMMASI ſ. THOMASIVS, *Alicatenſis in Sicilia Clericus Regularis*, idem qui poſtea (Romae 1709 - 12. III. Voll. 8.) titulo *Theologicorum antiquiorum Patrum* ſelecta Graecorum et Latinorum opuſcula euulgauit **).

(114) *Enar-*

*) Cf. *Caueus, Dupinius* et *Rich. Simon* in *Crit. Bibl. Eccl.* T. I. p. 143.

**) Purpura a. 1712. a Clemente XI. donatus obiit 1713.

(114) *Enarrationes in Pſalmos Dauidis CL.*

1489.

Baſileae per Ioa. de Amerbach. fol. Aurelii Auguſtini prima, ſecunda ac tertia Quinquagena. In fine tertiae: *Poſt exactam diligentemque emendationem* (auctore deo) *perfectum eſt inſigne atque praeclarum hoc opus explanationis Pſalmorum: diui ac magni doctoris Auguſtini. opus re vera maiori commendatione ſe dignum exhibens legentibus: quam quibusuis verbis explicari poſſit: vt et in praefatione et prologo ipſius euidenter colligi poteſt. Quanto vero ſtudio et accuratione caſtigatum: emendatum et ordinatum ſit: hi iudicent, qui illud alii ſimilibus ſibi: ſiue manu ſcriptis: ſiue aere impreſſis literis contulerint. Conſummatum Baſileae per magiſtrum Ioannem de Amerbach. Anno dñi M.CCCC.LXXXIX.* Impreſſum eſt charactere gothico in duabus columnis. Adſunt ſignaturae, literae initiales paruae et paginarum tituli, non item cuſtodes et foliorum numeri. In prima folii primi pagina charactere gothico magno impreſſum: *Aur. Auguſtini Prima Quinquagena.* Praecedit index rerum alphabeticus XIV foliis. Exempla huius ed. extant in Bibl. Bodleiana et Acad. Ingolſtadienſis Cf. *Seemiller* faſc. III. p. 164. adde *Braunium* l. l. T. II. p. 181.

1493.

Venetiis per Bernardin. Benalium. fol. Auguſtinus in Pſalmos. *Orlandi* p. 284.

✻ ✻

Baſileae per Io. Amerbachium. f. Auguſtini opus in Pſalmos. *Maitt. T. I. P. II. p.* 563.

1494.

Ibidem. fol. Auguſtinus in Pſalmos. *Eodem teſte* l. l.

1495.

Ibidem per eundem. fol. Idem opus.

1497.

Baſileae per Io. de Amerbach. f. Idem opus. *Conſummatum anno dñi* M.CCCC.XCVII. Sed loco exilis, quem in priori editione notauimus, indicis ſeorſim hic adiecta eſt *principalium ſententiarum annotatio*, quae ſola in volumen modicae magnitudinis excreuit. Eius exemplar memoratur quoque inter rariora Bibl. Reg. Budenſis.

1519.

Lugduni. fol. B. Auguſtinus in Pſalmos. Laudatur a *Hendreichio* in *Pand. Brandeb.* p. 342. aſſeruatur in Bibl. monaſterii Ord. Eremit. S. Auguſtini Monachii teſte *Oſſingero* in *Bibl. Auguſtin.* pag. 11.

1529.

Baſileae. f. Idem liber, commemorante *Hendreichio.* Sed haud dubie pertinet ad editionem primam Operum omnium ex recenſione Eraſmi. Apud eundem ſolum laudatas inuenio ſequentes editiones: 1543 et 1555. *Pariſiis;* 1555. *Lugduni;* 1556. *Baſileae;* 1561. 1562. 1563. *Lugduni:* haud grauiori fide.

1569.

Baſileae per Frobenium. fol. Auguſtinus in Pſalmos. Sic quidem extat in *Georgii allg. Europ. Bücherlex.* Suppl. I. p. 21. Sed perperam omnino, ſi de ſingulari deſcriptione intelligendum ſit: non item

ſi

ſi inter Opera quaeras. *Geneuenſem* eiuſdem anni editionem notat *Hendreich.* Vereor autem, ne in anni indicio errauerit. Extat enim ed. Operum Auguſtini Geneuae 1596. non 1569. facta, ad quam haec fortaſſis referenda eſt.

1570.

Venetiis. fol. Idem Opus. *Hendreich.* Qui ed. Venet. Operum omn. h. a. nouerit, intelliget, quantum in eo veri ſit.

1571.

Lugduni apud Seb. Honoratum. 8. II. Voll. Auguſtini Enarrationes in Pſalmos. Laudant *Hendreich* et *Colonienſes.* Tu vide, quae ſupra in *Annalibus edd. Operum omnium* ad h. a. notauimus. Similiter autem ſe habet cum ed. *Pariſienſi*, quam ibidem notat.

1576. 1577 et 1579.

Antuerpiae. . . . . Auguſtini Enarrationes in Pſalmos. Sponſore *Hendreichio.* Neſcio vero pluresne tomos diuerſis annis editos, an diuerſas editiones totius operis indicare voluerit. Illud autem ſcio, non ſeorſim, ſed cum Operibus a Louanienſibus editis hanc exſtare. Vnus idem profert editiones, *Venetam* 1584; et *Pariſienſem* 1586. de quibus idem valet. Sed Lugdunenſis ed. 1586. quae ſit, non contendam.

1653.

Rothomagi typis Dav. et Petri Geoffroy. 8. Tomis III. Auguſtini Enarrationes in Pſalmos cum praefatione recentioris cuiuſdam (inſerta etiam ed. Benedictinorum.)

1662.

1662.

Antuerpiae. fol. Idem opus cum indice concionatorio. *Hendreich.* in *Pand. Brandeb.* l. l. *Colonienſes.*

1680.

Antuerpiae. . . . . Idem opus curante *Iacobo Willemant*, Eremita Auguſtiniano.

Versiones.

1521.

Hagenau bei Thom. Anſſhelm. 4. S. Auguſtins Auslegung über den 126. Pſalm, durch Georg *Spalatinum* verteutſcht.

Eundem Pſalmum *italice* conuerſum extare monet *Hendreich*, qui in notandis variis horum commentariorum verſionibus ſatis eſt confuſus.

1683.

Paris chez Pierre le Petit. 8. *VII. Voll.* Sermons de S. Auguſtin ſur les Pſeaumes, traduits en François par *Antoine Arnauld.* Tom. I - VII. *Cat. Bunav.* et *Bibl. Reg. Pariſ.*

* *

Recueil des conſolations et inſtructions ſalutaires de l'ame fidele, extrait du livre de St. Auguſtin par les Pſalmes par *Jacques de Billy. Paris chez Claude.*

Inſtructions Chretiennes par les Pſeaumes. *Bruxel.* 1662. 8.

Regles de S. Auguſtin pour l'intelligence des Pſeaumes: *Paris* et *Bruxel.* 1685. 12.

(115) *Epiſtolae.*

Variae Auguſtini epiſtolae paſſim editae ſunt cum aliorum Patrum, veluti *Hieronymi*, *Paulini*, *Proſperi*

Proſperi Aquitani etc. operibus, quibus indicandis hoc loco ſuperſedere lubet, dum nonniſi collectiones omnium pluriumue, vel ſicubi ſeorſim ſingulae editae ſint, enumerare inſtituerimus, quarum elenchus eſt ſequens.

SAEC. XV.

1493.

Baſileae per Ioh. Amerbach. fol. Liber Epiſtolarum beati Auguſtini epiſc. Hipponenſis eccleſie. In fine: *D. Aur. Auguſtini H. Ep. liber epiſt. vigilanti accuratiſſimo ſtudio emendatarum et impreſſarum: Argumentorum quoque nouorum praenotatione ſuccincte et dilucide expoſitarum: atque opera Magiſtri Iohannis de Amerbach ciuis Baſilien. perfectarum: Anno dn̄i* etc: XCIII. *Foeliciter explicit.*

Character romanus eſt praeterquam in titulo, qui more Amerbachii gothicis literis exaratus eſt. Epiſtolas continet CCVI. Praecedit VII. foliis breuis annotatio ſingularum epiſtolarum, initia, materiam atque ordinem exponens. Poſt ſubſcriptionem index ſententiarum et materiarum copioſiſſimus ſuccedit. Eandem in Bibl. Ratisbonenſi notauit *Gemeiner* p. 213. nec non in Lubecenſi *Geſsner* p. 56. In *Catalogo Bibl. Bernenſis T. I. p.* 15. laudatur Epiſtolarum editio Amerbachiana de anno 1483.

1494.

Baſileae ap. Ioh. de Amerbach. fol. Idem liber. Extat in Bibliotheca Lubecenſi. Cf. *Geſsner* p. 58.

* *

Venetiis per Bernardinum Benalium. 4. Idem liber. *Cat. Bibl. Pinell. T. I. p.* 92.

Sine anno

loco et typographo. fol. magno. S. Auguſtini Epiſc. liber Epiſtolarum.

Editio princeps Epiſtolarum Auguſtini a Cl. *Braunio* primum detecta et deſcripta in *Notitia Hiſt. Litt.* (1788.) pag. 11. Volumen eſt foliorum CCLXIII. impreſſum charactere maiuſculo duabus columnis in charta munda et firma. Columna quaeuis lineas L. continet; deſunt ſigna quaeuis paginarum foliorumve, nec non litterae initiales. Interpunctiones habet, punctum, colon et interrogandi ſignum. Ab initio: *Liber Epiſtolarum Sancti Auguſtini. Incipit feliciter;* terminatur vero abſque vlla ſubſcriptione pagina vltima, in columna prima, epiſtola ad Aſellicum. Epiſtolae, quae partim ipſius Auguſtini ſunt, partim aliorum ad ipſum, numerantur CXCVII, in quibus etiam illae *Africanorum Epiſcoporum ad Innocentium I.* huiuſque ad illos leguntur.

Saec. XVI et XVII.

1541.

Bononiae ( ) S. Auguſtini Epiſtola decima ad Xyſtum presbyterum de Gratia Dei. *Hendreich* in *Pand. Brandeb. p.* 342.

1604.

Moguntiae apud Balthaſ. Lippium. 4. S. Auguſtini Epiſtola de S. Martyribus et de Inimicis diligendis cum notis *Gerardi Voſſii.*

Lipen. in *Bibl. Th.* T. II. pag. 254. quaſi ſeorſim editam laudat. Enimuero inſerta eſt *operibus Gregorii Thaumaturgi* (Neocaeſarienſis Epiſc.) ab eodem Voſſio vna cum aliis Patrum opuſculis editis p. 228. Erat vero Voſſius ille Praepoſitus Eccleſiae Tungrenſis,

ſis, qui plura id generis ſcripta tunc emiſit, deinque obiit a. 1609. Vid. *Foppens Bibl. Belg. T. I.* pagg. 362. 63.

1638.

Flexiae. (La Fleche) 4. S. Aur. Auguſtini Epiſtolarum ſelectarum libri III. Recenſuit primum, argumentis vberioribus explicauit, atque obſeruationibus illuſtrauit *Rolandus Phigerius*, Soc. Ieſu, Armoricus.

Liber primus Didacticas, ſecundus Ethicas et Paraeneticas, tertius miſſas et familiares complectitur. *Colonienſes.* Extitit etiam in *Bibl. Thottiana.*

1662.

Louanii. 12. D. Auguſtini Epiſtolae ſelectae, cum appendice ſuppoſititiarum. *Hendreich.*

1678.

Francof. ſumpt. Ioh. Crameri. 4. S. Aur. Auguſtini et aliorum quorundam ad ipſum vel eius cauſa ſcriptae Epiſtolae CCLXXVIII. Cum appendice ſuppoſititiarum, variis lectionibus aliiſque marginalibus et indicibus vtiliſſimis ſeorſim accuratiſſime editae cura Lvcae Friderici Reinharti, *Norimbergenſis S. Theol. in Vniuerſit. Altdorfina Prof. Publ.*

Cypriani Epiſtolas ab eodem viro docto aliquot annis poſt editas in tomo primo commemorauimus. Non ſegniorem operam Auguſtino praeſtitit, in eo praecipue laudandus, quod plures eius epiſtolas, quae eo vſque temporis nondum cum reliquis colligi, ſed per reliquos tomos operum eius ſparſim pro rerum ſimilitudine exhiberi conſueuerunt, coniunctim primus propoſuit. Commode factum eſt, quod aliorum ad Auguſtinum ſcriptae epiſtolae italico chara-

ctere exſcriberentur, dum ipſius Auguſtini epiſtolis rotundus adhibitus eſt. In margine tum variae lectiones, tum Allegationes Scripturae S. itemque Codicis Theodoſiani, Iuris Canonici, Lombardi et Thomae Aquinatis loca, quae vel ex Auguſtino illuſtrari poſſent, vel verba eius exhiberent, ſunt notata.

Saec. XVIII.

1721.

Pariſiis. fol. S. Auguſtini — Epiſtolae duae; prima ad Bonifacium Papam; ſecunda ad Coeleſtinum. Ext. inter *Epiſtolas Rom. Pontiff.* per *Couſtant. T. I. pagg.* 1023 et 1051.

1732.

Viennae Auſtriae. typis Io. Petri van Ghelen. f. maj. S. Auguſtini, Ep. Hipp. ad Optatum Epiſc. Mileuitanum de Natura et Origine Animae Epiſtola ſecunda. Acceſſit eiuſdem S. Auguſtini Epiſtola de poenis paruulorum, qui ſine baptiſmo decedunt, ſcripta ad Petrum et Abraham. Prodeunt nunc primum ex Bibliotheca Liberae et Exemptae Ordinis S. Benedicti Inferioris Auſtriae Abbatiae Gottwicenſis. Eaedem *ſequenti anno*, *ibidem* apud *Ioannem Adamum Schmidium*, Bibliop. Norimbergenſ. typis deſcriptae ſunt.

In praefatione ad lectorem Abbas Godefridus de occaſione vtriuſque epiſtolae erudite commentatus eſt. *Codex*, in quo repertae ſunt, vnicus vt iure ſuo exiſtimaſſe videtur eruditiſſimus Abbas, exaratus eſt in membranis, in folio, et ad ſaeculum minimum duodecimum ab illo refertur, reperiundus in illius Abbatiae bibliotheca *Lit. 6. N. 10.* Nuncupavit κειμηλια haecce fortuito detecta Cardinali Paſſioneo,

neo, magno tunc temporis in Italia literarum ſtatori et Bibliothecae Vaticanae aliquando Summo Praefecto.

1734.

Pariſiis apud viduam Raymundi Mazieres. fol. S. Aur. Auguſtini epiſtolae duae, recens in Germania repertae, notis criticis, hiſtoricis chronologicisque illuſtratae, opera et ſtudio *D. Iacobi Martin*, Presb. Congreg. S. Marci. *Cat. Bibl. Reg.*

✤ ✤

Paris chez veuve Mazieres. 8. Lettres nouvelles de S. Auguſtin, traduites en François, avec le Latin à coté et avec des notes critiques, hiſtoriques et chronologiques, et un traité de l'origine de l'ame tiré de ſes écrits, nouvellement trouvées dans un MS. de l'Abbaye de Gottwic, près la ville de Vienne en Autriche.

VERSIONES.

1573.

Paris chez Mathur. Prevoſt. 8. La 48. Epiſtre de St. Auguſtin, addreſſée à Vincent Eveſque, de l'hereſie Rogatiane, fort convenable pour remettre à l'unité de l'Egliſe catholique les ſeparez et heretiques, comme pour y maintenir et conſerver ceux qui y ſont demeurez et retournez, par *Clement Vaillant* (Bellouacenſem in ſuprema curia Cauſarum patronum).

Epiſtola in ed. Bened. numeratur XCIII. Pertinet ad eandem quodammodo *Diſquiſitio Theologica de ſententia, an haeretici et ſchiſmatici vi ad fidem ſint cogendi?* vbi ſimul ingens diſcrimen oſtenditur inter cauſam Donatiſtarum et Proteſtantium. Auctore D. *Elia Veielio*, Vlmae 1689. 4. ſcripta occa-

ſione perſecutionis Reformatorum in Galliâ, cuius fautores Auguſtinum etiam in partes trahere conati erant.

1574.

A Reims par Jean de Foigny. 8. La forme et maniere de bien prier Dieu: qui eſt oeuvre principale du bon Chrétien; écrite premierement en Latin par ſaint Auguſtin, en ſon Epitre 101, à Probe, veuve, et traduite en François par *Nicolas* CHESNEAU, (Retelenſem Decanum et Canonicum S. Symphoriani Rhemenſis). *Duverdier* par *Juvigny T. V. p.* 109.

1653 - 59.

Paris chez Pierre le Petit. 12. *V. Voll.* Epiſtres choiſies de S. Auguſtin, traduites en François par *Louis Giry.* Tomus I et II. 1653. III. 1656. IV. 1658. V. 1659. exſcriptus eſt. *Hendreich* in *Pand. Brandeb.* aliam interprete *de la Cande* a. 1653. producit.

1684.

Paris chez Jean Bapt. Coignard. f. *II. Voll.* Les lettres de S. Auguſtin, traduites en François ſur l'edition nouvelle des Benedictins de la Congr. de ſaint Maur, où elles ſont rangées ſelon l'ordre des tems. Revûes et corrigées par les anciens Manuſcrits et augmentées de quelques Lettres, avec des notes ſur les points d'hiſtoire, de chronologie et autres qui peuvent avoir beſoin d'eclairciſſement, par *Philippe Goibaud* DU BOIS. *Cat. Bibl. Reg. Pariſ.* Eandem VI. voluminibus, octonis, habet *Cat. Bibl. Duc. de la Val.* Vide etiam *Journ. des ſçav. Paris.* (4.) a. 1685. n. II. et *Novelle d. Rep. delle Lettere. m. Novembre* 1684. Ex Codd. MSS. loca aliquot editionis Benedictinorum correxit. Notas *Tillemon-*

tii

tii eſſe aiunt. Cf. quae Colonienſes adduxerunt teſtimonia.

1690.

A Lyon. . . . . Lettre XXXIX. (ed. Louan.) de S. Auguſtin à un jeune homme (Licentius) qui avoit été ſon diſciple et qui ſ'etoit engagé dans le ſiecle. *Ext.* in *la Solitude Chretienne T. I. p.* 471.

1700.

A Cologne. Lettre de S. Auguſtin au Comte Boniface (ſecunda ex tribus ad eundem ſcriptis) de la traduction de Mr. DU BOIS. *Ext.* dans *le Soldat Chretien inſtruit* etc. par le *P. Henri Godefroy.*

1707.

A Lille chez Jean Bapt. Brouellio. 12. *VI. Voll.* Les lettres de S. Auguſtin, traduites en François ſur l'edition nouvelle des PP. Benedictins de la Congregation de S. Maur, où elles ſont rangées ſelon l'ordre des tems, revûes et corrigées ſur les anciens manuſcrits, et augmentées de quelques lettres qui n'avoient pas encore paru, avec des notes, par M. DU BOIS. Troiſieme edition. *Cat. Bunav.* et *Bibl. Reg. Pariſ.* Haec ipſa fortaſſe eſt repetitio, quam h. a. Colonienſes Amſtelodami factam prodiderunt.

Anglicam verſionem *Epiſtolae XLVIII.* ſub titulo: Iudicium S. Auguſtini de Legibus poenalibus aduerſus conuenticula et de vnitate Religionis propoſitum in Ep. 48. *Londini* 1670. 4. memorant Colonienſes addito teſtimonio *Lipenii* in *Bibl. Philoſ.* v. *Conuenticula.*

Denique *Epiſtolae de poenis paruulorum, qui ſine Baptiſmo decedunt*, verſio eſſe videtur, quae in *Cat. Bibl. Firmianae* memoratur hoc titulo: *Sermone di S. Agoſtino, in cui ſi tratta della pena de' fanciulli*

morti ſenza Batteſimo, trad. con annotazioni da G. G. Pavia. 1778. 8.

✲ ✲

Inſigniorum Auguſtini Epiſtolarum argumenta modo breuia, modo prolixiora Cl. *Roeslerus* inſeruit *Tomo V. der Bibliotheck d. Kirchenvaeter pag.* 417. vſque *ad fin.*

(116) *Sermones* et *Homiliae.*

SAEC. XV.

1475.

Auguſtae per Antonium Sorg. fol. min. S. Auguſtini liber, qui vocatur quinquaginta ſiue Homiliae L. In fine: *Anno dm. M.CCCC.LXXV. circiter Kal. Februarii impreſſus eſt liber iſte ad honorem dei, per Antonium Sorg. In Auguſta.* Incipit a regiſtro homiliarum, quod primum folium implet. Character gothicus eſt, ſed elegans. Nec foliis, nec paginis numeri notaeue ſunt adſcripti teſte Cl. *Zapf* in *Annal. Typ. Auguſt.* p. 32. *Seemillero* faſc. I. p. 70. Adde *Braunium Not. H. Lit.* (1788.) p. 179.

1477.

Mutinae per *Balthaſſarem de Struciis.* 4. S. Auguſtini Sermones ad Fratres in Heremo. Nuſquam niſi in *Cat. Bibl. Pinell.* T. I. p. 92. laudatam inuenimus.

1482.

Spirae factore Petro drach iuniore (in *vigilia natiuitatis marie virginis) fol.* B. Auguſtini ſermones varii; in *Omeliario Karoli Magni* huius ed.

1484.

1484.

Mediolani per *Teutonicos*. 4. S. Auguſtini Sermones ad Fratres in Heremo. *Cat. Bibl. Pinell.* T. I. p. 92.

❧ ❧

Paduae per *Mathaeum Cerdonis*. 4. B. Auguſtini ſermones tres de Clericorum vita et moribus. —

Editor eſt *Euſebius Corradus* Mediolanenſis, Canonicus regularis Congreg. Lateranenſis, a cuius *epiſtola ad Sixtum quartum, Pontificem maximum: pro auferendo de eccleſia errore ſcribentium: Auguſtinum eccleſiae doctorem fuiſſe heremitam* volumen exorditur. Praeter dictos tres ſermones, quorum primus incipit: *Charitati veſtrae* etc; ſecundus: *Propter quod volui et rogaui* etc; tertius: *Ante omnia fratres* etc. ineſt etiam *Vita Auguſtini a Poſſideo* (ſic) conſcripta et, niſi mendax fuerit, contentorum tabula poſt epiſtolam dedicatoriam ſtatim ſubiecta, etiam *Epiſtola Auguſtini, ſi liceat clericis populum et gregem ſibi commendatum perſecutionis tempore relinquere.* Eam vero in exemplari, quod manibus teneo, non inuenio, nec maucum illud videtur, ſed illius loco extat editoris ad Sixtum IV. et ad Patriarcham Aquileienſem, Cardinalem et ſancti Marci protectorem, ceterosque Cardinales *Annotatio breuiſſima in errorem ſcribentium ſanctum Auguſtinum fuiſſe heremitam.* Atque haec ipſa omnia in epiſtola dedicatoria libro huic ineſſe Corradus dicit, nec ibi quidem Epiſtolae illius mentionem facit, cum contra in laudata tabula haec *annotatio* non ſit indicata. Ad calcem tamen legitur: *Finis adeſt trium Sermonum beati Auguſtini de Clericorum vita moribuſque vna cum vita S. Auguſtini, nec non cuiuſdam epiſtole ipſius: „An clericis“* etc., *que omnia impreſſa fuere Padue per magiſtrum*

 giſtrum

giſtrum Matheum Cerdonis. Anno domini 1484. Colophonem addit *Oda in laudem Auguſtini*, incipiens: „*De profundis tenebrarum.* Abſoluitur haec editio foliis XXXVI. lineis per paginam impreſſis. Character eſt gothicus luculentus. Praeter Chartarum numeros notae cuiuſcunque generis foliorum paginarumue deſunt. Sunt tamen literae initiales formulis ligneis expreſſae. Meminit eius quoque *Braunius Not. H. Lit.* T.II. p.111.

1486.

Brixiae per *Iacobum Britannicum Brixianum.* 8. S. Auguſtini Epiſcopi Sermones ad fratres Heremitas. In fine: *Impreſſum Brixiae* per *Iacobum Britannicum Brixianum. Anno domini. M.CCCC. LXXXVI. die V. Ianuarii.*

Editionis huius nulli bibliographorum antea cognitae notitiam ſolus praebet *Braun Not. H. Lit.* T.II. p.130. ſignificans volumen eſſe XXI plagularum faſciculis contentum, charactere romano ac pereleganti impreſſum, deficientibus quibuſcunque foliorum paginarumue notis, paruiſque literis loco initialium miniatoris gratia appoſitis. Continet omnia eademque ſerie ac ſequens, ne ſermonum tabula quidem excepta.

1487.

Venetiis per *Paganinum de Paganinis.* 8. S. Auguſtini Sermones ad Eremitas. Ab initio: *Incipiunt ſermones ſancti Auguſtini ad Heremitas: nonnulli ad ſacerdotes ſuos: ad aliquos alios. Et primo de īſtitutioē regularis vite ſ̊mo p.* (ſic). In fine: *Impreſſum Venetiis per Paganinum de paganinis Brixianum. Anno Domini: M.CCCC.lxxxvij. die xxvj Maij.*

Praeter

Praeter ſermones LIX accedunt: 1) *de ſancta Monica ſermo LX.* 2) *Caliſti narratio de conuerſione S. Auguſtini;* 3) *Sigiberthi de eodem narratio ex epiſtola ad Macedonium;* 4) *Excerpta quaedam ex Chronico Bedae;* 5) *Relationes aliae incertorum auctorum;* 6) *Oratio de Paſſione Domini, a nonnullis S. Auguſtino adſcripta, quam per quadraginta continuos dies recitantibus Bonifacius VIII. plenariam conceſſit indulgentiam.* Textum praecedit tabula ſermonum duo folia non integra complectens. Impreſſio facta eſt duabus columnis charactere gothico. Initiales literas paruas typographus interdum addidit et omiſit alibi. Chartae ſignatae ſunt a - r. Cuſtodes, numeri, paginarumque tituli deſunt. *Seemiller* faſc. III. p. 92.

[1492]

Venetiis apud *Vincent. de Benaliis.* 8. S. Auguſtini Sermones ad Heremitas et ad alios. *Ext.* cum D. Bernardi ad Sororem modo bene viuendi. Venet. 1493. Sic *Audiffr.* in *Cat. Bibl. Caſ.*

1493.

Baſileae factore Nicolao Keſsler (pridie Cal. Octobris) fol. B. Auguſtini Sermones varii; in *Homeliario Doctorum*, qui *hoc a. et l.* cura *Iohannis Vlrici Surgant AA. et Decretorum D.* etc. prodiit, vt praemiſſa epiſtola eius ad Nic. Keſsler teſtatur.

1494.

I. *(Baſileae* per *Io. de Amerbach.) fol.* Sermones diui Aurelii Auguſtini ad fratres ſuos in heremo commorantes, et quoſdam alios.

Quamquam neque locus, neque annus, neque typographus diſertis verbis in hoc volumine ſit editus: nequaquam tamen dubitanter illos indicauimus, cum

cum alia Auguſtini ſcripta, in vnum volumen cum praeſenti opere compacta, quae iſta omnia veluti a nobis poſita praeferunt, ſimilitudine characteris, deſcriptionis et diſpoſitionis, iudicium noſtrum tueantur. Literae videlicet ſunt gothicae, paginae columnis binis impreſſae. Ab initio *) carmen elegiacum *Sebaſtiani Brant ad Diuum Aurelium Auguſtinum*, romano charactere exſcriptum, praemittitur ſatis prolixum, cui breuior *de ortu, ingenio, eruditione, errore, conuerſione ac ſacra baptiſmali regeneratione eius narratio* ſubiicitur. Haec excipit *Hymnus Ambroſianus*, *ſermo eiuſdem B. Ambroſii ſuper conuerſione Auguſtini*, item *tres huius regulae monachales et forma, ſecundum quam communem ſobrietatem*

*) Ita plerumque conſpicitur. Tenendum vero, integrioribus exemplaribus praefixum eſſe titulum ſequentem literis gothicis exaratum: *Plura ac diverſa diui Aurelii Auguſtini Sermonum Opera videlicet:* (huc vſque characteres grandiores, reliqua minoribus abſoluuntur)

Ad fratres in heremo commorantes: Sermones LXXVI.
De verbis domini: Sermones LXIV.
De verbis Apoſtoli: Sermones XXXV.
In epiſtolam Canonicam beati Iohannis primam; Sermones X.
Homelie: id eſt Sermones populares L.
De tempore: Sermones CCLVI.
De ſanctis: Sermones LI.

Vnde ſimul proditur, plura hanc ſermonum collectionem ab initio fuiſſe complexam, quam nunc exemplaria pleraque retinuerunt, nec vero pro integris habenda eſſe, quae, vt noſtra, in Homiliis deficiunt. Ceterum auerſa folii pagina effigiem epiſcopi pro concione dicentis ligno impreſſam ſiſtit, ſubſcriptis verſiculis: *ſalue gemma confeſſorum: Auguſtine lux doctorum.*

tatem eis dederit, qui ſuo fratrumque ſuorum conſortiis coniungi optabant. Tandem praeuia contentorum tabula, ipſi *ſermones LXXVI.* cum appendice variarum de Auguſtino narrationum, ex diverſis auctoribus, quorum nomina ex parte etiam prodita ſunt, veluti Calixti, Sigeberti, Antonini, exhibentur. In fine: *Expliciunt collecta quaedam ex diuerſis et ad gloriam b. Aug. ſermonibus ad fr. in h. ſubiuncta: feliciter.* Poſtremo index materiarum et ſententiarum ampliſſimus X foliis volumen claudit.

❖ ❖

II. *Ibid. per eundem.* f. Diuus Aurelius Auguſtinus de verbis Domini (*Sermones* LXIV.) In fine: *Explicitus eſt liber ſermonum* rel. — *Baſ. per magiſtrum Io. de Amerbach. Anno ſalutiferi partus virginalis nonageſimo quarto ſupra milleſimum centeſimum.*

Conſonant omnia cum praecedentis operis adornatione etiam quoad materiarum et ſententiarum tabulam et ſermonum indicem.

❖ ❖

III. *Ibid. per eundem. f.* Diui Aur. Aug. Sermones de verbis Apoſtoli (XXXV). In fine: *Explicitus eſt liber Sermonum — D. A. Aug. Baſileae. A. D.* M.CCCC.XCIV.

Nihil a ſuperioribus diſcrepat.

❖ ❖

IV. *Ibid. per eundem. f.* Expoſitio diui Aur. Aug. in Epiſtolam beati Iohannis.

❖ ❖

V. *Ibid. per eundem. fol.* Opus quinquaginta homeliorum diui Aur. Aug. In fine: *Baſileae.* M.CCCC.XCIIII.

1495.

1495.

Baſ. ap. Io. de Amerbach. fol Sermones ſancti Auguſtini de tempore (256.) ſubſcriptionis formula eadem atque in Sermonibus de verbis Domini anni praecedentis. Sermonum contentorum tabula diligentiſſime eſt compoſita. Sed index materiarum et ſententiarum minus copioſus videtur pro huius voluminis mole, ſi cum indicibus ſuperiorum collectionum comparaueris. Ceterum interior tituli pagina effigiem emblematicam ligno impreſſam et diſticha latina in hanc editionem parata offert.

Sine anno

Per *Conradum de homborch. fol.* B. Auguſtini Sermones varii in dies dominicales et feſtos; in *Omeliario Caroli M.* huius ed.

Sine anno

et loco. 4. Sermones ſancti Auguſtini ad Heremitas. Haec in titulo literis grandibus expreſſa. Sermones ſunt CLIX. cum additamentis quibuſdam, charactere gothico, binis columnis impreſſi, ſine vllo loci et anni indicio. Quapropter neſcio, quibus argumentis inductus fuerit, qui noſtro exemplari appinxit, circa a. 1490 lucem aſpexiſſe. In *Bibliotheca Ratisbonenſi* teſte *Gemeiner* l. l. p. 276. extat horum ſermonum editio abſque loci et anni indicio quaternis impreſſa, quae foliis 108. conſtans ſermones exhibet LIX. Editionis Venetae a. 1490. obiter mentionem facit *Gemeiner* l. l. p. 277; adde *Braunium* in *Not. H. Lit.* T. II. p. 53.

Sine anno

et loco. 4. *Sermones duo* (haec literis gothicis grandiuſculis, ſequentia charactere romano maiori exſcripta

ſcripta ſunt) *Aurelii Auguſtini Epiſcopi de Vita et Moribus Clericorum.* Sunt duo priores ex tribus, qui in editione Paduana a. 1484. eduntur. Additur vero ex retractationum libro animaduerſio eius in librum de vera religione. Impreſſum eſt charactere gothico minori admodum nitido, duabus columnis. Voluminis argumentum literis romanis ſcriptum per ſingularum paginarum margines ſupremos decurrit.

Saec. XVI.

1513.

Pariſiis. . . . . Editionem hanc *Sermonum ad Eremitas fratres* obiter laudat *Gemeiner* l. l. p. 277. (*Clementio* et *Offingero* ſponſoribus, vt iam coniicio).

1516.

Lugduni per Iohannem Clem. Alemannum. (D. ſeptimo Idus Auguſti.) *fol.* B. Auguſtini Sermones varii; in *Homiliario doctorum* edito, ſi recte ex praefixa epiſtola concludimus, curante *Iohanne Thiery* Lingonenſi V. I. Profeſſore.

* *

Pariſiis per Berthold. Rembolt. fol. max. Praeclariſſima et ineſtimabilis doctrine atque vtilitatis Diui Aur. Auguſtini Sermonum opera: nuper ſumma cura et diligentia Magiſtri Bertholdi Rembolt Impreſſa: apud Impreſſorem ipſum ſub Sole aureo in via Iacobaea Pariſii: et in officinis Ioannis Coberger ac Iodoci Badii venalia comperies que hoc ordine in hoc continentur volumine. Videlicet

Ad fratres in Eremo commorantes. *Sermones LXXVI.*

De verbis domini. *Sermones LXIIII.*

De verbis Apoſtoli. *Serm. XXXV.*

In

In epiſtolam Canonicam beati Iohannis primam. *Tractatus X.*
Homelię: id eſt *Sermones populares L.*
In euangelium ſecundum Iohannem. *Tractatus CXXIIII.*
De tempore. *Sermones CCLXVI.*
De Sanctis. *Sermones LI.*

Cum tabulis et repertoriis ampliſſimis. *In fine:* Explicit Pariſiis in Edibus Magiſtri Bertholdi Rembolt. Anno domini — Die vero XIX Decembris.

Literae ſunt gothicae, paginae columnis ſectis ſunt impreſſae, nec alius ornatus deeſt.

1521.

Hagenoae per Henr. Grau. f. B. Auguſtini preclariſſima ſermonum opera; ſumma nuper diligentia reuiſa atque recognita, tum pleriſque locis emendata. In fine: *Impreſſum eſt preclarum hoc opus in officina induſtrii Henrici Grau: ciuis imperialis oppidi Hagenow: ſumptibus et expenſis probi viri Ioannis Rynman de Oringaw archibibliopole, menſe Octobri anno a nato Chriſto* 1521.

1525.

Lugduni per *Ioannem Creſpin (die X Ianuarii) fol.* B. Auguſtini Sermones varii in Dies dominicales et feſtos; inter *Homelias preclarorum doctorum in euangelia dominicalia*, quas iuſſu Caroli M. collegiſſe fertur Alcuinus, editas h. l. et a. cum praefatione Fr. *Lamberti Campeſtris*, Theol. ad Simphorianum Camperium Patritium Lugdunenſem.

1564.

Louanii apud *Hieron. Wellaeum.* 4. D. Aur. Auguſtini Sermones, et Poſſidii, Calamenſis Epiſcopi, indi-

indiculus operum D. Auguſtini: ex editione et cum ſcholiis marginalibus *Ioannis Vlimmerii. Cat. Bibl. Reg.* Confer, quae ſupra ad editionem operum Baſileenſem a. 1569. tradita ſunt.

1576.

Coloniae Agripp. f. S. Auguſtini Homiliae variae. *Ext.* in *Collectione Fr. Alcuini.*

1588.

Lugduni. f. S. Auguſtini Homiliae quaedam in *Bibliotheca Homil.* CVMDII.

SAEC. XVII.

1631.

Pariſiis apud *Sebaſt. Cramoiſy.* 8. S. Aur. Auguſtini Sermones noui XL. cum quinque aliis ex antiquis exemplaribus collecti, cum notis, ſtudio et opera IACOBI SIRMONDI. *Cat. Bibl. Reg. et Caſanat.*

1644.

Romae per Franc. Monetum. 4. Sermones aliquot S. Aur. Auguſtino adſcripti, ex bibliothecis Vaticana et Barberina excerpti, nunc primum in lucem editi et quibuſdam notis illuſtrati ſtudio et opera *Ioannis Baptiſtae* MARI. *Cat. Bibl. Reg.*

1647.

Romae apud *Ludouic. Grignanum.* 4. S. Aur. Auguſtini Sermo in natali S. Ioannis Baptiſtae, nunc primum in lucem editus, cum obſeruationib. *Ioannis Baptiſtae* MARI. *Cat. Bibl. Reg.*

1648.

Matriti typis Regiis. f. S. Auguſtini Sermones *aliquot* de B. Virgine. *Ext.* in *Bibliotheca Vir-*

ginali P. de Alua T. III. a pag. 448. *Audiffredi* in *Cat. Bibl. Caſanat.*

1685.

Pariſiis chez *P. de Laulne.* 8. S. Auguſtini Sermonum ad Eremitas fragmenta tria, quibus praemittitur Syllabus Sermonum ad FF. in Eremo, Sermonum ad Presbyteros Hipponenſes et Sermonum ad Populum ex Autographo Iordanis de Saxonia. *Ext.* in *Supplem. PP. Iac.* HOMMEY. a pag. 644.

VERSIONES.

1493.

Firenze per *Maeſtro Antonio Miſcomini, (A dì XXVIII. di Giugno)* 4. min. Sermoni Volgari del Venerando dottore Santo et Aurelio Auguſtino, Padre della regola eremitana, molto devoti, e ſpirituali ad acquiſtare la gloria ſpirituale del Paradiſo. *Cat. Creuennae nouiſſ.* T. I. p. 107.

1546.

Venezia per Gabriel Giolito de' Ferrari. 4. Varj ſermoni di S. Agoſtino, e d' altri Cattolici ed antichi Padri utili alla ſalute dell' anime meſſi inſieme e fatti volgari da Monſign. Galeazzo Veſcovo di Seſſa, con due tavole, la prima de' Sermoni, ed Omilie; e la ſeconda delle coſe più notabili. *Bibl. degli Aut. volg.* in *Raccolta d' Opuſc. ſcient. e filol.* T. XXXII. p. 345.

1553.

In *Vinegia* preſſo *G. Giolito de' Farrari Fratelli.* . . . Alcuini Sermoni di S. Agoſtino delle Parole Signore e dell' Apoſtolo, fatti volgari da Monſr. *Galeazzo* FLORIMONTE *Veſcovo d' Aquino. Ext.* in *Varj Sermoni di S. Agoſtino ed altri Dottori* volgariz-

garizzati dal medeſimo. Cf. *Cat. Bibl. Caſanat.* In *Cat. Bibl. Smith* a. eſt 1588. forma 4.

1567.

Venezia per il Giolito. 4. Varj Sermoni *ecc.*

1568.

Venezia per il Sansovino. 4. Varj Sermoni di S. Agoſtino e d'altri Cattolici ed antichi Dottori, ne' quali trattandoſi diverſe materie ſopra diverſi luoghi della Sacra Scrittura del vecchio e del nuovo Teſtamento ſi contiene Criſtiano deſideroſo di vivere puramente fra le perſone, e della ſalute dell' anima ſua, meſſi inſieme e fatti volgari da Monſignor Galeazzo Vescovo di Seſſa con due tavole, l' una de' Sermoni, e l' altra delle coſe notabili.

1572.

Fiorenza per i Giunti. 4. Libro III. de' varj Sermoni di S. Agoſtino *ecc.* raccolti inſieme e fatti volgari da *Raffaello Caſtruccio* Monaco della Badia di Firenze a imitazione di Monſign. Galeazzo Vescovo di Seſſa. Prodiit etiam liber quartus, ſed in quo nihil Auguſtini contentum fuit. Secundam vero partem impreſſam inuenio a. 1654. h. tit.

1654.

Venezia per Girolamo Scotto. 4. Seconda parte de' Sermoni di S. Agoſtino *ecc.* tradotti in volgare da Mſgn. Galeazzo Florimonzio Vesc. di Seſſa con alcuni Omilie del medeſimo. Haec omnia nobis ſuppeditauit *Bibl. degli Aut. volg.* l. l.

1694 et 1700.

Paris chez veuve Jean Bapt. Coignard. etc. 8. *IV. Voll.* Les ſermons de S. Auguſtin ſur le Nou-

veau Teſtament, traduits en François ſur l'edition Latine des PP. Benedictins, par *Philippe Goibaud du Bois.*

1731.

In *Firenze* preſſo *Dom. M. Manni.* 4. Volgarizzamento de' XL Sermoni falſamente attribuiti a S. Agoſtino, fatto da un Religioſo dell' Ordine detto di S. Agoſtino, nell' anno 1300, e come ſi crede, da Fr. Agoſtino da Scarperia. *Cat. Bibl. S. Ang. ad Nidum Neapoli*, *Audiffredi* in *Cat. Bibl. Caſanat.* it. *Cat. Bibl. Smith.*

(119) *De decem chordis liber.*

Huius *verſionem hiſpanicam*, auctore *Gundiſalvo Garzia de Sancta Maria*, Caeſarauguſtano, editam a. 1494. 8. *Los Tratados de las diez cuerdas de la vanidad del mundo* commemorant ex *Nic. Anton. Bibl. Hiſp.* p. 425. Colonienſes.

II. *Annales editionum ſingulorum Auguſtini librorum.*

B. *Spuriorum.*

(6) *De Muſica libri VI.*

Neſcio equidem, an huc ſpectat, qui in Catalogo Bibl. Bodleianae memoratur *S. Auguſtini libellus de Muſica. Baſileae* 1521. 4.

(18) *De Grammatica liber.*

1605.

Hannouiae. 4. Auguſtinus de Grammatica. *Ext.* inter Auctr. Antiqq. de Grammatica Lat. collect. ab *Helia Putſchio*, a pag. 1975.

(19) *Prin-*

(19) *Principia Dialectices et Rhetorices libri II.*

1479.

Florentiae apud S. Iacobum de Ripoli. 4. Auguſtini Logica. *Cat. Bibl. Caſanat.*

1599.

Pariſiis. 4. Auguſtini principia Rhetorices. *Ext.* inter *Antiquos Rhetores* a pag. 290.

1643.

In Venezia nella Salicata. 4. S. Agoſtino della Retorica. *Ext. fra gli Autori del ben parlare Tomo 30. pag.* 21.

(34) *Liber de Fide ad Petrum Diaconum.*

Prodiit ſeorſim *ſine loco et anno. fol.* Sed vide *Fulgentium* Tomo III. cf. ſupra in Opuſculis ad a. 1473. n. 1.

(35) *De Spiritu et Anima.*

1472.

S. l. et typogr. 4. S. Auguſtini liber de anima et ſpiritu, de ebrietate, ad virgines de caſtitate et ſobrietate, de quatuor virtutibus caritatis, de contritione cordis. *In fine:* Finitus eſt liber beati Auguſtini, Ep. Yponenſis cum ceteris tractatulis eiuſdem. Anno milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo ſecundo quinto Idus Nou.

Extat in Bibl. Lubecenſi *Geſsner.* l. l. p. 26. Is vero ex literarum ſimilitudine et chartarii ſigno (capite taurino) iure aliquo ſuo concludere ſibi videtur, *Moguntiis apud Petrum Schoifferum*, qui eadem forma abſque loci et anni indicio libros *de vita Chriſtiana* et *verae vitae cognitione* excudit, fuiſſe impreſſum. Ibi tamen inſignia Schoifferi non, vt in hoc volumine, deſunt.

(36) *De Amicitia.*

1510.

Lipſiae. 4. D. Aur. Auguſtini, Hipp. Epiſc. de amicitia liber, in quo Ciceronis errata caſtigantur, cunctis, qui pacem, concordiam et veram atque perfectam diligunt amicitiam, vtilis et ſumme neceſſarius. — Subiiciuntur huic titulo ſtatim diſticha ſequentia:

Auguſtinus in hoc aphorum (ſic) *gloria gentis*
Que ſit vera libro narrat amicicia
Magnus Ariſtoteles callens arcana capaci
Nature ingenio: neſcius huius erat
Neſcius eras huius Plato tu diuine magiſter
Hanc veterum ignorans ethnica turba virum.

In fine: *Impreſſum Lyptzk p Baccalaureum Wolffgangum Monaceũ. Anno* 1510. — Character eſt gothicus. Praefatus eſt *ad ſtudioſos et eruditos bonor. artium in acad. Liptzẽn. Amatores Magnus Hundt parthenopolitanus*, *theologorum*, vt quidem ſe appellat, *infimus*, ep. data *in collegio principis die Calixti.*

(39) *Soliloquia.*

1473.

S. l. fol. Auguſtini ſoliloquium de arrha animae. Ab initio: *Incipit ſoliloquium beatiſſimi Auguſtini epiſcopi yponenſi* (ſic) *de arra animae.* In fine: *Raptus eſt finis huius tractatus Auguſtini de arra anime feria tertia poſt feſtum ſancti Dyoniſy Anno dni lXXIII XC* (ſic) Eiuſdem eſt editionis ac *Soliloquia* genuina ſ. l. et a. et Hieronymiana *de eſſentia div.* etc. Conf. dicta ad librum Auguſtini *de quantitate animae.* Extremae raritatis eſſe exinde diſcas, quod nemini hactenus bibliographorum cogni-

cognitus fuerit. Summum vero in eo ad aetatem illorum opuſculorum definiendam ſitum eſſe momentum nemo facile negabit, ſi ne minimum quidem ab illis differre dixero. Quodſi igitur vere ea Guntheri Zaineri a quibuſdam ſunt credita, vt equidem nullus dubito, ſequitur, Hambergeri ſententiam, Zainerum poſt annum 1472. charactere gothico vti deſiiſſe, poſtquam primum menſe Nouembri eius anni romanos typos Iſidoro imprimendo adhibuiſſet *), ipſum feſelliſſe, quod pleriſque accidere ſolet, qui nimis exactis formulis limites ac tempora euentuum aut inſtitutorum quorundam circumſcribere amant. Ac quaenam cauſa tam repentini faſtidii gothici characteris in eo viro cum veriſimilitudine fingi poſſit?

Versiones.

1489.

Sine loco et typogr. Adì XX di giogno (ſic) 4. *min.* Li Soliloquii del Divo Padre Santo Agoſtino. Character rotundus eſt. Florentiam natales eius eſſe ſuſpicatur editor *Cat. Creuennae nouiſſ.* T. I. p. 111.

1491.

Firenſe. Adì X. di Novembre. 4. Soliloquii di Santo Auguſtino volgari. *Cat. Bibl. Creuennae nouiſſ.* l. l.

1492.

Mediolani. . . . 8. Huius anni, loci ac formae verſionem italicam horum librorum commemorat *Deniſius Garell. Bibl.* p. 235.

*) *Zuverläſs. Nachrr.* T. IV. p. 806. vbi de Zaineriana ed. Thomae Kempiſii praecipit.

1663.

Paris chez Charl. Savreux. 12. Les ſoliloques, le manuel et les meditations de S. Auguſtin, traduits en François par D. L. C. C. F.

1671.

A Lyon. 8. St. Auguſtin les Soliloques, le Manuel. *Cat. Bibl. Bern.*

1684.

Paris chez Pierre le Petit. 12. Les ſoliloques, les meditations, le manuel de S. Auguſtin, traduits en François par le *P. Nicolas Regnier.*

1691.

Paris chez Guil. Desprez. 12. *Eadem*, traduction nouvelle, revuë ſur le Latin: edition augmentée de l'eſprit du même Saint, tiré de ſes confeſſions.

* *

Paris chez Jean Bapt. Coignard. 12. Les ſoliloques, les meditations et le manuel de S. Auguſtin, traduits en François ſur l'edition Latine des Peres Benedictins, avec des notes, par *Philippe Goibaud du Bois.*

1696.

Paris chez Jean Couterot. 8. Les ſoliloques de S. Auguſtin, mis en vers François, avec le Latin et une meditation, ſur le jugement dernier, en vers.

1704.

Paris chez Nic. le Gras. 12. Les ſoliloques et les meditations de S. Auguſtin traduits en François par le *P. René de Ceriziers.*

Plura

Plura de variis horum librorum *gallicis verſionibus* attulit auctor huius articuli in *M. Bibl. Eccl. Colon.* p. 729. num. 4. de quibus, quoniam aliunde haud quicquam recognoui, ſolicitari me non ſinam.

(40) *Meditationes.*

Sine anno

loco et typogr. f. Liber S. Auguſtini de Meditatione. A prima ſtatim pagina legitur: *Incipit liber ploc̄utionis beatiſſimi patris noſtri Auguſtini et eius ɔtemplatione.* In fine: *Explicit liber de meditatione beatiſſimi patris noſtri Auguſtini. deo gratias.* Laudat hoc Opuſculum Cl. *Seemiller* faſc. I. p. 112. inter eos libros, quos abſque loci et anni commemoratione a Chriſtophoro Valdarſero, Ratisbonenſi, qui intra annos 1471 - 1476. Venetiis et Mediolani impreſſit, excuſos eſſe ſibi perſuaſit, et quorum plures ibidem eoſdemque omnes inuicem charactere et deſcriptione reliqua valde ſimiles propoſuit. De noſtro vero prodidit, literis oblongis paulo maioribus exſcriptum folia tredecim integra et paucas in decimo quarto lineas complecti, ſine numeris ac notis paginarum foliorumue, abſque itidem literis initialibus.

Sine anno

et loco. 4. B. Auguſtini meditationes. *Cat. Bibl. Reg.* T. I. p. 376. vbi additur: *Vetus editio circa annum* 1500.

Sine anno.

Pariſiis per Antonium Cayllaut. 4. Meditationes Beati Auguſtini. *Cat. Bibl. Duc. de la Val.* T. I. p. 175.

SAEC. XVI et XVII.

1516.

Venetiis. . . . 8. S. Auguſtini Meditationes. Soliloquiorum animae ad Deum liber vnus. Manuale. *Ext.* in Opuſculo multarum bonarum rerum referto. *ab initio.* Sic *Audiffr. in Cat. Bibl. Caſanat.*

1608.

Duaci per Balth. Bellerum. 24. D. Aur. Auguſtini Meditationes, Soliloquia et Manuale, etc. Plenum titulum vide in ſequenti.

1613.

Duaci per Baltazar. Bellerum. 24. D. Aur. Aug. — Meditationes, Soliloquia et Manuale. Meditationes *B. Anſelmi* cum tractatu de humani generis redemtione. Meditationes *D. Bernardi. Idiotae* viri docti contemplationes de amore diuino. Omnia ad MSS. exemplaria emendata et in meliorem ordinem diſtributa: opera et ſtudio R. P. *Henrici* SOMMALII. Soc. Ieſu Theol.

1614.

Coloniae apud Conrad Butgenium. Idem liber eiuſd. ed.

1631.

Lugduni. 24. S. Auguſtini Meditationes. *Cat. Bibl. S. Angeli ad Nidum Neap.*

Coloniae Agrippinae ſumpt. Corn. ab Egmond. 12. Idem liber ex ed. *Henr. Sommalii.*

1637.

Ibidem per eundem. 12. Eadem editio.

1649.

1649.

Ibidem. 12. Idem liber per eundem.

1650.

Pariſiis apud Claudium Cramoiſy. 12. D. Aur. Auguſtini meditationes, ſoliloquia et manuale: omnia ad MSS. exemplaria emendata, opera et ſtudio *Henrici Sommalii.*

1672.

Romae per Barthol. Lupardum. 4. Eadem.

Sine anno.

Dilingae apud Sebald. Mayer. 8. D. Aur. Aug.— Meditationes, Soliloquia, Manuale. Aliam horum librorum editionem *Dilinganam* a. 1571. commemorant obiter Colonienſes p. 729. ad n. 4.

SAEC. XVIII.

1701.

Antuerpiae. 8. Diui Aur. Aug. — Meditt. Soliloquia et Manuale, ad MSS. exemplaria emendata et in meliorem ordinem diſtributa, op. et ſtudio *R. P. Henr. Sommalii.*

VERSIONES.

Sine anno

et loco. 12. S. Auguſtini Soliloquia in Graecum vulgare translata. *Cat. Bibl. Reg. T. I. p.* 377.

1671.

Paris chez la veuve Charles Savreux. 12. Eadem *Gallice.* Par le Sieur D. L. C. C. E.

1679.

A Paris chez Guill. Desprez. 8. Les Soliloques, le Manuel et les Meditations de S. Auguſtin. Traduction

duction nouvelle, revüe très-exactement ſur le Latin. Nouv. Ed. à la quelle ſont ajouté quelques fragmens de pieté tirez des Confeſſions de ce meſme *Saint*, qui feront voir quel eſtoit ſon Eſprit. — Poſtrema ſub titulo, *L'esprit d'Auguſtin tiré de ſes confeſſions* addita ſunt.

1714.

Bruxelles. 8. Idem liber gallice c. notis. *Cat. Bibl. Thott.*

1604.

Madrid. . . . . Eadem *hiſpanice* reddita a P. Ribadeneira. *Ext.* in eiuſdem *opp.* P. III. *pag.* 633. ſqq.

1600.

Francf. a. d. Oder. 8. Idem liber *germanice* per *Henr. Raetell.*

1717.

Gent. 8. Idem liber, *Belgice* per *Andr. van Loo. Cat. Bibl. Thott.*

✻ ✻

Ex Meditationibus excerptum eſſe *S. Auguſtini Rhythmum de gloria et gaudiis Paradiſi* verſibus politicis compoſitum, qui extat inter *Ge. Fabricii Poet. Chriſt. Baſil.* 1564. 4. p. 815. monet *Audiffredus in Cat. Bibl. Caſanat.*

(42) *Manuale.*

1471.

Taruiſii per Gerardum Liſam de Flandria. 4. *min.* S. Auguſtini liber de ſalute, ſiue de Aſpiratione animae ad Deum. Ad calcem literis vncialibus excuſum viſitur

In

In laudem ſcriptoris epigramma.
Gloria debetur Girardo maxima liſae.
Quem genuit campis Flandria picta ſuis.
Hic Taruiſina nam primus coepit in vrbe.
Artifici raros aere notare libros.
Quoque magis faueāt excelſi numina regis.
Aurelii ſacrum nūc MANVALE *dedit.*
TARVISII
M. CCCC. LXXI.

Conſtat hocce opuſculum, a quo typographiam Tarviſinam initium duxiſſe ſuſpicatur Morellus *), foliis XX, impreſſum charactere rotundo eleganti, lineis XXII. per paginas. Complectitur ſola XXIV. priora capita iuxta ſequiorum editionum diſtributionem. *Audiffredi* in *Cat. Bibl. Caſanat.* Adde *Crevennae Cat. nouiſſimum.*

(44) *Speculum peccatoris.*

Sine anno

loco et typogr. 4. B. Auguſtini ſpeculum peccatorum. *Vetus editio circa annum* 1500. Sic *Cat. Bibl. Reg.*

Sine anno

loco et typogr. fol. S. Auguſtini ſpeculum peccatoris. Vide quae ad libellum *de quantitate animae* eiuſdem editionis ſunt notata.

(47) *De verae Vitae cognitione.*

Sine anno.

Moguntiae apud Petr. Schoiffer, vt ex inſigni illius ad calcem minio impreſſo apparet. 4. Incipit

a

*) In *Cat. Bibl. Pinell.*

a capitulorum tabula tres paene paginas] occupante, cuius verſiculi nouem praefixi ſunt hoc exordio

Auguſtine pater. aquilino more Iohannis
Ingenii velis petis alta recondita celis etc.

In fine: *Auguſtini de v. v. c. libellus explicit.* Character plane idem eſt cum praecedentis libri formis. Anno circiter 1470. procuſam ſuſpicatur *Deburius* in *Cat. Bibl. Ducis de la Val.* T. I. p. 176. Extat etiam in Bibl. Lubecenſi. V. *Geſsner* p 14. a quo *Schelhornius* in *diatriba ad Quirin.* (Lindav. 1761. 4.) p. 37. et *Schwindelius* in Not. hiſt. crit. libr. vet. rar. I. 37. laudantur.

1578.

Baſileae. . . . S. Auguſtini de Trinitate fragmentum ex libro, qui inſcribitur de cognitione verae vitae *(cuius Auctor Honorius Auguſtodunenſis) Gr. Lat. I. Leunclauio interprete. Ext.* cum Legatione Imp. Caeſ. Man. Comneni ad Armenos etc.

1670.

Romae. . . . . Idem cum leui aliquo diſcrimine. Ext. inter Opuſcula Aurea Theol. quorundam Graecc. collecta a *P. Arcudio a pag.* 672. Sic *Audiffredus* in *Cat. Bibl. Caſanat.*

(48) *De Vita Chriſtiana.*

Sine anno

et loco (Moguntiae apud Petr. Schoiffer.) 4. Incipit prologus beati Auguſtini de vita xpiana. In fine: *Explicit liber b. Aug. de v. Chr. Hec faciendo quiſque vitam obtinebit eternam.* Extremo loco ſignum Schoifferianum minio, vt ſolet, impreſſum conſpicitur. Character ex gothico ad rotundum deflectit, ſed

ſed perquam exilis et rudis eſt. Signaturae et numeri foliorum plane abſunt. Cf. *Cat. Bibl. Duc de la Val.* T.I. p. 174. Laudatur quoque in *Catal. Bibl. Bunav.* itemque in Bibl. Lubecenſi extat.

Sine anno.

Pariſiis ap. Ioh. Lambert. 8. Liber beati Auguſtini de Vita chriſtiana. Haec in ſuprema paginae parte, reliqua ſignum officinae pro more typothetarum Pariſienſium exeunte ſaeculo XV. et ſub initium XVI. occupat. In fine: *Explicit* etc. *Impreſſus pariſiis per Iohānem lambert in vico ſancti iacobi commorantem p Dyoniſio Roce.* Literae ſunt gothicae minutae.

1467.

Per Olricum Zel de Hanaw. 4. Beati Auguſtini liber de vita chriſtiana. Eiuſdem liber de ſingularitate clericorum. In fine poſterioris: *Explicit Liber beati auguſtini epi. de ſingularitate clericorum. Per me Olricum Zel de hanau clericū dioceſ. Moguntinen. Anno milleſimo quatercenteſimo ſexageſimo ſeptimo.*

Prior tractatus XIX. folia, alter XXXIII. complectitur, quorum ſingulae paginae lineis XXVII. conſtant. *Debure* in Cat. Ducis de la Val. T. I. p. 173. Supra ſub *opuſculis* plures inuenies Auguſtini tractatus huic editioni valde ſimiles, ab eodem haud dubie typographo, circa annum 1470, vt putant, impreſſos.

(50) *De XII. abuſionum gradibus.*

Sine anno

et loco. f. Aurelii Auguſtini Iponenſium preſulis digniſſimi liber de XII. abuſionibus ſeculi, incipit feliciter. In fine: *Laus deo.* Separatim vero folio

vltimo

vltimo impreſſa ſunt *Auguſtini de origine animae electiſſima auctoritas* et *Auguſtinus de diuinatione daemonum.* In fine iterum: *Laus deo.* Hinc eſt, quod in duobus huius editionis exemplis apud *Seemillerum faſc. I. p.* 109. alterum non niſi opuſculum primo loco commemoratum exhibeat, alterum praeter reliqua duo vno folio comprehenſa praebeat etiam *B. Anſelmi libros duo de eo, cur Deus homo?* viginti nouem foliis impreſſos. — Plagulae ſunt quatuor. Characteres gothici rudiores et inaequales lineis latis impreſſi, in quibus imprimis frequens ſyllabarum *de. be. po. bo. vo. co. ho.* in vnam figuram contractio. Nec deſunt crebra ſyllabarum compendia.

1514.

Lipſiae. 4. D. Aur. Aug. Hipp. ep. de duodecim abuſionum gradibus in mundo: liber vtilis atque delectabilis. In fine, poſt tituli repetitionem: *Lypſck per Baccalaureum Martinum herbipolenſem diligenter impreſſus: anno a natiuitate Chriſti Milleſimo quingenteſimo quarto decimo.* Subiiciuntur inſignia typothetae in ipſo fine.

1521.

Augſpurg durch Sigiſm. Grimm und Marx Wirſung. 4. Auguſtinus von den zwoelff Stapffeln der Myſſbrauchung von dem neuen Geſang, wie man das Reich der hymel erlangen mag, verteutſcht durch *Georg Spalatinum.*

(55) *De Antichriſto.*

1522.

Pariſiis. . . . . S. Auguſtini fragmentum ex tractatu de Antichriſto (qui inter Alcuini et Rabani opera reperitur) *Extat* in *Mirabili libro, qui Prophetias* etc. demonſtrat. *Audiffred.* in *Cat. Caſanat. Bibl.*

(75) *De*

(75) *De eſſentia Diuinitatis.*

1510.

Lipſiae per Wolffgangum Monacenſ. 4. D. Aur. Aug. Hipp. Epiſc. liber de eſſentia diuinitatis, quo Anthropomorphitarum et Vadianorum errores ex falſis quorundam Philoſophorum opinionibus exortos praecipue reprobat: luce clarius explicans corporalia et humana membra. non carnaliter ſed ſpiritualiter in ſacris literis. diuinitati attribui. Annexis quibuſdam annotationibus. a Doctore *Magno Hundt* Parthenopolit. in Academia Liptzeñ. ex tempore collectis: Studioſis et philoſophiae et ſacrarum literarum amatoribus admodum proficuis. — Praemiſſa eſt editoris ep. ad Paulum Schillerum, Philoſ. et SS. Lit. Profeſſ. data. in Colleg. Princip. 1508. decima ſeptima Octobris. Verba Auguſtini et Annotationes alternis ſe inuicem excipiunt. In Bibl. Colon. laudatur editio Hundii Lipſiae 1509. ex Becmanni Cat. Bibl. Francof. p. 35.

Sequentes neſcio quo referam.

In Matthaeum Comm.

Sine anno

et loco. S. Auguſtini commentarii in Matthaeum. Per omnia editioni librorum de doctrina Chriſtiana abſque loci et anni indicio expreſſae ſimiles eſſe tradit *Ge. Pray* in *Cat. Bibl. Bud. T. I. p.* 89. Vterque liber etiam vno volumine in iſta Bibliotheca comprehendebatur et Praius deſcripturus erat accuratius, ni mutilum huius exemplum fuiſſet. Neſcio an ſit particula *Quaeſtionum Euangelicarum*, quae inter genuina n. 41. recenſentur.

De Vanitatibus Saeculi.

Sine anno

loco et typogr. 4. S. Auguſtini, Epiſcopi Hipponenſis 1) de Vanitatibus ſaeculi, 2) de Vita Chriſtiana.

Huius editionis memoriam, vt tot aliarum, quae rariſſime alias obtingunt, ſeruauit Cl. Seemiller faſc. II. p. 150. Separari duo haec opuſcula non poſſunt, atque vna conſtant foliis XXIII. lineis XXV. per paginam, charactere gothico paulo maiori, oblongo et luculento, eodem, quo Conradus Finer Eſſlingenſis vſus eſt *), impreſſis. Abſunt cuſtodes, ſignaturae, numeri et inſcriptiones paginarum. Attamen duae initiales literae horum opuſculorum formis ligneis impreſſae ſunt. Initium: *Incipit liber Auguſtini de vanitatibus ſeculi.* Sub finem folii quinti pagina auerſa duabus lineis: *Explicit liber ſancti Auguſtini de vanitatibus ſeculi feliciter.* Tum in fronte folii ſexti: *Prologus libri beati Auguſtini de Vita Xpiana incipit feliciter;* atque in extrema tandem pagina tribus lineis: *Explicit liber ſancti Auguſtini de vita Chriſtiana feliciter.* Ceterum neſcire me fateor, quo primum tractatum referam, ſuſpicor tamen, eundem eſſe cum ſermone, qui vulgo *de Vanitate* ſaeculi inſcribitur, inter dubia relatus num. 9. b.

Expoſitio Symboli et Orationis Dominicae.

Sine anno

loco et typographo. fol. S. Auguſtini 1) Expoſitio Symboli. 2) Eiuſdem expoſitio Orationis Dominicae. Com-

*) Cuius gratia lectores ablegat ad *Gerhohi Steigenberger literariſch-krit. Abh. üb. die zwo alleraelteſte gedr. deutſche Bibeln* etc. qui Tab. III. n. 3 et 4. eundem aere incidendum curauit.

Commemorat duo haec opuſcula, cum aliquot Thomae Aquinatis et Henrici de Haſſia, idem paene argumentum concernentibus et iiſdem typis expreſſis, compacta, Cl. *Seemiller faſc. I. p.* 152. ſq. Impreſſa ſunt charactere gothico nonnihil maiori et oblongo. Interpunctionum ſigna ſunt punctum, comma ſupra et infra lineam prominens, cui interdum punctum in formam ſigni exclamandi ſubiici vir laudatus animaduertit. Lineae triginta per paginam integram numerantur; numeri, ſignaturae, cuſtodes, nec non initiales literae deſunt.

Sine anno

loco et typogr. 4. *min.* S. Auguſtini 1) Sermo ſuper oratione Dominica, 2) Expoſitio Symboli, 3) Sermo de ebrietate cauenda.

Tria haec opuſcula, quorum penes eundem Virum doctum *faſc. I. p.* 163. memoria eſt prodita, vno volumine VIII. foliorum, ita, vt ſeparari nequeant, comprehenduntur. Characteres, eodem teſte, ſunt gothici, minuti, ſed admodum pingues, non abſimiles iis, quos imprimis Vdalricus Zel frequenter adhibuit, minores tamen. Diſtinctionis ſignum laqueus hac forma |~|. Numeris, ſignaturis, cuſtodibus et literis initialibus caret. Pagina iuſta lineas XXVII. complectitur.

De virtute Pſalmorum.

Sine anno

loco et typogr. 4. In fronte: *Incipit Auguſtinus De virtute pſalmorum.* In fine: *Explicit Auguſtinus de virtute pſalmorum.* Cl. *Seemiller* faſc. II. p. 163. Impreſſum eſt volumen, hoc teſte, gothico charactere ſingularis formae et iuſtae magnitudinis in

charta alba ac nitida, abſque cuſtodibus, numeris etc. niſi quod priora quinque folia typographus ſignauit.

Sine anno.

Pariſiis per Dionyſ. Roce. 8. Auguſtinus de virtute pſalmorum. Typographus ex ſigno titulo impreſſo noſcitur. Vid. ex eadem officina librum *de vita Chriſtiana.* In *Cat. Bibl. Bodl.* huius libri editio quaternis *ſine l. et a. indicio* facta memoratur.

Hactenus *Annales editionum ſingulorum* Auguſtini *librorum.*

§. 4. Defloratores et Commentatores praecipui Operum S. Auguſtini.

Caſimirus Oudinus in Commentario *de Scriptoribus Eccleſiaſticis Tomo I. pag.* 990. abſoluta iam notitia de vita, ſcriptis et editionibus S. Auguſtini, ſingulare caput *de Defloratoribus vel Commentatoribus D. Auguſtini, tam antiquis, quam recentibus praecipuis* perſcripſit et reliquis tanquam *ſeptimum et vltimum* adiecit. Quem ſecuti *Auctores M. Bibliothecae Eccleſiaſticae Colonienſis*, totum paene ſeruata etiam epigraphe in commentarios ſuos, voce AVGVSTINVS num. VI. pag. 767. retulerunt, ita tamen, vt refectis iis, de quibus alio loco commodius verba feciſſent, auxerint etiam non poenitendis additionibus. Optimum inſtitutum a nobis non ſine lectorum detrimento deſeri poſſe videbatur. Sed intelleximus etiam, quae ab illis nouiſſime congeſta erant, paucis tantum in locis emendationem aliquam deſiderare et pauciora ineſſe, quae noſtrae tractationi apta non eſſent. Nec ſperandum fuit, vt ipſi ampliora quodammodo daremus, quin immo, quae in proprias ſchedulas digeſſeramus ad hocce argumentum ſpectantia, ad vnum omnia ab illis occupata eſſe cognouimus. Quapropter nullatenus dubitauimus, quicquid in tota hac Oudini et Colonienſium diſſer-

tatione

tatione nobis probaretur, ipſis eorum verbis huc transferre, dummodo non alieno merito quidquam ſubtraxiſſe videremur.

Primus fuit *S. Proſper Aquitanus*, qui circa annum 450. librum *Sententiarum ex S. Auguſtino delibatarum* confecit, ſtudio *Io. a Fuchte* aliquoties ſeorſim editum, de quo nos ſuo loco. Colonienſes, titulo libri non ſatis integro inducti, memoriam eius tanquam ipſius editoris opellae poſt *Lumnii Theſaurum* inſeruerant. Proximus aetate fuit, cui primum locum in hac ſerie dederat Oudinus,

Eugyppius Abbas et Presbyter Africanus Saec. VI. qui *ſententias, quaeſtiones* etc. ex *S. Auguſtini* ſcriptis deflorauit et in vnum corpus, cui *Theſauri* nomen fecit, collegit. Hic cum ad noſtrum etiam cenſum pertineat, plura de eo in ſequenti Tomo dicta inuenies.

Inter MSS. Codices Bibl. Venetae Cardinalis Beſſarionis, extat *Petri Abbatis Tripolitani* nomine *Expoſitio in Epiſtolas D. Pauli ex diui Auguſtini Sermonibus*, in membrana, de qua loquitur Baronius ad annum 562. poſt Caſſiodorum *Diuinarum Inſtitutionum* cap. 8. Sed an legitimum opus Petri Tripolitani Abbatis ſit, caute diſcutiendum eſt: licet hoc ſcribat Iacobus Philippus Thomaſinus in Catalogo Bibliothecarum Venetarum Publicarum et Priuatarum, quem anno 1650. Vtini in 4. imprimendum curauit. *Oud.*

Venerabilis *Beda*, natione Anglus, profeſſione Monachus et Presbyter, qui anno DCCX. et ſequentibus floruit. Extant inter Opera V. Bedae *Commentaria in omnes Epiſtolas S. Pauli, ex Auguſtini operibus vt plurimum excerpta*, de quo Opere Baronius in Annalibus ad a. 562. litem Bedae mouet, ac Petro Abbati Tripolitano, de quo Caſſiodorus *Diui-*

narum inſtitutionum cap. 8. adſcribendum cenſet. Verum Ioannes Mabillonius litem intentatam praeclare diluit, qui T. I. *Analectorum*, Diſſertatione ſingulari p. 12. nec Bedae, nec Petro, ſed *Floro* Magiſtro, Lugdunenſis Eccleſiae Diacono, deberi demonſtrat. Verum interim *Commentarium Bedae* (nam S. Pauli Epiſtolas ab eo explicitas eſſe, ipſe in *Indiculo* Operum ſuorum fidem facit) eiuſque *Collectaneum in Apoſtolum ex Operibus Auguſtini decerptum*, grandi ſatis volumine nondum impreſſum, penes ſe habuiſſe teſtatur Lupus, Ferrarienſis Abbas, Epiſtola 76 ad Hincmarum p. 118. Extat autem in duobus MSS. exemplaribus apud Ioannem Mabillonium, ex bibliotheca S. Germani Pratenſis, vt idem teſtatur. Vide quae habet Stephanus Baluzius in Notis ad Lupum Ferrarienſem p. 405. *Oud.*

Magiſter *Florus*, Lugdunenſis Eccleſiae Diaconus, circa a. 850. inclytus, ſcripſit *Commentarium in omnes S. Pauli Epiſtolas ex S. Auguſtini Scriptis contextum*, qui habetur Tomo 6. Operum Bedae, ei falſo adſcriptus. Nam *Flori* iſtius eſſe ex pluribus MSS. Codicibus docuit Ioannes Mabillon, Diſquiſitione hac de re compoſita *Analectorum* T. I. p. 12. ſqq. qua etiam oſtendit, genuinum Bedae Commentarium ab euulgato eſſe opus diuerſum, idque nondum typis editum penes ſe habere, aliquando in lucem proferendum. Alibi tamen obſeruat in 3 MSS. codicibus Abbatiae S. Galli in Heluetia, qui annorum 800 et 700 ſunt, hanc ipſam Bedae expoſitionem ſub nomine *Flori Presbyteri* contineri, de qua vide quae adnotauit erudite T. 4. *Analectorum* p. 630. Abbreuiauit prolixum *Flori Commentarium in Epiſtolas Pauli* circa a. 1180. *Robertus de Torinneio*, in Normannia, Abbas S. Michaelis de Monte, dioeceſis Abrincenſis, quem arbitratus eſt ſpectaſſe ad

Petrum

Petrum Tripolitanum, quamque ſententiam ad annum Chriſti DLXII. Baronius amplexus eſt, cuius *Abbreuiatio* MS. extat inter MSS. Codices bibliothecae S. Michaelis de Monte. Extat autem *Epiſtola et Prologus in Abbreuiationes Epiſtolarum Apoſtoli ſecundum Auguſtinum*, in Appendice ad Guiberti Opera a Luca Dacherio edita Pariſiis fol. 1651. p. 715. quam ex MS. Codice produxit. Haec *Oudinus*, copioſius alibi de iiſdem in recenſu operum *Bedae* et *Flori* Lugdunenſis diſſerens. Nos ſupra ſingularem eamque vetuſtiſſimam horum *Commentariorum* editionem produximus.

Bonizo, Sutrii ac Placentiae Epiſcopus, circa a. 1073. compoſuit *Auguſtinianam Epitomen* ſeu *Excerptum Sententiarum Mirifici doctoris Auguſtini* libris 8. diſtinctum, quod S. Ioanni Gualberto, Fundatori et primo Abbati Vallis Vmbroſae dedicauit, extatque MS. in bibliotheca Caeſarea Vindobonenſi, inter MSS. codices ex arce Ambroſiana illuc allatos, Codice LXXXV. vt teſtatur Petrus Lambecius illius inſpector et cuſtos T. 2. *Commentariorum* huius bibliothecae cap. 8. p. 790. ſqq. *Oud.*

Guillelmus Abbas S. Theodorici prope Remos, in Gallia, Ordinis S. Benedicti, tum ex Abbate factus Monachus ordinis Ciſtercienſis apud Signiacum in eadem dioeceſi, Saeculo XII. cuius inter Collectanea habetur Opuſculum *Sententiarum de Fide ex S. Auguſtini* Operibus collectum, quod a ſe ex autographo MS. Bibl. Signiacenſis Ord. Ciſtercienſis transſcriptum teſtatur Oudinus traditumque *Thomae Blampino* Bened. Congreg. S. Mauri, qui hanc Collectionem ſub Autoris proprii nomine in Append. vltimi voluminis Operum *S. Auguſtini* edendam promiſerat, quod tamen non praeſtitit. *Colonienſes ex Oudino.*

Rob. Kilwardby Ord. Praedic. natione Anglus, Cantuarienſis Archiepiſcopus, et Cardinalis Epiſcopus Portuenſis Saec. XIII. libros *S. Auguſtini* fere omnes, aliorumque plurium Eccleſiae Doctorum per parua capitula diſtinxit, ſententiam ſingulorum ſub breuibus annotando. Cuius laboris varia in Bibl. Regia Pariſ. ſuperſunt monumenta MS. quae recenſet *Echardus* in Script. Ord. Praed. ad a. 1279. p. 379. vbi et alia memorat ex Catal. Anglic. *Colonienſes.*

Bartholomaeus Vrbinas Epiſcopus circa medium Saec. XIV. Eremita Auguſtinianus, *S. Auguſtini* et *Ambroſii* Operum lector aſſiduus, Sententias vtriusque inſigniores excerpſit, quas in Alphabeti ordinem digeſtas, *Milleloquium* appellari voluit. Atque ab *Auguſtino* quidem *Triumpho* eiuſdem Ordinis, (vulgo *de Ancona* dicto) eius Praeceptore, *Milleloquium Auguſtini ſententiarum* inceptum, a diſcipulo abſolutum, *Lugduni* a. 1555. impreſſum eſt. *Milleloquium Ambroſii* ibid. a. 1556. fol. *Colon. ex Oud.*

Antonius de Nomis Florentinus, (aliis Maciallenſis) Eremita Auguſtinianus, qui a. 1438. deceſſit, e libris *S. Auguſtini* capita omnem fere literarum Diuinarum tractationem continentia digeſſit et inſcripſit, *Flores Doctoris S. Patris Auguſtini*, quae extare dicuntur in Bibl. S. Spiritus Florentiae. *Colon.*

Ioh. Frid. Lumnii *) *Theſaurus Chriſtiani hominis* ex ſcriptis *S. Auguſtini* collectus, *Antuerp.* 1588. *Colon.*

Dulciloquiorum S. Auguſtini Libros tres, ex vetere MS. exemplari Bibl. *Romersdorpianae* primum editos *Herbonae* 1592. 12. a viris fide dignis ſe accepiſſe

*) Male *Lunicii* apud *Lipen.* Bibl. Theol. II. 916. *Colon.*

cepiſſe teſtatur Labbeus *), ſed nondum vidiſſe ſcribit. *Colonienſes.* In *Cat. Bibl. Reg. Pariſ.* dictus liber extat editus *Herbonae Naſſouiorum* 1614. 12. h. t. *Aur. Auguſtini libri tres Dulciloquiorum e bibliothecae Romerſtorpianae vetere manuſcripto exemplari nunc primum editi ſtudio Guil. Rolichii.*

Io. Gaſtius, Briſacenſis, Commentarios in vniverſa Biblia ex Auguſtini operibus collectos edidit *Baſileae apud Heruagium* 1542. *II. Tomis fol.* Laudat *Cat. Bibl. Bodlei.* Einſdem Operis Tomum I. Vetus Teſtamentum complexum, editionis *Venetae* ex *officina Eraſmiana* 1543. profert *Cat. Bibl. Thott.*

Hieron. Torres ſeu *Torrenſis*, Soc. Ieſu Hiſpanus, *Confeſſionem Auguſtinianam* in Libros IV. distributam, et certis capitibus locorum Theologicorum comprehenſam, ex omnibus *S. Auguſtini* Operibus magno ſtudio collectam, edidit Dilingae 1568. et rurſum auctiorem ac emendatiorem, 1569. *fol.* **) Eam *Auguſtanae Confeſſioni* oppoſuit; *quo in Opere* (ait *Alegambius* Bibl. Script. S. I. p. 188.) *duo egregie praeſtat; alterum, quod Catholica dogmata mirifice probat, et confirmat, refutatque Haereticorum errores ex* Auguſtino: *alterum, quod locos ipſius* Auguſtini, *vel male intellectos, vel malitioſe detortos,*

*) *Diſſert. de Script. Eccleſ.* in Addend. et corrigendis p. 714. apud *Oudinum* col. 952. *Colon.*

**) Ita *Alegambius* MDLXIX. *Lipenius* vero Bibl. Theol. I. 117. habet 1596. vti et *Oudinus* in Comment. col. 993. *ad multam vſque ſenectutem*, ait, *prouectus correxit, ablatis iis, quae tanquam* S. Auguſtini *attulerat* ex lib. *de Fide ad Petrum*, quem *S. Fulgentii* eſſe compertum eſt: et ex libro *de Eccleſiaſticis Dogmatibus*, qui eſt *Gennadii* Maſſilienſis. *Colon.*

tos, *atque ab Haereticis deprauatos*, *ad amuſſim revocat*, *atque ſincere interpretatur.* *Oud.* et *Colon.*

Ioannes Piſcatorius Lithopolitanus, qui Epitomen omnium Operum Auguſtini diligentia nequaquam ſordida compoſuit, cuius editionem factam *Auguſtae Vindelicorum apud Heinricum Steyner* 1537. fol. praeſentem intueri licet. Eius vero hic eſt titulus: *Omnium Operum Diui Aurelii Auguſtini Epiſcopi*, *vndecunque doctiſſimi*, *Epitome: Et quid vir ille*, *de Eccleſiae Sacramentis*, *nec non ſacrae Scripturae locis communioribus inſignioribuſque ſenſerit*, *ſcripſerit*, *ſimulatque docuerit per* IOANNEM PISCATORIVM *Lithopolitanum hoc libro fideliſſime et compendiaria quadam via diligentiſſime comportatum.* — Accedit in titulo breuis admonitio ad lectorem, in qua praeſentiſſima atque ipſiſſima Auguſtini verba exhibuiſſe ſe affirmat, et *Steph. Vigilii* Pacimontani Decaſtichon in laudem libri. Eiuſdemque Vigilii praefatio ante ipſius auctoris praefationem eſt inſerta. Diuiditur autem opus in tres tomos, quorum primus Auguſtini ſententias iuxta doctrinae Chriſtianae capita ordinatas proponit, alter varia et miſcellanea offert, tertius integros Auguſtini libros, quos ſupra in *Annalibus editionum Operum* indicauimus, praebet.

In hanc *Piſcatorii* operam manus temerarias inmiſit et conuicia gratiarum loco rependit Ioannes Peſſelius. Prodiit enim

Ioannis Peſſelii, Ord. Praedic. Tilani in Geldria, *Omnium Operum S. Auguſtini Epitome*, *primum quidem copioſe ac ſiniſtre collecta a* Iohanne Piſcatorio *haeretico*, *et a* Ioh. Peſſelio *recognita*, *aucta duplo*, *et Catholico ſenſu reddita; cui acceſſit eiuſdem*

opera

opera ex eodem Auguſtino collectus de ſeptem Sacramentis Tomus quartus Colon. Agrip. 1539. 1542. 1549. fol. *).

Iac. Tribeſci Brixiani, Canonici Regularis Lateranenſis, *Reſponſiones ad mille Quaeſita in omni fere facultate* ex omnibus *S. Auguſtini* libris excerptae, *Venet.* 1583. 4. Alibi deprehendimus ſignatas: *Venetiis ap. Bernh. Iuntam* 1586. 4.

Io. Bapt. Maſculi, Soc. Ieſu Neapolitani, *Ponderationes Concionales in Opera S. Auguſtini* Neap. 1652. fol. **) Forte idem opus, quod apud *Toppium* ***) inſcribitur: *Eruditarum lectionum S. Auguſtini libri Acroamatici ad Conciones, decem Tomis contractis in vnum.* Neap. 1656. fol. *Colon.*

Dauid Lenfant Pariſienſis Ord. Praed. *Concordantiae Auguſtinianae, ſiue collectio omnium ſententiarum, quae ſparſim reperiuntur in omnibus S. Auguſtini Operibus ad inſtar Concordantiarum Sacrae Scripturae* Tom. I. Pariſ. 1656. fol. II. 1665.

Eiuſdem *Biblia Auguſtiniana*, ſiue *collectio et explicatio omnium locorum Sacrae Scripturae, quae ſparſim reperiuntur in omnibus S. Auguſtini Operibus, ordine Biblico.* Pariſ. 1661. 1670. Tomis II.

Albertus, Dux Luinenſis *(de Luines)* Pariſiis demortuus d. 10. Oct. a. 1690. aet. 69. edidit *Sententias* et *Inſtructiones ex S. Auguſtino excerptas.* Pariſiis 1677. Haec *Colonienſes* p. 214.

Hactenus omnino de Auguſtino dictum eſto.

3. FAV-

*) Ex *Echard.* in *Script. Ord. Praed.* ad a. 1549. p. 135. *Colon.* Sed ed. a. 1535. quae apud eoſdem notatur, falſa eſt; nam *Piſcatorii Epitome* primum a. 1537. lucem aſpexit.

**) Ex *Lipen.* Bibl. Theol. I. 118.

***) *Bibl. Napol.* p. 137.

3.

FAVSTVS.

Manichaeus et Manichaeorum Epiſcopus, *gente Afer*, *ciuitate Mileuitanus*, *eloquio ſuauis*, *ingenio callidus* *), ac per hoc etiam doctrinae fama inter ſuos celebratus, ſed, vt Auguſtinus teſtatum reliquit, omnis eruditionis atque artium liberalium cognitionis expers et imperitus. Nouit enim hominem et crebros cum eo ſermones miſcuit, cum adhuc Manichaeos Carthagine adſectaretur, ſed tum primum quoque, perſpecta ſcilicet, cum in colloquiis, tum etiam ex inſtituta cum eo pertractione auctorum aliquot veterum, quos cognoſcere deſiderauerat, imperitia eius, ab hac ſecta alienari coepit, deſperans de ceteris eorum doctoribus, cum illum, cuius tanta eſſet exiſtimatio, ad quaeſtiones, de quibus inquietabatur, obmuteſcere vidiſſet **). Idem vero poſtea, cum Auguſtinus iam Epiſcopus Hippone factus eſſet, a. circiter 401. librum contra fidem Catholicorum emiſit, quem ille, ſimulac in manus eius perueniſſet, refutandum ſuſcepit, eum ipſum, cuius cauſa locum ei in commentariis hiſce tribuere neceſſum habuimus. Seruatur enim adhuc integer in *libris triginta tribus* Auguſtini *contra Fauſtum Manichaeum*, ita, vt praemiſſis ſub eius nomine verbis eius, ſuam illis reſponſionem ſub nomine ſuo ſubtexuerit. Extat autem opus iſtud in *Tomo VIII. Operum* S. Doctoris *ed. Bened.*, iuxta Antuerpienſe exemplar *pagg.* 131-332.

4. SECVN-

*) Auguſtin. *contra Fauſtum* ab initio ſtatim.

**) *Confeſſ.* lib. V. cap. III. VI. VII.

4.

SECVNDINVS.

Manichaeus, cuius extat *Epiſtola ad Auguſtinum* huius ſectae deſertorem, honorifice obiurgans, quod literis eum oppugnaret, et reditum ſuadens. Quae patria eius, quaeue conditio fuerit, incertum. Caueus Afrum fuiſſe coniicit, haud dubie non aliam ob ſpeciem, quam ſummam Manichaeorum per Africam frequentiam. Equidem, ſi ex ipſius verbis hariolari licet, Romanum vel Italum putauerim *). Inter Manichaeos nonniſi *Auditoris* locum obtinebat, Auguſtino ne facie quidem notus, tametſi veluti amicus ad eum ſcriberet **). Ingenio exili fuit et parum defaecato, vnde ſumma ſuperſtitionis ſuae adoratio, quam non rationum pondere et artificio, ſed inſicetis eloquii Auguſtini laudibus et omnibus obteſtationum modis ei obtrudere ſtudet. Reſpondit Auguſtinus nulla interpoſita mora a. 405. *Libro* ſeu Epiſtola *contra Secundinum Manichaeum* inſcripto, cui ipſa *Secundini Epiſtola* ab exordio eſt praefixa et habetur in *Octauo Operum* eius *Tomo* iuxta *ed. Bened.* et in *Antuerpienſi* quidem deſcriptione *pagg.* 369-72.

5. SVL-

*) Nimirum quoniam ipſe *Romanum hominem* ſe appellet, quemadmodum Auguſtinum *Punicum*, inhaerente ſimul huic nomini perſidiae exprobratione. Sed fieri etiam potuit, vt hoc reſpectu ſolum ſe Romanum diceret, tanquam fidelem et a deſertione et proditione abhorrentem.

**) Teſtatur Auguſtinus in *II. Retract. cap. X.* Quare neſcio, vnde Caueus hauſerit, Auguſtino, dum adhuc Manichaeis addictus eſſet, fuiſſe familiariſſimum. Vid. *Cav.* ad a. 390. *T. I. p.* 286. *ed. nov.*

5.

Svlpicivs Severvs.

§ 1. Vita. *Seuerus* cognomento *Sulpicius* patria Gallus fuit, Paulini Nolani conterraneus ex prouincia Aquitania. De anno natali eius non ſatis conſtat. Sunt tamen, qui Paulini verbis, quibus ſe illi comparans *aetate prouectiorem*, illum *florentiorem* dicit *), tantum tribuant, vt decem fere annis iuniorem ſtatuant, et ortum eius a. 363. aſſignent. Nobili genere et illuſtri familia prognatum fuiſſe educatumque pro loci iſtius ſplendore et facultatibus parentum haud modicis, ex eodem auctore ipſi quondam familiariſſimo diſcimus. Cauſas proinde aliquamdiu in foro actitauit ingeniique et eloquentiae laude fuit florentiſſimus; nec ſane ſcripta eius reliqua indignum eum ſaeculi ſui plauſibus et acclamatione produnt. Vxorem duxit ex familia conſulari vnicam forte parentum, qui Treuiris domicilium habebant, praediuitum filiam, quam mature defunctam grauiter luxiſſe videtur. Nam haud dubie moeror ex hoc caſu in animo ipſius peperit et aluit illud negotiorum faſtidium et quaſi fugam, quam monachatus per illud tempus patroni ſpecioſis titulis, quales ſunt *ſaeculo renunciare*, *iniquitatis tumultum effugere*, *Deo ſeruire*, *terrenae poſſeſſionis ſarcinam deponere*, aliaque, inuoluebant, anus et mulierculae imaginoſae admirabantur et ſuſtentabant, ſaniores vero homines et vitae cum priuatae, tum publicae rationibus ſaluhriter moderandis intenti, recte peſtem ſocietatis et reipublicae cenſebant. Saeculo igitur ſe abdicauit noſter et ſolitariam ac ſeueram viuendi rationem iniit, aſſumtis etiam ſociis aut fratribus, quorum ipſe anti-

*) Epiſt. V. ed. Lebrun. ſcripta a. 395.

antiſtitem ageret *), eodem tempore, quo Paulinus ille ſimile vitae inſtitutum amplexus erat, anno circiter 392; quapropter is ſexcentis locis animi eius hac in re magnitudinem praedicat, et cum alter alterum aemulari videri vellet, per literas inuicem ſcriptas ſibi ipſi longe anteponit Seuerum. Non ſic tamen patri eius probatum fuit hoc conſilium, immo ex eiuſdem Paulini verbis haud dubie colligitur, eum tantopere filio ſuccenſuiſſe, vt, cum flectere non potuiſſet, eum exheredaret. Enimuero hanc paternae beneuolentiae iacturam facile tulit, qui iuxta Paulini elogium *coeleſtem Patrem anteuerterat terreno parenti:* bona vero, per exheredationem amiſſa, abunde compenſauit ſocrus eius Baſſulae liberalitas, quam quidem coniiciunt omnes ſuas opes per adoptionem in eum transtuliſſe; nec deſideraſſe videtur, niſi in eo, quod aliquanto minus ad pauperum aut eccleſiarum vſus erogare poſſet; quod eum liberaliter feciſſe, ita tamen, vt non omnibus ſe exueret, magnificis laudibus Paulinus proſequitur. Paulo poſt, percrebeſcentibus per vniuerſam Galliam S. Martini Turonenſis virtutibus et miraculis, ad eum ſe contulit, non ſolum, vt ipſum propius intueretur et agnoſceret, ſed haud dubie etiam, vt conſilia ab eo et praeſidia ad nouum vitae inſtitutum recte proſequendum peteret. Nec ſemel vero eum adiit, ſed ſingulis annis pluries, adeo, vt a Paulino *frequentator S. Martini* dici meruerit. Tantum vero apud eum Sanctitas huius viri amorem et admirationem accendit, vt extemplo vitam eius ſcribere aggrederetur. Nec tamen ante, quam defuncto S. Martino, narrationem ſuam prodire paſſus eſt, eloquio ſuauem et iucundam, ſed anili ſuperſtitione adeo repletam, vt omnem

*) *Hieronym. de Prato in vita Sulpicii.* §. 8.

omnem ingenii priſtini vim diuturna rerum mirabilium atque coeleſtium cogitatio abſtuliſſe atque conſumſiſſe videatur. Addidit his continuo epiſtolas et Dialogos de eodem Martino et monumentum neutiquam ſordidum ac vile Hiſtoriarum Sacrarum; quae iunctim ad annum fere 405. pertingere ex catalogo ſcriptorum eius, mox iuxta Hieronymi de Prato ſupputationem ſubiiciendo, patebit. Quid poſtea egerit, vbinam et quamdiu vixerit, incertum eſt. Vulgo quidem anno 420 aut 422 obiiſſe creditur, ac Baronius a. 432. eum adhuc ſuperſtitem fecit, nullo tamen, vt laudatus Hieronymus de Prato animaduertit, argumento, praeterquam eo, quod Gennadio excidit, vt ſcriberet, *eum in ſenectute ſua a Pelagianis deceptum, poſtquam loquacitatis culpam agnouiſſet, ſilentium vſque ad mortem tenuiſſe, vt peccatum, quod loquendo contraxiſſet, tacendo penitus emendaret;* id quod non tam explorata veritate, quam ex ſola fama illum ſcripſiſſe, dudum Guibertus Martinus Abbas Gemblacenſis, ſcriptor ſaeculi decimi tertii, et cum eo editor Veronenſis exiſtimauit. Digna tamen, quae hic commemoretur, eiuſdem Docti Veronenſis de his euentibus eſt coniectura. Nimirum ſtatuit ille, Seuerum aliquot annis poſt 406, aut, vt paucis interiectis profert, anno 410, aut aliquanto poſt, diem ſuum obiiſſe, idque Maſſiliae. Primum ſuadere, ait, S. Paulini perpetuum poſt illud tempus de Seuero ſilentium, tum ſeriem temporis, iuxta quod a Gennadio inter ſcriptores eccleſiaſticos proferatur. Alterum defendit ex antiquiſſimo et fere Gennadio ſuppari Capituli Veronenſis Codice, qui ſemel atque iterum Seuerum *Monachum Maſſilienſem* appellet, quam appellationem ex antiquioribus codicibus iiſque aut Turonis, aut Maſſiliae, aut certe in aliquo Galliae monaſterio, vbi recens

cens eius memoria adhuc perduraret, conſcriptis in eundem manaſſe ſuſpicatur. Adſtruere haec tentauit ex temporum illorum in Gallia conditione et ſtatu funeſtiſſimo, quibus omnem Galliam, maxime autem Aquitaniam, ceteris eius prouinciis multo vberiorem ac ditiorem, igne, caedibus ac rapinis per irruentes Barbaros vaſtatam ſcriptores coaetanei ab ipſo excitati pingunt. Hinc veroſimile exiſtimat, *Seuerum ſolum vertere fuiſſe compulſum, non quidem, vt aut prope Turonos, aut in Beorretanae vrbis agrum ſecederet, quibus in locis minime a barbarorum vi tutus fuiſſet, ſed vt ſe reciperet in maritimam aliquam vrbem, vbi quiete ſubſiſtere et in alias, ſi oportuiſſet, terras commode migrare poſſet.* Maſſiliam autem huic conſilio aptiſſimam videri debuiſſe, quia Conſtantinus tyrannus Arelate ſubſiſtens hanc potiſſimum Galliae partem a Barbarorum ferro et rapinis immunem ſeruauerit. Porro Maſſiliae monachi habitum induiſſe eiuſdem Codicis Capitularis auctoritate infert et acute ſubiicit, id fortaſſe in eo monaſterio, quod ibidem per illud tempus Caſſianus excitauerit, factum eſſe; quin, ab eodem etiam Pelagianae doctrinae, quam ille ſcriptis tantum inſperſerat et poſtea acriter defendit, antequam ab Innocentio et Zoſimo damnaretur *), aliquo amore imbui potuiſſe.

Scripta

*) Multum ponderis Vir doctus tribuit verbo *deceptus* in loco Gennadii, ex quo confici vult, id ante factum eſſe, quam Pelagiani in graue illud primorum eccleſiae odium incurrerent et tandem imperatoris edictis premerentur. Non enim *deceptum* iure dici potuiſſe, qui probe eam doctrinam ab Hieronymo, Auguſtino et multis catholicis epiſcopis impugnatam, ab Innocentio et Zoſimo damnatam et ab Honorio imperatore proſcriptam (ſic ſaltem haec collocari oportebat, quae aliter tamen Roma-

§. 2. Scripta. Scripta Seueri, quae nunc viſuntur in codicibus tam MSS. quam impreſſis, iuxta rationes a nouiſſimo Veronenſi editore inſtitutas, ſunt:

1. *Vita S. Martini Turonenſis*, non vt antea ab omnibus fere creditum eſt, viuente adhuc ſancto epiſcopo, ſed poſt mortem eius demum et quidem anno circiter CCCC vergente edita; quod acute demonſtrare niſus eſt laudatus vir in *Diſſertatione I. in Sulpic. Seuer.* T. I. Op. pagg. 149-163. Ad eandem vero *ſecunda* etiam et *tertia* diſſertatio, quarum altera *proponit argumenta, quae oſtendant, S. Martinum anno CCCC. die III iduum nouembris ad ſuperos migraſſe*, altera *argumenta quaecunque ante definitis obiici ſolent aut poſſunt, diluuntur:* pagg. 164-231. Praecedit hunc libellum *Epiſtola* ad *Deſiderium fratrem*, in qua ſe precibus illius adductum edere illum ſignificat; optat autem, ſi fieri poſſit, ne aliis euulget. Quodſi tamen contra, ac ſibi ſpopondiſſet, cum aliis communicaretur, bonam veniam a lectoribus poſtulari aut ſuppreſſo ſaltem nomine illud fieri iubet; *quod vt fieri valeat*, inquit, *titulum fronti erade, vt muta ſit pagina, aut, quod ſufficit, loquatur materiam, non loquatur auctorem.*

2. Martini vitam proxime praeiuerunt partim, partim ſecutae ſunt *Tres Epiſtolae* de eodem argumento, nimirum I. *ad Euſebium presbyterum contra*

Romanae Curiae placent) noſſe debuiſſet. *Loquacitatis* autem *culpam*, quam Gennadius ei exprobrat, interpretatur *illam in exagitandis monachorum, clericorum et epiſcoporum ſuae aetatis et prouinciae* (quae tamen in his nulli terrarum deterior erat) *vitiis liberiorem licentiam, quam ſubinde etiam in ſcriptis ſuperſtitibus prodiderit.* Certe haec intuentem Pelagium non ſequi difficile erat.

tra aemulos virtutum beati Martini. II. *ad Aurelium Diaconum de obitu et apparitione eiuſdem.* III. *ad Baſſulam ſocrum ſuam, de tranſitu illius ex hac vita ad immortalem;* de quibus diſputatur ibidem *Diſſertat.* I. §§. V. ſeqq. Notari etiam debet inſignis diſcrepantia, quam inter vulgarem lectionem et Codicem capitularem Veronenſem in fine tertiae Epiſtolae idem animaduertit, vndeque colligere ſe ſcribit, hanc poſtremam partem ab aliquo fuiſſe interpolatam, et vt facile cuicunque ſit iudicium, vtrumque e regione ſibi reſpondentem propoſuit.

3. Tertium opus eſt *Hiſtoriae ſacrae* breuiarium eodem anno CCCC aut non multo poſt ſuſceptum, a mundi initio vſque ad Stiliconem conſulem, qui hoc anno conſul primum prodiit. „Huic operi, *inquit Hieronymus de Prato*, intentus erat biennio poſt, quum a Paulino petiit, vt quaſdam chronologiae difficultates in ea occurrentes ſibi explanaret: quod colligimus ex epiſtola XXVIIII. Paulini anno CCCCII ſcripta, qua illi reſpondet, ſe de ea re Rufinum conſuluiſſe, et, ſi quid is opis attulerit, facturum certiorem. Sed et anno CCCCIII. accepta a Paulino inuentionis S. Crucis hiſtoria, quam eius epiſtola XXXI. ad eundem ſcripta fuſe narrat, eam libello ſuo adiecit, iiſdem fere verbis expreſſam.

4. *Dialogi tres*, ſeu rectius *duo*, vt Gennadius prodidit; nam qui nunc pro ſecundo habetur, eum partem tantummodo primi conſtituere iudicat *Hieronym. de Prato.* Accenſet eos anno CCCCV. ac copioſiſſime de iiſdem diſſerit in Diſſert. V. et VI. pagg. 259-317.

5. *Epiſtolae VI.* Nempe I. *ad Claudiam Sororem* de vltimo iudicio. II. *ad eandem* de Virginitate, perlonga. III. *ad Paulinum Epiſcopum.* IV. abſque inſcriptione, ad Decuriones cuiuſdam ciuita-

tis. V. *ad Saluium.* VI. incertum ad quem directa fuerit. Eſt breuiſſima et paucarum tantum linearum.

Interciderunt Epiſtolae plures. Gennadius quidem *duarum* ad Paulinum meminit et alias ad alios ſcripſiſſe eum docet: *ſed*, inquit, *quia in aliquibus familiaris neceſſitas inſerta eſt, non digeruntur.* Eadem vero de cauſa etiam in aliquibus libris MSS. epiſtolam ad Baſſulam obtruncatam exhiberi obſeruat Hieronym. de Prato, qui inſuper addit, tot eum ad Paulinum epiſtolas ſcribere debuiſſe, quot illius nunc ad eum ſuperſint.

Falſo Seuero *tributa eſt* inter epiſtolas a Dacherio vulgatas *quinta ad Paulinum inſcripta*, quae potius ex Veronenſis editoris iudicio eſt *Plebis Circenſis ad S. Auguſtinum*, cuique reſpondet Auguſtinus epiſtola CXLIV. in ed. PP. Maurinorum. Cf. laudat. praefat. §. XXXII. Gallandius in Bibl. ſua lectorum gratia ſimul apponendam curauit Auguſtini reſponſionem.

§. 3. Editiones. Si praecipua editoris alicuius virtus ex ea potiſſimum facultate et ſolertia merito ſpectari debet, qua, quotquot ipſi ſuppetebant ad textum emendandum ac verae ſuae lectioni reſtituendum ſubſidia, excuſſerit et tractauerit, *duo* tantum ſunt, ex quo typis deſcribi Seueri opuſcula coepta ſunt, viri, qui nomen hoc iure ſibi arrogare queant. Quibus ſi addideris, per quos primum repertae et ex manuſcriptorum tenebris productae auctaeue ſingulae, quibus nunc conſtant, partes fuerint, ſex aut ſeptem ad ſummum viros attendere te iubebimus, quibus omnis fatorum Seueri ſcriptorum ſeries ab artis typographicae incunabulis deducta eſt. Sunt illi ſcilicet *Boninus Mombritius* Mediolanenſis, *Wolfgangus Lazius*, *Mathias Flacius* Illyricus, VICTORINVS GISELINVS, *Lucas Dacherius*, *Stephanus Baluzius* et noviſſi-

viſſimus HIERONYMVS DE PRATO *Veronenſis.* Nam prima Seueri opuſcula, quae typorum artificio exſcripta ſunt, fuerunt *Vita Sancti Martini* cum *Epiſtolis* et *Dialogis* ad eandem ſpectantibus, quae ex MS., neſcio quo, ante annum 1480 grandi ope-ri *Vitarum Sanctorum Mediolani* excuſo inſeruit *Boninus Mombritius*, ex quo exemplari deinde in *Poetarum Chriſtianorum Aldi Manutii Collectione* deſcripta ſunt. Sed vtraque exemplaria adeo ſe oculis doctorum hominum ſequenti ſaeculo ſubduxerant, vt, cum poſt non exiguum temporis interuallum a. 1551. *Wolfgangus Lazius* Viennenſis in Codice quodam Bibliothecae Imperialis ea deprehendiſſet, et ipſe impreſſa iam neſciret, et ab omnibus deinde editoribus, praeter nouiſſimum, primus, in Collectione aliquot ſcriptorum de Vita Chriſti, edidiſſe ea putaretur aut ſaltem diceretur *). Mirum vero tunc accidit, vt, cum ex vna parte iam paene ſepulta reuiuiſcere iterum Seuerus coepiſſet, item altera eiuſdem et potior abſque dubio, breui poſt luci vindicaretur. Anno enim 1556. *Mathias Flacius* edidit ex manuſcripto libro Hildeſienſi ex Oporina officina

*) Animaduertit Hieronymus de Prato, Franciſcum Iuretum in Notis ad Paulinum Petrocorienſem et alios alibi obſeruaſſe Aldinam editionem. *Neque tamen, qui poſtea Sulpicium ediderunt*, inquit, *Aldi librum adire et conferre operae pretium duxerunt; ſane Hornius et Vorſtius vno tantum in loco, quantum memini, ſcilicet ſub initium Dialogi ſecundi eius editionis meminerunt, ſed vtrique Iuretum exſcribentes; adeo, vt appareat, eam ab ipſis minime inſpectam fuiſſe: quam ſane ſi vel obiter inſpexiſſent, multo vulgatis emendatiorem offendiſſent. Hoc enim de ipſa iudicium grauiſſimi viri tulerunt.* Idem vero primus poſt trecentos paene annos Mombritianae memoriam recoluit.

ficina *Hiſtoriarum libros*, antea nomine tantum notos, quos a. 1560 Pariſiis recudi fecit *Iacobus Faber*, Doctor Sorbonicus, et notis primum illuſtrauit *Petrus Galeſinius Romae* 1564. Nec defuerunt, qui in vnum corpus iuncta haec colligerent. Nam licet de editione Baſileenſi a. 1563. non expedita res ſit, nouimus certe in *Grynaei Orthodoxographa* a. 1569. tam hiſtoriarum libros, quam de Martino commentarios receptos. Anno vero 1574. prodiit *Antwerpiae* Victorini Giſelini editio vtrosque complexa et, quod priores attinet, plurimorum MSS. codicum auxilio emaculatos. Tametſi autem Hiſtoria Sacra ab vno Flacii exemplari petenda fuit, diligentia tamen, qua illud expreſſit ſimulque menda eius ſuſtulit, itemque erudita eius cum aliorum ſcriptorum teſtimoniis collatio et chronologia ſubiuncta laudem huic editori nec vulgarem, nec immeritam conciliarunt. Iam Giſelinum ſecuti ſunt omnes, qui vel ſolis hiſtoriarum libris explicandis illuſtrandiſue operam contulerunt, vel integra opera prelo ſubiecerunt. Inter quos, priori loco commemoratis omnibus palmam praeripuit *Sigonius*, cuius commentarii textui Seueri adiuncti, primum editi *Bononiae* 1587., aliquoties deinde in Germania repetiti, locum nouiſſime in magnifica operum eius editione obtinuerunt. Huic neſcio an iungendus ſit *Druſius*, editione Arnhemii a. 1607. luci data, de cuius notis non magis equidem, quam Veronenſis editor quicquam confirmare poſſum. *Hornii* editio *Lugduni Batauorum* 1647. ibidemque 1654. et *Amſtelodami* tertium a. 1655. repetita, etſi non magnopere ad laudem valeat, habet tamen quaedam, quae doctis non diſpliceant. Quod Deg. Whear de *Schotano* cenſuit, eum mire Sulpicium illuſtraſſe et errores ipſius emendaſſe, difficilius fortaſſe, qui fugitiuo

gitiuo tantum oculo duo grandia volumina commentarii iſtius *Franequerae* a. 1661 et 1664. excuſa inſpexerit, ſibi perſuaderi ſinat. Inter haec anno 1667. noua incrementa numerus ſcriptorum Sulpicii Seueri cepit, editis ex MSS. recens a *Luca d' Achery* quinque Epiſtolis, quas, ſi non certo omnino Seueri eſſe euincantur, non improbabiliter tamen nomen eius praeferunt. Haec omnia opera commode recudi fecit et admodum vtilibus in Scholarum vſum notulis inſtruxit *Ioannes Vorſtius*, adhibito etiam MS. codice non proletario Bibl. Elector. Colonienſis, quae tum erat ad Spream, *Berolini* 1668. Quod inſtitutum vario quidem, ſed nullus infelici ſucceſſu ſecuti ſunt *Ioannes Gezelius*, Suecus, in ed. *Aboënſi* 1669, *Ioan. Caſp. Hofmeiſterus*, in ed. *Tigurina* 1708. et qui Vorſtium paene, certe notas eius de integro repraeſentauit, adſperſis etiam *Io. Clerici* quibuſdam, plene et nitidiſſime Schoettgenius. *Plene* autem addidimus, quod ſimul inſerta eſt *epiſtola*, quam omnium poſtremam ex MS. libro *Stephanus Baluzius* in *Miſcellaneis* 4. 1678. vulgauit.

Ab hoc tempore ad a. vſque 1734. Seuerus contemtior habitus eſt, vt tanto illuſtrior nouo VERONENSIS editionis cultu prodiret, quae criticis copiis et vſu, illuſtratione et explicatione neſcio quid praeclarum oſtendit, commendabilior tamen futura, ſi diſſertationes, quae eidem frequentes acceſſerunt, perfectae omniaque Seueri in ea haberentur. Quod poſtremum demum *Andreas Gallandius* recuſa Veronenſi recenſione in *Bibl. PP. Venet.* 1772. praeſtitit. Sequuntur Annales.

Saec. XV.

Sine anno

loco et typographo. fol. Vita S. Martini a Seuero conſcripta, in *ſecundo* Volumine *Vitarum Sanctorum* a *Bonino Mombritio* alphabetice digeſtarum.

Mediolanum patria eſt rariſſimi huius operis, vt dudum oſtendit *Ioſ. Ant. Saxius* in Hiſt. lit. Mediol. p. 610. Idem vir doctiſſimus ex praefixa dedicatoria tantum non ipſum annum, quo prodierit, eruit. Nam cum in ea verſibus elegiacis *Cichum Simonetam*, Ducum Mediolani Secretarium, editor depraedicet, colligit, eo temporis ſpatio, quod tutelam Io. Galeatii a Cicho ſuſceptam et annum 1480. quo indigniſſimo ſupplicio ſublatus eſt, intercefferit, hanc editionem eſſe peractam. Quod habitum eius atque ſpeciem attinet, charta eſt moduli maximi, alba et pellucida, impreſſa charactere rotundo, aequali et nitido, binis columnis iuſto ſpatio diſtantibus et amplis marginibus cinctis, lineis XXX. Caret cuiuscunque generis ſignaturis, literiſque initialibus. Sententiis diſtinguendis non nuda puncta inſeruiunt, ſed minutulae cruces, vna, quae puncti, duae, quae commatis vicem ſuſtinent. Haec pauca ex ipſa inſpectione exemplaris, quod inter ornamenta ſua numerat Bibliotheca Regia Acad. addere libuit. Ceterum commemorat eam verſibus etiam ad Cichum appoſitis *Bibl. Smithiana* p. 316. et quem Hambergerus addit, *Cat. libr.* Dom. *de Boze p.* 292.

Saec. XVI.

1502.

Venetiis apud Aldum. 4. Eadem; accedit *Poetis Chriſtianis* ab *Aldo* collectis. De hac Io. Alb. Fabricius in Bibl. Latina ſcribit: *Vitam S. Martini Turo-*

Turonenſis — primus edidit cum Sedulio et aliis Aldus Venetiis 1502., *recuſus deinde Pariſiis* 1511. *quas binas editiones Rittershuſius epiſt. MS. ad Puſtelium tam emendatas eſſe affirmat, vt veteris manu exarati codicis inſtar eſſe poſſint.* Cui in hoc adſentitur nouiſſimus operum Sulpicii Seueri editor, poſt allata Fabricii verba inquiens: *Neque tamen Aldinam, vt putauit Fabricius, primam fuiſſe Seueri impreſſionem deprehendimus: nam ſaeculo ſuperiori iam vulgati fuerant hi de Martino libelli a Bonino Mombritio in Vitis Sanctorum: quod tamen nemo ad hanc diem obſeruauerat. Vtrumque itaque librum nacti, vtrumque diligenter cum vulgatis contulimus magnoque cum fructu laboris noſtri. nam plerumque aut vterque aut alteruter Capitularis Brixianique codicis ſcripturam referebat confirmabatque.*

1511.

Pariſiis. . . . Eadem in recuſa Aldina *poetarum Chriſtianorum collectione.* Vide praecedentia Fabricii verba.

1551.

Baſileae ex off. Ioa. Oporini. f. B. Martini Sabarienſis, Epiſcopi Turonenſis, vitae a Sulpicio Severo latine conſcriptae libri tres, per *Wolfgangum Lazium* editi in collectione *diuerſorum auctorum apocryphorum de vita Chriſti et Apoſtolorum* *).

*) Vulgo ab *Abdia Babylone* laudare ſolent, cuius *hiſtoria certaminis apoſtolici* ſecundum in ea locum occupat. Sed rectius omnino ab *Ittigio* de *Bibliothecis PP.* p. 752. inter id generis libros recenſetur, quibus varia de Apoſtolorum et Sanctorum vitis monumenta comprehendi ſolent.

Comprehenduntur titulo *trium librorum vitae b. Martini* primo illud ipſum opuſculum, praecedente epiſtola ad Euſebium, ſecundo epiſtolae ad Aurelium et Baſſulam, tertio tres dialogi. Negat autem Giſelinus, hanc partitionem ex libro MS. depromtam eſſe poſſe, quod eidem nouem ſui codices manu exarati conſtanter aduerſentur et in eam, quam ipſe attulit quaeque etiamnunc retinetur, vnanimiter conſpirent, ipſe denique auctor ipſaque veritas illam auerſentur, vnde Gennadium, Gregorium Turonenſem et Abbatem Spanhemenſem auctores eius diſtinctionis habuiſſe colligit, ſed non ſatis prudenter eos ſecutum eſſe cenſet. Scilicet primus haec in lucem emittere ſibi videbatur Lazius, vſus, vt idem Giſelinus ſcribit, vnico tantum exemplari, perantiquo illo quidem, ſed innumeris flagitioſiſque mendis ſeu librarii culpa, ſeu manu recentioris cuiuſdam, ex ſuo ſaeculique ſui ingenio antiquum librum temere caſtigantis, oppleto.

1556.

Baſileae ex officina Oporini. 8. Sulpicii Seueri hiſtoria ſacra, cum adpendice de re liturgica, editore M. F.

Nomen, quod ſub hiſce literis, incertum qua de cauſa, latet, eſt *Matthiae Flacii*, qui ex vetuſto libro, e quadam bibliotheca Hildeſienſi eruto, accurata fide hos libros exprimendos curauit, vt ex mendis nonnullis citra vllam caſtigationem repraeſentatis Giſelinus colligit. Inſcripſit Nicolao Radziuilio, magnati Polono, magno tunc Lutheranorum patrono.

1560.

Pariſiis apud Guilielm. Guillard. 16. Sulpicii Seueri hiſtoria ſacra. Dorotheus de Prophetis Diſcipulis

pulis Domini, curante *Iacobo Fabro*, Doctore Sorbonico.

Iacobus iſte *Faber*, quem bene monet nouiſſimus Seueri editor, non confundendum eſſe cum celebri illo Iacobo Fabro Stapulenſi, cuius de meritis in Patres latinos iam ſaepius apud nos mentio incidit, exſcribenda editione Baſileenſi, ſi Giſeliuo credimus, partam Matthiae Flacio gloriam ſuffurari non erubuit. Ita enim carpit eum de repetitionibus Flacianae editionis verba faciens: *Eum libellum excuderunt deinde et alienis praefationibus ornarunt Colonienſes et Romani. — Quin immo, ſi diis placet, inuentus eſt, qui non ſolum bono huic M. F. nuncupatoriam epiſtolam paene ad verbum ſurriperet ſuaeque bene longae declamationi velut emendicatum pannum aſſueret, verum etiam Chriſtiano lectori perſuadere non ſit veritus, ſe ſacram hanc hiſtoriam (verbis eiuſdem vtar) in publicum omnium Catholicorum commodum euulgare ex mediis antiquorum ſaeculorum abditiſſimis ſcriniis erutam.*" Quid vero? ſi commodum Catholicorum maxime ſibi cordi fuiſſe dicit, de quo Flacium, vtpote heterodoxum, non cogitaſſe exiſtimat, rectene nomen illius celaſſe inter ſuos cenſebitur?

1563.

Baſileae. 16. Sulpicii Seueri opera omnia. Primam hanc omnium ſcriptorum Sulpicii iunctim impreſſorum editionem ab aliis proferri notat *Hieronymus a Prato* *).

1564.

*) In Praef. Tom. II. opp. eiuſd. p. XXI. in notula appoſita.

1564.

Romae apud Paulum Manutium Aldi fil. fol. Sulpicii Seueri Sacrae hiſtoriae libri duo, cum *Salviano* et pluribus PP. latinorum ſcriptis editis a *Petro Galeſinio*, cum adnotationibus eius a pag. 243-260. Notationes in Seuerum leguntur a pag. 321-378. ſatis doctae et ad iuuandam Seueri lectionem perquam idoneae.

1565.

Baſileae apud Oporinum (. . . .) Sulpicii Seueri — hiſtoria — *cum* Dorotheo. *Draudii Bibl. Claſſ.*

1569.

Baſileae apud Henric. Petri. f. Sulpitii Seueri ab exordio mundi vſque ad Valentiniani et Maximi Impp. tempora libri 2. Eiuſdem de diuo Martino libri 3. in *Io. Iac. Grynaei Orthodoxogr.* Tomo II.

1573.

Coloniae Agrippinae apud Io. Gymnicum. 12. Sulpicii Seueri Aquitani Hiſtoriae Sacrae a Mundi exordio ad ſua vſque tempora deductae, Libri duo. Item Dorothei, Epiſcopi Tyri, qui ſub Conſtantino Magno vixit, de vita Prophetarum et Apoſtolorum Synopſis. Quibus acceſſit rerum et verborum index copioſus.

Eſt repetitio Pariſienſis. Ex praemiſſa Iacobi Fabri praefatione nunc ipſi intelleximus, vera eſſe, quae ſupra ad corrigendum de eo Giſelini iudicium adſcripſimus, eum non tam editoris officia ſpectaſſe, quam commoda, quae ex multiplicatione exemplarium huius libri ſacra ſtudia inter catholicos captura eſſent. Nec enim alienae laudi inhiare ſe prodidit, qui ex abditis ſcriniis erutos euulgare libros profeſſus eſt. Quippe non ſuam in hoc operam iactat et fortaſſe

taſſe iure ſuo parum lectores id referre exiſtimabat, modo libri, certe in paucorum manus prima publicatione perlati, facilior copia pararetur.

1574.

Antuerpiae ex off. Chriſtoph. Plantini. 8. B. Sulpicii Seueri, Archiepiſcopi quondam Bituricenſis, quae extant opera; a VICTORE GISELINO Medico ex editionum et vetuſtorum exemplarium collatione emendata, eiuſdemque notis illuſtrata. *Vita Sulpicii Seueri, et temporum ratio accurate digeſta eodem V. Giſelino auctore. Scholia in Sacram Hiſtoriam ex Petri Galeſinii Notationibus excerpta.*

Victor Giſelinus, Brugenſis, Medicus, qui Prudentii recenſione, decem annis ante in lucem edita, ingenium atque harum literarum peritiam doctis hominibus valde approbauerat, in Seuero quoque reſtituendo rationem haud minus ſobriam ac certam ſecutus eſt, conſulendo non ſolum vetuſta quotquot nanciſci poterat exemplaria, ſed ſuperiorum etiam editionum operam perluſtrando et nouo iudicio ſuſpendendo. Igitur in *Sacra Hiſtoria* cum cognouiſſet princeps atque vnicum eſſe exemplar Herdeſianum a *Matthia Flacio* vulgatum, hoc omnibus modis ſequendum ſibi propoſuit, ita tamen, vt, quam Galeſinius in eo recognoſcendo, itemque Ioannes Filleau in eo transferendo operam poſuiſſent, cum iſto conferret, atque ſic, quid vterque praeſtitiſſet, rectius aeſtimare poſſet. Quod vitam *S. Martini* attinet, cum plurimis aliis in eo errore verſabatur, vt Lazii editionem principem exiſtimaret. Qui tamen error Seuero profuit magis, quam abfuit. Etenim cum intelligeret, Lazium ex inquinatiſſimo fonte hauſiſſe, maiorem bonorum exemplarium copiam circumſpicere coepit, adeoque non deſtitutum ſe occaſione

caſione et amicorum voluntatibus ſentiit, vt quatuor integros codices MSS. et duorum varias lectiones in vſum vertere poſſet. Quam docte vero, quamque prudenter hiſce copiis vſus fuerit, ex ipſius verbis lectores cognoſcere malim, vbi hoc vnum addidero, non minus illum praeſtitiſſe, quam promiſiſſe. „*De notis*, inquit, *earumque ratione ſic paucis habe. Quandoquidem ex ingenio et coniectura hic ne ſyllabam quidem citra librorum m. ſ. auctoritatem ſuo loco mouerimus: nos earum mutationum, quae leuiculae ſunt, verborumque ſententiam non immutant, nullam hic mentionem fecimus: tum quod in infinitum excreuiſſent: varietatibus enim lectionum ea fere ſcripta ſunt obnoxia, quae quamplurimorum manibus olim trita fuerunt: at quid iſtis potuit eſſe tritius, quae tot ſaeculis in monaſteriis ac templis b. Martino ſacris toto orbe ſingulis annis ſemel atque iterum publice recitari ſolent? tum etiam, quod eiuſmodi accuratio ingrata fere eſt et odioſa. At quae maioris ſunt momenti, ita, vt ab iis auctoris pendeat ſententia, quaeque omnium librorum m. ſ. conſenſu conſtituuntur; ea quidem propoſuimus, ſed propoſuimus tantum, adiecta Lazii, id eſt vulgata hactenus lectione, ſi vero libri m. ſ. inter ſe euariarent, adeo, vt dilectus ac iudicium citra difficultatem fieri nequiret: in eo praecipue noſter hic labor verſatus eſt, vt, quod nos pro vero habituri ſumus, id quam breviſſime adſtrueremus, diuerſa interim lectione aut lectoris iudicio relicta, aut certis argumentis reiecta. Iam quae ad Hiſtoriam pertinent* (hoc de Hiſtoria Sacra etiam dictum exiſtimes), *quo his notis varietatis nonnihil accederet, ea, vt occurrerent, adnotauimus, quaecunque ex auctoribus huic noſtro ſynchronis, fide et notione digna per otium excerpere licuit.*“ Praefationis loco editor praefixit carmen ad *Benedictum*

ctum Ariam Montanum. Poſt notas ſubiecta eſt *Temporum Ratio Sacrae Hiſtoriae Sulpicii Seueri et reliquis opuſculis accommodata*, quae ſaepius deinde in aliis editionibus recuſa eſt, et eiuſdem epiſtola ad Raphelengium (d. Brugis pridie Kalendas Auguſti 1574.) in qua laudat *Ant. Contium* I. C. quod in Nicephori chronologia tripertita ab ipſo emendatius edita, dum de controuerſia illa, quae LXX. interpretibus eſt cum Hebraeis codicibus de decem primorum patrum aetate, Nicephorianam Chronologiam LXX. Interpretum ſupputationi accommodauerit eoque ipſo ſimul Seuero lucem praetulerit.

1575.

Pariſiis apud Mich. Sonnium. fol. Sulpicii Seueri Hiſtoriae S. libri duo etc. (cum notis Giſelini); in *Tomo II. Bibl. PP. Bigneanae.* Haec eſt haud dubie repetitio editionis Antuerpienſis, quam ab aliis laudari ſcribit *Hieronym. de Prato* (in Praef. T. II. p. XXII. not. I.) nam aliam ſeorſim factam haud noui.

Coloniae. 16. Sulpicii Seueri hiſtoria. — *Draudii Bibl. Claſſ.*

[1575.]

Baſileae apud Henric. petri. fol. . Sulpitii Seueri ab exordio Mundi vſque ad Valentiniani et Maximi Imperatt. tempora libri II. Item eius de D. Martino libri III. *Draudii Bibl. Claſſ.*

1581.

Bononiae. 8. B. Sulpicii Seueri Aquitani, Bituricenſis epiſcopi, Sacrae Hiſtoriae libri duo. in eoſdem CAROLI SIGONII Mutinenſis Commentarius.

Sigonii notae vnice fere ad hiſtoriam ſpectant, in qua quidem ille, vt in omni antiquitatis doctrina, ſua aetate erat verſatiſſimus, et meruit etiam, vt ſtudio ſuo ne nunc quidem ab hiſtoriae antiquae ſtudioſis ſeponatur. Licet autem haec ipſius in Seuerum opera viris aeque ac iuuenibus eſſet acceptiſſima, non omnino tamen ab inuidiae admorſibus tuta fuit. Fuerunt enim inter Catholicos et quod ab omni fere dubio iam vindicauit nuperus Seueri editor, e Societate Ieſu aliqui, quibus liberalior eius eruditio, ingenium veterum Romanorum maxime et Graecorum lectione et meditatione ſubactum, et ſcribendi imprimis genus, quo recentis aetatis notiones, religionis myſteria et hierarchiae formulas ad priſci ſermonis ſpeciem inflectere amabat, metum incuteret, *ne praue de catholica religione ſentiret, in Pontificem Romanum iniurius eſſet, patrocinium haereticorum ſubinde ſuſciperet, aliaque id genus praeter Chriſtiani hiſtorici munus aſtute moliretur* *). „Ex epiſtola nuncupatoria Sigonii (haec recitat noviſſimus Seueri editor) ad *Illuſtriſſ. et Reuerendiſſ. in Chriſto Patrem D. Gabrielem Palaeotum, S. R. E. Cardinalem et Bononiae epiſcopum, data Bononiae Idibus*

*) Sunt verba *Phil. Argelati*, clari operum Sigonii editoris, in praefamine ad *Cenſuras* contra Sigonium prolatas, quas Tomo VI. eoque vltimo maxime illius defendendi cauſa adiecit. Quocum omnino iam comparari debent, quae eodem animo *Hieronymus de Prato* in *commemoratione* editionis Sigonii ſcripſit, qui collatis cenſuris illis cum *Poſſeuini* in Bibl. Sel. (Romae 1593.) verbis lib. IV. cap. 13. ſatis manifeſto reperiſſe ſe exiſtimat veſtigia, quae vnum eundemque auctorem, vel ex parte ſaltem auctorem iſtarum cenſurarum demonſtrent.

Idibus Februariis MDLXXXI. colligitur, inſignem illum praeſulem prohibuiſſe, ne in Scholis Bononienſibus laſciua poetarum antiquorum carmina, vtpote turpium voluptatum incitamenta, praelegerentur, ſed eorum loco alia ſanctiora atque honeſtiora ſubſtituerentur et maxime, quae ad Chriſtianae religionis ſacraeque hiſtoriae rudimenta ediſcenda conferrent; Sigonium autem, vt eius ſtudio obſequeretur, Sulpicii Seueri libellos commentariis illuſtrare aggreſſum eſſe, vt in iis pueri, quaſi in tabula delineata, conſpicerent, quae ab Adam vſque ad Chriſtum geſta erant. Equidem nec Palaeoti conſilium per ſe omnibus placere, nec Seueri Epitome ſatis caſtigata videri debuit, quae teneris et rudibus puerorum animis informandis inſeruiret: verum his propemodum diſſimulatis, in Sigonii potiſſimum Commentarium inſurrexerunt, neſcio qui, acerrimas in illum cenſuras conſcribentes, quibus eius auctori poſtremis vitae ſuae annis graues moleſtias exhibuiſſe eos oportuit. Habentur ad ſingula fere obiecta Sigonii reſponſiones, vna cum cenſuris l. l. impreſſas, quibus tamen cenſoribus neque ſatisfacere, neque obſtruere os potuit."

1589.

Pariſiis. fol. Sulpicii Seueri, Bituric. Archiep. Sacrae hiſtoriae libri II; item de Martini vita liber; epiſtolae et dialogi tres; in *Bibl. PP. Bign.* ed. II. *Tomo VII.*

1592.

Francofurti. . . . 8. Sulpitii Seueri hiſtoriae S. libri II. cum notis *Car. Sigonii.*

1593.

Francof. apud haered. Wechel. fol. Sulpitii Seueri hiſt. Sacrae libri II. et in eos Commentarius *Car. Sigonii,*

Sigonii, cum anacephalaeoſi chronologica hiſtoriarum Sulpicianarum. Item reliqua Sulpicii. *Draud. Bibl. Claſſ.*

1600.

Coloniae apud *Ant. Hierat.* 8. Sulpitii Seueri ſacrae Hiſtoriae libri II. et reliqua. Laudat *Cat. Bibl. Bodlei.* Omnino alia non eſſe poteſt, niſi Giſelini recenſio.

Coloniae. 16. B. Sulpitii Seueri opera — ex ed. *Vict. Giſelini.*

1602.

Hauouiae ſumptib. G. Antonii et Pauli Egenolphi. 8. B. Sulp. Seueri, Bituric. Epiſcopi, Sacrae Hiſtoriae libri II. In eoſdem Caroli Sigonii Commentarius. Eiuſdem de Temporibus Hebraeorum Catalogus. *Nunc a mendis, quibus Bononienſis editio paſſim ſcatebat, vindicati.* Cum Indice Rerum et verborum copioſo.

1604.

Ingolſtadii ex off. Ederiana. 4. Sulpitii, Ep. Bituricenſis, Epiſtolae duae; in *Caniſii antiq. lectt.* T. V. p. 540-45.

1607.

Arnhemiae apud I. Ianſſon. In fine: *Excudebat Franeckerae Friſon. Aegid. Radaeus.* 8. B. Sulpicii Seueri hiſtoria ſacra. Edente et emendante Io. Drvsio, cum commentario libro ſiue notis eiuſdem.

De *Druſio*, qui alioquin, nempe literarum ebraicarum laude ſua aetate florentiſſimus fuit, hoc eſt iudicium Hieronymi de Prato. „*Mihi editionem hanc videre*

videre non contigit, licet maxime in votis habuerim: quare iis contentus eſſe debui, quae ſparſim in editione Hornii ex Druſio excerpta habentur: ex quibus tamen non obſcure colligitur non vulgaris hominis, licet haeretici, in illuſtrando Seuero induſtria cum mira breuitate et modeſtia coniuncta: Legi alicubi, Druſium in Praefatione Lectorem monuiſſe, Seuerum non ſemel exorbitaſſe a veritate: id quod nos quoque plurimis in locis vltro profeſſi ſumus." Ceterum huius editionis exemplaria admodum rara eſſe ipſe cognoui, qui fruſtra plures variarum bibliothecarum indices euolui, nec niſi in Bodleiana deprehendi, vbi alterum etiam exemplar cum notis MSS. notatur. Hambergerus in *Goezii Memorabil. Bibl. Dresd. T. II. p.* 281. deprehendiſſe ſe ſignificat; vnde apparet quidem, in duplici verſari errore nouiſſimum editorem, primo, quod omnia Seueri ſcripta a Druſio edita, ſed in Hiſtoriam Sacram tantum notas prolatas ſcribit, altero, quod duobus in locis, Franequerae et Arnhemii vulgata vult. Quid veri ſit, ex titulo propoſito intelliges. Eſt penes nos exemplum Hiſtoriae Sacrae ex recenſione Druſii, cui non niſi interior titulus hic praefigitur: *Sulpicii Seueri Hiſtoria Sacra, edente et emendante Ioh. Druſio Aldenardenſe;* impreſſa in auerſa pagina breui Sigonii ad lectionem Seueri adhortatione. Ad marginem textus, qui typis non admodum commendabilibus exſcriptus eſt, appoſitae vero ſunt paſſim lectiones variae, lemmata et loca biblica; ad calcem denique ſubnectitur indiculus nominum Ebraicorum, quae corrupta in Seuero occurrant, cum monito Druſii: Haec quaenam ſit, neſcio. Franequerana certe non eſt, nulla enim in fine typothetae eſt ſignificatio.

1617.

Lugduni ſumptib. Laur. Durand. fol. Sulpitii Seueri Dialogi de B. Martino *excerpti* in *Rosweydo* de Vita et *Verbis Seniorum; libro* IV. p. 409. (536.) Dialogus primus integer fere ineſt. Adhibuit etiam Hieronymus de Prato.

1618.

Coloniae Agripp. ſumpt. Ant. Hierat. f. Seueri Sulpitii S. Paulini aequalis libri II. hiſtoriae ſacrae; de vita S. Martini liber; epiſtolae; dialogi tres; de virtutibus monachorum Orientalium et S. Martini; in *Bibl. PP. T. V. parte I.*

1643.

Lugd. Bat. ex off. Elzeuiriana. 12. Sulpicii Seueri opera omnia, quae extant.

Indiculus in auerſa pagina extat. Subiecta eſt Giſelini *Temporum* ratio Sacrae Hiſtoriae Sulpicii Seueri et reliquis opuſculis accommodata. Praemiſſa Elzeuiriorum epiſtola ad Abrah. Heydanum data eſt Lugd. Bat. cIↄIↄCXXIV. Decembris XV.

1644.

Pariſiis. fol. Sulpicii Seueri Sacrae hiſtoriae libri II. reliqua; in *Bibl. PP. Tomo VII.*

1647.

Lugduni Batauorum. 8. Sulpicii Seueri Presbyteri Opera omnia cum lectiſſimis commentariis accurante *Georgio* HORNIO.

Vt de vniuerſis huiuſcemodi inſtituti editionibus literatorum hominum iudicium haudquaquam anceps eſt, ita *Hornius* etiam, non contemnendae alias vir memoriae ob inchoatam ſtudii politici rationem, non

non meruit hac opera ſua, quo a ſimilibus Thyſii et Pitiſci aliorumque inceptis diſtingueretur, quorum ſordidas fabricas prae aliis Petrus Burmannus iuſto quidem dolore percitus retexit *). Nihilo ſecus autem in annalium ſerie cognouiſſe iuuabit, quid ipſe veluti in tabula appenſa prae ſe ferat et quos imprimis compilauerit. Poſterius enim etſi vnicum fere harum editionum meritum eſſe ſolet, non prorſus tamen eſt ſpernendum. Iam igitur ipſum audi. *Illud*, inquit, *prima cura fuit, textum ipſum quam maxime emendatum exhibere. Alterum erat, non tam Notas breues, quam pleniorem Commentarium bono tuo adiungere. In textu Victorem fere Giſelinum ſequimur, qui poſt Lazium collatis quam plurimis MSS.* (hoc de ſola Hiſtoria S. accipiendum eſſe ex ſuperioribus intelligitur, vt etiam Hieron. de Prato monuit) *totum opus adeo emendauit, vt nihil omiſerit, quod medicabile erat. Coniecturas aliquot ſuas textui inſerere non auſus, in Notis locum habere voluit. Quod et nos exemplum ſecuti, deſperata aliquot loca relinquere maluimus, quam incerta, etiamſi vera, ſubſtituere. Nemini quidquam ſubtractum. Singulos loquentes vides, et nomina ſua profitentes. — Quos inter merito ſuo primum locum occupant magna illa orbis lumina, Salmaſius, Voſſius, Golius, Boxhornius et alii, quorum nomina paſſim videbis et in Sulpicium merita. Non raro noſtra quoque intexere non tam ambiuimus, quam coacti ſumus, Ita operae vrgebant: nec ſemper ſpatium dabatur, oracula magnatum conſulendi. Si quid porro videatur addi potuiſſe, cogitandum eſt, intra coepti operis terminos ſubſiſtendum fuiſſe. Haec etiam cauſſa, cur breuiores in opuſculis fuerimus, quae, vt recte ab*

*) In *Praef. ad Ouidium.*

ab aliis dictum, pro inſtituto illorum temporum non tam eruditionis, quam ardoris et pietatis Chriſtianae, veteris illius et excitatae, ſiue potius credulae et portentoſae, *monumenta ſunt. Et tamen Commentaria in Hiſtoriam, vt vides, in aliquam pro ratione opuſculi molem excreuerunt.* His ipſis relatis Hieronymus a Prato ſubdit. „*Equidem ſi typorum et chartae nitorem ſpectes, ſi copiam adnotationum et Scriptorum, ex quibus pleraeque excerptae ſunt, nominis celebritatem; omnibus fere numeris abſoluta haec editio, aut ſaltem* (at quantum hoc *ſaltem* ab illa laude diſtat!) *priores omnes longo poſt ſe interuallo reliquiſſe cenſenda erit: verum ſi editoris doctrinam, ſi in Notis ex aliorum ſcriptis excerpendis* κριτήριον, *ſi* in Eccleſiam Romanam obſequium *requiras, ſi denique* ſanam et catholicam doctrinam; *neceſſe erit fateri, multo plus mali in ea eſſe, quam boni*, eamque ob cauſam merito illam in Catalogo librorum prohibitorum proſcriptam eſſe cenſet. Affert porro in peculiari ſectione Bocharti de Hornii imperitia, ieiunitate et in Seuero etiam hallucinationibus iudicium ex epiſtola ipſius ad Voſſium *) ipſeque eum ob ea, quibus in doctrinam et ritus Catholicorum iniquus ipſi videri debebat, caſtigat acerrime **).

1654.

Pariſiis trium Bibliopol. impenſis. f. Sulpicii Seueri ſacrae hiſtoriae libri II. Eiuſdem de B. Martini vita liber. Epiſtolae et Dialogi III; in *Bibl. PP.* T. VII.

Lugduni

*) De a. 1659. in ei. *Opuſculis* T. I. col. 1058. ſq.

**) Praef. ad Tom. II. p. XXX. §. 24. ſq.

✣ ✣

Lugduni Bat. 8. Sulpicii Seueri — omnia — accurante *Ge. Hornio.* Ed. altera.

Fertur etiam editio a. 1655. ſed quae diuerſa ab hac eſſe non poteſt, cum *tertiam* poſtmodum proferemus.

1656.

Lugd. Bat. ex off. Elzeuir. 12. Sulpitii Seueri opera omnia quae extant, cum eadem, quam ſupra memorauimus, bibliopolarum epiſtola, ſed noua ſubſcriptione: *Amſtelodami* cIↃIↃCLVI. Octobris XV. Eiuſdem haud dubie editionis repetitiones ſunt annorum 1657. 1659. 1669. quas commemorat Hieronymus de Prato, niſi eas omnes Pariſiis editas et Mercerianas voluerit, quod ſequentis cum Merceriana comparatio comprobare videri poteſt.

1661.

Pariſiis. 4. Sulpitii Seueri Epiſtolae V. ad Paulinum et Saluium: in *Dacherii Spicileg.* T. V. p. 532. ſqq.

In Cod. MS., quem Bigotio ſe debere ſignificat editor, inſcriptae ſunt *Seueri* epiſtolae. Quod quidem fatetur non plane deuincere, Sulpicio Seuero eſſe tribuendas. „*Attamen ſtyli decor*, inquit, *et ſententiarum grauitas ſi attendantur, conferanturque cum aliis Sulpicii iam editis epiſtolis, certo ipſum, vt reor, auctorem perſuadebunt.*“

1661 - 1664.

Franequerae ex officina Iohannis Wellens, Illuſtr. Friſiae Ordinum et eorundem Academiae typogr. ord. Tomis II. fol. Bibliotheca Hiſtoriae Sacrae Veteris Teſtamenti ſeu Exercitationes hiſtoricae in Sacram Scripturam et Ioſephum, per modum

Commentarii in Hiſtoriam Sacram Sulpicii Seueri. Diſtributae duobus Tomis: Quorum Prior ab Adam ad Moſen complectitur quinque tractatus: I. De Principio rerum, ſeu introitus, II. De prima mundi aetate, III. De ſecunda mundi aetate, IV. ab Abraham vſque ad ingreſſum Iſraelitarum in Aegyptum, V. de Peregrinatione Iſraelitarum in Aegypto, vbi et hiſtoria Iobi. Alter tomus procedit a Moſe ad Chriſtum aduentantem, id eſt, euerſam ab Herode Hoſſamonaeorum dominationem. Auctore CHRISTIANO SCHOTANO, Sacrarum literarum doctore.

Textus Seueri in varias ſectiones diuiſus difficulter admodum in hac mole agnoſcitur. Ei proximo loco ſubiectae ſunt notae Io. Druſii. De Schotani autem commentariis omnino ſilere expedit.

1665.

Amſtelodami apud Elzeuirios. Lugd. Bat. et Roterod. apud Hackios. 8. Sulpicii Seueri Presbyteri opera omnia cum lectiſſimis Commentariis, accurante *Ge. Hornio.* Editio tertia. Auctior et emendatior.

* *

Pariſiis apud Mich. Bobin. 12. Sulpicii Seueri, Bituricenſis Epiſcopi, Opera omnia, germanae et antiquae reſtituta lectioni, mendis typorum purgatiſſima, hiſtoricis et chriſtianis notatiunculis illuſtrata et capitibus diſtributa. *Cat. Bibl. Bunav.* vid. ad a. 1675.

1668.

Berolini. 12. Sulpitii Seueri opera omnia cum notis *Io. Vorſtii.*

Editor in epiſtola nuncupatoria ad Ottonem, Lib. Baron. a Schwerin, ſignificat, ſe minime de Seuero

cogi-

cogitantem a Bibliopola rogatum fuiſſe, vt, ſi quid paratum haberet in ſchedulis, nouae editioni a ſe parandae adderet. „*Ego vero*, inquit, *quamuis Sulpicium Seuerum Notis illuſtratum a pluribus non ignorarem, adduci tamen me paſſus ſum, vt aliquid Notarum in Auctorem iſtum ſcriberem. huius rei cauſſa praecipua haec fuit, quod opera Sulpicii non quidem omnia, ſed tamen pleraque manu exarata in Codice Membranaceo celeberrimae Bibliothecae Electoralis, quae hic Coloniae ad Spream eſt*, (nouiſſimus editor per incuriam ſcripſit *Electoralis Magdeburgenſis) oſtenderam diuerſasque lectiones minime ſane contemnendas, ac his, quae in Codicibus vulgatis reperiuntur, meliores, in iis obſeruaram. Altera deinde cauſſa fuit, quod nonnulla ad Stylum Sulpicii, immo et ad hiſtoriam antiquitatemque pertinentia, ab his, qui in eum Auctorem Notas ſcripſerunt, praetermiſſa videbam, de quibus moneri lectores itidem non praeter rem foret.*" Potior ſane pars notarum illius ad ſermonis rationes atque leges ſpectat, quarum callentiſſimum ſe variis editis libellis prodidit. *Nonnunquam etiam*, addit Hieronymus de Prato, *Theologum agit, et quidem ex haereſeos Lutherianae, cui addictus erat, placitis!*

1669.

Aboae. 8. Sulpitii Seueri opera omnia curante *Ioanne Gezelio.*

1675.

Pariſiis apud viduam Claud. Thibouſt. et Petr. Eſclaſſan. 8. B. Sulpicii Seueri opera omnia, germanae et antiquae reſtituta lectioni, mendis typorum purgatiſſima, hiſtoricis et chriſtianis notatiunculis illuſtrata, et demum ex continuo textu nunc,

ad inſtituendos legentium ſpiritus, multis veluti capitibus diſtincta. Opera et diligentia M. *Hieronymi Mercier*, in vtroque iure licentiati. *Cat. Bibl. Bunav.* et Hieron. de *Prato* praef. T. II. p. XXVI.

Plurima, quae hic editor pollicetur, iam editio ante viginti fere annos facta in titulo promiſerat *), adeo, vt vix quicquam illius meritum ſuperſit, quam capitum diſtinctio, et ne hoc quidem integrum, ſicvti Veronenſis editor oſtendit. Sed cum plura ſint, quae in eo reprehendit, non vane promiſſa ſolum, ſed commiſſa per ſummam impudentiam, age ipſius ſtricturas apponamus. „*Quod itaque primum* germanae et antiquae reſtituta lectioni *dicit* Seueri opera, *fucum lectori facit: neque enim vllum Codicem MS. in ſubſidium adhibuit, ſed quidquid in eo praeſtitit, ex ſuperioribus editionibus, Giſelini puta et Sigonii, clam mutuatus eſt: hoc ipſi peculiare eſt, quod aliorum coniecturas in textum praeſidenter invexit. Quod addit* mendis typorum purgatiſſima, *id vero nihil eſt: neque enim a mendis typographicis minus immunes ſunt pleraeque editiones antiquiores. niſi rurſus velit loca aliquot vitioſa indicare, quae quidem vel in Baſileenſi prima editione expreſſa erant, ex fide, vt creditur, MS. codicis, ſed in adnotationibus Giſelini et Sigonii ex coniectura reſtituuntur. Sequitur,* hiſtoricis et Chriſtianis notatiunculis illuſtrata: *ſed Vita S. Martini et Dialogi carent his notatiunculis, ſi vnum aut alterum forte locum excipias: quae autem ad Hiſtoriam Sacram fuerunt ab eo adnotata,*

*) Nihilominus hanc primam eſſe editionem Merceri opera compoſitam Priuilegium regium, datum a. 1665. et quae illud praecedunt verba: *Achevé d' imprimer pour la premiere fois* le premier Octobre 1666. ſuadent.

tata, ex Commentario pleraque omnia excerpta ſunt. Quod poſtremo habet de continui contextus in multa veluti capita diſtinctione, *quam a ſe primum inductam teſtatur, eſt huiuſmodi. Hiſtoriam Sacram tantum in multas partes ſeu ſectiones diſtributam exhibet, praefixo ſingulis lemmate, ſeu breui argumento. Verum id ipſum multo antea praeſtiterat Sigonius, quem hic fere ſequitur et ſaepius ad verbum transſcribit in lemmatibus.*" Poſterius exemplo commonſtrat et ſubdit in §. 21. quomodo per hancce Mercerianam editionem, vt ipſi quidem videtur, lapſus ſit Coutantius in vita Hilarii.

1677.

Lugduni apud Aniſſonios. fol. Sulpicii Seueri hiſtoriae libri II. *rel.* praemiſſa vita eius per Gerard. Voſſium; in *Bibl. Max. PP.* Tomo VI. pagg. 324-373.

1678.

Pariſiis exc. Franc. Muguet. fol. Sulpicii Seueri epiſtolae duae ad Claudiam, Sororem ſuam, quarum prior de vltimo iudicio, poſterior de Virginitate agit: in *Baluzii Miſcellan. libro I.*

Nactus erat Baluzius haſce epiſtolas ab *Iſaaco Claudio*, qui eas, cum in Anglia eſſet, acceperat a *Ioanne Batteleio*, Socio Collegii S. Trinitatis Cantabrigienſis, in cuius Codice MS. vetuſtiſſimo iſta delituerant.

Saec. XVIII.

1703.

Lipſiae apud Thomam Fritſch. 8. Sulpicii Severi quae exſtant Opera omnia cum notis *Iohannis Vorſtii.*

1708.

Tiguri typis Geſſnerianis. 8. Sulpicii Seueri Hiſtoria Sacra cum notis ſelectis Variorum, *Druſii* cum primis et *Ioh. Vorſtii*, inſertis ſubinde obſeruationibus etiam nouis, quibus tum phraſis et Hiſtoria Sulpiciana illuſtratur, tum errores Auctoris, ſicubi a veritate Hiſtoriae Sacrae diſcedit, diligenter notantur; Adiecto Indice Gemino, Rerum vno, altero Latinitatis. Edita in vſum ſtudioſae Iuuentutis accurante *Io. Caſp. Hofmeiſtero.*

1709.

Lipſiae apud Thomam Fritſch. 8. Sulpicii Seueri quae extant Opera omnia, in duos tomos diſtributa; quorum prior continet antehac edita cum notis Ioannis Vorſtii, alter epiſtolas antea cum reliquis operibus nondum editas ex recenſione et cum notis *Ioannis Clerici.*

Curator fuit *Schoettgenius.* Cf. ipſum ad Fabricii Bibl. M. et Inf. Lat.

1711.

Lipſiae. . . . . 8. Sulpicii Seueri Hiſtoria Sacra cum notis Minellianis auctore M. *Io. Friderico Weinich* (poſtea Paſtore dioeceſis Tenſtadinae in Thuringia). *Schoettgen. ad Fabricii Bibl. Med. et Inf. Lat.*

1734.

Mediolani in aedib. Palatinis. fol. B. Sulpicii Seueri Aquitani, Bituricenſis Epiſcopi, Sacrae Hiſtoriae libri duo. In eoſdem *Caroli Sigonii* Mutinenſis Commentarius. Accedunt in hac noua editione Variorum illuſtrium Virorum, nec non Iohannis Vorſtii Animaduerſiones et Notae ſuo quaeque loco ad lectorum commodum et vtilitatem diligentiſſime

tiſſime diſtributae: in *Sigonii Operum ed. Philippi Argelati* Tomo IV. P. II.

1741 et 1754.

Veronae typis Seminarii apud Auguſtin. Carattonium. 4. mai. *II. Tomis.* Sulpicii Seueri Opera ad MSS. Codices emendata, notiſque, obſeruationibus et diſſertationibus illuſtrata, ſtudio et labore *Hieronymi de Prato*, Veronenſis, Congreg. Oratorii eiuſdem Ciuitatis Presbyteri.

Cum tam longinquo inter ſe ſpatio disiuncti prodierint huius editionis Tomi, iidemque ratione, quam editor ſecutus eſt, aliquantum differant, id in vniuerſum quidem affirmare licebit, allaboraſſe eum, vt cum veterum editionum ope et MSS. codicum ſubſidio emendatior, tum partim recentiorum editorum copiis, partim ſuo ingenio atque eruditione illuſtrior redderetur; veruntamen iudicium rectum non niſi de ſingulis ſtatui poteſt. De *primo* igitur, qui *Vitam S. Martini* cum Dialogis ad eundem ſpectantibus exhibet, haec pollicetur: *) „I. *Vulgata*, inquit, *Seueri exemplaria diligenter contulimus cum Wolfgangi Lazii aliiſque antiquioribus editionibus, nec non cum aliquot manuſcriptis libris, antiquiſſimo potiſſimum Capitulari. Huc ſpectant* Notae textui ſubſtratae, *in quas, quaecunque emendationi et explanationi eiuſdem textus inſeruiebant, corraſa vndecumque coniecimus.* II. *Annum S. Martini emortualem, multorum iamdiu diſputationibus agitatum, omnemque adeo eius vitae chronotaxin, quam potuimus certioribus iudiciis et argumentis, a vulgata tamen plerumque ſententia recedentes*, quatuor prioribus Diſſertationibus *inueſtigauimus ac ſtabiliuimus, Seueri*

*) Praef. §. III. p. VII.

Seueri inhaerentes auctoritati; quem etiam a Chiliaſtarum errore immunem defendimus Diſſertatione quinta. Sexta et vltima *Origenianae ſub Anaſtaſio I. Romano Pontifice damnationis hiſtoriam admodum implexam dilucidat.* III. *Quae ſcitu digniora, nec ita paſſim obuia occurrebant in Seuero illuſtranda, item, quae alii perperam in eius ſcripta adnotauerant, in ſequentibus* Obſeruationibus *expendimus.* Vitam *etiam* Sulpicii Seueri *initio operis praemittendam duximus ad critices leges exactam*, *poſt* antiquorum de eodem Teſtimonia *multo*, *quam in praeteritis editionibus*, *vberiora et illuſtriora. Poſtremo* duplex *adiecta eſt ad libri calcem* Appendix, *quarum* prior *exhibet* epigrammata quaedam *in Baſilica potiſſimum S. Martini iam inde a S. Perpetuo*, *qui quintus ab eo Turonenſis epiſcopus fuit*, *inſcripta;* altera *vero* emendationes aliquot et variantes lectiones in S. Pauli primi Eremitae Vitam *ex laudato Capitulari Codice depromtas et ad antiquas editiones collatas repraeſentat.*" His iungimus, quas in textu refingendo ſibi ſcripſit regulas. Nimirum cum praeter complures Codices MSS., editiones etiam vetuſtae, quas Giſelinus plane ignorauerat, praeſto eſſent, horum omnium lectione non paucis in locis, nec a leuibus mendis, hos libellos emaculaſſe ſe teſtatus eſt, ſic quidem, vt in Notis ſemper vulgatam antea lectionem proponeret tumque rationes emendationis cuiuſque, vbi opus viſum, libroſque, quibus eae inniterentur, proferret. Praeterea multas ſcripturae diſcrepantias, etiam vbi mutato opus non eſſe cenſuiſſet, adnotauit; vel quod concinnae et elegantes et Seuero dignae viderentur, vel quod ſententiam nihil immutarent: *iuuat enim*, addit, *de huiuſmodi lectorem commonefieri, vt ſaltem dubitare diſcat, vtra lectio ab auctoris ſtilo profluxerit: praeterquam*

quod

quod ſi aliis in poſterum alios manuſcriptos libros cum noſtra hac editione conferre placuerit, hinc habebunt quaecunque meliora noſtri codices praeferebant; et facile accidet, vt, quod nos in textum non auſi ſumus admittere, ipſi ſuorum ope librorum coniicere non dubitent. Interdum, vbi librorum ope deſtitueretur, fatetur, ad coniecturas ſibi confugiendum fuiſſe, ſed vt parciſſimum ſe et maxime difficilem hoc in negotio fuiſſe ſcribit, ita nunquam non rationes conſilii ſui in Notis attulit, quibus repugnantiſſimum quemque in partes ſuas haud aegre adductum iri ſperat. Poſtremo *non minimum etiam ſtudium*, inquit, *in interpunctione collocauimus, quae non raro in prioribus editionibus perturbata, ſenſus quoque, vt ſit, obſcuros et intricatos reddebat.* Iam, quoniam quid effectum ſit in noua hac Vitae Martini editione, et quomodo, et quo ordine ſingula ſe excipiant, ipſius fere editoris verbis oſtendimus, reſtat, vt de *Praefatione* etiam, vnde ea depromta ſunt, mentionem faciamus. Conſtat illa *XVII. paragraphis* ſeu ſectionibus, quarum *ſeptem priores* editionem nouiſſimam concernunt atque adeo de vtilitate auctores veteres emendandi et illuſtrandi in vniuerſum, de ſuperiorum editorum in hoſce libros meritis nouaeque conſilio, tum ſingulatim de Codicibus MSS. et antiquis impreſſis editionibus, legibusque denique, quas in emendando textu Notiſque concinnandis ſecutus ſit, praecipiunt; ſequentes ab *octaua* inde ad ipſum librum ſeu libros ſpectant, quos ab accuſationibus, a Clerico imprimis in eos coniectis *), *quaſi fabulas et falſa miracula narrarent*, vindicare ſtudet. Ad Clericum vero poſtquam ſermo eius progreſſus eſt, tantum intra praecordia concepit

*) In Bibl. Choiſie T. XX. 1710.

cepit dolorem, vt, quamuis non pauca moderationis et aequitatis documenta, doctrina atque eruditione ſua digna, dedit, non potuerit tamen hunc animi indignatione feruidiore incenſi et ebullientis impetum cohibere, ſed, vbi ex pluribus aduerſariis vnum, qui inſtar omnium ſit, *quoniam vnus omnes et eruditionis fama et audaciae incredibilis infamia ſuperet*, in medium ſe prolaturum ſignificauit, „*Hic eſt*, exclamat, *Ioannes Clericus*, *monſtrum hominis; nam cui potiſſimum ſectae addictum, Caluinianaene dicam, an Arianae, an Socinianae, an omnino nulli, cum pleriſque ignoramus. Hic, inquam, ille eſt, quem non Seuero tantum, ſed omnibus, qui ſcriptis tradiderunt miracula Dei virtute a Sanctis patrata, ipſisque adeo ſanctiſſimis viris, per quos ea patrata fuerunt, maledicentem, nobis ſumimus refutandum, non longa oratione, non varia eruditionis copia inſtructi, ſed ſuis ipſum verbis et argumentis, et quaſi alterum Goliath ſuo ipſum gladio obtruncandum.* Hinc §. IX. et ſequentibus ad ſingulas Clerici, vt vocat, cauillationes refutandas accedit, quarum lemmata idcirco appoſuiſſe ſufficiet. §. IX. *Proponuntur aliquot cauillationes Clerici et ſingillatim refutantur.* §. X. *Certae regulae proponuntur, ex quibus colligas, num aliquis mentitus fuerit, eaeque Seuero accommodantur.* §. XI. *Reliqua Clerici σοφίσματα ſupra propoſita diluuntur.* §. XII. *Quo ſenſu verum ſit, quo falſum, miracula omnia in confirmationem dogmatum catholicae fidei fieri et facta eſſe.* §. XIII. *Martinus a iactantia maxime abhorruit, nec repugnant, quae de ipſo narrantur miracula, quicquid contra Clericus blateret.* §. XIV. *Regulis a ſe praeſtructis Clericus abutitur ad conuellenda quae potiſſimum IV. et V. ſaeculo facta narrantur miracula.* §. XV. *Clericus defenſionem S. Martini et Sulpicii Seueri in ſe maligno*

animo

animo ſuſcipit, quos ipſe immeritos accuſauerat. §. XVII. *Aliae duae Clerici exploduntur falſae accuſationes.*" Et haec quidem de Primo Tomo.

Quod *Alterum* attinet, *Hiſtoriam Sacram Adnotationibus, Diſſertationibus ac fuſioribus aliquot Obſeruationibus illuſtratam* exhibentem, excuſat quidem editor in ipſo introitu praefationis, moras, quibus tam diu praeter culpam ſuam protractus fuerit, et admonet ſimul de locis quibuſdam, quae temporis adnotatione, qua inter ſe diſſentiant, ambiguitatem aliquam parare poſſint, eo quod lente et poſt magna interualla facta ſit ſingularum plagularum impreſſio. Enimuero ſi facile viro valetudinis debilitate, occupationibus e vitae inſtituto pendentibus et ipſius operis difficultate conſtricto tarditatis ab omnibus conceditur venia; non item fortaſſe condonabis ei immenſos, quibus ſeſe implicauit, diſputationum labyrinthos, quibus accidit ſane, vt, quum extricare ſeſe multorum licet annorum effluxu non poſſet, affectum hac ex parte laborem relinquere coactus ſit. Sed ordine ſingula videamus. Poſtquam igitur §. 3-11. praefationis laudatae *de occaſione, titulo* et *tempore* conſcripti a Seuero operis multa docte et acute expoſuit, ad editiones eius ſe conuertit §. 12. quas quidem omnes, factas et promiſſas, addito vbique iudicio copioſo, et in ſumma quidem re nunquam non iuſto, per ſingulas fere ſectiones recenſet, antequam ad ſuam § 28. tranſit. Hic primo loco declarat, quid textus denuo lucri fecerit, quod quidem exiguum fuiſſe vltro fatetur. Quippe nonniſi vnum inueſtigare potuit exemplar MS. Vaticanae Bibliothecae eiuſque collationem diligentiſſimam nactus non tam immutari, quam confirmari ſenſit lectionem a Flacio primum propoſitam, ita, vt paucas tantum emendationes vere bonas textui inſeruerit, quem

iuxta editionem Lipſienſem a. 1709. prelo commiſerat. A coniecturis autem inuehendis plane ſibi temperauit et ſi quae non probabiles tantum, ſed paene certae viderentur, in Adnotationibus tamen proferre ſatius duxit. Iam vero quae ad explicandam illuſtrandamque rerum a Seuero prolatarum ſeriem attulit, tribus iterum notarum generibus conſtant, quarum alias, quae textui ſtatim ſubſunt, *Notas* ſimpliciter vel *Adnotationes*, alias prolixiores, *Obſervationes*, tertium denique genus *Diſſertationes* appellauit; ac hae quidem poſteriores adeo longae ſunt ac diffuſae, vt abſoluere ipſe deſperauerit. In ſingulis autem quid conſecutus ſit, aut conſequi voluerit, ſpectate. *Ad Notas quod attinet*, inquit §. 29. *eas partim Seueri textui illuſtrando aut emendando, partim ſententiae eiuſdem confirmandae, aut, vbi oportuit, corrigendae potiſſimum inſeruire voluimus. Itaque primum, quod recte ab aliis in vtraque parte praeſtitum iam fuerat, diligenter excerpſimus: ne tamen illi debita laude fraudarentur, ſua quaeque auctoribus perpetuo aſſeruimus. quicquid contra minus recte ab iiſdem dictum iudicauimus, refutare non omiſimus, quoties ita ratio exigebat: quae enim ad Seuerum non ſpectabant, ea, qualiacunque eſſent, aliorum iudicio expendenda relinquimus. Equidem vitio nobis verti poſſit, quod aliquando latius exſpatiati ſimus, et extra oleas, vt aiunt, nos ferri ſiuerimus: ſed ſi minus illa illuſtrando proprie Seuero inſeruient, inſeruient tamen fortaſſis alicui non vulgari, nec inutili quaeſtioni enodandae. quod ſi ex animi noſtri ſententia contigerit, ſtudioſis ſacrarum antiquitatum non iniucundas fore eiuſmodi digreſſiones confidimus, idque eo magis, quod, quae praeter ſpem accidunt, in lucro deputari ſoleant.* Nec vero negat, multa in his futura, quae eruditis lectoribus non

non probentur. Imprimis vero longam excuſationem vel potius defenſionem affert pro duabus Inſcriptionibus Chriſtianis, quas velut antiquiſſimas propoſuit, ſed quas apud aliquos incertae aut nullius auctoritatis fore praeuidet. Sunt illae quidem, altera *Marii*, altera *Alexandri*, qui ſub Antonino (quem M. Aurelium Antoninum fuiſſe coniicit) *martyrium paſſi* referuntur. Enimuero in hac cauſa quod ſummam rei concerneret, non tam breuiter expoſuit et ſententiam ſuam iuſtis argumentis corroborauit, ſed latius in vniuerſi huius generis lapidum examen exſpatiatus eſt, vt ſinceritatem ſacrorum monumentorum, quae in Romanis praecipue Chriſtianorum cryptis effoderentur, aſſereret ſimulque antiquitatem monogrammatis Chriſti longe ſupra Conſtantini aetatem vindicaret. Proxime poſt textum, cui adnotationes binis columnis ſubiectae ſunt, ſequuntur tres *diſſertationes*, quarum *prima* Chronotaxin totius Seueri Hiſtoriae, ea Giſelini multo accuratiorem exhibet et illuſtrat. *Secunda* et *tertia* ad Euſebii Chronicon pertinent, quod Seuerus in diſtinctione temporum fere ſequitur. Statuit nempe hoc diligentius ſibi excutiendum et cum animaduertiſſet, non conuenire inter viros doctos Scaligerum et Vallarſium, quid in Chronicis ſcribendis Euſebius praeſtiterit, quidque rurſus Hieronymus, in iiſdem latine interpretandis, hanc ipſam controuerſiam in *Secunda* diſſertatione ex inſtituto diſcutiendam ſibi propoſuit. *Verum dum in eo*, inquit, *occupati eſſemus, adeo multa in dies emergebant, ad idem argumentum ſpectantia, vt primam tantum partem Diſſertationis hic attexere coacti ſimus, integram vero, quoniam in libri molem excreuerat, ſeorſum edere: quod paulo*

 poſt,

*) §§. 29 - 36. incl. a pag. XXXV - XLIX.

poſt, ſeu anno MDCCL. factum eſt in libello inſcripto: De Chronicis libris duobus ab Euſebio Caeſarienſi ſcriptis et editis. *Neque tamen adhuc argumentum illud penitus exhauſimus: nam multa in adverſariis noſtris premimus et in promtu habemus, quibus, ſi vnquam, vt ſperamus, liber ille ad incudem reuocabitur, et ſecundis curis iterum prodibit, ſuppleri et augeri poterit.* In *tertia* denique, Euſebium Chriſti paſſionem anno XIX. Tiberii affixiſſe, contra receptam apud omnes eruditos XVIII. ſtatuentium ſententiam euincere conatus eſt *). Vltimo loco *Obſeruationes* ſunt, in quibus ipſis tamen aliquas eſſe iudicat, quae iuſtae Diſſertationis molem exaequent, veluti quae *de Decalogi diuiſione*, item *de Capite vituli ab Aarone conflati*, aut *de loco Exodi* XXXII. 28. agit. Praeterea *Diſſertationes* quaſdam bene longas, vt ipſe ait, inſeruit, cuiuſmodi ſunt *de vxoris Lot culpa et poena* et *de Traiectione Maris Rubri* Clerico oppoſitae et tertia *de verſiculo 13. cap. I. Euang. Ioannis.* Ac hac prolixitate quidem effectum eſt, vt has Obſeruationes ad Chriſtum natum tantummodo perduxerit, reliquam partem Hiſtoriae, in qua multa et nimis ardua ſupereſſent, alio tempore commentaturus. Supereſt, vt indicemus, totum hocce opus Seueri, quod haud vulgari artis beneficio gaudet, Cardinali Angelo Mariae Quirino ad grates ipſi ſuo et ſociorum nomine pro meritis de Congregatione Patrum Oratorii Veronenſis, quorum documenta dedicationi ſubiuncta ſunt, habendas, eſſe dedicatum, ſimulque additam effigiem illius aere inciſam.

1772.

*) De his in Praef. §. 37.

1772.

Venetiis ex typogr. Io. Bapt. Albritii, Hieron. fil. fol. Sulpicii Seueri Opera Omnia ex noua editione ceteris multo accuratius adornata, et Veronae ann. 1741 - 1754. in vulgus emiſſa: ſtudio et labore *V. C. Hieronymi de Prato*, Congregationis Oratorii Presbyteri. Acceſſerunt *Epiſtolae VII.* ſuperiore ſaeculo euulgatae, quae in eadem Veronenſi editione deſiderantur. Ext. in *Bibl. PP. et SS. Eccl. Andreae Gallandii. Tomo VIII. pagg.* 355 - 432.

Eſt haec vnica poſt Lipſienſem editionem, quae cuncta, quae hodienum extare putantur Seueri opuſcula, complectitur. Exſcripta ſunt ſolita elegantia atque adcuratione. Praemiſit vero Gallandius *Teſtimonia Veterum de Sulpicio Seuero*, quae copioſiſſime collecta editioni ſuae inſeruerat Veronenſis presbyter; ſicuti ex eiuſdem potiſſimum diſſertationibus deſumta eſt breuis de vita et ſcriptis Seueri notatio, quae *caput XVI. Prolegomenorum* huius Tomi implet.

* *

Versiones. Meminit iam Giſelinus verſionis *Gallicae* Hiſtoriae Sacrae auctore *Joanne Filleau* I. C. nec malam in eo transferendo operam poſuiſſe ſcribit, quapropter eandem conferre non aſpernatus eſt. Prodiit autem teſte editore nouiſſimo, *Pariſiis apud Guilielmum Guillard.* 1564. 16. Eadem, Seueri tamen prologo, quem Filaeus omiſerat, et nonnullis Adnotationibus aucta, iterum excuſa eſt *Rotomagi* 1626. per *Bauldrium* Dominicanum, licet titulus nouam eſſe verſionem mentiatur. Poſtea a *Ludouico Girio*, inſigni tot ſcriptorum eccleſiaſticorum interprete conuerſa fertur et edita *Pariſiis* 1649. 12.

Belgice etiam *Roterodami* 1702. 4. prodiit per *Petrum Rabum* cum notis et continuatione eiuſdem Rabi ſeu verius Ioannis Sleidani ad Caroli V. tempora.

CODICES. I. *Vitae S. Martini et eorum, quae ad eum ſpectant, Dialogorum et Epiſtolarum.*

1. Codices, qui antiquiſſimis editionibus, *Monbritianae* et *Aldinae*, pro fundamento fuerunt, ignorantur. Bene igitur nouiſſimus editor iis tanquam MSS. exemplaribus vſus eſt, qui quidem obſeruat, plerumque aut vtramque aut alterutram Capitularis Brixianique Codicis ſcripturam referre et confirmare.

2. *Codex Lazii* vetuſtus quidem, ſed peſſimae notae, vt ex Giſelino diſcimus, cuius iudicium integrum ad ed. Lazianam dedimus.

3. *Codices Giſelini. Louanienſes quatuor;* vnus *Coenobii Parcenſis* peruetus et mire caſtigatus, alter *Monaſterii Bethlemitici*, tertius et quartus e *Monaſterio Sancti Martini,* non vetuſtiſſimi quidem, inquit, ſed accurate deſcripti, et ſi coniectura non fallit, ab ipſo *Io. Coſterio* ad meliora exempla collati. *Leodienſes duo;* vnus *S. Laurentii*, alter *Caroli Langii*, hoſpitis eius Leodienſis. Prius exemplar, Louanienſibus MSS. longe antiquius, ſed lituris erat maculatiſſimum, quorum tamen veſtigia ſe, ab aliis libris tanquam manu ductum, non ſine fructu ſaepe perſecutum eſſe Giſelinus teſtatur. *Septimum* longe optimae notae et ante annos prout ipſi viſum ſexcentos exaratum nactus erat e *Bibliotheca S. Trudonis* beneficio amici Theodori Hallii, Conſulis Loewenſis. Praeter haec *Varietates Scripturae,* quas olim *e duobus MSS. Nouiomagi et Craneburgi* excerpſerat Theodorus Pulmannus.

4. Co-

4. *Codices nuperi editoris Veronenſis.* 1. *Codex Bibliothecae Eccleſiae Canonicorum Veronenſium,* quem *Capitularem* dicere ſolet, omnium antiquiſſimus, quippe quem *Agapeto V. C. Conſule*, id eſt, anno Chriſti DXVII. *Theodorus*, ſeu vt Maffeius mauult, *Vrſicinus*, Eccleſiae Veronenſis Lector exaraſſe fertur, quamquam ipſe ſcribit *), fore, vt, quicunque a ſcriptura ipſummet codicis ſaeculum deſignari putent, ad ſequiorem aetatem eum reiiciant. De qua Characteris eius forma, vulgo Gallica, ſed perperam, vt ipſe docuit, dicta fuſe praecipit in altero operum infra laudatorum Parte I. col. 336. ſqq. integram autem eius pagellam aeri graphice inciſam Hieronymus de Prato propoſuit. Ac hic quidem, vt plenam eius ideam daret, haec fere addidit, *Membranaceum eſſe ex quaternionibus compactum*, quorum ſinguli pro more conſtanti antiquiſſimorum codicum in vltima plagella inque inferiori eius margine numeros appoſitos habeant, *formam*, quod ipſum quoque ſummae antiquitatis ſit iudicium, *proxime ad quadratam* accedere. Merito autem miratione dignum putat, quod in tanta antiquitate nec initio, nec fine careat, quanquam in medio aliquot pagellae deſint. Pleraſque porro eius paginas integras omnino atque incorruptas eſſe, non paucas etiam, quae temporis iniuriam aëriſque intemperiem paſſae, poſteriori deinde manu antiquae ſcripturae veſtigia pleiumque ad vnguem ſecuta maximam partem reſtitutae fuerint. Quod orthographiam ſpectat, non paucis, nec leuibus ſubinde mendis ſcriptum

 eſſe

*) *Maffeius* in Prolegom. ad Caſſiodori Complexiones pag. XVI. addatur eiuſd. *Verona illuſtrata* P. III. col. 244. ſqq.

eſſe obſeruat, nec conſtantem ac perpetuam retinere ſcribendi rationem, quod copioſis exemplis oſtendit.

2. *Codex Brixianus*, i. e. *Bibliothecae Patrum Congregationis Oratorii Brixiani*, nulla quidem certa aetatis nota inſignitus, quem tamen Veronenſis ille Presbyter ſaeculo decimo ſecundo, aut non multo poſt ſcriptum eſſe arbitratur et tum, quod meliores prae ceteris lectiones exhibet, tum, quia non capitibus diſtinctus, nec in ſectiones aliquot, vt poſteriores alii, diuiſus, ſed vno contextu perpetuoque ductu ſcriptus ſit, ex antiquiſſimo aliquo optimae notae ductum putat.

3. *Codex Patauinus*, qui a Patribus Theatinis eius ciuitatis poſſidetur.

4. *Codex Biuilaquius*, quem paulo poſt in Muſellianam Bibliothecam Veronae migraſſe obſeruat.

5. *Codex Venetus*, de quo haec peculiaria Hier. de Prato refert. Ab initio eadem manu, qua cetera, ſcriptum legitur: *Iſte liber eſt D. Benedicti de Mutina, quem propriis manibus ſcripſit in monaſterio ſcti Marci Angelorum Florentiae.* Poſt dialogos multa habet de S. Martino deque Seuero; tum ſequitur, *Quo tempore autenticatus fuit liber iſte. Anno incarnati verbi milleſimo LII. dum proficiſceretur Romam Holdaricus, ſctae Remenſis Eccleſiae Praepoſitus et Canonicus, detulit autenticum horum infra ſcriptorum quatuor librorum ſecum, deditque Sancto Martino Eccleſiae Lucanae, auro, argento et ſculpto ebore decentiſſime coopertum: in quo videlicet ebore hi verſus habebantur:*

Mucro ſecat chlamydem: Martinus veſtit algentem.
Indutus chlamyde ſe Chriſtus monſtrat eadem.

Poſcit

Poſcit Odalricus pro munere codicis huius,
Martini precibus Sanctis conſcribier vnus *).

Poſt verſus ſequitur *Explicit liber quartus Dialog. Seueri.* Dehinc libri quatuor S. Gregorii Turonenſis *de virtutibus B. Martini Epiſcopi* aliaque multa.

Ceterum hoſce tres poſteriores codices eiuſdem prope aetatis, ſaeculi XIV. eiuſdemque pretii eſſe monet. Conueniunt nimirum in eo, vt totum opus in quatuor libros diſtribuant, quorum primus Vitam continet, reliqui tres ex Dialogis conſtant, in tres partes, prout in libris impreſſis habentur, diſpertitis. Libros etiam ſingulos in aliquot capita diſtinguunt, quorum indicem ſuumque vnicuique titulum adiectum initio habent.

6. *Codex Saibantianus.*

7. *Codex alter Brixianus.* Sed cum ille cum Biuilaquio ad verbum paene, hic vero, qui tamen libellum *de Vita Martini* tantum habebat, cum ſuperiori Brixiano conueniret, collationem eorum, vtpote ingratiſſimam omiſit.

2. *Hiſtoriae Sacrae.*

Diuerſa plane diuerſorum eiuſdem auctoris ſcriptorum ſors in eo fuit, quod cum librorum de vita Martini MSS. exemplaribus bibliothecae abundent, huius contra tanta ſit penuria, vt vix ac ne vix quidem duo hactenus reperta ſint. Mirum ſane, nam etſi numerum librorum MSS. vitae Martini non adeo miramur, ſi quidem ad tanti Sancti tanta miracula tanto praecone celebrata recudenda et multiplicanda omnes omnium aetatum monachorum officinas fer-

*) Hieron. de Prato verſu 1. *egentem* coniicit et v. 2. reuocat *chiamidem eandem.*

vere neceſſe erat, non erat tamen, cur hi illius libri eis ſorderent. Sed quicquid cauſae fuerit praeter primum ac nouiſſimum, nullus editorum codicem MS. vidit. Hi vero ſunt:

1. *Codex Herdeſianus* ſ. *Hildeſianus*, quo vſus eſt *Matthias Flacius*. Quoniam mihi vero eius editionem non videre contigit, a Giſelini vnius fide pendimus. Ac ille ſe non dubitare inquit, quin optima fide eum expreſſerit, quod menda nonnulla, quae haud dubie in ipſo fuerint apographo, citra vllam caſtigationem ab eo repraeſentata fuerint.

2. *Codex Vaticanus* nuperi editoris, membranaceus, num. 825. ſignatus, charactere minori ac rotundo, (vulgo, *ſtampatello)* exaratus, decimo fere tertio ſaeculo ſcriptus creditur. A Monteſalcone non commemoratur, ſed a Baronio inſpectum et laudatum eſſe cenſet, quum ad a. Chr. CCCLVI. n. 110. vt quendam Seueri textum emendaret, ad *antiquius exemplar* prouocauerit. Ipſum quidem exemplar non inſpexit Hieronymus de Prato, ſed collatione cum editis inſtituta omnes eius diſcordantes lectiones, atque adeo apices cum eo communicauit auunculus ipſius, Comes Abbas Turrius I. C. tunc in Archigymnaſio Romano profeſſor. Fuerunt autem paucae atque leuis pleraeque momenti, ex quibus adeo intelligeret, eum cum editis plerumque, etiam vbi loca quaedam luxata et hiantia occurrerent, concordare. Quid? quod aliquando ſuſpicatus ſit, Hildeſianum MS. quem Flacius deſcripſerat, ex Saxonia Romam commigraſſe, vel ſaltem vtrumque ex eodem archetypo deſcriptum eſſe.

6. Chro-

6.

Chromativs, Episcopvs Aqvileiensis.

Aquileiam patriam ipſius fuiſſe, haud quidem diſertis veterum, qui eius meminerunt, teſtimoniis accepimus; ſed ex indiciis nec obſcuris, nec ſuſpectis elicitur. Ipſe enim Aquileiae ſemper vixit, ibique ei *matrem*, *ſorores* et *fratres* fuiſſe, prodit illius neceſſarius et rerum Aquileienſium peritiſſimus Hieronymus *). De natali eius anno ſicuti de prima ipſius §. 1. Vita.

*) In Epiſtola VII. alias XLIII. Variae tamen fuere de patria ipſius opiniones, quas lubenter praeterimus, vnam aduertentes, qui *Romam* ipſi tribuit, non alia de cauſa, quam quod *Romanus* apud nonnullos ex prima inde Sichardi editione audit Chromatius. Neminem tamen in hac opinione fuiſſe nouimus praeter Sixtum Senenſem, eamque plane diluiſſe videtur Baronius, cognomenti originem ex *Romae ſecundae*, ſeu *Romanae*, vel *Romantianae* ciuitatis elogio, quod Aquileiae adhaeſit, arceſſens. Ecce vero diuerſam longe eius originem, quam non excogitauit, ſed deprehendit *Iuſtus Fontaninus*, optimus rerum Chromatii ſcriptor in *Hiſtoria lit. Aquileiae* lib. III. cap. IV. p. 136. Nimirum *Sichardus* in epiſtola nuncupatoria editioni ſuae praemiſſa teſtatus erat, Chromatium perhonorifice laudari, et magnam eius operis partem percenſeri ab *Albino in libello contra haereſim Felicis*. Mox. folio 59. p. 2. ad locum de Diuinitate Filii Dei, *non per adoptionem gratiae* etc. in margine libri adnotarat, *citari hunc locum ab Albino contra Felicem ex Chromatii libello de octo beatitudinibus*. Quae cum fruſtra inter opera *Albini*, cognomento *Alcuini*, typis expreſſa ille quaeſiuiſſet, reperit tandem in codice nunquam edito, inter Palatinos Bibliothecae Vaticanae, qui inſcribebatur: *Albinus contra haereſim Felicis* et ante ſeptingentos annos exaratus

ipſius aetate non conſtat. Remotiſſima enim memoria de eo eſt apud Rufinum, qui a Chromatio, Valeriani Aquileienſis epiſcopi tunc presbytero, baptizatum ſe dicit; cui rei geſtae annum 371. aſſignare ſolent *). Presbytero item competit, quod in Concilio Aquileienſi a. 381. cauſam Filii Dei contra Palladium Arianum peroraſſe traditur **). Anno 388. Valeriano in ſede epiſcopi Aquileienſis ſucceſſit, ab Ambroſio Mediolanenſi, qui tum ſorte Aquileiae morabatur, ordinatus. Ad hanc dignitatem magnam afferebat et vitae et doctrinae commendationem. Quippe miti erat ingenio, et ad quaeuis officia praeſtanda promto, vigilans pro fide atque eccleſiae vnitate et ſimul

ratus videbatur, ſignatus num. 290. Sic autem incipiebat iſte locus fol. 12. *Chromatius quoque Sanctae Romanae antiſtes Eccleſiae in libello* etc. quae verba auctores huius nominis Sichardo fuiſſe patet. Atqui ex contextu et vſu loquendi Alcuini oſtendit Fontaninus, eum non patriam aut ſedem, ſed Occidentalis, aut *Latinae* Eccleſiae epiſcopum indicare voluiſſe, ſimul etiam huius vocis ſignificationi vſum ſuperiorum auctorum conſonare monſtrat.

*) *Inuectiua I. ſub init.* Verum aſſequi nequeo, quid animo agitauerit Fontaninus l. l. p. 123. dicens: „Chromatium a. 371. adhuc Diaconum, Rufinum tunc recens per gratiam baptiſmi regeneratum doctrina Catholica inſtruxiſſe.“ Cui ſane aſſerto Rufini verba aduerſantur et ipſe auctor contradicit in *commentario de Rufino* lib. IV. cap. I. p. 156. Rectius ab Euſebio Diacono priuatas inſtitutiones accepiſſe, et Symbolum et fidei rudimenta edoctum eſſe *Rubaeus* in *Monum. Eccl. Aquil.* cap. VII. §. II. p. 60. tradit.

**) Acta Conc. apud Ambroſium T. III. p. 798. §. 45. et p. 800. §. 51.

ſimul pacis caritatiſque et aequitatis ſtudioſiſſimus, doctus denique et tamen alienae doctrinae cupidiſſimus admirator. Quibus virtutibus deberi iudicamus, quod eccleſiae Aquileienſis famam, qualem a praedeceſſoribus ſuis acceperat, illibatam ſucceſſori tradiderit, carus ſuis, ſlorens amicis, inter quos ſummi nominis viri, Ambroſius, Hieronymus, Rufinus, et auctoritate inter amicos et apud Hieronymum quoque ad extremum vitae et gratia apud ipſos Auguſtos potens. Quorum omnium documenta haud procul arceſſenda ſunt. Itaque cum maxime Scripturae Sacrae lectione oblectaretur, cuius ſtudii luculenta ſunt in ipſis eius tractatibus reliqua veſtigia, excitauit identidem Ambroſium et Hieronymum, vt Commentarios nouamque verſionem adornarent. Ambroſium quidem a. 389. rogauit, vt aliquid e ſacris codicibus epiſtolari familiaritate diſputatum cum eo communicaret, eique gratificatus eſt Mediolanenſis Epiſcopus, delecto ex hiſtoria Balaami in libro Numerorum argumento, quam interpretatus per epiſtolam L. ad eum transmiſit, alia quoque ſe additurum eſſe pollicitus, quae temporum iniuria abſtuliſſe videtur. Pari ſtudio ei obſecutus eſt Hieronymus. Nam cum Chromatius vna cum Heliodoro Altini Epiſcopo auctor ipſi fuiſſet, vt librum Chaldaicum Tobiae latinitati donaret, deſiderio vtriuſque ſatisfecit, ac verſionem adiuncta epiſtola, quae inter ſuperſtites ſignatur numero CX. a. 390. transmiſit. Paulo poſt iidem epiſcopi ab eo flagitarunt Commentarios in Prophetas Oſeam, Amos, Zachariam et Malachiam ſuppeditatis vt vocant *ſolatiis ſumptuum* ad librarios ſuſtentandos. Sed cum ob corporis debilitatem ad eos parandos non valuiſſet, eorum loco miſit eiſdem et nominibus eorum nuncupauit verſionem Prouerbiorum, Eccleſiaſtis et Cantici Canticorum.

corum. Nunquam ſane Hieronymus hiſce precibus amicorum diſcere ab eo cupientium fatigatus eſt, immo et animum ipſis ad noua ſemper poſcenda quodammodo addere voluiſſe videri poteſt, dum raro admodum oblitus eſt in literis ſignificare, quam brevi ipſi temporis ſpatio meditationes ſuae conſtiterint. Ac vix quidem iſta donauerat, cum anno proximo (392.) duos commentariorum libros in Habacuc Chromatio inſcripſit, qui *hiſtoricum ac literalem huius Prophetae ſenſum* explicari ſibi ab eo aliquando optauerat. Poſtremo ab ipſo Chromatio impulſus Hieronymus, vt Hebraea volumina latino ſermone transferret, verſionem τῶν Paralipomenon eidem dedicauit. Nec tamen hac tanta Hieronymi officioſitate Rufinum a ſe alienari paſſus eſt Chromatius. Quin eadem, qua ante diſceſſum in Orientem fouerat beneuolentia, Aquileiam a. 398. redeuntem eſt complexus, et licet omne nomen chriſtianum Hieronymus obteſtatus eſſet, vt vna cum Origene Rufini haereſes damnarent, ipſe Romanus pontifex, quamquam Rufini cauſam ab Origenis ſecernens communione ſecum ei interdixiſſet, Chromatius damnatis quidem Origenis erroribus, Rufinum ſecum retinuit et excelſae mentis exemplum colendo vſque amico praebuit. Ferunt etiam, Euſebii hiſtoriam Graecam eo conſilio latine reddendam a Chromatio fuiſſe Rufino iniunctam, vt calamo animoque alio conuerſis a contentione ſenſim abſtraheretur. Quam quidem verſionem ille duobus libris a ſe ipſo conſcriptis auctam a. 400. ei obtulit; poſtmodum etiam eidem Origenis Homilias XVI. in librum Ioſuae, a ſe pariter hortatu eius latinitate donatas, nuncupauit. Certe vehementer doluit hanc diſcordiae offenſionem in hominibus tam diuturna familiaritate ſibi coniunctis, invicemque amicitiae vinculo cunctis paene Eccleſiis notiſ-

notiſſimo copulatis, nec omiſit, quidquid in ſe eſſet virium alloquii et auctoritatis, vt mitiores vtrique animos inſpiraret. Quo tandem denique profecit, vt Rufinum a reſpondendo ad tertium, quem Hieronymus interim vulgauerat, apologiae librum cohiberet, et Hieronymo nunc facilius perſuaderet, vt in vltimo conuicio acquieſceret. Porro per idem tempus Chromatius cum aliis Occidentis epiſcopis Ioannis Chryſoſtomi, a ſede Conſtantinopolitana depulſi et in exilium detruſi, cauſam ſuſcepit et inſigni cum auctoritate tutatus eſt. Nam cum hac de cauſa ab Innocentio, Romano epiſcopo, ſynodus Romae habita eſſet et congregati patres ſupplicibus ad Imperatorem oblatis libellis oraſſent, vt Fratri ſuo et Imperii conſorti Arcadio reſcribere vellet, vt ſynodum Theſſalonicae fieri iuberet, qua facilius Orientis et Occidentis epiſcopi certum de Ioanne iudicium ferre poſſent; Chromatii epiſtolam vna cum literis Romani pontificis delegit Honorius, quas ad Arcadium mitteret. Chromatius vero ad ipſum quoque Chryſoſtomum per legatos Eccleſiae Romanae literas dedit, quarum meminit Palladius *), et recepit ab eodem reſponſorias a. 406. laudis ac gratiarum pleniſſimas.

His talibuſque non magnificis, ſed quas optimus quiſque probare debet, vitae geſtis curſus huius Aquileienſis antiſtitis fuit diſtinctus. Finiiſſe eum exiſtimant a. 406. poſtquam eccleſiam ſuam annis XVIII. rexiſſet **).

Super-

*) In Vita Chryſoſt. cap. II.

**) Sic Fontaninus l. l. l. III. *cap.* III. §. IX. 132. Aliter annum CCCCVIII. ſtatuerat *de Rubeis* in *Monum. Eccl. Aquil. cap.* XIII. §§. I - III. p. 111 - 115.

§. 2. Scripta. *Superſunt* Homiliae XVIII. in Euangelium Matthaei, in Hieronymi Catalogo haud obuiae quidem, nihilominus vero genuinae, vt pluribus argumentis aſſertum iuit poſt Tillemontium Fontaninus*). *Tractatus* appellare placuit eidem Fontanino, quam appellationem ſequitur editor nouiſſimus **). Inter *deperdita* feruntur Epiſtolae ad Ambroſium, Hieronymum, Io. Chryſoſtomum, Honorium et Arcadium Auguſtos. *Spuriae* ſunt Epiſtolae II. ad Hieronymum.

§. 3. Editiones. Primus haſce Chromatii reliquias in lucem produxit Io. SICHARDVS a. 1528. triplici opuſculo conſtantes; mox correctiores ex duobus MSS. exemplaribus et auctiores aliquanto MARTINVS LYPSIVS a. 1546. Ratio vero infra patebit ex titulis et deſcriptione harum editionum. Dehinc in varias Scriptorum Eccleſiaſticorum collectiones et omnes paene Bibliothecas patrum migrarunt. In *Cumaii* et *Combefiſii* Bibliothecis noua ratione diuiſae et ſeiunctae habentur. Verum tandem eorum ſyſtema deprehendit *Tillemontius* ***), ſecutus repetitam δοξολογίαν, in fine cuiuſque hiſce verbis conceptam, *per Chriſtum Dominum noſtrum, qui eſt benedictus in*

115. Sed poſt ſententiam mutauit, ac ſimiliter a. CCCCVI. mortem eius aſſignauit. Medium inter vtrumque tenet *Tillemontius Mem. Eccl.* T. XI. p. 538. annum amplexus CCCCVII.

*) Tillemont. Mem. eccl. XI. p. 539. Fontan. Hiſt. lit. Aquil. l. I. c. IV. p. 138. ſqq.

**) Alii *declamationem*, *opuſculum*, vocant V. Fontanin.

***) Mem. Eccl. T. XI. p. 653. not. II. ſur S. Chromace.

in ſaecula, cuius ductu *octodecim* homiliae agnoſcuntur, ab imperitis aut ignauis librariis ſeu exſcriptoribus iunctim compactae. Iuxta hanc autem deſcriptionem repraeſentauit eas nuper in eximio opere *Bibliothecae Patrum Veterum* ANDREAS GALLANDIVS, *Presbyter Congregationis Oratorii Venetiis*. In Chromatii homilias nonnulla obſeruauit etiam *Caſpar Barthius* in Aduerſariis lib. XXXII. cap. IV. XXXV. cap. XIII. LIV. cap. IV. Adde *Sixtum Senenſem* in Bibl. Sancta. Accipe iam editionum indiculum!

SAEC. XVI.

1528.

Baſileae per Adamum Petrum. 8. Chromatii, Epiſcopi Romani, diſſertatio in V. et VI. caput Matthaei atque declamatio in eodem genere. acceſſerunt Symmachi, Epiſcopi Romani, apologeticus aduerſus Anaſtaſium Imperat. epiſtola Eccleſiae Orientalis ad Symmachum, cum eiuſdem Symmachi reſponſione, Latine: omnia nunc primum edita ſtudio IOANNIS SICHARDI.

Vnicum habuit exemplar Matthiae a Sacraecaſtro, Treuirorum Officialis, ſed admodum deprauatum, vt per Lypſium edocemur in Praefatione ſequenti editioni praemiſſa.

1546.

Louanii ex officina Iacobi Batii. 8. Chromatii Epiſcopi quotquot extant lucubratiunculae. Per MARTINVM LYPSIVM recognitae, ex duobus venerandae antiquitatis exemplaribus. Harum Catalogum verſa videbis pagina.

Contenta ſunt, Chromatii *de octo beatitudinibus concio*. *Eiuſdem tractatus aliquot in V. et ſextum ca-*

put Matthaei, *Fragmentum tractatus alterius de baptiſmi Sacramento*, editum a Ioanne Sichardo, quod in antiquis Codicibus nuſquam ſibi repertum teſtatur Lypſius. *Epiſtolae* duae, pro Romanae eccleſiae dignitate facientes, aliorum auctorum, nempe *Symmachi Epiſcopi Romani Apologeticus aduerſus Anaſtaſium Imperatorem* et *Epiſtola Eccleſiae Orientalis ad Symmachum Epiſcopum Romanum*, quam Graece ſcriptam, ab aliquo non ſatis perito interprete verſam arbitratur Lypſius, quod item de ſequenti ſentit *Symmachi* reſponſione *ad Presbyteros*, *Diaconos*, *Archimandritas et cunctum ordinem plebeium per Illyricum et Dardaniam et Daciam conſtitutos.* Ipſe Lypſius praemiſit epiſtolam ad *Phoyllanum*, B. Petri Leodien. Decanum, (datam ex monaſterio Cruſalenſico menſe Martio 1546.) in qua de hac ſua editione ſic exponit.

„Cum excutiendorum veterum librorum gratia Benedictinorum Diui Trudonis bibliothecam, antiquitate magis quam voluminum copia celebrem, inviſerem, fortunantibus ſuperis incidi in codicem vetuſtum, Romano charactere eleganter deſcriptum: qui inter cetera Chromatii Epiſcopi conciones quaſdam habebat. Accepto guſtu adeo placuit, vt obnixe rogarim bibliothecae praefectum, pateretur eum diebus aliquot apud me hoſpitari. Praetexuit illico nunc hoc nunc illud, vt me retunderet: ſed potiſſimum inculcans, quanto ſtudio is liber ab omnibus eo aduentantibus deſideraretur, flagitaretur, legeretur: recenſens etiam Epiſcopos aliquot, inter quos fuerat et inſignis ille non tantum politioris literaturae vindex, ſed etiam ſublimis illius doctrinae caelitus nobis datae ſtrenuus adſertor, D. Antonius Atrebatenſis antiſtes: haſque ob cauſas fieri non poſſe, vt vel ad breue tempus careret bibliotheca.

Quae

Quae cum ad refellendum honeſtis rationibus meam poſtulationem valere putaret vir non ſtupidus: adeo tamen luſit operam, vt tum multo inſtantius, adamatae rei cupidine ſuccenſus, vrgerem, obteſtarer, obſecrarem, omnemque vt dici ſolet mouerem lapidem, quo vel paucos dies hac in re dignaretur gratificari Lypſio. Vici tandem, quamuis aegre: acceptumque librum non ſatis habui legere, ſed etiam meapte manu a capite ad calcem vſque non ſine voluptate deſcripſi. Poſt haec profectus Louanium, circuiui bibliopolia: ſciſcitans, num forte vſquam proſtaret Chromatius. Sed bibliopolis ita reſpondentibus, quaſi ne nomen quidem noſſent Chromatii: adi tandem aedes Bartholomaei Grauii, quem mihi et ingenii candor, et probatae fidei meritum, his annis non fucata glutinarat neceſſitudine. Huic quum de Chromatio multum quaeſito narraſſem, pauliſper velut cogitabundus ſubſiſtens ait. Differitne de octo beatitudinibus? Maxime inquam. Tum ille. Opinor, inquit, reliquum mihi eſſe vnicum exemplar. Hic exhilaratus, exhibe quaeſo, inquam. Abiit, ac poſt paulum temporis optatum nobis obtulit Chromatium. Dato igitur precio, librum quamvis contaminatum et lacerum accipio: reuerſuſque domum, conferre non diſtuli excuſum cum deſcripto: et comperio opus paſſim deprauatum, imo et locis aliquot mutilum. Neque tamen (vt dicam ingenue) quicquam horum vel Adamo Baſileenſi typographo, e cuius officina primum exiit Chromatius, vel Ioanni Sichardo, caſtigatori non minus perito quam ſedulo, iuſte imputari poſſit, ſed euentui: propterea quod vni duntaxat exemplari fidere coacti ſunt, cuius illis copiam fecerat vir doctae pietatis amantiſſimus, Matthias a Sacraecaſtro, Treuirorum Officialis. Praeſtiterunt ſane hi ſtudioſis quod licuit,

anſam poſteris praebentes haud incommodam, quos emaculatiora nacturos exemplaria pie ſperabant. Verumne et nobis merito exprobretur vnius exemplaris inopia, ac proinde nec nos iam dare potuiſſe compertiora, quam tum dederunt illi: non quieuimus, donec et alterum paris antiquitatis codicem impetraremus a Laurentianis iuxta Leodium: qui etiam mox, pro ſuo in nos ſtudio, hac in re nobis commodare non recuſarunt. Ita duobus freti vetuſtis voluminibus, quanta potuimus diligentia noſtro functi ſumus officio: ne minutias quidem ipſas relinquentes indiſcuſſas. Vitiata correximus, perperam diſtincta (quae tamen pauca occurrerunt) caſtigauimus, mutila reſtituimus: ſed vnum quod magnopere cordi nobis erat, nimirum calci operis adiicere quae certo conſtat deeſſe, fruſtra ſumus adniſi, quod in ambobus, quae nobis obuenere, codicibus eadem prorſus ſit imperfectionis iactura. Chromatii ergo conciones, annis abhinc plus minus tredecim primum e tenebris erutae et vtcunque in lucem prolatae, nunc rurſum veluti renatae prodeunt, noſtra qualiquali opella politae et quoad fieri licuit integritati redditae."

Adſcriptae ſunt paſſim in marginibus notulae, loca biblica et lectiones Variantes. Audit quoque in Cenſura D. Ruardi Tapperi Theol. et Cancellarii academiae Louanienſis in verſa pagina tituli impreſſa *multis in locis a mendis caſtigatus et expurgatus* hic *Chromatius.* Hanc editionem ignorauit Fontaninus. Nam etſi quidem non neſcius fuerit, a. 1546. primam a Lypſio profectam eſſe editionem, non tamen ſeorſim prodiiſſe nouit, ſed *Micropresbytici* huius anni editionem ſibi confinxit, qualem nulli vnquam docto homini viſam eſſe pro certo habemus.

1550.

1550.

Baſileae apud Henricpetri fol. Chromatii Epiſcopi de octo Beatitudinibns Concio elegans. Eiuſdem in V. caput Matthaei et partem ſexti tractatus aliquot eruditione pariter ac pietate inſignes. In *Micropresbytico quorundam Veterum Theologorum pagg.* 412—437.

1555.

Baſileae apud eundem fol. Eadem; inter *Orthodoxographa* Iohannis *Heroldi pagg.* 430—457.

1569.

Ibidem per eundem. fol. Eadem; in *Monumentis Orthodoxogr. Patrum* Iacobi *Grynaei* T. II. *pagg.* 1192—1221.

1575.

Pariſiis apud Mich. Sonnium. fol. Chromatii Conciones de octo beatitudinibus; in *Bibl. PP. Bigneana* T. VII. *pag.* 274. ſqq.

1588.

Lugduni apud Iuntas f. B. Chromatii Conciones *tres* de octo beatitudinibus et in V. et VI. caput Matthaei et iſtud Matthaei III. *Ego a te debeo baptizari;* in *Laurentii Cumdii Bibliotheca Homiliarum* T. II. p. 1170.

1589.

Pariſiis. fol. Chromatii Aquilejenſis Epiſcopi de Octo beatitudinibus conciones et eiuſdem tractatus in illud Matthaei III. *ego a te debeo baptizari;* in *Bibl. PP.* ed. ſecunda T. II. *a col.* 759.

Saec. XVII.

1618.

Coloniae Agripp. ſumpt. Ant. Hierat. fol. Chromatii Aquilej. epiſcopi de octo beatitudinibus homilia; Eiuſdem homilia in cap. V. Matthaei et partem VI; et fragmentum in III. et IV. cap. Matthaei; in *M. Bibl. PP.* T. IV. *col.* 834.

1624.

Pariſiis. fol. Chromatii Aquil. Ep. de octo beatitudinibus conciones et tractatus in illud Matthaei III. etc. in *Bibl. PP.* T. II. *p.* 151.

1644. et 1654.

Pariſiis. fol. Chromatii Aquilej. Epiſc. de octo beatitudinibus conciones etc. Vtraque editio in *Bibl. PP.* h. annorum T. II.

1662.

Pariſiis apud Antonium Bertier. fol. Chromatii Epiſcopi Aquilej. homiliae VI. de octo beatitudinibus etc. in *Combefiſii Bibl. Concionatoria* T. II. *pagg.* 22. 94. T. V. *pagg.* 202. 424. T. VIII. *pagg.* 344. 346.

1677.

Lugduni apud Aniſſonios. fol. Chromatii Ep. Aquil. Concio de octo beatitudinibus et in V. et VIII. Cap. Matthaei; in *Bibl. PP. Max.* T. V. *pagg.* 976—990.

Saec. XVIII.

1749.

Venetiis ex typogr. Caroli Pecora. fol. Sancti Chromatii Epiſcopi Sermones in aliquot capita Euangelii

gelii Matthaei; in *Combefiſii Bibl. Concionat. Vet. Patrum* ed. noua.

Inſunt, quod nobis reperire licuit, quatuor: 1) Sermo in Euang. Matthaei VI. *cum ieiunatis* T. II. p. 370. 2) Sermo in Euang. Matthaei V. et. VI. *audiſtis, quod dictum eſt, diliges proximum.* Ibid. pag. 442. 3) Sermo in Euang. Matthaei IX. *niſi abundauerit iuſtitia veſtra* T. VII. pag. 58. 4) Sermo in Euangelium Matthaei VI. *nemo poteſt duobus dominis ſeruire.* Ibid. pag. 280.

1772.

Venetiis ex typogr. Io. Bapt. Albritii. fol. S. Chromatii Aquileienſis Epiſcopi Tractatus XVIII. antehac editis multo emendatiores; in ANDREAE GALLANDII *Bibl. vet. Patrum.* Tom. VIII. *pagg.* 333—352. Praemiſſa eſt de Chromatio diſputatio docta in *Prolegg.* cap. XV. *pag.* XXVIII. ſq.

CODICES. Praeter *Treuirenſem*, quem Sichardus *a Matthia a Sacraecaſtro* acceperat et duobus *Martini Lypſii*, altero *Bibliothecae Benedictinorum Diui Trudonis Louanii*, altero *Monaſterii S. Laurentii* iuxta *Leodium*, nullum hactenus MS. exemplar horum tractatuum repertum eſt.

7.

PELAGIVS

ab aequalibus ſuis *Britannus* appellatur. Quae a recentioribus ſuper hac eius origine diſputata ſunt, nemini ignota eſſe arbitramur. Eſt autem quaeſtio haec in hoc viro tanto infructuoſior, quo magis ipſum conſtat non iuuenilibus ſtudiis ac inſtitutione aut doctoris alicuius adſectatione iis opinionibus im- §. 1. Vita.

 butum

butum eſſe, quas poſtea in ipſo Auguſtinus et eccleſia damnarunt: ſed iam feneſcens et emenſa plurima vitae parte eas ſpargere coepit, mox autem publice profiteri coactus eſt doctrinas, quas vſque dum in vita tantum et conſcientia propria regenda vtiles quam maxime expertus eſſe videtur. Nam ſi longiſſime eius repetatur memoria, ante annum 411. Romae conſtitutum deprehendimus, in conſortio hominum probiſſimorum et totius vrbis exiſtimatione, carum quam plurimis extra Romam vel Italiam etiam epiſcopis inque iis Paulino Nolano, et fama integritatis ſanctitatiſque in Africam vſque celebrem. Conſpirabat quippe tale vitae exemplum cum inſtituto monachi, quod ſecutum eum eſſe, tametſi certo alicui monaſterio ſe non adſtrinxiſſet, omnes teſtantur; nec antiquius quidquam habuiſſe videtur, quam vt eos, quibuſcum verſatus eſt, ad bonam vitam propria quadam ipſi contentione atque ardore exhortaretur. Ferunt etiam iuuenes duo, Timaſium ac Iacobum, adhortatione illius commotos eſſe, vt repudiatis ſaeculi rebus totos ſe ſuaque deo vouerent. Solebat autem, *quoties ei de morum inſtitutione et ſanctae vitae dicendum eſſet, prius humanae naturae vim qualitatemue monſtrare et quid efficere poſſet oſtendere atque iam inde audientis animum ad ſpecies virtutum incitare: ne nihil prodeſſet, ad ea vocari, quae forte ſibi impoſſibilia eſſe aliquis praeſumpſiſſet. Nunquam enim*, inquit in ſuperſtite etiamnunc eiuſmodi exhortatione, *virtutem valemus ingredi, niſi ſpe ducamur comite; ſiquidem appetendi omnis conatus perit, conſequendi deſperatione. Optima autem incitamenta ſunt, cum docetur aliquis, poſſe, quod cupiat. Nam et in bello ea exhortatio maxima eſt, eaque plurimum auctoritatis habet, quae pugnatorem de viribus ſuis monet.* Cum ergo ſic tractaret animos Pelagius, ſic

in

in omnes partes humanam naturam vertendo inſita ei ad virtutem affectandam praeſidia explicaret, vt ad auctorem ſuum ea referens tanquam diuinitus conceſſis beneficiis vti doceret et inſtigaret: non poterat non interdum laudatori virium humanarum ſimilis videri, ſed qui profecto diuinam gratiam non magis excluderet, quam pro illa chriſtianorum hominum iſtius aeui in vita moderanda deſidia, ſeu vt rectius dicam in tanta morum omnium ruina ac euerſione, quam ſecure clerus ſpectabat aut ipſe ſequebatur *), opus eſſet. Tradebat autem talia, vt officio iſti, quod cum vitae ipſius profeſſione quodammodo erat coniunctum, pro modulo ſuo et conſcientia ſatis faceret, non vero docendi occaſiones ſectabatur, vt opiniones quaſdam diſſeminaret. Miſcebat cum aliis ſiue familiaribus ſiue popello ſermones de virtute et vita ad pietatem inſtituenda, quia muneris ſui eſſe ducebat. Vtebatur more in colloquendo

*) Teſtes ſunt Hieronymus in iis, quae de clero Romano ſcribit, teſtes tot probra in clericis accuſata totque poenae in turpiſſima delicta ſancitae, teſtes denique omnes fere ſcriptorum eccleſiaſticorum huius aetatis paginae, in quibus adeo nihil in probitatem hominum fiduciae, adeo omnia, quae virtutum quandam ſpeciem praeferunt, ſuperſtitioſe ſunt facta, vt eccleſiam tantis ſumptibus altam religioni per Chriſtum traditae defuiſſe merito queri videas. Sed hoc quoque magnae peruerſitatis eſt indicium, quod ex rerum Pelagianarum hiſtoria haud obſcure perſpicio, cauſa item, cur optimo conſilio Pelagius tam parum profecerit, quod quae proprie moribus regundis tradita eſſent praecepta, non in vſum atque exercitium verterentur, ſed vt de ſchola aliquae quaeſtiones ac formulae ingenia exercebant et contentioſe magis quam religioſe colebantur.

quendo ſuo, quem ſiue ipſe expertus erat vel aliis futurum maxime ſalubrem. Neutiquam vero methodi huius gratia et quia ſibi in doctrinis quibuſdam placeret, eaſque et aliis commendare cuperet et inſtillare, perſonam doctoris induebat. Neque coram ſolum et alloquio ſuo, ſed ſcriptis etiam idem genus philoſophandi nouum fortaſſe inter latinae eccleſiae miniſtros, ſed non minus graue et frugiferum eſt amplexus. Sic enim Auguſtinus narrat, ſe certiorem factum a ſanctis quibuſdam viris a. 416. apud ſe eſſe libros *exhortatorios* vel *conſolatorios* ad quandam viduam, cuius nomen ibi deſiderabatur, conſcriptos, quos illi ante quatuor ferme annos tanquam Pelagii libros habere coepiſſe affirmabant, nec vnquam, vtrum eius eſſent, ab aliquo ſe audiſſe dubitari. Ex quibus omnibus non pauca de ingenio moribuſque viri iudicialitera, ac vulgo a catholicis ſcriptoribus fieri ſolet, id eſt rectius, informari poſſunt. Primo itaque id fateatur vnuſquiſque, qui actorum inter Pelagium atque Auguſtiniani placiti propugnatores ſeriem diligenter perluſtrauerit, cuique liberum a praeſumtione pectus, non aliud quidquam Pelagio curae fuiſſe, quam vt homines ad vitae perfectionem incitaret, non vt ignauos ſecum ſapientes faceret. Hinc nulla vnquam peculiaris huiuſmodi quaeſtio ab eo mota eſt, ſed ſicubi vel coram vel per literas de mediis ad virtutem conducentibus diſſerendum eſſet, dicebat quae ſentiret, non quaſi iuvenis abblandiens opinionibus ſuis, ſed qua ſolent ſenes grauitate laudare quae per omnem vitam ipſis ſunt probata. Ac hoc nomine quidem magnum inter ipſum et Coeleſtium exiſtit diſcrimen, quem minorem aetate et feruidiori adhuc ingenio magis ea pungebant, quae tanta veritatis ſpecie a Pelagio accepiſſet vitam chriſtianam informandi praecepta,

quique

quique alacrius et incautius forte, nec tamen ipſe reprehendendo conſilio aliis ea adhibebat *). Porro vt nulla plane in re ab eccleſiae dogmatibus diſſentiebat, ſed in iis tantum, quae ad mores informandos ſpectarent, propria ſibi quaedam vindicabat ad artificium doctoris potius, quam ad fidei formulam pertinentia; nihil egit vnquam, quo paci ac tranquillitati eccleſiae inſidias ſtruxiſſe videri poſſit. Neque enim velut ſcholae auctor ſectatores ſibi allexit, nec verbis vnquam de iiſdem rebus cum aliquo contendit. Quod ſi Coeleſtium ab eo didiciſſe traditum eſt, id non eo valet, ac ſi hunc ſibi formandum ſumſiſſet, ſed cum idem ambo vitae propoſitum perſequerentur, facilius inuicem admouebantur et arctior mutuo aſſenſu inter eos coaluit neceſſitudo. Sequebatur adeo Pelagium Coeleſtius non tanquam magiſtrum et auctorem diſcipulus, ſed amicus amicum, intelligens prudentem. Nec vero diutius cum Coeleſtio verſatum eſſe conſtat, quam vtriuſque rationes paterentur, nec vbi ſemel inuicem diſceſſiſſent, vnquam poſtea in eundem locum conuenerunt omneque inter eos, quippe nullo niſi mutui affectus vinculo coniunctos, commercium defeciſſe videtur. Ipſe autem quam primum cognouiſſet, Catholicos quoſdam per opiniones ſuas commoueri, omnia fecit, quae in poteſtate ſua eſſent, vt partim iis ipſis, partim aliis grauitate et muneribus in eccleſia inſignibus viris nondum praeiudiciis iſtorum irretitis perſuaderet, doctrinam ſuam non eccleſiae formulis aduerſari nec prauitatis aliquid alere, non tamen certanti

*) Hinc fluxit illud Auguſtini iudicium a veritate et errore medio ſpatio diſtans, *Coeleſtium apertiorem, Pelagium occultiorem eſſe, illum pertinaciorem hunc mendaciorem, vel certe illum liberaliorem hunc aſtutiorem.*

tanti ſimilis, ſed in ſeceſſu Palaeſtinae latens. His ergo praemonitis reliqua pars vitae eius paucis abſolvi geſtaque eius abſque erroris metu a nobis enarrari poterunt.

Quamdiu Romae vixerit Pelagius incertum quidem, ſed credibile eſt, iam ante exitum ſaeculi quarti eum ibi domicilium poſuiſſe. Saltem primos ſaeculi quinti annos ibidem exegit, ſiquidem epiſtolam, quam ante annos fere XII. ad Paulinum Nolanum ſcripſiſſe ſe teſtatur in literis ad Innocentium I. a. 417. datis, vix alibi quam Romae exaraſſe veroſimile eſt. Eidem temporis ſpatio commentarii quoque eius in Epiſtolas Pauli ſunt aſſignandi. Cum anno 409. vel proximo 410. plurimi omnis generis ordiniſque homines Romam Alarici tertium aduentantis metu relinquerent et Siciliam potiſſimum confugerent, Pelagius quoque ad fugientium veſtigia iter cum Coeleſtio direxiſſe videtur. Commodius enim ſic explicari mihi videntur Pelagianae doctrinae in Sicilia motus, quorum cauſa mox Auguſtinus conſultus eſt, quam ex illorum ſententia, qui ex Africa Palaeſtinam petentem huc appuliſſe fingunt, aut neutri horum ea deberi, ſed fortuito eadem vel ſimilia in locis diuerſis alios ſenſiſſe exiſtimant. Africam deinde Pelagium et Coeleſtium acceſſiſſe veritate non caret. Ac primo quidem Hipponem ſe contulit, fortaſſe Auguſtini viſendi gratia, qui tamen aberat. Hinc profectus eſt Carthaginem, vbi Auguſtinus multum occupatus in cauſa Donatiſtarum verſabatur, qui ſemel atque iterum hic eum vidiſſe ſe teſtatur, tametſi breui tantummodo ſpatio ibi ſubſtitit et relicto Coeleſtio Palaeſtinam nauigauit. Vix huc delatus erat cum ſtatim in complurium ſanctae famae atque Inclytae doctrinae virorum, veluti Hieronymi, Ioannis

nis Hieroſolymitani Epiſcopi aliorumque familiaritatem ſeſe inſinuaret, nuſquam autem proditum légimus, eum de ſuis ex doctrina morum opinionibus quemquam ſollicitaſſe, ſicut nec Carthagine ſermonem de iiſdem intulerat, non metu profecto aut diſſimulantia, ſed quia niſi de vita ad religionis normam componenda alios moneret, ad haec non facile recurrere ſolebat *). Id autem ei accidit, cum rogatus a Iuliana, nobiliſſima matrona Romana, matre Demetriadis, quam virginem Deo conſecrauerat, epiſtolam ad eam ad ſenſum dignitatis vitae recens inſtitutae itemque perfectionis, quam adſpirare deberet, excitandum perſcripſit. Idem eiuſdem hortatu Auguſtinus quoque et Hieronymus fecerunt, non ſine clandeſtina Pelagii vellicatione vterque. Dedit etiam ex Palaeſtina ad Auguſtinum literas vrbanitatis tantum et officii, quo illum Carthagine aut Hippone ambiiſſe videri vellet teſtes, nec aliter reſcripſit Auguſtinus, quamquam mirum in modum poſtea ſe torſit, vt nihil dixiſſe in epiſtola videretur, quod non ad exprobrandam Pelagii haereſim faceret. Sed pacem, qua ipſe perfrui maxime et alios auctos eſſe cupiebat Pelagius, turbauit homo ex vltima Hiſpania a. 415. Palaeſtinam allatus, nulla re valde inſignis, niſi inſana paene Auguſtini palpatione, Oroſius. Is, neſcio an Auguſtini huius conſilio, errores in Coeleſtio ab Africana eccleſia damnatos nuntiauit, et Pelagium ſimul tanquam iiſdem infectum, niſi forte auctorem, etiam apud Hieroſolymitanum clerum

*) Hinc eſt quod Hieronymus in eodem reprehendit, quod *pro tempore, perſonis et locis vel loqueretur vel taceret.* Apte hoc in perſona doctoris, qui inſtituere non meras quaſdam opiniones propagare vellet.

clerum detulit, tantaque egit animorum commotione, vt tandem ipſum Epiſcopum Eccleſiae illius Ioannem, qui forte melius ingenium et mores viri perſpiciebat, in conſeſſu presbyterorum ſuorum medio hoc anno Pelagii cauſam examinare cogeret, ipſo accuſatoris partes ſuſtinente. Sed quae hic diſputata geſtaue ſint non ingerere placet. Euentus tamen declarauit, Oroſium cauſae huic, quae tota in verborum controuerſia erat poſita, imparem et Pelagio ingenii ſubtilitate atque ipſa dicendi exercitatione longe inferiorem eſſe, quippe qui quae ab Auguſtino cupide fortaſſe exceperat, operoſe et rauco ſermone recantabat. Quare Ioanne commotiore in ipſum reddito, culpam in interpretem deuoluit, et Graecum lingua hominem de haeretico latino, haereſi item in latina eccleſia quaſi domeſtica ac ſeipſo tandem accuſatore latino, minus idoneum iudicem cauſſatu ſubducere ſe conatus eſt. Quamobrem cum ipſo Ioannes Innocentii Romani mentionem intuliſſet, quem, vtpote primarium inter Latinos epiſcopum, haud inepte rem diſceptaturum exiſtimaret, nemini id diſplicuit. Sed maiores erant animorum motus, quam qui ſedari adeo facile potuiſſent, imprimis cum Hieronymus et Oroſius calcar addidiſſent. Ne ſaluum igitur Pelagium dimitterent, pactum eſt cum clericis quibuſdam, Erote et Lazaro, epiſcopis Gallicanis a ſedibus ſuis pulſis, qui maculam famae ſuae adſperſam ſimulato pro Hieronymi atque Auguſtini formulis affectu abſtergere eoque ſimul prolapſae fortunae ſuae ſuſtentacula parare cupiebant. Hi itaque Eulogio Caeſarienſi Antiſtiti et Palaeſtinae primati libellum contra Pelagium obtulerunt et Synodum indici ad cognoſcendam eius cauſam poſtulabant. Edicitur Dioſpolim ſeu Liddam quae antea vocabatur. Conueniunt quatuordecim Epiſcopi.

Acci-

Accitus eſt Pelagius. Sed ecce! accuſatores cauſam ſuam deſeruerunt, vnius aegritudinem praetendentes. Abſuit etiam Oroſius. Rogatus igitur Ioannes Epiſcopus Hieroſolymitanus, vt quae coram ſe inter Oroſium et Pelagium geſta eſſent narraret; expoſuit ea, non ſane honorifica Oroſii commemoratione et Gallicanis epiſcopis infenſior. Recitatus eſt deinde libellus eorum et de ſingulis quaeſtionibus interrogatus Pelagius cum libere et grauiter reſpondiſſet, cunctis qui conſederant epiſcopis fidem ſuam ſic approbauit, vt Hieronymo nihil reliqui faceret, quam vt omnem ex fruſtrata ſpe commotam bilem in Synodum Dioſpolitanam effunderet. Auguſtinus vero hoc effugium arripuit, vt Patrum iſtorum quidem ſtudium et in fide conſtantiam laudaret, ſed Pelagii verſutias et verborum artificia accuſaret, ſpargens, eum epiſcopis iſtis impoſuiſſe, nihilominus tamen ſe ipſum damnauiſſe, aut contraria in corde ſeruaſſe. Fortaſſe accidit tunc per impotentem Hieronymi animum, cui in Pelagium et Synodi Dioſpolitanae decreta frena laxauerit, vt amici quidam huius, quibus nimis circa praecordia aeſtuaret ſanguis, tumulti aliquid excitarent, quem in monaſterio ſuo ſenſiſſe illum ferunt. Ipſe quidem Pelagius poſt haec ad amicos ſuos ſic ſcripſit. „*Quatuordecim Epiſcoporum ſententia definitio noſtra comprobata eſt, qua diximus, poſſe hominem ſine peccato eſſe et Dei mandata facile cuſtodire ſi velit. Quae ſententia contradictionis os confuſione perfudit et* OMNEM IN MALVM CONSPIRANTEM SOCIETATEM *ab inuicem ſeparauit.* Sed haec tota pars vitae Pelagianae, quae vexationibus haud dubie innumeris agitata fuit, obſcura eſt, ſiquidem plerumque laus victorem ſequi proſperum ac felix ſcelus virtus vocari ſolet. Mox vero, ſibi et amicis id deberi ratus, Hieronymum,

ronymum, qui in peculiari dialogorum opere ipſum infamauerat, conſcriptis quatuor de libero arbitrio libellis confutare coepit, id quod etiam Theodorus Epiſcopus Mopsueſtenus quinque libris fecit, quorum etiamnum fragmenta a Mercatore excerpta proſtant *). Interea Oroſius cum nuntio rerum apud Dioſpolin geſtarum et acceptis Lazari et Erotis literis in Africam rediit. Celebratae mox Carthaginenſis et Mileuitana Synodi, in quibus non quidem contra Pelagium atque Coeleſtium aliquid ſtatutum eſt, ſed generaliter tantum ii errores, quorum Pelagium atque Coeleſtium inſimulauerant et qui cum iis connexi videbantur, damnati ſunt. Caute haec ita tractauit Auguſtinus, ne ſcilicet aliter ſtatuendo Patres Dioſpolitani laederentur. Sed quod ipſe non audebat per alios egit. Pontificis Romani ambitionem nouerat, quam non ſemel Africani ſuis machinationibus ſperato cum ſucceſſu adhibuerunt. Sollicitavit ergo Innocentium literis, quibus geſta Synodalia adiuncta erant, vt contra eos decerneret apertius. Nec fruſtra. Celeriter reſcripſit, ſe acceptis e Palaeſtina geſtis Dioſpolitanis, cognouiſſe, Pelagium *obiecta partim vitando partim interpretando, partim ad tempus negando tota ſe obſcuritate confudiſſe*: quae ipſius verba totum et mente et ſtilo Auguſtinum ſpirant; tandemque contra vtrumque, Pelagium et Coeleſtium, anathema pronuntiauit (VI. Kal. Febr. Honorio Aug. et Conſtantio V. C. Coſſ. i. e. a. 417.) Quod imprudens Innocentii factum quam vehementer Pelagius doluit, *literae* eius ſignificant, quas ſtatim, poſtquam ipſi innotuiſſet, *ad Innocentium*, vna cum

*) Edita ex Vat. Cod. qui Commonitorium Mercatoris complectebatur, ab Henr. Noriſio in Hiſt. Pelag. l. 1. cap. IX. ed. Louan. 1700. p. 39. ſq.

cum *fidei ſuae confeſſione* dedit. Sed citius ille mortem obierat. Quare ad Zoſimum ſucceſſorem eius delatae, bonae cauſae victoriam pepererunt. Conſtat, quo triumpho haec acta ſint et qua animi laetantis exultatione purgatos a calumniis et criminationibus Pelagium Coeleſtiumque Africanis patribus nuntiauerit, qua denique ſenſuum et dictorum grauitate turpia Erotis et Lazari molimina contuderit, ipſoſque Africanos erubeſcere fecerit, quod tantum aut ſuis affectibus indulſiſſent aut perditorum hominum ſuſurrationibus praebuiſſent aures. Nec obſtat, quod aduerſam tamen paulo poſt ſententiam in Pelagium tulerit idem epiſcopus. Certe mente alienatior non eſt redditus, quicquid ipſi metus extorſerit. Ab hoc tempore vero deficit Pelagii ipſius in his litibus memoria. Ferunt quidem, denuo eundem in alia Palaeſtinae Synodo, praeſide Theodoto Antiocheno epiſcopo, iiſdem accuſatoribus Erote et Lazaro, ad examen pertractum, tandem haereſeos conuictum atque Palaeſtina pulſum eſſe. Sed haec vnius Mercatoris fide nituntur, tametſi is Theodoti ipſius et Praylii Epiſcopi Hieroſolymitani, Ioannis ſucceſſoris, literas ad Pontificem Romanum de his geſtis miſſas in manibus habere teſtatus eſt. Omnino autem tot tantiſque tempeſtatibus iactatus et aetate inſuper ſatis prouecta vix diu his ſuperuixiſſe poteſt, licet penitus ignoremus, quando et quonam in loco rebus humanis ſubtractus fuerit.

I. Quae etiamnunc *ſuperſunt* integra;

1) *Expoſitionum in epiſtolas Pauli libri XIV.* §. 2. Scripta. ſcripti dum Romae adhuc verſaretur Pelagius. Diu et iam inde a ſaeculo ſexto Hieronymi nomen tulerunt. Sed Pelagiani, immo ipſius Pelagii eſſe du-

dum cognitum eſt. v. Voſſ. Hiſt. Pelag. l. I. cap. IV. Enimuero vt nunc habemus, ab auctore ſuo profecti non ſunt, ſed paſſim et praecipue in Epiſtola ad Romanos per Caſſiodorum ab iis, quae contra fidem catholicam dicta viderentur, repurgati. Cf. Garner. ad Mercat. App. ad Diſſ. VI. P. I. p. 367.

2) *Epiſtola ad Demetriadem* ſcripta circiter a. 412. Hieronymi nomen quoque tulit. Sed Pelagii eſſe conuincitur ex fragmentis, quae inde laudat Auguſtinus lib. de gratia Chriſti cap. XXII. XXVII. XXXVII. XXXVIII. XL. et in epiſtola ad Iulianam Demetriadis matrem. Plura vide apud Voſſ.

3) *Libellus fidei ad Innocentium Papam* ſcr. a. 417. Nec hic quidem effugere potuit, quin Hieronymi crederetur, et inſcribi olim conſueuit *Hieronymi explanatio Symboli ad Damaſum.*

II. Deperdita, quorum fragmenta extant:

1) *Liber* Εὐλογιῶν, quod vertit Voſſius, *honeſtorum ſermonum de actuali conuerſatione. Eulogiarum pro actuali conuerſatione ex diuinis ſcripturis librum* vocat Gennadius et *pro actuali vita librum* Honorius Maſſilienſis. Oroſius *Teſtimoniorum* titulatione ſignatum fuiſſe tradit. In eo ad Cypriani exemplum varia ſententiarum capitula e Scripturis comprehenſa fuiſſe, ex Hieronymo et Gennadio diſcimus. Vnde ſagaciter recens ſcriptor *Guil. Wallius* in Hiſtoria Paedobaptiſmi *Eclogarum* librum legendum coniecit. Teſtimonia et fragmenta eius praebent *Hieronymus* in Dialog. aduerſus Pelagianos *lib. I.* vbi titulum XIV. XXI. XXXI. LXXII. LXXIII. LXXXI. LXXXIII. C. CXXIII. CXXXI. CLXIV. CLXV. citat, et *Auguſtinus contra duas*

duas Pelagianor. epiſt. l. IV. *cap.* VIII. et *de geſtis Pelagii cap.* I—VI. quae iunctim exhibentur etiam apud Garnerium ad Mercat. l. l.

2) *Liber de Natura*, cui oppoſuit Auguſtinus librum *de natura et gratia*, in quo plura ex iis inſeruit. Garnerius in Sicilia compoſitum putat, incertus tamen vtrum ipſi Pelagio an Coeleſtio aut Aniano tribuat. Per Iacobum et Timaſium, iuuenes Pelagium adſectantes, in manus Auguſtini peruenerat, et ab Africanis epiſcopis quibusdam ad Innocentium miſſus fuit. Fragmenta ſunt apud Garnerium dicto loco et ſq.

3) *Liber vnus* vel etiam alter *ad viduam conſolatorius atque exhortatorius*, cuius memoria et fragmenta ſuperſunt apud Hieronym. dial. 3. Auguſtin. de geſt. Palaeſt. c. 6. et Mercator. in Commonit. cap. 4. vnde ea collegit Garnerius ad Mercat. diſſ. I. pag. 373.

4) *Epiſtola ad Auguſtinum* poſt Synodum Palaeſtinam ſcripta. *Auguſtin. de geſtis Pelag.* c. 26. Garner. p. 377.

5) *Secunda epiſtola ad eundem* ſeu, vt vocat ille, *chartula purgationis* miſſa per Carum Diaconum poſt Synodum Dioſpolitanam. *Auguſtin. de geſt. Pelag.* c. 30. Garner. p. 379.

6) *Epiſtola ad amicum quendam presbyterum*; poſt Synodum Dioſpolitanam. *Auguſtin. de geſt. Pelag. c.* 30. Garner. p. 379.

7) *Epiſtola ad Innocentium* I. a. 417. vna cum Symbolo fidei miſſa. *Auguſtin. de gratia Chriſti* c. 30. ſqq. Garner. 380.

8) *Liber de libero arbitrio*, quem oppugnat Auguſtini liber *de gratia Chriſti* et plura ſimul ex eo ſeruauit cap. IV. VII. X. XVIII. XXVIII. XXIX. XXXIX. Quae fragmenta ex libro primo, potiſſimum autem tertio, iuſto ordine propoſuit Garner. p. 380. ſqq.

III. *Plane deperdita* ſunt;

1) *Libri III. de Trinitate*, quos ante Commentarios in Epiſtolas Pauli compoſuiſſe videtur.

2) *Epiſtolae* tres, vna ad *Paulinum*, altera ad *Conſtantium*, quarum Auguſtinus meminit in lib. de gratia Chriſti cap. XXXIV. XXXV. et XXXVI Tertia *ad* ipſum *Auguſtinum* ſcripta fuit ſtatim poſt aduentum Pelagii in Palaeſtinam, ne inſalutato hoſpite abiiſſe videretur, vt recte Garnerius occaſionem eius denotat. Priores duas annis 405. et 406. aſſignari oportet.

IV. Nouiſſime demum eidem *adſcribere* auſus eſt b. Semlerus *Epiſtolam ad Celantiam matronam de ratione pie viuendi*, ſimilitudine orationis et rerum tractationis inductus.

I. *Expoſitionum in Epiſtolas Pauli libri XIV.*

§. 3. Editiones. Non memini prius editos a quopiam hoſce Commentarios, quam ab Eraſmo in prima editione Operum Hieronymi a. 1516. vnde poſtea ſemper Hieronymianis operibus adhaeſerunt, nec alibi, praeterquam in Io. Clerici Appendice Auguſtiniana, recuſi ſunt. Quomodo autem de iiſdem inſigniores Hieronymi editores meruerint ex hoc indice patebit.

1516.

1516.

Baſileae apud Froben. fol. Commentaria in Epiſtolas Pauli; ext. in *Tomo IX. Opp. Hieronymi a fol.* 131—190. „Commentarios in omnes diui „Pauli epiſtolas, *inquit* Eraſmus in Praefatione huic „Tomo praemiſſa, Hieronymo vendicabat Codex „quidam obſoletae vetuſtatis, Gothicis characteri„bus exaratus, ſic ſane perplexis et iam prae vetu„ſtate euanidis, vt coacti fuerimus in elementario„rum ordinem rurſus deſcendere, et quod in ludis „pueli faciunt, litterariis apiculis noſcitandis ope„ram dare: ſed et ii ſicut proximi ſuperiores, in„digni ſunt iudicandi qui Hieronymo tribuantur. „Quando enim ſic ineptit Hieronymus, vt hic in„terpres quiſquis is demum fuit: quin ſic balbutit, „vt hic frequentiſſime ſoloeciſſat. Tametſi is, qui „gloſſam (vt vocant) ordinariam conſarcinauit, Hie„ronymi titulo nonnulla citat, quae nominatim in „iis commentariis comperiuntur. At hoc neuti„quam ſatis probauerit Hieronymi Stridonenſis eſſe, „quod ſcilicet ſunt illius nomine citata. Neque „enim hoc agebat gloſſarius iſte, ſiue Rabanus fuit, „ſiue alius quiſpiam, vt cuius eſſent inquireret, ſed „pro tempore quod ad rem ſuam faciebat, id excer„pebat. Dicet hic aliquis, quid igitur hic opus erat „adulterina legitimis cum excuderentur admiſcere? „Huic reſpondebimus, quod etiam in aliis praefatio„nibus ante diximus, nos videlicet non doctis mo„do, ſed et indoctis voluiſſe morem gerere. Si „commentarios in Marcum omiſiſſemus, aut in Pau„lum non appreſſiſſemus, quas ſtatim imperiti tra„goedias excitaſſent. Et habent qui ſunt apud He„ſiodum de primo ſecundoue hominum genere, „quod aut illi per ſeipſos, aut ii praemoniti cum iu-

„dicio legant: et non deeſt ſtupidis illis tertii gene„ris, apud eundem poetam quod amplectantur, ne „ſcilicet non ſit paroemiae locus, ſimiles habent la„bra lactucas. Quamquam in iis ipſis in Marcum „et Paulum commentariis quaedam inuenire licet, „quae doctis etiam placere poſſint, nimirum ex Hie„ronymi penu deprompta a ſtudioſo videlicet ali„quo, qui cum percurriſſet Hieronymianas lucubra„tiones, in his multa ſublegerit, vt deinde ſuis ad„miſceret, quo verius huius fuci merito Hierony„mus videri poſſet. Quod ſtudium olim fuit mona„chis, iis maxime, qui de familia ſunt diui Benedi„cti, nam apud hos, vt religionis, ſic etiam litera„rum multos annos (vt ita dicam) tyrannis fuit, cum „mundus a ſimplicitate Chriſti deſciſcens, bellis „operam daret, et in barbaricam quandam feritatem, „contempto ſapientiae ſtudio, ſenſim prolaberetur, „et erat tempus quo nihil placeret quod Hieronymi „non eſſet: haud ſecus quam hodie multis nihil pro„batur, niſi quod Scotum aut Thomam ſapiat. „Tum nebulonibus quibuſdam anſa fuit praeſtita, „ſimplicioribus imponendi, venditabantque paſſim „pro Hieronymo naenias ſuas, et celeberrimi ſan„ctiſſimique viri titulum nugis quamlibet nugacibus „praefigebant. Ceterum vt detur etiam inter mul„tas paleas aliquod granulum reperire, cum tantum „ſumpſit Hieronymi ſcriptorum, iſtos commenta„rios nigro calculo notamus, et indignos cenſemus „in quibus legendis ſtudioſi bonas horas male collo„cent. Docti, quique ſunt naris emunctae (certo „ſcimus) nobiſcum facient, imperitorum et craſſo„rum iudicium nihil moramur." Haec Eraſmi ſententia iniqua profecto et a veterum etiam, quamquam auctori neutiquam fauentium iudiciis abhorrens, doctorum ab illius inde aetate hominum, qui dili-

diligentius iſta commentaria inſpexerunt, calculum non tulit. Neminem fugit, quanti ea faciat Simonius *), quocum paucos iam fore exiſtimamus, quin ea Hieronymianis, nedum Auguſtinianis interpretationibus longe praeferenda cenſeant. Interim propter hanc ipſam ſummorum virorum in iudiciis repugnantiam optandum duxerim, ne doctum aliquem virum in hac ſacrarum literarum parte habitantem pigeat denuo eadem excutere et imprimis inueſtigare, annon fortaſſe aſſumenta aliquot vilioris panni inſint, quibus ineptus aliquis gloſſator vel compilator ad totius operis contemtum Eraſmum prouocauerit. Ceterum in *ed. Baſil.* 1537. inuenies *eodem Tomo pagg.* 265—396.

1572.

Romae apud Paulum Manutium. fol. Commentarii in Epiſtolas Diui Pauli; in editione *opp. Hieronymi Victoriana* T. VIII. quae cum ipſa ad manum non ſit, ad paginas *Antverpienſis* et *Pariſinae* laudare neceſſe eſt. In *Antverpienſi* (a. 1579.) extat *T.* VIII. *pagg.* 170—288. in *Pariſ.* 1643. *eod.* Tomo *p.* 161—277. En vero *Mariani Victorii* de iis ſermunculum, (ex Praef. huius tomi): „Commentarii in tredecim Pauli Apoſtoli Epiſtolas, „Hieronymi, ipſi etiam minime ſunt: nam nec „eius phraſin habent, nec eruditionem: quamuis in „fronte operis Epiſtolam ad Heliodorum inſcriptam „contineant: Quin potius hominis eſſe Pelagiana „labe commaculati compertiſſimum eſt (ne ea tan- „tum quae orthodoxa non ſunt, ab haereticis potius

 „ſunt

*) *Hiſt. crit. des principaux Commentateurs du Nouveau Teſtament* Rotterd. 1693. *chap.* XVI. pag. 236—246.

„ ſunt adiecta). Notauit hoc ante nos Ambroſius Ca-
„ tharinus Politus Compſae Archiepiſcopus, Catho-
„ licae religionis aſſertor: notauit et Sixtus Senenſis
„ quarto et ſexto Bibliothecae ſanctae volumine:
„ vterque errores Pelagianae haereſeos, qui eo in
„ opere inueniuntur, redarguentes. Si quis autem
„ ſcire hoc concupiſcat *), liquido ex expoſitione
„ quinti ad Romanos capitis inueniet: vbi Adami pec-
„ catum in humanum genus, non propagatione et
„ traduce, ſed exemplo tantum et imitatione dif-
„ fundi aſſerit: ac ſi illud non contrahant, niſi qui
„ aetate adulta, et ad peccatum iam apta, Adam ſce-
„ leribus imitentur. Quod ipſum in interpretatione
„ ſeptimi capitis liquidius apparet. Enarrans enim
„ illud, *Sine lege peccatum erat mortuum*, ita ſcri-
„ bit: Item ſi cum lex non eſſet, peccatum mortuum
„ eſt: inſaniunt qui de Adam per traducem aſſerunt
„ ad nos venire peccatum. Quae opinio quam im-
„ pia et haeretica ſit, nemo Catholicorum igno-
„ rat. Ego quid de operis auctore ſtatuam, certi
„ habeo nihil: niſi quod Hieronymi illud non eſſe
„ compertiſſimum eſt. Edi tamen curauimus eo
„ modo, quo antea typis mandatum circumferebatur,
„ ne quid priori editione deeſſet, nulla quidem ſyl-
„ laba a nobis auctum, diminutum, aut immutatum:
„ Lectorum arbitrio, quid de illo exiſtimare velint,
„ penitus derelinquentes."

1673.

Pariſiis. fol. Huius loci et anni nulla quidem extat Commentariorum horum impreſſio, ſed quod longe

*) Nec tamen in ſententiam Ambroſii praeceptoris ſui, qui Pelagii ipſius eſſe hoſce commentarios ſtatuerat, concedere ſe ſignificat Sixtus. cf. l. IV. p. 309. ed. Colon. 1626. 4.

longe pluris valet in editionum eorum annalibus IOANNIS GARNERII ex Soc. Ieſu, *diſſertatio de Scriptis Pelagii*, quae efficit *caput II. Adpendicis ad Diſſertationem VI. de ſcriptis ab hoſtibus Fidei pro haereſi Pelagiana viuente Auguſtino*, et habetur cum *Operibus* M. *Mercatoris* P. I. p. 367. ſq. In ea vero non ſolum argumentis inuincibilibus demonſtrauit, eſſe hanc interpretationem eam ipſam, quae Auguſtino, Hieronymo et Mercatori lecta et a Caſſiodoro interpolata fuerit, ſed etiam, vt pateret, quantum mutationis feciſſet Caſſiodorus, παραλλήλως ea, quae in vulgatis codicibus habentur, Caſſiodoro emendatore, et quae Pelagius ſcripſerat, relatore Mario et Auguſtino, oppoſuit.

1684.

Francofurti et Lipſiae. fol. Commentarii in Epiſtolas Diui Pauli; in *Tomo IX. Opp. Hieronymi pagg.* 213—321.

1699.

Pariſiis. fol. Commentarii in Epiſtolas Diui Pauli; in *Tomo V. Opp. Hieronymi* ed. *Martianaei pagg* 925—1106.

1700.

Antverpiae apud Petr. Mortier. fol. Pelagii Britanni Commentarii in Epiſtolas S. Pauli Apoſtoli; in *Adpendice Auguſtiniana ſ. Tomo XII. ed. Antverpienſis Operum Auguſtini pagg.* 317—458. Quantum Garnerius iudicia de hoc opere promouerit, iam ex titulo ſeſe prodit. Sed et ipſum Clericum audiuiſſe iuuabit. „Commentarios in Epiſtolas „Pauli, *inquit*, Pelagii eſſe dudum viris doctis ſub„oluerat, remque manifeſtam fecit *Garnerius*. Idem „etiam liquebit *ex notulis variis locis a nobis ſubie-*

 „*ctis*,

„*ctis*, in quibus Pelagiana dogmata tam liquido no„tamus, vt res dubia nemini eſſe poſſit, niſi harum „rerum plane imperito. Plura etiam occurrunt in„dicia Pelagianiſmi iis, qui hoſce Commentarios „diligentius legent. Niſi conſtaret, per aliquot aeta„tes non ſatis intellectam fuiſſe S. Auguſtini eiuſque „Aduerſariorum doctrinam, ita, vt multi ſe Augu„ſtinianos eſſe crederent, qui Pelagii ſententiam ſe„quebantur; mirum eſſet eos, qui ſaepius interpo„larent hoſce Commentarios, loca illa, quibus Pe„lagii doctrina manifeſta habetur, non expunxiſſe. „Sed multi adeo rudes fuerunt, vt S. Auguſtinum „quidem Pelagianum facerent, et Pelagium viciſſim „Auguſtinianum, eaque imperitia factum eſt, vt „Pelagianiſmus manifeſtus correctorum manus hic „effugerit. Edidimus hoc opus ex Frobenianis „Eraſmi editionibus, duntaxat manifeſta, quae re„manſerant, ſuſtulimus. Optabamus nobis eſſe co„piam MS. cuiuſpiam Codicis, in quo eſſent hi „Commentarii; praeſertim quia textus, qui in iis „illuſtratur, non eſt antiqua illa verſio Latina, quae „tempore Pelagii obtinebat, ſed ab Hieronymo „emendata. Non poterat, ſine antiquo codice, hoc „flagitium exſcriptorum recentiorum corrigi. Ce„teroqui quamuis hoſce Commentarios laudare no„limus, praeſertim ſi cum Recentiorum laboribus „conferantur; attamen non contemnendos eſſe, pro „ſua breuitate, ſi contendantur cum aliis eiuſmodi „veterum Scriptis, exiſtimamus, quare etiam inte„gros eos, et quales e manu auctoris prodierunt, „ad nos vſque non perueniſſe dolemus."

1742.

Veronae. fol. Commentarii in Epiſtolas Sancti Pauli; in *Tomo XI. operum Hieronymi Domin. Vallar-*

Vallarſii. pagg. 835—1069. et *edit. Venetae* 1772. 4. T. XI. P. III. *pagg.* 134—435. Etſi Pelagii nomen non praefixum eſt, non negant tamen editores Pelagii eſſe. Quin non ſemper verum auctorem ignoratum fuiſſe raro et luculento teſtimonio *Ioannis Diaconi* ſeu *Presbyteri Manſionarii*, Veronenſis ſcriptoris Saeculi XIII, demonſtrant, qui in Hiſtoria nondum edita in haec verba eorum meminit: *Vidi ego ipſe Ioannes Commentarium Pelagii praedicti, ſuper Epiſtolas Pauli, in quo licet multa bene et eleganter exponat, tamen ſubtiliter infundit venenum haereſis ſuae.* Iidem obſeruant praefationem illam ficto nomine Hieronymi ad Heliodorum directam a melioribus notae MSS. codicibus abeſſe.

II. *Epiſtola ad Demetriadem virginem.*

In MSS. Codicibus nunquam niſi inter Hieronymi epiſtolas et tractatus minores reperitur. Inde eſt, quod eiuſdem vetuſtatis editiones, immo totidem prope numeret ac illius opera opuſculaue. Nimirum in antiquioribus i. e. epiſtolarum collectionibus locum inter ipſa Hieronymiana occupat, licet mature ſatis cognitum fuerit, non Hieronymum, ſed Pelagianum quendam aut ipſum Pelagium eius auctorem eſſe; inde ab Eraſmiana autem ſeparatim cum aliis Hieronymo ſuppoſitis exſcribi conſueuit. Nuper tamen ſeorſim edita eſt et ſingulari conſilio illuſtrata. Sed vt omnibus ordo ſuus conſtet, temporum ſeriei et hic potiores deſcriptiones adſtringere placet.

[1467.]

[Romae apud Vdalr. Gallum.] *fol.* Epiſtola ad Demetriadem ſub nomine Hieronymi inſcripta de virginitate et vita perfecta; inter *Epiſtolas Hieronymi*

nymi editas *ſine loco et anno Parte* III. *Tractatu* V. qui inſcribitur *de ſtatu continentiae virginalis* et primo *de virginibus deo dicatis. Ep.* LXIX.

Praecedit ipſius Hieronymi ad eandem virginem epiſtola, quae prima dicitur, proximeque ſequitur epiſtola *ad Iulianam Demetriadis matrem.* Praefixa autem ſunt duo argumenta, vnum ſatis prolixum, quod totius tractationis vim et materiam apte et enucleate tradit, alterum breuius de auctore, quod totum huc transſcribere vacat. „*Nota quod a plerisque hec epiſtola dicitur non eſſe Hieronymi: ſed alicuius Pelagianiſte eo quod nimis bonum nature et liberum praedicet arbitrium. Beda presbiter eam dicit eſſe Iuliani eius haereſis ſectatoris in libro de gratia Dei contra eundem Iulianum. Nos pleraque huius epiſtole ab Auguſtino nouimus eſſe reprehenſa tanquam gratie Dei aduerſantia. Vnde ſuſpicatur illam a pelagiano perſcriptam, ſicut ipſe ſcribit in epiſtola ad Iulianum* (ſic) *Demetriadis matrem; quam ob hoc ipſi libello ſubdidimus. Continet tum multa ſalutaria monita: et communiter ſub nomine Hieronymi in exemplaribus habetur inſerta ideoque et nos illam inſcripſimus.*“ Ceterum non haec ipſa editio nobis praeſto eſt, ſed quae ex illa certo certius expreſſa eſt *Baſileenſis* a. 1489. vbi *P.* et *Tr.* l. l. extat *fol.* CXLIIII. Similiter in editione *Norimbergenſi* a. 1495. praefixo hoc breuiori argumento extat *Parte III. T. V. ep.* CLXXXVIII. *fol.* CCLXVI. item in *Baſileenſi* a. 1497. *Parte III. Tr. V.* qui pariter de continentia virginali etc. inſcribitur, *ep.* XVIII. praemiſſo vtroque argumento; nec non eodem plane loco et numero in ed. *Lugdunenſi* a. 1513. *fol.* 298. *b.* ſqq. (qui foliorum numerus in ea non impreſſus cernitur.)

De

De reliquis Romanis editionibus quid affirmem non habeo, cum nec ipſae, nec alia, quam probabiliter ex iis expreſſam dicerem, ſuppetant. In *editione* altera *abſque anni et loci indicio* procuſa, quam Tomo I. Bibl. p. 487. deſcripſimus, haec epiſtola non ocurrit, ſed ſola ipſius Hieronymi ad Demetriadem num. XCVI. proſtat; quod neſcio vtrum codicibus an curatorum delectui ſit tribuendum.

1470.

Moguntiae per Petr. Schoiffer. fol. max. Hieronimus ad demetriadem quomodo deceat virginem conuerſari; in *Epiſtolis* et *Tractatibus Hieronymi*, epiſtola CXCVI. ſeu XXVI. in *Diſtinctione* XII.

1516.

Baſileae apud Frobenium. fol. Ad Demetriadem virginem de Virginitate epiſtola; in *Opp. Hieronymi Eraſmianae ed. Tomo* II. *fol.* 4. *b* — 12. *b.* Eraſmi Cenſura haec eſt: „*Erudita prorſus et aeloquens* (ſic) *epiſtola, ſed quam, vt nihil aliud accedat, vel ſtilus palam arguat non eſſe Hieronymi. Praeterea conſentaneum non eſt, Hieronymum ad eandem virginem iiſdem de rebus bis ſcripſiſſe. Diuus Auguſtinus nonnihil ſuſpicari videtur ab haeretico Pelagiano conſcriptam, quod inſint in ea nonnulla, quae Pelagianorum dogmata reſipiant, praeſertim, cum is Pelagius in epiſtola quadam teſtetur ſeſe ad Demetriadem ſcripſiſſe: Beda putat eſſe Iuliani haeretici. Ceterum error ſubſcriptionis hinc natus eſt, quod Hieronymus quoque ſcripſerit ad hanc virginem argumento non diſſimili.*“

1579.

Antverpiae apud Chriſt. Plantin. fol. Epiſtola ad Demetriadem virginem; in *Operibus Hieronymi*

nymi ed. *Marii Victorini* h. a. et l. iteratae *Tomo IX. pagg.* 1—12. it. in *Pariſienſi* 1643. *ibidem pagg.* 1—10.

1684.

Francofurti et Lipſiae fol. Eadem; in *Opp. Hieronymi Tomo IV. pagg.* 12—21.

1706.

Pariſiis. fol. Eadem; inter *Opera Hieronymi* ed. *Martianaei Tomo V. pagg.* 11—30. Praefixa eſt Eraſmi Cenſura. Ipſi notant, in quibuſdam MSS. codicibus Coeleſtio, in aliis Iuliano eam tribui.

1742.

Veronae. fol. Pelagii ad Demetriadem epiſtola; in Operum Hieronymi ed. *Vallarſii Tomo* XI. *P.* II. *pagg.* 1—26.

Obſeruat editor, Bedae ſuſpicionem, qui Iuliano eam tribuit, fundari codicibus nonnullis MSS. e quibus vnum vetuſtiorem Bibliothecae S. Victoris eidem eam afferentem laudat. In repetitione *Veneta* 1771. 4. inuenitur *eodem Tomo* eademque parte *pagg.* 2—35.

1775.

Halae Magdeburgicae impenſis Car. Herm. Hemmerde. 8. Pelagii Sancti et Eruditi Monachi Epiſtola ad Demetriadem cum aliis aliorum epiſtolis. *Dan. Whitby*, S. T. P. Tractatus de imputatione diuina Peccati Adami, poſteris eius vniuerſis in reatum. Recenſuit et notas addidit D. Io. Salomo Semler.

In hoc volumine praeter ea, quae titulus laudat comprehenduntur *Auguſtini et Alypii epiſtola ad Iulianam Demetriadis matrem*, *Hieronymi Epiſtola ad*

ad Demetriadem de ſeruanda Virginitate, *Excerpta ex Leonis M. Sacramentario de Conſecratione Virginum*, *Epiſtola ad Celantiam matronam de ratione pie viuendi*, quam, vt ſupra iam notauimus, Pelagio primus vindicare editor ſtatuit; denique *Excerpta ex Auguſtini libro de Gratia Chriſti contra Pelagium et Coeleſtium*, quae ad Pelagii Epiſtolam *ad Demetriadem* pertinent. Horum autem opuſculorum conſociatione et per notas non parca manu adſperſas illuſtratione id egit editor omni qua valebat animi contentione, vt inuidiam, qua Auguſtinus Pelagium inuoluerat, in ipſum auctorem redundare faceret. Et ſane cum non minimum ex diſciplinae ſuae ſtudio fructum hunc percepiſſe ſe exiſtimaret Semlerus, quod ſummam chriſtianae doctrinae non tam in ſyſtemate aliquo et formulis doctorum cuſtodiendis, quam animo in verum numinis cultum iuxta luculenta Chriſti praecepta componendo contineri didiciſſet, id quod nulla non occaſione in ſcriptis ſuis repetit et inculcat; non poterat non cum vniuerſe Africanis patribus, tum Auguſtino praecipue eſſe infenſior, quorum ſedulitate, machinis et ſcriptis id effectum eſſe nouerat potiſſimum, vt a vero diſciplinae chriſtianae ſenſu ad inanes vel friuolas etiam quaeſtiunculas animos abducerentur. Quam generis humani peſtem, pernicioſiſſimam vtique, quod intra viſcera ſemel recepta aegre remedia admittit, cum ſuo etiam tempore non penitus abolitam et exſtinctam ſentiret, imo et ſe ipſum virulentis hominum iſta labe infectorum morſibus peti cerneret; non mirum eſt, ſi ad origines illius deſcendens et inde a Pelagii iniuſta tractatione memoria repetens, quot malorum, improbitatis et flagitiorum cauſa illud vnius maxime hominis nec valde docti, nec valde boni acumen fuiſſet, et ipſe vehementius commoueretur,

et

et concitatiore hoc mentis affectu orationem etiam colorari pateretur. „Non infitior, *inquit*, prae „me potius fero eſſe me in ea ſententia, *Pelagium*, „et ſocios, quos iſtius nominis inuidia afficere ſo„lent, contra ius et fas, auctoritate et poteſtate ex„terna *oppreſſos* fuiſſe; alienos quidem ab Auguſtini „et Africanorum theologia prouinciali, minime ve„ro alienos a chriſtianiſmi vera cauſſa et ſalubri re„gula. Decreta potius *Africana*, ſine iure herme„neutico, vnice eccleſiis latinis epiſcoporum vitio „obtruſa fuiſſe; ipſamque ſententiam, quam eius „temporis catholici Epiſcopi nouo inſtituto et conſi„lio ſanxerunt, *falſam eſſe*, quatenus gratiam *par„ticularem* aliquam repererunt, omneſque homines, „extra eccleſiam ſeu ſocietatem chriſtianorum exter„nam viuentes, aeternae damnationi addixerunt, cu„ius triſtis ſententiae cauſſam a *peccato originali*, ad „omnes omnino homines *traducto*, obſecuti *latinis* „phraſibus deriuarunt. Intelligo quantum ſit, quod „profiteri audeo; ſed ad illam profeſſoris theologiae „prouinciam maxime pertinet, non reuereri homi„num auctoritatem et temporum ſeculorumque lon„gum omen metuere. Inſtitui itaque, poſt plu„rium annorum continuata ſtudia, *acta* quaſi *cauſ„ſae Pelagianae* colligere et eruditorum hominum „oculis ſubiicere; quia ſatis conſtat, pauciſſimos „eſſe, etiam ex theologorum illo ordine, qui ipſa „illa ſcripta oculis manibuſque ſuis vſurparint; con„fiſi, vt fit, (ſcaeuo omine) ſuperiorum diligentiae, „integritati et auctoritati." Et paucis interiectis „Vi„derint iam alii, poſtquam *Pelagii* illam eximiam „Epiſtolam ad virginem nobilem *Demetriadem* le„gerint, et *Auguſtini* parum liberalem cenſuram, „ſuſpicionemque malignam perſpexerint: ecquid „ipſi ſtatuendum eſſe putent de rei vera cauſſa?

„Niſi

„Niſi me omnia fallunt, multi iam luculenter intel-„ligent, *Pelagio* iniuriam factam eſſe ab *Auguſtino;* „nec praecipue placebit *gratiae diuinae* interpres no-„vus, qui ſit, ipſe a probitate humana non obſcure „alienus. Fatentur *Pelagii* aduerſarii, quod *Pelagius* „cum ſuis ſanctitati et eximiae chriſtianae pietati de-„derit illuſtrem et luculentam operam; abſtinuerunt „enim ab omnibus illis peccatis et vitiis, non ſolum „foedis et immanibus, ſed etiam ab illis, quae dixit „*Auguſtinus* minora; informarunt auguſtam plane „chriſtianiſmi, quo virtutes humanae ſuperantur, „imaginem; optimis ſcripturae ſacrae partibus, ad-„monitionibus, promiſſionibus, diligentiſſime, fe-„re per omnes diei horas, legendis, repetendis, „pſallendis incubuerunt; precibus et votis Deum „continuis et perpetuis amplexi ſunt; mentem ani-„mumque impleuerunt quaſi ſenſu et numine Dei „et Chriſti; hi tamen tam feruidi chriſtiani ab *Au-„guſtino* accuſantur, quod ſint *hoſtes* et *inimici Gra-„tiae* Chriſti! Vinci enim, a tam imperitis homini-„bus, *in Synodis* et colloquiis nec *Pelagius* potuit, „nec *Coeleſtius;* itaque nec facultatem Synodi publi-„cae impetrare potuit *Iulianus*, ipſo *Auguſtino* re-„nuente, et ſtatim *Honorii* leges flagitante aduerſus „*hoſtes gratiae.* — Quantum iniuriae, indignita-„tiſque, pertulerunt illi veri chriſtianiſmi teſtes et „confeſſores! Ecquos enim hic putamus eſſe Chriſti „bonos et probos diſcipulos? *Auguſtini* illam par-„tem, aſtutis Synedrii artibus abuſam, et Dei hono-„rem ſimillimis modis et inſtitutis defendentem, ac „Caiphas ille pontifex ſanctulus? An vero *Pelagium* „et alios iſtos chriſtianos, qui ſaeuam impietatem „pati non poterant, qua chriſtianae religionis honor „polluebatur. Niſi praecipue nobis placeat *Augu-„ſtini* ſedulitas et ſcurrilitas latina, qui diſcrimen

„reperit inter phraſin *duci* a Spiritu Sancto, *et agi;* „inter gratiam *diſcendi* ſeu doctrinae, quam Pela„gius commendabat, *vniuerſalem*, et *omnium;* et „gratiam *diligendi*, quam Auguſtinus decreuit *no„vam, particularem*, ab *eccleſiae* miniſterio, a *cleri„corum* diuiſis muneribus, ſic vnice pendentem, vt, „qui careat opportunitate *baptiſmi* et *ſacrae coenae* a „clericis tantum diſpenſandorum, eum neceſſe ſit „*aeternum perire.* Ego vero ſatis mirari non poſ„ſum, inter tam multos viros ſatis eruditos non „fuiſſe, qui iſtam Auguſtini *nouitatem*, *temeritatem*, „*imperitiam hermeneuticam*, *futilitatem allegandi* et „*interpretandi*, non perſpicerent vniuerſam, nota„rent atro calculo, deſcriberent atque abiicerent lu„culenter! Videtur ſenſim aliquid odii vel in homi„nes graece loquentes, quamtumuis chriſtianos, lo„cum habuiſſe; querebatur certe iam *Baſilius* de „elatiore Latinorum fronte. Nec ceſſerunt latini „graecis codicibus; deriuabant ideas ſuas *ex latina* „*iſta interpretatione*, homines ſcilicet a graecae lin„guae et eccleſiaſticae conſuetudinis peritia tam alieni, „quam fuit tandem *Africa* et *Italia*, ſeiuncta a tot „prouinciis, quae ſolent Orienti ſoli praecipue attri„bui.“ Haec excerpere viſum eſt, non quod dubitamus, quin in recenti hominum noſtrorum memoria verſentur, quod quidem abunde teſtatur nouiſſima harum rerum in commentariis eccleſiaſticae hiſtoriae facies, ſed vt luculentiſſimo exemplo declararemus, qui ſpiritus hos artus regat, et quo ipſe cum in Pelagii, tum Auguſtini et reliquorum ſcriptis illuſtrandis maxime inclinet. Fecimus autem tanto libentius, quo rarior, immo vero nulla paene huius libri in diariis eruditis extet mentio. Regula autem, quam in notis ſcribendis ſecutus eſt, et ad ſingulorum locorum ſenſum percipiendum et ad omnem argu-

menti

menti vim et tractationem perſpiciendam eſt aptiſſima. Nam et variantes lectiones, quae paucae ſunt, notauit, et verborum ſermoniſque proprietatem explicauit, argumentationum vim et nexum examinavit, imprimis autem, quae cum vtriuſque formula coniuncta eſſent, quam vere aut falſe, quam dextre et aperte aut ambigue et ſubdole dicta ſint, oſtendit. Textus cum pluribus aliis editionibus collatus eſt, *capitum*que diuiſio paulo aliter ac Benedictina inſtituta. Promiſerat etiam operam ſe daturum *indici dogmatico*, inde a *Tertulliano*, *Cypriano* aliiſque latinis ante Pelagium; quo facilius pateret, Auguſtinum ſuopte ingenio et nouo Epiſcoporum conſilio diſceſſiſſe in illam partem. De ceteris „Nondum „vero, *inquit*, nos poenitet ſententiae, *Epiſtolae*, „quae inſcribi ſolet ad *Celantiam*, auctorem eſſe „eundem *Pelagium;* licet neminem nouae ſententiae „teſtem aut adiutorem laudare poſſimus. Iſta tan„dem pars *Auguſtini*, ex *libro de geſtis Pelagii*, „ſtomachum haud dubie excitabit lectorum; vt fa„veant noſtro propoſito, colligendorum omnium „*actorum*, tam ex *Auguſtino*, quam ex *Mario Mer*„*catore* et aliis auctoribus; vix enim pauciſſimi, vel „academicis ſtudiis ornandis deſtinati, oculis ſuis „ipſi vſurparunt iſtos libros; qui tamen magno nu„mero et calore ſummo id agunt, vt eccleſiae eadem „conſuetudo dogmatica ſic ad poſteros tranſmittatur, „vt videbatur ſuperiori tempore optime habere. Ex „*latinis Miſſalibus* pauca addidi, quae videbantur rei „illuſtrandae ſatis bene conuenire. *Pars altera* hu„ius voluminis complectitur *Dan. Whitbyi* iſtum „librum de *peccato originali* et *eius imputatione*; „ſatis rarum, ſane noſtris in terris, atque non ſolum „auctoris celeberrimi nomine, ſed etiam rei ipſius, „quam liberali ratione excuſſit, iſto momento, quod

„inde a multis ſeculis apud latinos ſcriptores locum „habuit. Itaque nec indignum, qui inter nos plu„ribus innoteſcat, vt diligentius examen huius tam „celebris argumenti promoueatur.“ Inſcriptus eſt egregius liber claris *Noeſſelti* et b. *Gruneri* nominibus.

III. *Libellus fidei ad Innocentium.*

Duplex extat huius *libelli* lectio, vna, quae *inter Hieronymiana* opera reperitur, integra ac vera, ſed lemmate: *Explicatio fidei ad Damaſum* inſcripta; altera vero *Auguſtinianis Sermonibus de tempore* immiſta, quam praefatiuncula, quaſi Auguſtini, antecedit, interpolata, et ad ſermonis popularis habitum deflexa. Prior etiam in *Caroli* M. libris de *imaginibus* ſub *Hieronymi* nomine et in *Baronii annalibus* ad a. 417. deprehenditur, ex Vaticano codice, qui varias Zoſimi papae epiſtolas continebat, deſcripta et ſuo auctori vindicata. Ac ex eo quidem, quod in Caroli iſto volumine adducitur, colligi poſſe videtur, iam ante iſta tempora hanc opinionem fuiſſe peruulgatam, cui accedit etiam Auctoritas Codicis MS. cuiuſdam Carolo Magno iam rege, necdum Imperatore, ſcripti, quem a Iacobo Sirmondo inſpiciendum acceperat Launoius, qui tamen non ad illam aetatem eum pertinere, ſed a recentiore manu ſcriptum exiſtimabat. In Coisliniano etiam veteri mſ. libro ſic inſcribi notat Vallarſius: *Symbolum fidei a beato Hieronymo compoſitum et Sancto Papae Damaſo ab eodem miſſum.* Enimuero contrariam ſententiam tuetur Launoius in peculiari ſuper hoc ſymbolo diſſertatione, mox diſertius laudanda, argumentis non ſane leuibus, ſilentio nempe Concilii Francofordienſis a DCCXCVII. in cauſa Elipandi Tole-

tani epiſcopi et pro Catholicae fidei traditione contra haereticos aſſerenda acti, et ipſius Caroli M. nec non Alcuini in libris VII. aduerſus Felicem Vrgellitanum Epiſcopum et libris IV. contra Elipandum: porro Agobardi Lugdunenſis eiuſdem Felicis aduerſarii, et Hincmari Agobardi aequalis ſilentio. Quod codices autem attinet et quidem illum Sirmondi, recentiorem manum eum arguere iam ante diximus. Addit vero, librarium etiam et codicis compoſitorem ſcripturae ſuae veſtigia in Caroli regno impreſſa relinquere potuiſſe, etiamſi Caroli regni aequalis non fuerit; aut potuiſſe poſt Carolum in Codicem ſuum monumenta plura ſimul conferre, quorum vnum ad Caroli Regis tempus attineret; vnde tamen non ſequi concludit, cetera monumenta eodem tempore iam tum primum eſſe conſcripta. Immo hanc profeſſionem fidei poſt Carolum libris de imaginibus inferri potuiſſe ab eo, qui libros deſcriberet, et munimentum et praeſidium hoc illis deeſſe aegre ferret. Ita ſtabilita ſua ſententia concedit tamen, non diu poſt Caroli M. aetatem illud contigiſſe. Nam *Remigii*, qui medio ſaeculo nono vixit, *Lugdunenſis epiſcopi,* teſtimonium profert, qui in libro *de tribus epiſtolis* cap. XXXIX. vel ex codice, vel ipſe primus Hieronymi hanc fidem appellat. Ab hoc proximi ſunt in eadem ſententia ſaeculo duodecimo *Gratianus* et *Magiſter Sententiarum* poſt *Thomas*, *Bonauentura*, et Scholaſtici reliqui. Quod *Auguſtinum* attinet, nec hunc errorem Caroli M. aetate fuiſſe exortum eadem ratione demonſtrat, ſed primum eſſe oſtendit Guilielmum Pariſienſem auctorem ſaeculi decimi tertii, qui in libri de peccatis et vitiis capite X. teſtimonium ſub Auguſtini nomine ex illa fidei profeſſione arceſſat, ſiue vt pro Hieronymo Auguſtinum per aliquam incogitantiam acceperit,

perit, cum tunc omnes illam fidei profeſſionem ex fide Magiſtri et Gratiani Hieronymo darent, ſiue ex codice aliquo ſermonum eius, in quem illata iam erat haec *fidei profeſſio* cum ſermonis exordio. Guilielmum poſtea, *inquit Launoius*, exceperunt alii, qui aliis rebus cum vacarent, in mandatos typis Auguſtini ſermones non inquiſiuerunt, ſed miſſo potius in compendium ſtudio, indicibus contenti id arripuerunt, quod cauſae et tractatibus opitularetur. Ac hic liceat etiam eiuſdem Launoii breuem diſputationem, qua via ac ratione factum ſit, vt iſta *fidei profeſſio* vtrique, Hieronymo et Auguſtino, ſubiecta fuerit, inſerere. Fatetur quidem, ſcitu difficillimum eſſe et vniuſcuiuſque coniecturis permitti debere. „Hae „autem, *inquit*, in Hieronymo quam in Auguſtino „expeditiores videntur. Modi ſuppetunt numero „tres. Primum, ſi reperta eſt ἀδέσποτος, tunc Li„brarius eruditionis nonnullius, cum in ea Iouinia„ni errores, quas Hieronymus confutauerat, dam„nari, tum ſcriptionem idoneam eſſe, eamque „Hieronymi placitis conſentire perſpiceret, hoc „opus illi tribuere non dubitauit. Deinde, ſi pro„feſſio cum Pelagii titulo et inſcriptione inuenta eſt, „tunc Librarius pietatis nonnullius doluit, eam, quae „ſibi videbatur optima, Pelagii nomen prae ſe ferre: „odioſum nomen ſuſtulit et glorioſum aliud memo„ratis de cauſis ſubſtituit. Tum denique, ſi Con„feſſio ἀνεπίγραφος illata eſt codici, in quo caete„ra opera Hieronymi forent, tunc ex illa codicis „illius compactione Hieronymi nomen accepit apud „incautam poſteritatem. Quod et aliis Patribus non „raro accidit. Ad Auguſtinum quod pertinet, res „paulo difficilius atque imperitius tranſacta eſt: „difficilius quidem, quia oportuit profeſſioni fidei „concionale exordium praefigi, vt qui fidei libellus

„reipſa

„reipſa ſermo non erat, ſermo videretur: imperi„tius vero, quia beatus Auguſtinus libellum fidei „generatim et per auerſionem reiecit. Et ſane „quae in eo de libero arbitrio ad vtrumlibet flexibili „et commutabili dicuntur, poſterioribus beati Au„guſtini dogmatibus non omnino concordant.“ Haec Launoius. Supereſt iam, vt quos ab inuenta typographia editores hic libellus nactus fuerit, breuiter ſed more noſtro recenſeamus.

SAEC. XV.

[1467.]

[*Romae apud Vdalr. Gallum.*] *fol.* Expoſitio fidei beati Hieronymi presbyteri ad Damaſum papam. In qua haereſes plurimas de trinitate et incarnatione vbi impie ſentientes damnat: petens ſuam fidem a Damaſo comprobari. inter *Epiſtolas* ſ. *Opuſcula Hieronymi abſque loci et anni indicio,* ſed probabiliter ab eo quem laudauimus typographo eodemque l. et a. impreſſa, *Parte I. Tract. I. Epiſtola II.* Ad manum nobis eſt iteratio *Baſileenſis* a. 1489. vbi ext. *fol.* VIII. Editionem hanc ſequitur *Norimbergenſis* a. 1495. Sed in *Baſileenſi* a. 1497. et *Lugdunenſi* 1513. deeſt haec Expoſitio. Romanae Schweynhemii et Pannartii editiones non ſuppetunt.

1470.

Moguntiae apud Petr. Schoiffer. fol. Ieronimus damaſo exponens ſidem ſuam vel approbandam vel corrigendam. inter *Hieronymi epiſtolas* h. ed. *Diſtinct.* II. *Epiſtola* IV.

Sine anno

et loco. fol. Explanacio fidei ſancti iheronimi ad damaſum; inter *Epiſtolas* et *Tractatus Hiero-*

nymi, editionis innominatae, ſed quae aetati praecedenti ſuppar videtur. *Epiſtola XV.*

1494.

Baſileae apud Io. Amerbach. *fol.* Auguſtini ſermo de Sancta Trinitate; inter *Sermones de Tempore* h. a. et loco primum cum variis aliis collectionibus vulgatos, *ſermo CXCI.* In eadem collectione inſerta integrae operum editioni *Eraſmianae* 1542. *Tomo X.*, *pagg.* 1018—1020. in ed. *Louan.* exc. *Paris* 1586. *T. X. p.* 347. 48. in ed. *Benedictina* reiecta eſt in *Appendicem Tomi* V. *num.* CCXXXVI. *de fide catholicorum.* IV. iuxta *Antverp.* deſcriptionem *p.* 274—276.

Saec. XVI.

1516.

Baſileae apud Froben. fol. Symboli explanatio ad Damaſum; in ed. *Operum Hieronymi Eraſmiana*, *Tomo* II. *fol.* 56. *b.* Eraſmus nullum ex omnibus omnino, quae inter Hieronymi epiſtolas reperiuntur, ſymbolis iſtius eſſe cenſet, ſed de hoc nihil amplius ſtatuit.

1549.

(Pariſiis) 12. Confeſſio fidei catholicae (quam a ſanctis patribus accepimus et pio corde credimus) beati Hieronymi verbis expreſſa; in Opere *Caroli Magni* de imaginibus *Libro III. cap. I.* Prima huius operis editio facta eſt h. a., loco vero occultato, a *Io. Tilio Meldenſi Epiſcopo*, ſimulato itidem nomine *Eliphili*; in qua haec confeſſio extat *pagg.* 291—97. Curata eſt deinde non vna deſcriptio a *Melch. Goldaſto* et *Phil. Pareo.* Nouiſſima eſt *Chriſtoph. Aug.*

Aug. Heumanni. Hannouerae 1731. 8. vbi hic libellus extat *pagg.* 259 — 64. Sed quod mirere, ne verbum quidem ad eundem monuit editor.

15..

Romae. fol. Explanatio ſymboli ad Damaſum; in *Operibus Hieronymi* ed. *Marii Victorii Tomo IX. ep.* 17. in exemplis *Pariſienſibus* a. 1643. *pag.* 60.

1592.

Romae. fol. Libellus fidei Pelagii ad Innocentium cum epiſtola tranſmiſſus, in *Caeſ. Baronii* Annalib. ad. a. 417. Zoſimi Papae I; in edit. *Manſiana* (Lucae 1741.) *Tomo* VII. *num.* XXXI — XXXVI. *pagg.* 100 — 101.

Saec. XVII.

1663.

Pariſiis ..... 8. *Io. Launoii* Conſtantienſis, Pariſienſis Theologi, diſſertatio de vero auctore Profeſſionis fidei, quae Pelagio, Hieronymo et Auguſtino tribui ſolet. In ed. *Operum* eius *Colonienſi* 1731. ext. *Tomo* II. *Parte* II. *pagg.* 305 — 324.

Quamquam ea ſententia, quae Pelagio hunc fidei libellum vindicat, non noua erat et huic demum propria, nemo tamen argumenta pro eadem omnia ſic collegerat et explicauerat, quam ab hoc doctiſſimo et in hoc praeſertim literarum genere exercitatiſſimo viro, quem Auguſtini de gratia haereſi nequaquam fauiſſe conſtat, factum eſt. Diſpertitur autem Launoius omnem diſputationem in capita XII. quorum primum vtrumque Symboli textum Auguſtinianum et Hieronymianum, ſi verbis hiſce venia detur, παραλλήλως compoſitum exhibet. II. et III.

nec Hieronymi nec Auguſtini eſſe probat. Capite IV. diſquiritur, *an relata fidei profeſſio ante Caroli M. Imperatoris tempus beato Hieronymo tributa fuerit*, quae tandem quaeſtio cap. V. et VI. ſic exſoluitur, vt ſtatuatur, non ante, ſed poſt Caroli M. tempus demum Hieronymo et Auguſtino, illi citius, huic tardius, tribui coeptam eſſe. Capite VII. Pelagii vnius eſſe oſtenditur. Capite IX. quaerit auctor, an Hieronymus libellum illum viderit, quod negat, ſeu ſaltem incertum eſſe contendit, certum tamen eſſe ponit, Hieronymum profeſſioni huic fidei conſentanea ſenſiſſe. Perſtringit porro Auguſtinum, quod circa gratiae efficaciam huc et illuc agitetur, et de modo tenendi et ſiſtendi eum praecipit. In capite X. docet Doctores, qui huic fidei profeſſioni tanquam Hieronymi aut Auguſtini multum dederint in ſcriptis et controuerſiis ſuis a Remigio inde vſque ad Pariſienſes theologos, Lutheri cenſores, ſi quod res eſt, id accurate nouiſſent, ſcilicet, quod Zoſimus eandem approbauerit, et multo magis ſi epiſtolam eius ad Africanos ſimul legiſſent, non minus eidem, ſed magis potius fuiſſe daturos. Capitis XI. argumentum eſt, Auguſtinum libellum hunc Pelagii aut Coeleſtii a Zoſimo approbatum nec ſimpliciter nec ſine diſtinctione admiſiſſe. Caput XII. denique in vltimam fidei clauſulam quaedam contra recentiores Iuris et Theologiae antiſtites, qui ex Auguſtini interpretatione et lectione apud Gratianum cauſa XXIV. quaeſt. I. cap. XIV. *non errandi priuilegium* Romano pontifici aſſerant, obſeruat. Haec ſumma diſſertationis huius et ſingulorum eius capitum eſt, praeter vnius VIII. quod nullam aliam ob cauſam antea praeteriiumus, quam quod ſi totum huc transſcribamus, haud paucis vtile illud et iucundum fore arbitraremur. Sic autem ſe habet inſcriptione praemiſſa:

Vide-

Videtur Launoio *nonnihil inſertum huic profeſſioni ſeu libello fidei, poſtquam illum Pelagius obtulit Apoſtolicae Sedi.*

„Vtrum libellus integer et ſine vlla additione ad „nos peruenerit, non immerito dubitari poteſt. „Huic autem mihi videntur inſerta, quae ſequun„tur: *Horum quoque ſimiliter execramur blaſphe„miam, qui nouo ſenſu aſſerere conantur, a tempore „ſuſceptae carnis omnia, quae erant deitatis, in ho„minem demigraſſe: et rurſum quae erant humani„tatis, in Deum eſſe tranſfuſa, vt quod nulla vn„quam haereſis dicere auſa eſt, videatur hac confu„ſione vtraque exinanita ſubſtantia, deitatis ſcilicet „et humanitatis et a proprio ſtatu in illud eſſe muta„ta.* Quae ad prauam Eutychis opinionem cum „pertineant, Pelagio cognita eſſe non potuerunt. „Ille enim profeſſionis fidei libellum edidit ſub „finem Pontificatus Innocentii primi, vel ſub ini„tium Pontificatus Zoſimi, quem ad annum Chriſti „CCCCXVIII. e viuis exceſſiſſe tradunt Annales Ec„cleſiae. Ad annum vero Chriſti CCCCXLVIII. „emergere coepit infelix Eutyches, qui, dum a Neſto„rio poſitas in Chriſto duas perſonas vehementius „improbat, naturarum confuſionem inducit. Fu„turum Eutychis dogma praeſagire non potuit Pela„gius, cum libellum fidei obtulit Apoſtolicae Sedi: „immo exortam ſuo tempore Iouiani haereſim non „adaeque repraeſentat. Neque enim, vt eſt in li„bello, Iouianus ſimpliciter dixit, hominem non „poſſe peccare, ſed vt eſt apud Auguſtinum, aſſe„ruit, hominem accepto regenerationis lauacro non „poſſe peccare. Iſtud perinde obſeruo, quaſi li„bellus ille librariorum incuria nihil hac in parte „detrimenti paſſus ſit. Verum hac de re nihil affirmo.

„Huic

„Huic quoque libello fidei, quod ad notandum „Elipandi haereſim attinet, inſertum exiſtimo, ne „quid libello illi deeſſe videretur. Quinam vero „inſeruerint, an Francofordienſis Concilii Patres „aliqui, vel alii progreſſu temporis, incompertum „mihi eſt. Quod autem libellus fidei ante Franco„fordienſe Concilium non haberet verbum hoc, „*aut adoptiuum: (Credimus et in Dominum no„ſtrum Ieſum Chriſtum, per quem creata ſunt „omnia, verum Deum vnigenitum, et verum Dei „Filium, non factum, aut adoptiuum)* rationes me „tres perſuadent. Primum, quia Francofordienſis „Synodus libellum illum Elipando non obiicit, cum „multa obiiciat, quae auctoritatis non ſunt tantae. „Deinde, quia nihil obiici potuit efficacius; rem „enim decidit. Tum quia Concilii Patres non „poſſunt accuſari diligentiae minoris. Nam ex il„lorum actis conſtat, eos diligentiam omnem adhi„buiſſe. Illaudatum praetermiſerunt nihil, quo vel „confutaretur haereſis vel Eccleſiaſticum dogma ex„poneretur."

1673.

Pariſiis apud Seb. Marc—Cramoiſy. fol. Confeſſio ſeu libellus fidei a Pelagio ex Oriente Romam miſſus ad Sedem Apoſtolicam; in *Io. Garnerii* diſſertationibus ad *Mar. Mercatoris* Opera. *Diſſert. V.* quae eſt *de libellis fidei editis a Pelagianis*, *pagg.* 307—309.

Garnerius vſus eſt in hoc libello repraeſentando apographo Codicis antiqui *P. Sirmondi*, eiuſdem haud dubie, quem ab eodem commodatum acceperat Launoius. Ipſe autem, vt Garnerius affirmat, ſua manu deſcriptum editurus erat, niſi eum praeuertiſſet Baronius. Correctiorem tamen aliquanto Baroniana lectio-

lectione hanc ſuam recenſionem eſſe pollicetur editor. Tres autem illius partes fecit, quarum primam *Theologicam*, alteram, *Oeconomicam*, tertiam *Ethicam* dixit, praetereaque numeris ſectionum XXVI. diſtinxit. Contendit eundem deinde pagg. 309—311. cum Coeleſtii ſymbolo, quod integrum item ſibi viſus eſt edere. Notas etiam addidit, in quibus verum ſenſum vniuſcuiuſque tam apertum quam tectum aperire ſtuduit. Plerumque enim Hieronymum ab eo carpi perſuaſum habet et malignitatem ex eo non ſemel ei exprobrat. Nec praetermiſit quae a Launoio recens tunc ſuper eodem argumento diſputata erant, quibus pleriſque quidem calculum et ipſe addit, vt tamen duo illa neget et impugnet, quae ſingularibus is capitibus demonſtrare niſus erat, primum, *ante Caroli M. tempora nondum fuiſſe hunc libellum a credula antiquitate Hieronymo ſuppoſitum*, alterum *addita ipſi eſſe poſtmodum nonnulla, quae ad Eutychis et Elipandi errores ſpectarent.* Sed argumenta fateor non omnia ſunt eiuſmodi, quibus Launoius (adhuc tum ſuperſtes) facile ceſſurus fuiſſet, ſi placuiſſet cum Garnerio contendere, et ſeuerius examen (de re leui) expectant ab eo, qui aliquando omnibus Pelagii reliquiis manum admoturus ſit.

SAEC. XVIII.

1705.

London printed by I. Downing for R. Sympſon etc. 8. Pelagius's Creed ſent with a Letter *(fragmenta litterarum)* to Pope Innocent but finding him dead, translated and illuſtrated by *W. Wall* (Vicar in Shoreham in Kent); in eius *Hiſtory of Infant-Baptiſm. P.* I. *cap.* XIX. §. XXIX. et XXX. *p.* 249—263.

263. Notior praeclarus hic liber redditus eſt in Germania, ex quo *Ioan. Ludou. Schloſſerus* eum idiomate latino donauit et excudi fecit duobus itidem voluminibus 4. *Bremae* 1748. in quorum primo *pagg.* 372—391. ipſe textus huius ſymboli, adiuncta verſione anglica, notis autem Wallii latine textui ſtatim ſubiectis, et appoſitis in imo margine Schloſſeri animaduerſionibus, exhibetur. Haec editio huius libelli iam optima cenſeri ſolet.

1706.

Pariſiis apud Ludou. Roulland. fol. Explanatio ſymboli ad Damaſum; in *Tomo V. Operum Hieronymi ed. Martianaei p.* 122. ſq. Non operae *pretium* duxit Martianaeus lectorem admonere de auctore huius ſymboli, immo Eraſmi Cenſuram, quam huic et reliquis ſymbolis, quae in Hieronymo occurrunt, praemiſerat, repetere ſatis habuit.

1742.

Veronae. fol. Explanatio Symboli ad Damaſum; in ed. *Operum Vallarſiana Tomo XI. P. II. pagg.* 146—150. in ed. *Veneta* (1771) ibid. *pagg.* 202—205. Praemiſſa eſt admonitio iuſta et huic loco apta, ex qua ſupra quaedam allegauimus.

Tantum de Pelagio, quibus effectum ſperamus id, vt ſi quis tandem omnia eius λείψανα collecta et de nouo expolita daturus ſit, quam curam olim *Io. Clericus* et nuper *Semlerus* voluerunt, is habeat, quo laborem ſuum ſubleuari ſentiat.

8.

COELESTIVS.

§. I. Vita. Coeleſtius, qua patria oriundus fuerit, incertum eſt. Campanum quidam faciunt ex verſu aliquo Proſperi,

Proſperi, quod tamen non omni dubio caret. Nobilem natu ferunt et naturae vitio eunuchum vtero matris editum, eundem in foro aliquamdiu verſatum, iuxta Meractoris illud, quo *auditorialem ſcholaſticum* fuiſſe tradit. Poſtea monaſterio ſe addixit, vnde ad parentes ſuos epiſtolas in modum libellorum tres, omni Deum deſideranti neceſſarias, ſcripſiſſe dicitur Gennadio. Ex quo vero cum Pelagio verſari coepit eamque de moribus et vita regenda praecipiendi rationem, quam ille ſequebatur, ingreſſus eſt, difficile dixeris, vtrum in ſe inuidiam ex eo deriuarit, an ipſa potius prima malorum, quibus ille tantum non oppreſſus eſt, cauſa extiterit. Etenim liberioris erat ſpiritus et qui fortaſſe non ſatis caute, quae ſolis vitae moderandae praeceptis reſeruanda eſſent, ipſis fidei formulis aequabat, pluſque de veritate eorum ſubtiliter diſſerendo, quam de vſu eſſet ſollicitus. Hic ſimulatque Carthaginem acceſſiſſet, quo cum Pelagio Roma profectus erat, in ſuſpicionem falſarum opinionum incidit et vt erat clerus Africanae Eccleſiae litigioſiſſimus, controuerſiis identidem implicatus eſt. Nec mora, defertur apud Aurelium et coram Concilio, quod Carthagine tunc congregatum erat, ſiſtere ſe iuſſus, ex libello, quo Paulinus quidam Mediolanenſis eccleſiae Diaconus reum ipſum fecerat, interrogatur. Septem erant capitula doctrinae, qua in eo offendi querebantur, ex quibus nunc etiam ſex in Concilii geſtis, quae Mercator excerpſit, ſunt reliqua. Quae cum damnare ille generaliter recuſaſſet, alia, quod dixiſſet negando, alia aliter ac a Paulino ſcripta erant conſtituendo interpretandoue, alia faſſus dubia ſibi videri, et cum poſt varia colloquia in eadem ſententia perſtitiſſet, nec obtinere potuiſſet, vt ex oblato fidei ſuae libello iudicaretur, damnatus et eccleſiae communione privatus

vatus eſt. A qua ſententia ad Romani pontificis examen credidit appellandum. Sed mox neglecta eadem appellatione, quam certum eſt Innocentium non reſciuiſſe, Epheſum contendit, in eaque vrbe ad presbyteri gradum, quem Carthagine etiam ambiiſſe dicunt, aſcendit. Hic quinquennium ferme vixit, nempe per omne illud tempus, quo Pelagio cum Africanis emiſſariis et Hieronymi inſidiis colluctandum fuit. Fortaſſe autem dum hic conſtitutus eſſet a Lazaro et Erote, Palaeſtinam contendentibus, in tranſgreſſu ſalutatus eſt. Ab his enim Africani locum, quem Epheſi teneret, et varia ſimul criminoſa, quae ex eo ſe audiſſe ſcripſerint, literis poſt Dioſpolitanam Synodum per Oroſium Carthaginem tranſmiſſis, accepiſſe videntur *). Inde a. circiter 417., non liquet qua de cauſa, Conſtantinopolim ſe contulit, vbi acrem nactus aduerſarium praeſulem illius vrbis Atticum, qui Ioannis Chryſoſtomi ſedem inuaſerat, ex ipſa adeo vrbe propulſus eſt, miſſis ab eodem ſuper eius nomine literis et in Aſiam et Theſſalonicam et Carthaginem, quas penes ſe fuiſſe teſtatur Marius Mercator in Commonitorio. Conſtantinopoli autem eiectus Romam proficiſcitur, adit Zoſimum, Innocentii in ſede epiſcopali ſucceſſorem, et quantis inſidiis petatur] quotque calumniis prematur apud eum conqueritur, rogans ſimul, vt ea, quae aliter quam oportuiſſet ſedi apoſtolicae de ſe eſſent inculcata, nouo examine, ad quod olim iam Carthagine prouocauerit, purgarentur. Libellum etiam obtulit, quo fidei ſuae formula erat condita. Accepit Zoſimus et diem cognitionis dixit. Qua cum conventum

*) Sic ex iis colligimus, quae Coeleſtius coram Zoſimo de Erote et Lazaro profeſſus erat, verbis mox ex epiſtola Romani epiſcopi adducendis.

ventum eſſet in Diui Clementis Baſilica et intromiſſo Coeleſtio liber eius recitatus eſſet de ſingulis, quae ſcripſerat, vtrum corde an labiis loqueretur, eum explorauit. Lectae porro Erotis et Lazari literae, eaedem haud dubie, quas ex Palaeſtina illi Oroſio Carthaginem tranſferendas dederant, quaeque ab Africanis vna cum actis Synodi a. 415. tranſmiſſae erant. Sed cum dehinc interrogaretur, aſſeruit, nullum ſibi de talibus contentionibus vnquam cum illis fuiſſe ſermonem; nec ante ſibi quam de ſe ſcriberent, viſu fuiſſe compertos. Lazarum ſane in tranſitu cognitum, Erotem vero etiam ſatiſfactione interpoſita, quod ſecus de ignoto abſente ſenſiſſet, cum gratia receſſiſſe. Recognitus etiam Paulini libellus et acta Concilii Carthaginienſis a. 412. quo primum ex illo damnatus fuerat Coeleſtius. Et ad illum quidem examinatus et omnia ac ſingula quae tum in eo obiecta eſſent tum fama ſpargerentur damnare iuſſus, facere illud viſus eſt Zoſimo, ſed non ita apertis verbis, vt non Paulino de ſincera eius mente dubitare licuiſſet. Abſolutus eſt tamen pleno iudicio, excluſi a communione eccleſiae Eros et Lazarus, non ob has ſolum in Coeleſtium ſparſas abſque fundamine criminationes, ſed ob omnem vitae eorum turpitudinem. Ipſum autem Coeleſtium et quicunque eo tempore ex diuerſis regionibus aderant ſacerdotes admonuit Zoſimus, vt hiſce tendiculis quaeſtionum et ineptis certaminibus abſtinerent, docens, *eas non aedificare ſed deſtruere et ex illa curioſitatis contagione profluere, dum vnuſquiſque ingenio ſuo et intemperanti eloquentia ſeu ſcriptura abutatur, vnde magnorum etiam virorum nonnunquam cum ipſis auctoribus ſcripta periclitentur poſt permultam temporum ſeriem interpretantis arbitrio.* Atque his omnibus et multis talibus a Zoſimo ad Africanos

 transſcri-

tranſcriptis iiſque reprehenſis, quod cum Coeleſtium praeſentem habuiſſent, liquido tamen nihil iudicatum ſit, et ob feruorem fidei deinde minus faciles perditorum hominum, quorum nec in vita commendatio, nec in literis tantum pondus fuerit, vt auctoritatem teſtimonii mererentur, inſuſurrationibus ſe praebuerint. Quam ſuam ſententiam his verbis ſignificat: *Vnde in praeſenti cauſa nihil praecox immaturumque cenſuimus, ſed innoteſcere ſanctitati veſtrae ſuper abſoluta Coeleſtii fide noſtrum examen: cui etiam prior libellus ab eo intra Africam datus teſtimonio apud vos eſſe debuiſſet, ne in exploratis famaque iactatis tam facile crederetur. Quare intra ſecundum menſem aut veniant, qui praeſentem redarguant aliter ſentire quam libellis et profeſſione contexuit, aut nihil poſt haec tam aperta et manifeſta, quae protulit, dubii ſanctitas veſtra reſediſſe cognoſcat.* Denique per eundem legatum, cui haec geſta cum Coeleſtio Carthaginem perferenda dederat, arceſſi etiam ad iudicium ſuum iuſſit Paulum Diaconum eo nomine, vt probaret, ſe iuris aliqua ſpecie nec calumnioſe horum omnium, quae damnare ſe coram eo profeſſus erat, Coeleſtium inſimulaſſe; quippe quod ad ſuum iam iudicium ex Coeleſtii prouocatione pertinere exiſtimabat. Sed neque Africani epiſcopi, qui primam in Coeleſtium poenam ſanxerant et poſtea Innocentio auctores fuerant, vt vtrumque Coeleſtium et Pelagium damnaret, receptis his et ſecundis Zoſimi, quas paulo poſt ſuper Pelagio ad eos dedit, ſimilis argumenti literis conuicti ſunt, nec Paulinus iuſſui paruit. Hic enim non capere ſeſe ſimulauit Zoſimum, quippe qui ad iudicium poſcat quem ipſe approbatis ab eo in libello ſcriptis abſoluerit. Illi autem e concilio, quod medio Ianuarii a. 418. inchoatum et ante medium Februarii

bruarii abſolutum eſt, reſcripſerunt, ſe in ſententia a praedeceſſore eius lata perſiſtere, nec nouum poſt Innocentium in hac re paſſuros iudicem. Tantum aberat, vt obteſtationem de prorogando, quem litigantibus conſtituiſſet, termino interpoſuiſſent, quam belle ſibi fingit Manſius *). Metuentes tamen ne laetiora breui ex Epiſcopi Romani abſolutione incrementa Coeleſtii Pelagiique fortuna caperet, auxilium ab imperii potentia poſtularunt. Non obſcure enim ex Auguſtini in Valerium Comitem ſtudio intelligitur, quod paulo poſt Pelagiani quoque con-

*) Duo nimirum huius prioris Synodi Africanae Epiſtolae capita fuiſſe ex reſponſoria Zoſimi collegit Manſius in Conc. T. IV. p. 375. vnum, quo grauiter expoſtulauerint aduerſus Zoſimum, quod poſthabito et Africanae Eccleſiae et Romanae per Innocentium iudicio, quo finita fuiſſet Coeleſtii cauſa, ad nouum eam examen reuocaſſet. Ad quod recte ſpectare exiſtimat priuilegiorum apoſtolicae ſedis commendationem, quae totam fere Zoſimi implet epiſtolam: ſecundum, obteſtationem, qua interpoſita *ſuum ſibi ius ſeruari poſtulaſſent, et vt nihil de ſententia in vtrumque illum prolata immutaretur, ſaltem donec vnum e ſuis Romam miſiſſent cum idoneis cauſae inſtrumentis, quibus haereticorum artes aperirentur, doceretúrque quam legitime et canonice damnati eſſent.* Atque haec quidem egiſſe eos vult, *quod intellexiſſent ex epiſtola Zoſimi eum ad Pelagium Coeleſtiumque abſoluendos feſtinare, niſi accuſatores Romam accurrerent et ſuae accuſationis Capita probarent.* Sed in his nulla veri ſpecies. Nam qui iudicem omnino recuſabant, non poterant de die ſollicitari. Quod autem ad Zoſimi verba attinet, quibus ſignificat *ſe lectis eorum literis in eo reliquiſſe ſtatu, vt illa quae ab ipſis ad ſe miſſa eſſet obteſtatio remaneret:* haec ipſa callide ab eo ita concepta eſſe noſcuntur, ne ſcilicet ab iis ſe reiectum eſſe vltro fateretur.

queſti ſunt, nec ipſe Auguſtinus diſſimulauit, actum eſſe illius flagitatione et Valerii inſtantia, vt Honorius lege a. 418. die 30. Aprilis promulgata Coeleſtium et Pelagium Roma, ſi modo ibi agerent, et toto imperio pelli, eorumque ſectatores apud magiſtratus deferri et ſimili poena mulctari iuberet. Quo facto Zoſimus quoque ad imperatoris voluntatem ſe compoſuit et cum denuo Coeleſtium ad examen poſtulaſſet, nec ille tamen (vrbe extruſus) comparuiſſet, ſententiam contra eum pronuntiauit et celebri illa *Tractoria* ab omnibus per Orientem et Occidentem epiſcopis hanc damnationem ſubſcribi fecit. Quorſum autem ſe conuerterit Coeleſtius poſt imperialem hanc ſententiam et pontificis decretum non liquet. Sed epiſtolam ex ſeceſſu ſuo ad amicos ſuos et ſequaces Romae commorantes tunc dediſſe putant *), qua reliquos clericos praeuaricationis accuſauerit, quod terrore iuſſionis imperialis a ſententia, quam prioribus geſtis veluti catholicam ſecuti fuiſſent, receſſiſſent. Ex quo videtur effici, eum Italia non exceſſiſſe et poſtmodum Romam etiam rediiſſe, ſiquidem Conſtantius Imperator a. 421. ad Voluſianum P. V. decretum miſit, quo *Coeleſtium magis atque magis ex vrbe pelli* mandauit et negligentiae in exequendo officio capitalem poenam minatus eſt. Nihilominus poſtea etiam, licet non deeſſent iteratae Imperatorum in Pelagiani et Coeleſtiani dogmatis errorem minae, Coeleſtius Romae verſatus fuiſſe videtur, ſi verum eſt, quod Proſper narrat, eum *a Coeleſtino papa quaſi non diſcuſſo negotio audientiam poſtulaſſe*, *illum vero totius Italiae finibus*

*) *Garner. ad Merrat. P.* I. *p.* 142. ex quo reliqua etiam de Coeleſtii rebus teſtimonia nos petiiſſe ſemel hic monemus.

finibus extrudi iuſſiſſe ſeu, vt dicendum fuiſſet, Praefecti Vrbis officium contra eum imploraſſe. Quod anno 426. Garnerius aſſignat, eodemque anno tentatum ab eo vult Siſinnium, Attici in ſede Conſtantinopolitana ſucceſſorem, irrito conatu quidem, ſed qui non deterruerit, quo minus de Neſtorio Siſinnii a. 428. ſucceſſore et gratia apud imperatorem valente ſpem laetiorem caperet. Quantum in hoc lucri fecerit (ſi modo fecit aliquid ab homine, qui ſibi ipſi ſemper metuebat, et dum pro Pelagianis epiſcopis et Coeleſtio ad Romanum epiſcopum ſcriberet, in Eccleſia Conſtantinopolitana contra Coeleſtii errorem de peccato originali ſermones habebat, qui a Mario Mercatore in latinum conuerſi etiamnunc ſuperſunt); certe non diu eo frui contigit. Breui enim et hic alter Oroſius i. e. Patrum Africanorum aut Auguſtini ſolius emiſſarius adfuit *Marius Mercator*, qui oblato eccleſiae Conſtantinopolitanae nec non laicis permultis ſpectatis viris et ipſi Theodoſio imperatori *Commonitorio*, inclinantem hunc in partes Pelagianorum non modo cohibuit, ſed in contrarium adeo impulit et perfecit, vt tam Coeleſtius, quam alii doctrinae ipſius aſſertores, de vrbe Conſtantinopolitana pellerentur, de qua re Neſtorii conſolatoria ad Coeleſtium extat epiſtola. Semel et iterum poſthaec in temporis illius geſtis, nempe in actis Concilii Romani a. 430. eius fit mentio, ſed quam diu his ſuperfuerit, quoue in loco deceſſerit, penitus ignoratur. Quapropter in vtrumque Pelagium et Coeleſtium conuenire illud Moſis: *Deſcenderunt viui in infernum operti humo, et perierunt de medio multitudinis*, pro ſingulari quo regebatur diuini ſpiritus gratia exiſtimat Garnerius!

§. 2. Scripta. Scripſerat Coeleſtius iuuenis adhuc de monaſterio, vbi tunc erat conſtitutus, ad parentes *Epiſtolas III. in modum libellorum*, quarum pietatem quidem et affectum laudat Gennadius, argumentum tamen non denotat apertius: tametſi fuerunt, qui iſta Gennadii verba *de monaſterio* argumenti, non loci vnde ſcripſerit declarationem continere exiſtimarent, inter quos Garnerius etiam, ſed nulla veri ſpecie. Proximum tempore huic faciunt *Librum contra traducem peccati*, ſcriptum antequam Pelagius ipſe commentarios in epiſtolas Pauli conficeret iuxta auctorem Praedeſtinati; cui tamen repugnat, quod Coeleſtius a Pelagio ſua accepiſſe creditur. Hunc ſecutus videtur *Liber*, cuius nomen quidem non conſtat, ſed capitula I. III. V. VI. VII. X. XII. et XIII. memorantur in libro Auguſtini de geſtis Palaeſtinis cap. 13. 14. et 18. Porro eidem tribuit, licet dubitanter, Auguſtinus *Definitiones* ſiue *Ratiocinationes*, quibus ex Sicilia ſibi miſſis reſpondet in libro de *Perf. iuſtitiae. Duos* praeter haec *libellos fidei*, alterum, Carthagine cum accuſaretur a Paulino, alterum Romae, Zoſimo oblatos nouimus. Denique ſupra quoque iam mentionem iniecimus *Epiſtolae ad ſuos Romae exiſtentes*, ſcriptae poſteaquam ex vrbe eſſet extruſus. Ad Neſtorium quoque poſt depulſionem ex vrbe Conſtantinopolitana literas dediſſe videtur, ad quas reſponſoriae illius pertinent. Sunt qui ipſi quoque tribuunt *duas epiſtolas* inter Hieronymianas vulgari ſolitas, alteram *de filio frugi et luxurioſo*, alteram *de ſcientia diuinae legis*. Sed quanquam Pelagiani hominis illas eſſe fatetur *Garnerius* ob dogmata; ſtilum tamen et orationis modum a Coeleſtii dictione abhorrere cenſet.

Iam ex hiſce omnibus, quorum memoria certa eſt, Coeleſtii ſcriptis nihil ad nos *integrum* plane per-

perueniſſe vulgo exiſtimant. Si Garnerio autem fidem habemus, duo omnino integra reſtant: *Librum* nempe *ratiocinationum* totum in Auguſtini reſponſione contineri cenſet; *Libellum fidei* ipſe ſibi primus detexiſſe atque reſtituiſſe videri voluit, de quo itaque in ſequenti paragrapho nobis aliqua dicenda reſtant.

1673.

Pariſiis. fol. Libellus Fidei Zozimo Papae oblatus a Coeleſtio Pelagii diſcipulo; in *Garnerii Diſſertatione* V. ad *Marii Mercatoris Opera*, quae inſcribitur *de Libellis fidei editis a Pelagianis. Parte* I. Opp. *pagg.* 312—319. **§. 3. Editiones.**

Creditum eſt in hunc vſque diem, inquit *Garnerius*, ab ipſis etiam eruditis, Coeleſtianae confeſſionis nihil praeter finem ab Auguſtino relatum reſtare (*lib. de pecc. orig.* c. 5. 6. et 23.) Totam haberi puto apud eundem Auguſtinum, ſed fugiſſe ſenſum idcirco, quod cum duas in partes diuiſa ſit, diſſitilque locis ſparſa, maior vix potuerit ab oculis, quodam mentis praeiudicio quaſi faſcinatis, dignoſci. Nam cum pars illa nihil differat a Sermone 190. (immo CXCI.) inter Auguſtinianos de tempore, ſi modo initium reſecetur, quod appoſuit quiſquis auſus eſt ex Confeſſione haeretici effingere catholici tractatum, credita eſt pertinere ad Pelagium, cum reipſa ſit Coeleſtii, quia multum ſimilitudinis cum Pelagii libello praeferebat. Id vero, quod dico, aperte conſtabit, ſi pars minor ad maiorem acceſſerit: exiſtet enim acceſſu continuus quidam atque integer libellus, et ille quidem, cuiuſmodi indicatur a Zoſimo atque Auguſtino. Sunt autem teſtes illi duo nec leues, nec dubii, ſiquidem libellum non oculis tantum viderunt obiter, ſed mente ad ſingulas paene

 ſyllabas

ſyllabas attenta excuſſerunt. Colligit deinde ex iiſdem ea, quae tam de ſingulis dogmatis quam toto habitu atque dictione, maxime quoad differentiam inter vtrumque Pelagii et Coeleſtii libellum animaduerſa eſſent: ex quibus ſex inſigniores fere Coeleſtiani libelli notas extorquet, nempe *eſſe eum in omnibus fere ſimilem Pelagii fidei; in paucis differre; quaeſtiones continere alienas de Trinitate, aliiſque, ad reſurrectionem vſque carnis; negare aperte peccatum originale; admittere tamen infantes baptizari in remiſſionem peccatorum; ſuaque omnia ſedi apoſtolicae ſubiicere:* eaſque ei ipſi libello, quem pro Coeleſtiano venditat, conuenire, confeſſionibus ambabus παραλλήλως propoſitis oſtendere conatus eſt. Non multorum tamen plauſus tulit Garnerius, pleriſque exiſtimantibus, eum ingenioſe magis quam fide explorata momenta iſta, quibus ab inuicem diſtinguantur illi fidei libelli, poſuiſſe, nec minus interpretando et ad ſententiam ſuam accommodando vtroque ingenio indulſiſſe; quin et inſeruiſſe quaedam non optima fide. Ego vero temere non ſpernendum huius docti aeque ac ſeduli viri acumen duxerim, quippe cui, etiamſi non ab omni partis ſtudio libero, plus tamen debet vniuerſa Pelagianorum hiſtoria, quam reliquis ſummorum virorum libris omnibus.

Fragmenta reliqua librorum Coeleſtii, quae vel ſparſim in Auguſtini operibus extant, vel, vt de *ratiocinationum* libro Garnerius affirmat, in vno illius opere ita collecta ſuperſunt, vt totus prope, ſi quis ei hanc operam accommodare velit, repraeſentari poſſit, nondum docti alicuius diligentiam experta ſunt.

9. An-

9.

ANNIANVS DIACONVS CELEDENSIS.

Qui in *Noriſii Hiſtoria Pelagiana* Libri primi caput XIX. perlegerit, facile ſibi perſuadeat, copioſam Anniani huius in veterum monumentis ſupereſſe memoriam. Nihilominus quaecunque certo ſciantur, quaeue recentiores Pelagianarum rerum ſcriptores, quorum nemo non infenſo in illos animo fertur, plerique autem vbere diuinandi vena pollent, coniectura elicere laborarunt, nituntur vnico loco Hieronymi in Epiſtola ad Alypium et Auguſtinum, qui ſic ſe habet: *Quaeritis, vtrum reſcripſerim contra libros Anniani pſeudodiaconi Celedenſis, qui copioſiſſime paſcitur, vt alienae blaſphemiae verba friuola ſubminiſtret: ſciatis me ipſos libros in ſchedulis miſſos a ſancto fratre Euſebio presbytero ſuſcepiſſe, non ante multum temporis, et exinde, vel ingruentibus morbis, vel dormitione ſanctae et venerabilis filiae veſtrae Euſtochii, ita doluiſſe, vt propemodum contemnendos putarem. In eodem enim luto haeſitat, et exceptis verbis tinnulis, atque emendicatis, nihil aliud loquitur! Tamen multum egimus, vt dum epiſtolae meae reſpondere conatur, apertius ſe proderet, et blaſphemias ſuas omnibus patefaceret. Quicquid enim in illa miſerabili Synodo Dioſpolitana dixiſſe ſe* *) *denegat, in hoc opere profitetur, nec grande eſt ineptiſſimis naeniis reſpondere. Si autem Dominus vitam tribuerit, et notariorum habuerimus copiam, paucis lucubrationibus reſpondebimus, non vt conuincamus haereſim emortuam, ſed vt imperitiam atque blaſphemiam eius noſtris ſermonibus confutemus. Meliuſque hoc faceret ſancti-* §. 1. Vita.

*) Vocem *Pelagius* hic excidiſſe putat Garnerius.

tas veſtra, ne compellamur contra haereticum noſtra laudare. Iam qui Hieronymi ingenium penitius nouit, non vulgari cautione opus eſſe intelliget, ſi hnic fundamento aliquid ſuperſtruere velit. Pelagianum quendam, qui aduerſus ipſum calamum ſtrinxerat, Latinum hominem, et Diaconum munere ſignificat. Atque haec fere ſunt, quae Anniano illi, auctori interpretationis quarundam homiliarum Ioannis Chryſoſtomi, ex amuſſi conueniunt *), vt in hoc quidem vix errauerit, qui vnam eandemque perſonam interpretis atque Diaconi Celedenſis putet. Sed vt locum ipſum et eccleſiam, vnde nomen illud profectum ſit, ignoramus, ſic reliqua omnia, quae vel Garnerius vel Noriſius ad eundem transtulerunt, non explorata ſed ingenioſe ficta ſunt.

§. 2. Scripta. *Vertit* Annianus de graeco complures *Ioannis Chryſoſtomi homilias*, ex quibus nunc aperte ſuperſunt 1) *Homiliae VII. in Matthaeum.* 2) *Homiliae VII. de laudibus Pauli.* 3) *Homilia ad Neophytos.* Monet autem Garnerius, inter Homilias Chryſoſtomi, quarum antiquus interpres ignotus dici ſolet, plures eſſe, ſi non fere omnes, quae ſine temeritatis vitio poſſint tribui Anniano, duabus praeſertim de cauſis; altera, quod ſimili latinitate cum iis, quae indubitatum interpretem habent Annianum, videantur donatae; altera, quod eius paene ſint argumenti, quod licet in bonum ſenſum a catholicis tractum ſit, a Pelagianis tamen detorqueri conſueuerit in ſuae haereſis patrocinium. Quod recte illum cenſuiſſe poſtea *Montefalco* probauit. Ipſius porro ſunt *Epiſto-*

*) Diaconum fuiſſe ex eo concludit Garnerius, quod Orontium et Euangelum non *Fratres* vel *Compresbyteros* ſed *Patres* vocauerit.

Epiſtolae duae, *altera* Homiliis VII. de laudibus Pauli praefixa *ad Euangelum Presbyterum Pelagianum; altera*, qua *Orontio* Epiſcopo, eidemque ob Pelagii haereſim Italia eiecto et in Synodo Epheſina damnato, Homiliarum in Matthaeum tractationem inſcripſit.

Intercidit *Liber aduerſus Hieronymi Epiſtolam ad Cteſiphontem*, cuius fit apud Hieronymum mentio in Epiſtola XCVIII. iuxta ed. Rom.

Tribuit eidem *Epiſtolam ad Demetriadem virginem* Garnerius nulla probabili ratione, ſed vagis coniecturis, ex allato loco Hieronymi ductus. Eandem tamen alibi inter Pelagii ſcripta recenſuit.

Improbus hic labor foret, omnes Chryſoſtomi editiones cum latinas tum graecolatinas, in quibus haec Anniani verſio extet, inquirere et recenſere. Satis erit vnam atque alteram, quae nobis ipſis praeſto fuit, indicaſſe. Sed *Monteſalconis* nouiſſimi editoris iudicium nobis curae ſit. **§. 3. Editiones.**

I. *Homiliae VII. de laudibus Pauli* cum *epiſtola ad Euangelum* extant in *Operib. Ven. Bedae. Baſ.* 1563. *Tomo* VI. a *col.* 1134. et ed. *Colon. Agripp.* 1612. *Tomo* VI. *col.* 823; in *Sauilii* ed. *Operum Io. Chryſoſtomi. Etonae* 1612. *Tomo VIII. pagg.* 33—57. ed. *Morell.* (cuius ſex priores Tomi prodierunt Pariſiis ab a. 1609—1624.) *Tomo V. pagg.* 572—617. item in editione Sermonum LXXI. Io. Chryſoſtomi *de diuerſis noui Teſtamenti locis* per *Frontonem Ducaeum* Lut. Pariſ. 1616. *fol.* Sermo XXXIX—XLV. *pagg.* 571—624. denique in nouiſſima *Monteſalconis Tomo* II. (Pariſ. 1718.) *pagg.* 475 512. Monteſalco porro *de Anniani verſione* iudicat, *eam nec inelegantem eſſe*, *nec accuratione*

carere;

carere: immo *fateor*, inquit, *me in paucos priſcae illius vetuſtatis incidiſſe, qui diligentius verterent. In nonnullis tamen locis ſenſum non eſt aſſecutus Anianus; quod vbi accidit, in margine, vera ſubſtituta interpretatione, monere non neglexi. Neque vſpiam deprehendi illum, vt Pelagianae faueret haereſi, ſenſum alio detorſiſſe.* Praemiſſa eſt *Epiſtola ad Euangelum.* Eandem etiam *Colomeſium* ad Calcem *Epiſtolae Clementis Romani* pag. 364. recudi curaſſe ex Fabricio (Bibl. med. et infimae Latinitatis) didici: nam ipſa iam editio ad manum non eſt. Ibi autem iuxta quam in *Bedae editione Colonienſi* a. 1612. et Montefalconiana integriorem hanc epiſtolam legi, quam alibi, ab eodem obſeruatum eſt.

Inter *Codices Bibl. Regiae Pariſ.* eſt liber MS. membranaceus ſaeculi fere XIV. qui olim ad Colbertinam ſupellectilem pertinuit, Tomo III. num. 2155. item alius 2664. ſaeculi XV. in quibus iſtae Homiliae Chryſoſtomi ab Anniano conuerſae extant, qui an a Montefalcone conſulti fuerint, ſi modo tanti ſunt, neſcio.

II. *Sermo ad Neophytos*, cuius graeca deſiderantur primum, ni fallor, editus eſt in editione *Morelliana* Tomo II.

In *Sauiliana* deeſt, nec in *Montefalconiana*, quam diligenter eius cauſa euoluimus, reperire potui.

III. *Sermones in Matthaeum XXVI. priores* ex verſione Anniani vna cum epiſtola ad Orontium extant in ed. *Morelliana* (cuius ſex poſteriores Tomi ſumtibus Morellii Heidelbergae ab a. 1591—1603. excuſi ſunt) *Tomo VII. ab initio;* item in *Latina*, quae *iuxta Lugdunenſem Amſtelodami ſumtibus Marci Huguetan* 1687. prodiit. *Tomo II. ab init.* At in *Monte-*

Montefalconiana Tomo VII. (Pariſ. 1727.) nonniſi *octo* priores excuſi ſunt in inferiori paginae ora, *pagg.* 1—129. *Epiſtola ad Orontium* ſola ad calcem Prolegomenorum deſcripta eſt. Cauſa vero, cur non plus quam *octo* recudi curauerit, ea fuit, quod ipſe nouam et continuam verſionem adornare conſtituerat, quae tam ab Anniani, quam Georgii Trapezuntii maculis et aberrationibus eſſet repurgata. Nam de harum homiliarum interpretatione non tam honorifice ac de ſuperiori ſentit, vt patet ex iiſdem Prolegomenis §. 1. vbi tam de ambitu, quam indole illius ſic diſputat: „Quaeritur, vtrum Anianus „Homilias omnes Chryſoſtomi in Matthaeum latine conuerterit, an octo tantum illas, quae in editis „comparent; vel plures quidem, ſed non vniuerſas. „Fateor quidem me olim dubitauiſſe, an Homilias „illas omnes, an partem illarum tantum, Anianus „transtulerit. Verum re accuratius perpenſa, illum „omnes omnino Chryſoſtomi Homilias in Mat„thaeum Latine conuertiſſe, ni fallor, deprehendi. „Sane ille ipſe in epiſtola ad Orontium mox eden„da, ſe totum Homiliarum in Matthaeum librum „Latine reddidiſſe non obſcure innuit. Nam poſt„quam initio dixerat: *Iubes enim, Beatiſſime,* „*vt Commentarium ſancti Ioannis Conſtantinopoli*„*tani epiſcopi, quem in Matthaeo Euangeliſta nona*„*ginta et vno libro explicuit, in Latinam linguam* „*quo poſſim ſermone transfundam. Quod vtinam* „*tam a nobis commode fieri poſſit, quam a te et op*„*portune et vtiliter imperatur;* ſic, inquam, orſus, „poſtquam ſe totas nonaginta et vnam Homilias „transferre iuſſum eſſe declarauit; ſe totum comple„viſſe in fine epiſtolae ſignificat his verbis: *Hunc* „*igitur ſi ſatis minorem ſe in Latino apparere feci,* „*non tam mihi Domine venerabilis, quam tibi impu*-

„*tare*

„*tare debes, qui me ad eum transferendum tanto et* „*auctoritatis imperio, et blandimento caritatis hortatus es, vt illi aliquid, immo vero plurimum de* „*honore dumtaxat ſtyli auferre mallem, quam crimen* „*in te diutius recuſando committere. Sane pro qua-* „*licunque hac mea opera ampliſſimum orationum tua-* „*rum munus repoſco* etc. Quid aliud dixit initio, „quam ſe iuſſum eſſe *nonaginta* et *vnam* Homilias „Chryſoſtomi Latine conuertere? Certe ſi partem „tantum Homiliarum transtuliſſet, annon id dictu- „rus erat in fine? an ſe librum illum transtuliſſe di- „xiſſet? Nec deſunt alia argumenta, quibus probatur „totum Chryſoſtomi in Matthaeum Commentarium „iam a multis ſaeculis in Bibliothecis Latinis fuiſſe, „ac ſine dubio ex interpretatione Aniani. In *Cata-* „*logo Bibliothecae Pompoſianae*, qui circa medium „vndecimi ſaeculi concinnatus fuit, quemque in „Diario Italico totum retuli, aderat hic Commenta- „rius Latine, qui ſic in Catalogo exprimitur p. 84. „*Super Matthaeum Ioannis Chryſoſtomi.* Diuus au- „tem Thomas Aquinas, qui tam magnifica hunc „commentarium laude celebrauit, qualem initio hu- „ius Praefationis retulimus, vbi hunc commenta- „rium legere potuerat, niſi in Aniani verſione, quae „tunc vna ferebatur? Ad haec autem in notis Bi- „bliothecarum mſſ. quas ex Italia detuli, in *catalo-* „*go manuſcriptorum Codicum Bibliothecae S. Marci* „*Florentiae* ſequens nota legitur: *In armario, ad* „*dextram num.* 76. *S. Ioan. Chryſoſtomi in Mat-* „*thaeum cum praefatione Aniani ad Orontium epi-* „*ſcopum in charta Homiliae* 25. *pars prima.* Qua „nota indicatur, etiam partem ſecundam fuiſſe, et „fortaſſis tertiam et quartam. In *Itinere* autem *Ita-* „*lico* ſuo *Mabillonius* noſter p. 164. de *Bibliotheca* „*ſanctae Crucis* loquens, quae eſt *Minorum Con-*

„*ventu-*

„*ventualium*, hoc habet: *Alius codex ſancti Ioannis* „*Chryſoſtomi in Matthaeum homilias XXVI. Ania-* „*no interprete, ſubſequentes a Georgio Trapezuntio* „*in Latinum verſas, complectitur* *). Non dubito „igitur, quin Anianus totum Homiliarum in Mat- „thaeum librum Latine transtulerit. Et fortaſſis ſi „omnium Bibliothecarum manuſcripti codices excu- „terentur, poſſet hodieque tota Aniani verſio erui. „Sed ad quid tantum ſuſcipere laborem, quando „totum Homiliarum librum ſartum et tectum, vt ab „auctore profectus eſt, habemus? Ecqua noua illa „foret acceſſio, niſi vt hunc Tomum operum iam „ſatis amplum vltra modum augeret, idque nullo „operae pretio. Quod ſi dixeris aliquam hinc no- „bis afferri notitiam circa modum, quo veteres illi „Graeca latine conuertebant: ecce iam illam potes „ex iis, quae in publicum proferuntur, expiſcari. Ha- „bes *ſeptem* Chryſoſtomi Homilias *de Laudibus* „*Pauli*

*) Idem multis annis ante obſeruatum erat a *Richardo Simonio* in Epiſtola ſcripta a 1683. (*Lettres Choiſies de Mr. Simon* ed. par Mr. *Bruzen la Martiniere* T. I. Lettre X. p. 109. ſqq.) Ait enim: On n'attribue ordinairement à ce traducteur, que la verſion des *huit premieres* Homilies de S. Chryſoſtome ſur S. Matthieu, parce qu' on lit dans les Editions communes, *Homilia* 9. *Georgio Trapezuntio Interprete*, comme ſi en effet George de Trebizonde avoit traduit les autres. Mais le manuſcrit de la Bibliotheque du Roi en contient vingt-cinq. Creuit poſtea codicum horum numerus in Bibl. Regia maxime acceſſione ex Colbertina facta. Iam enim inter Codices latinos (*Cat. Tom. III.*) recenſentur *quatuor*, qui totidem homilias ex Anniani verſione continent, nimirum 1774. 1775. 1776. 1779. Eſt tamen vnus quoque num. 1780. qui non plures quam octo comprehendit et in alio n. 2652. numerus contentarum non indicatur.

„ *Pauli Apoſtoli* cum Aniani interpretatione, et Ho-
„milias *otto* priores eiuſdem *in Euangelium Mat-*
„*thaei.* Anianus vero, etſi pro illa aetate non impe-
„ritus Graecorum interpres cenſeri debeat, ſeptem
„enim Homilias de Laudibus Pauli ſat feliciter tranſ-
„tulit, vt diximus *T.* 2. *p.* 475. in Homiliarum in
„Matthaeum latina interpretatione non pari felicita-
„te proceſſit: nam incaſſum ſaepe verba multiplicat,
„et circuitione vſus ea pluribus enunciat, quae pot-
„erant breuius et commodius exhiberi; vt quiſque
„videre poſſit. *)"

10.

*) His prope contraria eſt *Simonii* ſententia, quae proprie ad Homilias in Matthaeum pertinet, cum de illis in laudem Apoſtoli Pauli alibi loquitur. Ac quoniam hic aliorum etiam iudicia immiſcuit, non ſuperuacaneum exiſtimem, totum locum ex eadem epiſtola transſcribere. „Pour ce qui eſt de Traduction d'Anianus, on ne peut, ce me ſemble, l'accuſer d'infidelité ou d'avoir alteré le ſens de ſon Original pour l'accommoder à ſes préjugez. S'il eſt tombé dans quelques fautes, cela lui eſt commun avec la plûpart des Traducteurs, y en aïant peu qui en ſoient tout-à-fait exempts. Il eſt vrai qu'Eraſme, qui a crû cette Verſion peu exacte a été d'avis qu'on devoit plûtôt en faire une nouvelle, que de retoucher l'ancienne. Mais ſon jugement n'a pas été ſuivi; car on s'eſt contenté de retoucher en quelques endroits ſeulement la Traduction d'Anianus, et une partie des fautes vient plûtôt de la diverſité des Exemplaires Grecs, que du Traducteur. C'eſt ce qu'on reconnoit facilement dès la premiére page, où il a traduit ces deux mots Grecs δεύτερον πλᾶν par *ſecundas diuitias.* Eraſme (Epiſt. lib. 26. *epiſt.ad Tunſtall.*) exagére beaucoup cette faute. *Anianus*, dit-il, *tertio ſtatim verſu δεύτερον πλεῖν, id eſt ſecundarium curſum, vertit ſecundas diuitias, ſuſpicatus πλοῦν eſſe vocem decurtatam.* Il la releve encore en un autre

10.

OROSIVS.

Pauli cognomen quando ei addi coeperit non- dum exploratum eſt. De patria eius Luſitani et Hi- ſpani certant, hi *Tarraconi* vindicantes, quod in Hiſto- §. 1. Vita.

autre endroit (Lib. 28. Epiſt. 4.); et bien qu'elle ne ſoit point dans les Editions ordinaires, on ne peut douter que ce Diacre n'ait traduit de la ſorte. C'eſt ce que j'ai verifié ſur un MS. qui eſt dans la Bibliotheque du Roi. On doit auſſi rejetter ſur l'exemplaire Grec dont ſ'eſt ſervi Anianus, le mot d'*impoſſibilia*, qui eſt au commencement de l'Homilie 9. dans le Manuſcrit du Roi; au lieu qu'il y a dans les Editions communes *rem ſtultam.* Il aura lû ſans doute ἀδυνάτοις et non pas ἀνοήτοις M. Huet (*de Claris Interpr.*) a rendu juſtice à cet ancien Interprete; car loin de le proſcrire, comme a fait Eraſme, il le place dans le rang des plus habiles Traducteurs, tant pour la ſimplicité et la pureté de ſes expreſſions, que pour ſon exactitude; enſorte que S. Chryſoſtome n'auroit pû lui-même choiſir un plus habile homme dans l'Art de traduire. *Inter praeſtantiſſimos huius artis opifices Anianum vetuſtum Chryſoſtomi interpretem numerare ſoleo. Simplicitatem quippe munditiis ſenſuum, fidem Religioni verborum ita adiunxit, vt non alium ipſe, ſi adſit Chryſoſtomus, ſibi interpretem diligere velit.* Caſaubon dans ſes Notes ſur une Epître de Saint Gregoire de Nyſſe, qu'il a le premier publiée en Grec et en Latin, appelle Anianus un très-ancien et très-élegant Interprete: *Antiquiſſimum et elegantiſſimum interpretem.* Addit porro, que le Manuſcrit de la Bibliotheque du Roi prouve manifeſtement, qu'Anianus n'a pas ſeulement retouché ſa Traduction en quelques endroits, comme on le voit en conferant ce manuſcrit avec les imprimés."

Hiſtoriarum libris *ſuam* hanc vrbem appellauerit *), illi *Bracarenſem* origine dicentes argumentatione magis quidem artificiali, ſed cui non deeſt veri ſpecies et fundamentum non leue in hoc, quod Auguſtinus ſemel atque iterum *ab vltimo Oceani littore* Africam aduectum eum dicat **). Id quidem certum eſt, fama doctrinae Auguſtini excitum Africam appuliſſe et Hipponem profectum cum ſermone tum per libellum etiam, quod *Commonitorium* inſcripſit, de rebus fidei Hiſpanis, controuerſiis nempe Priſcillianiſtarum et Origeniſtarum conſuluiſſe. Et quamquam Auguſtinus ipſi, qui palam ferebat fama accepiſſe ſe *de iis quae ſcire vellet, quidquid vellet ab eo audire poſſe*, non eos aduentus ſui fructus, quos ſperaſſet, capturum, immo potiores fore dixiſſet, vt famae de ſe non multum crederet ***); captus tamen comitate et voluntate iuuenis, *aetate* quidem *filii*, ſed *honore compresbyteri* et *catholica pace fratris*, cum et caeteras eius dotes, *ingenii vigilantiam*, *promtum eloquium et flagrans ſtudium* impugnandi nouas cuiuſcun-

*) Libro VII. cap. 22.

**) Ex hoc primum colligunt eum Luſitanum fuiſſe, ſiquidem *Tarraconenſem* non *ab extrema Hiſpania* et *vltimo Oceani littore* profectum dicere potuiſſet. Deinde *Idatii* locum proferunt ex *faſtis Conſſ.* ad conſulatum Honorii X. et Theodoſii VI. vbi de inventione reliquiarum S. Stephani Bracarenſis locutus addit, *et extant ex his geſtis epiſtolae ſupradicti presbyteri* (Luciani) et *S. Auiti Presbyteri* Bracarenſis, *qui tunc in Hieroſolymis degebant.* Atque hunc Auitum vnum ex duobus illis eſſe contendunt, quos ciues ſuos Oroſius vocat in Commonitorio.

***) Haec in Epiſtola ad Hieronymum ſcilicet.

iuſcunque generis doctrinas et inſectandi ſimul earum auctores admiraretur: in interiorem familiaritatem admiſit, vt *vtile vas in domo domini* ad comprimendam Pelagii haereſim, cuius ignes iis ipſis remediis, quibus ſuffocare tentauerat Hipponenſis epiſcopus, in manifeſtum incendium eruperant, efficeret. Quare cum Palaeſtinam ante annos aliquot Pelagius ſeceſſiſſet et in multorum amicitiam ſe inſinuaſſet, quorum forte ſtudia aduerſa metueret Auguſtinus, nouam arripuit occaſionem, Hieronymum, quem haud dubie dudum nouerat infenſum eſſe in Pelagium animo, demerendi, miſſo ad eundem a. 415. Oroſio commode laudato, vt ab eo de iis, quae ipſe eum docere non potuiſſet, ſuper animae origine ſcilicet, erudiretur et remeans in Africam ſibi quoque impertiret. Excepit eum humaniter Hieronymus et nec doctrinam ſuam inuidit, nec ſpreuit officia eius. Tum vero ſpargi coeptus eſt rumor de Coeleſtii et Pelagii familiaritate, deque illius in Synodo Carthaginienſi damnatis doctrinis et iiſdem Pelagii erroribus; nec illa iactari antea deſierunt donec in conſeſſu presbyterorum ſuorum vtrumque Oroſium et Pelagium audire decreuiſſet dioeceſeos iſtius Epiſcopus, Hieroſolymitanus Ioannes. Quae ibi acta dictaque ſunt ſatis conſtant, ipſius quidem Oroſii diligentia memoriae prodita. Interim tam ex his, quam iis, quae ipſi Oroſio poſtea acciderunt, non inepte aliquis colligat, eum fretum Hieronymi et Auguſtini patrocinio arrogantiorem ſe erga Ioannem, cui Hieronymum etiam non eam quam debuiſſet reuerentiam praebuiſſe conſtat, geſſiſſe eiuſque odium non occultum in ſe excitaſſe. Cum ergo XLVII. diebus poſt, primo Encaeniorum die officii cauſa Ioannem ſalutatum veniſſet Oroſius, ille ſubito increpans nihil ſibi cum homine negotii eſſe dixit,

qui ſtatuiſſet, ne quidem Dei adiutorio impleri poſſe legem diuinam. Quam contra calumniam *apologiam*, vt ſeſe purgaret et ſimul non inique accuſatos Pelagianos demonſtraret, ſcripſit ſuis, *de Arbitrii Libertate* inſignitam. Manſit deinde in Palaeſtina vſque poſt abſolutam Synodum Dioſpolitanam, cuius geſta ad Africanos Patres detulit, S. Stephani martyris reliquias ſimul Hieroſolymis ſecum auferens. Africam reuerſus hortatu Auguſtini dedit ſe ad conſcribendos *Hiſtoriarum* libros *contra Paganos*, vt gentilium querelas, Gothorum incurſiones et Romae direptionem chriſtianae religionis cauſa a diis immiſſas clamantium, non abſimili a multis aliorum id genus ſcriptis inſtituto refelleret et totidem immo plures et grauiores calamitates homines priſcos gemuiſſe oſtenderet. Num vero in Africa illos perfecerit, an poſt reditum in Hiſpaniam demum, id, ſicut cetera vitae eius atque obitum, ignoramus.

§. 2. Scripta. Primarium eius, licet poſtremum opus ſunt laudati *Hiſtoriarum aduerſus Paganos libri VII.* Qui minus curioſi ſunt de nominibus et titulis librorum medii aeui ſcriptores, modo *hiſtoriam aduerſus paganorum calumnias;* modo *aduerſus gentes;* modo ſimpliciter *hiſtorias* aut *Chronica* appellant. Sed aliud praeterea nomen eis adhaeſit et quod multorum ingeniis crucem fixit, HORMESTAE ſcilicet ſeu ORMESTAE, aut ORMISTAE etiam; de quo mihi ſemper eorum probabilior ſententia viſa eſt, qui ex compendiis vocum de *orbis miſeria* aut quod procliuius adhuc, *Or. m. iſta* i. e. *Oroſii mundi hiſtoria*, ortum putarent *).

Alter

*) Varias doctorum hominum ſententias recenſent *Nic. Antonius* in *Bibl. Hiſp. Vet.* ed. noua *Bayerii* T. I.

Alter liber qui ſupereſt, *Apologeticus de arbitrii libertate* inſcribitur, in Palaeſtina a. 415. conſcriptus. In hunc librum, neſcio cuius inſcriptoris incuria, irrepſit ingens particula libri Auguſtini *de natura et Gratia*, ſeptendecim fere capitum, a *tertio* et verbis *Hanc eſſe intentionem legis arguentis* etc. vſque ad decimum nonum, illa ſcilicet, *Sicut Apoſtolus ait, Nunquid dicet figmentum* etc. In quibus cum Auguſtinus mentionem inieciſſet *librorum* ſuorum *ad Marcellinum (de peccatorum meritis et remiſſione)*, nonnulli incautiores opus deperditum Oroſii excuderunt.

Tertius eſt *Commonitorium ad Auguſtinum*, quem poſt primum in Africam aduentum ei tradidit.

Deperditae ſunt aliquot eius *Epiſtolae ad Auguſtinum.* Certe meminit Epiſtolarum eius Trithemius et *Epiſtolarium* ei tribuit *Franciſcus Ximenes* in libro *de les dones* Catalanorum lingua ſcripto, de quo plura *Antonius pag.* 241.

Adſcribi ſolent ei ſed immerito *Dialogus ſexaginta quinque quaeſtionum, Oroſii percontantis et Auguſtini reſpondentis*, qui inter huius opera reperitur; item *Quaeſtiones de Trinitate et aliis Scripturae Sacrae locis ad Auguſtinum*, quae *cum* eiuſdem *reſponſione* a. MDXXXIII. *Pariſiis* prodierunt *ex officina Michaelis Vaſcoſani.* Idem accidit *Commentario* in *Canticum Canticorum* per Trithemii incuriam Oroſio tributo, cum ſit Honorii Auguſtodunenſis.

 Eidem

T. I. 238. ſq. item *Heumannus* in progr. ſing. Goettingae 1732. edito, et relato in *Syllogen nou. P.* 2. *p.* 484. cuius ipſius acumen minime nobis arridet; et *Funccius de Veg. L. L. Seneſt.* c. VIII. §. LXXXVI. *p.* 818. ſq.

Eidem Trithemio debetur liber *de ratione animae*, quo ille *Commonitorium*, quod Poſſeuinus etiam citat *de Origine animae*, ſignificauit, ſed alii pro libro deperdito habuerunt. Alia, veluti *de ſitu antiquae Babylonis et Carthaginis*, et *de Adam*, de quibus *Antonius* l. l. vix memoratu digna ſunt.

§. 3. Editiones. Omnia Oroſii quae ſuperſunt opuſcula nondum vno volumine comprehenſa habentur. Nam *Commonitorium* hactenus non niſi inter Auguſtini opera, nempe cum reſponſione illius contra Priſcillianiſtas et Origeniſtas (ed. Bened. T. VIII.) edi conſueuit; et Hiſtoriarum libri diu prela fatigarunt, antequam additus fuit Apologeticus, quod primum in editione Louanienſi a. 1558. contigiſſe fertur apud *Antonium* in *Bibl. Hiſpana*: ſed minus accurate; ſiquidem hoc anno primum quidem ſeparatim in lucem editus ſit Apologeticus a *Ioanne Coſterio*, ſed cum Hiſtoria non ante annum 1574. nempe in *ed. altera Fabricii, Coloniae* facta, exſcribi coepit. *Hiſtoriarum* autem *editio prima* abſque dubio illa fuit, quam a. 1471. *Auguſtae Vindelicorum* excudit *Ioannes Schüßler*, quam omnes veteres editiones bonitate praecedere atque ex optimo codice expreſſam iudicat Hauercampus, tametſi idem ſignificat ſe ancipitem eſſe, vtrum hanc, an aliquam *Italicam* antiquiorem ſtatuat, illam ſcilicet, quae *abſque loci et a. indicio* ex correctione *Aeneae Vulpis Vincentini* per *Hermannum de Lichtenſtein* Colonienſem, qui primum librum anni nota ſignatum edidiſſe fertur a. 1475.*), excuſa eſt, quapropter hanc editionem anni nota deſtitutam vetuſtiorem eſſe colligit et tanquam primam et princi-

*) Maitt. T. I. p. 136.

principem paſſim in Notis laudauit. Huius autem Vincentinae auctor non admodum benigne audit a Clerico in arte Critica loco infra laudando, vbi de lubidine aut incuria primorum ſub inuentam typographiam criticorum diſſerit, eaque variis ex hac Oroſii editione exemplis illuſtrat, in qua bona illius malis miſta eſſe iudicat. Miror, nihil horum animaduerſum eſſe ab Hauercampo, qui nec in laudem nec in vituperationem huius editionis quidquam pronunciauit. Secutae ſunt Vincentinam Hermanni Colonienſis complures aliae, tum in Italia, tum in Galliis excuſae, nempe *Vincentina* altera *Leonardi Baſileenſis* (quam errore facile ignoſcendo Baſileenſem appellauit Clericus) et *Venetae* quatuor, annorum 1483. 1484. 1499. 1500. deinde *Pariſinae* aa. 1506. 1510. duplex, 1517. 1524. Totum deinde ſibi vindicarunt Oroſium *Colonienſes*, ex qua vna vrbe tres breui temporis ſpatio exierunt recenſiones. Prima ſcilicet incrementa cepiſſe viſus eſſe Oroſius in ed. *Colonienſi*, quam a. 1526. ſumtibus *Hittorpii* curauit Gerardvs Bolsvinge, cuius ſane meritum, quod ipſe quidem ingenti hiatu cecinit, non omnino nullum fuit. Nam et loca mutila aliquot reſtituit et emendauit nonnulla ſiue ex codicibus, ſiue iudicio ſuo non inepte, itemque diſtributionem capitum et argumenta refinxit. Excepit eum Io. Caesarivs in ed. decem annis poſt eiuſdem bibliopolae impenſa adornata, et nonnullas item maculas abſterſit. Vtrumque vero ſuperauit longiſſime Franciscvs Fabricivs *Marcoduranus*, a quo non ſolum caſtigatus innumeris in locis, ſed et illuſtratus mirifice prodiit noſter a. 1561. *Coloniae* apud *Maternum Cholinum*, eaque editio aliquoties *ibidem* et *Pariſiis repetita* eſt, ſed exinde

etiam expoliri deſiit Oroſius. Nam *Andreae Schotti* clariſſimi quondam ſcriptoris opera tanti non fuit, vt in hunc cenſum referri mereretur; a *Lautio* vero quid expectandum fuiſſet, vix ex tam paucis eius notulis dici queat. Vterque ſymbola ſua contulit primum in ed. *Moguntina* a. 1615., repetita a. 1663. Ab eo vero tempore omnis plane circa hunc ſcriptorem cura ſubſtitit, nec ſeorſim amplius recuſus eſt niſi in nonnullis *PP. Bibliothecis;* donec plus centum et viginti annis poſt SIGEBERTVS HAVERCAMPVS reddidit ornatiſſimum et quaſi denuo illuſtrem. Interim non diſſimulem, magnam nos iacturam feciſſe irrito *Clerici* de eodem edendo olim conſilio, de quo ipſe magna ſperare iuſſerat in libro praedicto. Series editionum haec eſt.

SAEC. XV.

1471.

Auguſtae Vind. per Io. Schüßler. fol. Oroſii hiſtoriarum libri ſeptem. Ab initio extat haec inſcriptio: *Pauli horoſii presbiteri hiſtoriographi diſcipuli ſancti Auguſtini epiſcopi viri hiſpani generis eloquentiſſimi. aduerſum chriſtiani nominis prologus in libros ſeptem.* Ad calcem: *Beati Pauli horoſii presbiteri in Xpiani nominis querulos libri numero ſeptem finiunt feliciter per Ioannem Schüßler florentiſſime vrbis Auguſte conciuem impreſſi. Anno a ptu virginis Marie ſalutifero. M° quadringenteſimo et ſeptuageſimo primo. Circiter iunii nonas ſeptimas.*

Impreſſum eſt charactere gothico ad rotundum deflectente et paulo obtuſiori, lineis latis XXXV. abſque numeris, ſignaturis, cuſtodibus, literiſque initialibus. Capitulis tamen numeri ſui ſunt praefixi, ad quos reſpicit *regiſtrum pro capitulis totius libri*

libri inquirendis a limine ſeptem foliis vſque ad paginam alteram folii ſeptimi impreſſis conſtans: *Cf. Cl. Zapf. in Annal. Typogr. Auguſt.* p. 6. *Seemiller Incunabb. typogr. faſc.* 1. *p.* 34. *Braun T.* 1. *p.* 137.

1483.

Venetiis per Octau. Scotum. fol. Pauli Oroſii viri doctiſſimi hiſtoriarum libri ad Aur. Auguſtinum. Sic fere ab initio; in fine legitur, praemiſſis verſiculis, quae infra in editione Vicentina referentur, ex quibus tamen media quatuor diſticha reſecta ſunt: *Pauli Oroſii viri clariſſimi. Ad Aur. Auguſtinum epiſcopum et doctorem eximium libri ſeptimi ac vltimi finis. Impreſſi Venetiis opera et expenſis Octauiani Scoti Modoetienſis. Anno ab incarnatione domini M.CCCC.LXXXIII. Tertio Kalendas Sextilis. Ioanne Mocenico inclito Venetiarum duce.*

Vſus eſt *Octauianus* ille *Scotus* charactere romano non ſatis luculento; XXXXII. lineae numerantur per paginam. Chartae ſignantur, ſed abſunt numeri et cuſtodes. Libri numerus in ſupremo margine literis initialibus ſignificatur. Capitula non numeris ſed argumentorum lemmatibus diſtinguuntur. Deeſt tamen, ſaltem in noſtro exemplari, regiſtrum.

1484.

Venetiis per Erhardum Ratdolt Auguſtenſem. fol. Pauli Oroſii hiſtoriarum libri. *Orlandi p.* 374.

1499.

Venetiis per Chriſtoph. de Penſis. fol. :: *Paulus* :: *Oroſius* :: Haec tituli inſtar literis vncialibus in prima pagina folii primi, cuius auerſa prologum Oroſii ad Auguſtinum ſiſtit. In fine poſt verſiculos

ante allatos: *Pauli Oroſii viri praeclariſſimi hiſtoriarum opus abſolutius eſt: quam diligentiſſime emendatum. Impreſſum Venetiis per Magiſtrum Chriſtoforum de Penſis: de Mandello opera et impenſis Octauiani Scoti. Anno ab incarnatione dñi. M. CCCC. LXXXXIX. XV. Kalendas auguſtas.* Legitur haec ſubſcriptio in folio a fine tertio pagina prima, eique proxime ſubiectum eſt *Chartarum regiſtrum*, a pagina altera vero et deinceps, niſi quod vltima vacua ſit, *capitulorum tabula* impreſſa conſpicitur. Cetera fere cum ſuperioris habitu concordant, additus tamen eſt, praeter argumenta, ſingulis capitibus numerus, literaeque initiales vario cum ornatu ligneis formis impreſſae ſunt.

1500.

Venetiis per Bernardin. de Vitalibus. fol. Pauli Oroſii Viri Doctiſſimi Hiſtoriarum initium ad Aur. Auguſtinum Liber Primus. Sic in limine paginae primae, literis initialibus. Praecedit folium album. In fine poſt verſiculos illos: *Pauli Oroſii viri clariſſimi Ad Aur. Auguſtinum epiſcopum et doctorem eximium, libri ſeptimi ac vltimi Finis. Impreſſi Venetiis: opera et expenſis Bernardini Veneti de Vitalibus Anno ab incarnatione domini. M. CCCCC. Die XII. Menſis Octobris. Regnante Domino Auguſtino Barbadico.* Subiicitur cum regiſtro inſigne bibliopolae.

Character eſt vt in ſuperioribus rotundus at paulo nitidior. Lineae per ſingulas paginas XXXXIIII. Capitulis ſola argumenta, non item numeri addita. Literae initiales minutae, praeter primam, quae ligno impreſſa eſt. Gaudet etiam marginalibus. Maettarius hanc editionem non vidit, ſunt enim, quae de ea refert, parum accurata.

Sine

Sine anno.

Vincentiae per Herm. de Colonia fol. min. Pauli Oroſii viri doctiſſimi hiſtoriarum initium ad Aur. Auguſtinum. Sic ab initio primae paginae literis initialibus. In fine haec: *Bartholomaeus paiellus, eques Vicentinus in P. Oroſium.*

Vt ipſe titulus margine in primo docet:
Oroſio nomen mihi eſt.
Librariorum quicquid erroris fuit:
Exemit AENEAS *mihi.*
Meque imprimendum tradidit non alteri
Hermanne: quam ſoli tibi.
Hermanne nomen huius artis, et decus:
Tuaeque laus Coloniae.
Quodſi ſitum orbis: ſique noſtra ad tempora
Ab orbis ipſa origine
Quiſquam tumultus, bellaque, et caedes velit
Cladeſque noſſe: me legat.

Vltima pagina vacua eſt, ſicut et prima primi folii, cuius in auerſa haec admonitio forma lapidari quadrata literis vncialibus exſcripta eſt: *Scias velim humaniſſime lector: Aeneam Vulpem Vicentinum Priorem Sanctae Crucis adiutore Laurentio Brixienſi hiſtorias Pauli Oroſii: quae continentur hoc codice: quam accuratiſſime potuit: caſtigaſſe: cui non improbando ſane labori, ſi quid ex ingenio tuo vel melius vel aptius addendum putabis: id honore eius integro facias: quod eſt non ingrati animi officium.* Characteres ſunt romani, lineae per paginam XXXIX; capita diſtinguuntur argumentorum ſummulis, adſcriptis paruis literis initialibus; abſunt cuſtodes, numeri, ſignaturae et tituli. *Orlandi p.* 374. circa annum

annum 1475. prodiiſſe eam tradit *). Certe editiones Venetae ex ea deſcriptae ſunt.

Sine anno

Baſileae per Leonardum Baſil. fol. Pauli Oroſii Hiſtoriarum initium etc. Laudat Orlandi loco ante recitato. Reliqua ad eius deſcriptionem abſolvendam a *Ioanne Clerico* petamus, qui vberem eius notitiam dedit in *Arte Critica* P. III. Sect. I. cap. XIV. (T. II. ed. noua Lugd. Bat. 1778. p. 205. ſqq.) Scilicet ad calcem iidem verſus leguntur ac in prima Vicentina, ſed omiſſa *Paielli* mentione et in medio ſic mutati

Meque imprimendum non alteri tradidit
Leonarde, *quam ſoli tibi;*
Leonarde *nomen huius artis et decus*
Tuaeque laus Baſileae.

In poſteriori fefellit Clericum mentio *Baſileae*, vt pro vrbe, in qua impreſſio facta eſſet, acciperet, qui aliter tamen haud dubie iudicaturus fuiſſet, ſi inſpicere licuiſſet Vicentinam priorem et ſimili nexu in ea vſurpatum cognouiſſet nomen *Coloniae* et praefixum hiſce verſibus nomen *Bartholomaei Paielli Vicentini.* Ceterum adcurate eam percenſuit Clericus plurimaque eius loca deprauata in exemplum adduxit, quam ſupine veteres ſub literarum elegantiorum reſtaurationem Critici officio ſuo functi eſſent. Ipſe ſcilicet nouam Oroſii editionem meditabatur habebatque non ſolum *MS. Geneuenſis* collationem in ipſo illo ſecundae Vicentinae exemplari adſcriptam, ſed

*) Scilicet quo primum anno libros anni et loci nota inſignitos impreſſit. Sed ex hoc ipſo, vt ante diximus, Hauercampus antiquiorem eſſe coniicit.

ſed et Medicaeum codicem aliorumque collationem. Quod praeclarum eius conſilium neſcio quonam pacto diſturbatum ſit et irritum factum.

SAEC. XVI.

1506.

Pariſiis per *Io. Petit.* 4. *Pauli Oroſii Hiſtoriographi clariſſimi opus preſtantiſſimum.* Haec in ſumma pagina tituli, dein interiecto inſigni Iohannis Parui: *Venumdantur in vico diui Iacobi ſub interſignio Leonis argentei.* In fine: *Pauli Oroſii viri praeclariſſimi hiſtoriarum opus abſolutum eſt: quam diligentiſſime emendatum. Impreſſum Parriſiis in Bellouiſu pro Ioanne petit commorante in vico diui Iacobi ſub Leone argenteo. Anno ab incarnatione Domini M. CCCCCVI. die XXI. menſis Ianuarii.*

1510.

Ibidem apud eundem 4. Pauli Oroſii etc. In fine eadem ſubſcriptione mutata in hanc formulam. *M. CCCCC. X. die XVIII. menſis Septembris.*

Praemittitur *Ad clariſſimos Ludouicum et Andream Guillardum ſpectatiſſimae indolis adoleſcentes patritios Ludouici Thibouſt Parrhiſienſis epiſtola,* in qua tamen de opera a ſe nauata nihil amplius prodit, quam, quod *annotatiunculas Chartatim in marginibus adſcripſerit et earum compoſuerit indicem litterarium.*

* *

Pariſiis per Iohannem Barbier impreſſorem et librarium iuratum. 4. Pauli Oroſii opus etc. *In fine:* Anno ab incarnatione Domini MCCCCX. die XIII.

XIII. menſis Nouembris. Laudat Hauercampus, ſed non recte primam Pariſienſem vocat.

1517.

Pariſiis. 4. Pauli Oroſii hiſtoriographi clariſſimi opus praeſtantiſſimum. Mox ſub figura emblematica ligno inciſa: *Venumdantur parriſius* (ſic) *apud collegium triquetti.* In fine: *Pauli Oroſii viri percelebris hiſtoriarum opus abſolutum eſt, quam diligentiſſime emendatum. Impreſſum Parhiſiis. Anno ab incarnatione Domini M. D. XVII. die VII. menſis Auguſti.* Character ab Ioannis Parui typis non abhorret.

1524.

Pariſiis in taberna libraria Iohannis Parui, via ad diuum Iacobum ſub inſigni Lilii aurei. f. Pauli Oroſii, viri ſane eruditi, hiſtoriarum liber e tenebrarum faucibus in lucem editus, vna cum indicibus terſiſſimis huic volumini, haud infrugaliter, adiectis. In folii vltimi pagina prima: *Excudebat* Petrus Vidouaeus *typis et characteribus ſuis impendio honeſti viri* Ioannis Parui *bibliopolae adſcriptitii, in praeclara Parriſiorum vniuerſitate. Anno a Chriſto nato* M. D. XXIV. *Calendis Nouembribus.* In auerſa pagina impreſſa eſt figura emblematica Fortunam referens, quam additae typothetae nomini initiales literae pro inſigni eius declarant, cum duplici graeca et latina epigraphe.

Typi ſunt admodum luculenti, et deſcriptio omnino elegans. Editor fuit *Sebaſtianus Mengin,* qui fratri *Nicolao Mengin* ducis Lotharingiae ſecretario in epiſtola perofficioſa et ſatis prolixa, impreſſa in auerſa pagina, *Oroſium recens e faucibus tenebra-*

nebrarum ereptum ac ſuae priſtinae integritati reſti-tutum dono obtulit.

1526.

(Coloniae.) excudebat Eucharius Ceruicornius. In fine: *Impenſa et aere M. Godefridi Hydorpii civis Colonienſis, menſe Iunio. fol.* Pauli Oroſii Hiſpani viri Doctiſſ. aduerſus Paganos Hiſtoriarum libri ſeptem. Nunc demum ab innumeris iiſque foediſſimis ac horrendis mendorum monſtris vindicati, ad multorumque veterum exemplariorum fidem, ſedulo reſtituti.

Curauit hanc editionem GERARDVS BOLSVINGE Reckelinchuſenſis, de quo haud plura mihi, quam Hauercampo, comperta eſſe fateor *). Scribit ille vero in epiſtola nuncupatoria ad *Quirinum* Archiepiſcopum Colonienſem et Electorem principem, data *ipſis idibus Iunii*, „*Godefridum Hittorpium* (ita hoc loco ſcribitur vt vbique alias etiam) *ſecum egiſſe, vt P. Oroſium, cum veteribus ac manuſcriptis exemplaribus collatum, a tot mendorum myriadibus pro viribus vindicaret; quibus vſque dum vel ſomnulentia, vel ignauia ſeu inertia etiam tum ſcribarum, tum chalcographorum adeo mutilatus, corruptus ac deturpatus fuerit, vt vel doctos nedum rudiores a ſui lectione merito deterreret. Iam vero* poſt non exiguam in laudes Oroſii digreſſionem ad ſe reuerſus pergit, *quantum olei laboriſque huic auctori reſtituendo impenſum ſit, nemo peruidebit iudicabitue exactius, quam qui hoc exemplar cum prioribus quibuſuis etiam tam ſcriptis quam impreſſis contulerit. Nam quid recenſeam ſeu mauis ſub-iiciam*

*) Deficit memoria eius in *Harzhemii Bibl. Colonienſi.*

iiciam centum amplius verſus, mutilata ſenſus integritate, paſſim intermiſſos? quorum exempla aliquot oſtendit. *Quid dicam de tot millibus verborum vel reſtitutis vel in locum repoſitis? Ad quam quidem rem non parum momenti nobis attulerunt tria vetuſtiſſima exemplaria ſcripta, quorum vnum vix hodie notis aut legibilibus literarum figuris deſcriptum bibliotheca maioris eccleſiae Colonienſis ſuppeditauit. Atqui quanti negotii res fuerit in tanta codicum variegantia ſeu diſſidentia, vbi ſcripti ab impreſſis, et vtrique inter ſe quam maxime diſcordabant, iudicare quid eradendum ſeu relinquendum, quidue etiam ſubſtituendum fuerit, vix quiſpiam niſi ipſe expertus credat. Praeterea cui ignotum, quam indocte, ne dicam foede per ὄνον λύρας quendam hic liber fuerit in capita diſſectus? adeo, vt non ſolum nullo habito reſpectu diuerſarum rerum aut hiſtoriarum, verum non raro in mediis periodis, immo ſenſuum clauſulis, orationes diuaricarit atque ſeiunxerit, rurſumque vbi maxime diſſepienda disiungendaue fuerant, concluſerit ac conglutinarit. Tum quam inſulſa quaeſo et inepta nihilque ad rem pertinentia adiecerat argumenta? Poſtremo quam perperam, quam nullo iudicio hactenus idem hic liber circumferretur diſtinctus, neminem credo eſſe, qui modo legerit, qui ignoret.*"

Numquid vero ſupereſt momenti, in quo ars critica exerceri poſſit ab hoc praetermiſſum? Nimirum hoc ſolemne eſt doctis illius aetatis, vt qualemcunque in aliquo ſcriptore veteri operam poſuerint, eam in immenſum exaggerent, aut anteceſſorum ſuorum diligentiam deprimant; quod in hoc ipſo Bolſuingio Caeſarius fecit. Nec vero inferioris modo ſubſellii homines et veluti de plebe eruditorum, qui famae ſuae nondum adultae illud debere ſe exiſtimarent,

ſtimarent, ita ſe geſſiſſe videmus: ſed optimus quiſque et celeberrimus ab hac iactantia, quae a ſaeculi moribus profecta eſſe videtur, non alienus fuit. Interea pleriſque, id quod huic etiam editori, de quo vt de reliquis fere Hauercampus iudicium ſuum cohibuit, accidit, vt nec regulam certam, quam in labore ſequi deberent, nec ingenium doctrina iuſta excultum multoque vſu ſubactum afferrent.

Ceterum poſt praefationem ſequitur *vita Oroſii* ex Gennadio atque index rerum memorabilium ſecundum paginas inſtitutus. Quod externam ſpeciem attinet, tituli margines imaginibus ligneis formis impreſſis, duodecim labores Herculis referentibus, cincti ſunt.

1536.

Coloniae ex officina Eucharii. 8. P. Oroſii presbyteri Hiſpani Doctiſſimi aduerſus paganos (quos vocant) Hiſtoriarum libri ſeptem. Nunc denuo cum manuſcriptis exemplaribus aliquot collati, diligentiuſque multo quam antehac nuſpiam excuſi, cum indice rerum in ipſis contentarum copioſiſſimo. In fine: *Impenſa et aere M. Godefredi Hittorpii civis Colonienſis, menſe Auguſto. M. D. XXXVI.*

Ioannes Caeſarius Iuliacenſis, Iacobi Fabri Stapulenſis diſcipulus plurimiſque auctorum veterum, in quibus etiam Horatii quaedam et Plinii H. N. editionibus, aliiſque ſcriptis circa illud tempus clarus*), hanc editionem Oroſii recognouit. „*Opus hoc Oroſii*, inquit *in epiſtola nuncupatoria* ad *Georgium a Seina* e comitibus *a Witgenſtein* eccleſiae metropolit.

*) Cf. Harzheim in *Bibl. Colon.* qui huius tamen circa Oroſium operae non meminit. Obiit Caeſarius Coloniae 1551.

lit. Colon. tunc Canonico, *quia iam aliquoties excuſum extitit, ſed mendis interim non paucis ſcatens, licet toties tentatum ab his emaculari repurgarique, nunc demum cura et expenſis magiſtri Hittorpii, ſed recognitum prius non parua diligentia, partim noſtra, partim aliorum quorundam, et ab noſtratibus mendis repurgatum in lucem iterum prodit multo ſane aliter quam hactenus, ſimulque et typis admodum plauſibilibus excuſum.*" Hanc editionem Hauercampus vnice fere bibliopolae nomine *Hittorpianam* appellat, cum prior tamen apud eundem facta ab editore *Bolſuingiana* ipſi audit.

1558.

Louanii apud M. Verhaſſet. 8. P. Oroſii liber apologeticus contra Pelagium de arbitrii libertate nunc primum editus, item Hieronymi epiſtola aduerſus Pelagium, ad Cteſiphontem: ex editione Io. Costerii. *Cat. Bibl. Reg. Pariſ. T.* 1. *p.* 373.

1561.

Coloniae apud *Maternum Cholinum.* 8. P Oroſii Presbyteri Hiſpani aduerſus Paganos Hiſtoriarum libri ſeptem. Vetuſtorum librorum auxilio a mendis vindicati et annotationibus ex vtriuſque linguae hiſtoricis illuſtrati, opera et ſtudio Franc. Fabricii *Marcodurani.*

Hic *Fabricius* Marcoduro Iuliacenſis alias commentariis ſuis in varias Ciceronis orationes et Terentium notus eſt; Rectoris munere in Schola Duſſeldorpienſi fungebatur eique ab a. 1563. praefuit, obiitque a. 1573. De Gerardo Bolſuingio et Io. Caeſario iudicat, *neceſſe eſſe, vt vel eorum exemplaria non fuerint diligenter ſatis deſcripta, vel ipſi parum accurate opus perſpexerint. Tot menda*, pergit, *relicta*

licta ab illis deprehendi, poſtquam eorum libros cum tribus manuſcriptis conferre coepi. Neque vero ſatis habui vetuſtos libros ad huius tam praeclarae hiſtoriae emendationem aduocare: ſed cum iam pridem multorum graecorum et latinorum auctorum collatione didiciſſem, ipſos libros ſcriptos multis ſaepe mendis foedatos eſſe, conduxi, et quaſi conuocaui in vnum locum omnes, quos de his rebus, quas Oroſius attigit, ſcripſiſſe aliquid potui recordari: qui autem illi et quot fuerint ex Annotationibus noſtris apparebit, in quibus non tantum hanc editionem fulcire, ſed et hiſtoriam illuſtrare ſum conatus: vt adoleſcentes, qui cuperent ea, quae Oroſius breuiter complexus eſt, plenius cognoſcere, hac noſtra admonitione inſtructi ſcirent, vnde illa eſſent petenda, eorumque lectione ſitim ſuam explerent. Atque hoc quidem ego magno conatu ſtudioque egi: quid vero ſim conſecutus, aliorum iudicio lubens permitto.“ Haec in ep. dedicatoria ad *Ioannem Vlattenum* Praepoſitum Aquenſem, Craneburgenſem et Carpenſem Ducis Iul. Cliu. et Montium Cancellario, data h. ipſo anno poſtridie Idus Martias. Notae ſingulis libris ſubiectae ſunt.

1574.

Ibidem apud eundem. 8. P. Oroſii — Hiſtoriarum libri ſeptem. — ſtudio *Franc. Fabricii.* Quibus nunc acceſſit eiuſdem Oroſii Apologeticus contra Pelagium, de arbitrii libertate.

Poſterius opuſculum abſque notis, adeo vt a bibliopola adiectum eſſe, Fabricio ſcilicet iam vita functo, appareat. Quod typos attinet, priorem antecellit.

1582.

Ibidem apud eundem. 8. P. Oroſii — Hiſtoriarum libri ſeptem. et de libero arbitrio. Repetitio altera ed. Fabricianae.

1583.

Pariſiis apud Mich. Sonnium. fol. Pauli Oroſii hiſtoriarum libri VII. cum elogio et ſcholiis *Renati Laurentii de la Barre;* in eius *Hiſtoria chriſtiana Vett. Patrum* a *p.* 183.

1589.

Pariſiis fol. P. Oroſii Presbyteri Hiſpani adverſus Paganos hiſtoriarum libri ſeptem, ſcholiis et elogio illuſtrati per *Laurentium Barrenſem;* in *Tom. VII. Bibl. PP. Bign. p.* 339.

Saec. XVI.

1615.

Moguntiae ſumtibus Petri Cholini. 8. P. Oroſii — Hiſtoriarum libri ſeptem. — opera et ſtudio *Fr. Fabricii* M. additae nunc demum *Ludouicii Lautii Notae* et R. P. *Andreae Schotti* e Societate Ieſu Sacerdotis *Recenſio.* Quibus etiam acceſſit etc.

Lautii, Belgae, Presbyteri Gandenſis, notae paucae ſunt, criticae et ſeorſim ſtatim poſt praefationem Fabricii ante indicem adiectae. Simul exhibetur index Auctorum in Fabricii Scholiis emendatorum et illuſtratorum. Sed quae *Schotti* recenſio ſit, non liquet.

1618.

Coloniae Agr. ſumpt. Ant. Hierati. fol. P. Oroſii libri VII. hiſtoriarum ad B. Auguſtinum in *Bibl. PP. Tomo* V. *P.* I. *pag.* 335.

1622.

Ibidem apud eundem. fol. P. Oroſii Presbyteri apologeticus contra Pelagium de arbitrii libertate, ex recognitione *Andr. Schotti;* in *Tomo XV.* ſeu *ſupplemento Bibl. PP. Colon. p.* 144.

1639.

Pariſiis apud Aegidium Morellum. fol. P. Oroſii Hiſtoriarum libri ſeptem ex recognitione *Renati Laurentii de la Barre: item* eiuſdem de arbitrii libertate aduerſus Pelagium liber apologeticus; in *Supplemento Bibliothecarum PP. Pariſienſium Morelliano*, prius opuſculum *p.* 148. *ſeqq.* poſterius *p.* 800.

1663.

Moguntiae. [8.] P. Oroſii Hiſtoriarum libri VII. etc. cum annotationibus *Fabricii*, *Lautii* et *Schotti.*

Supplent huius editionis memoriam *Acta Erudit. Lipſ.* a. MDCCXLII. P. 1. m. Septembr. p. 481. Nec tamen errauit Hauercampus, Oroſium a Schotti inde recenſione vſque ad nouiſſimam plus centum et viginti annis ſine cuiuſquam editoris cura iacuiſſe dicens.

1677.

Lugduni apud Aniſſonios. fol. P. Oroſii Presbyteri Tarraconenſis in Hiſpania libri VII. hiſtoriarum ad Auguſtinum; item liber Apologeticus de arbitrii libertate, in *Bibl. PP. Max.* T. VI. *pagg.*

377—448. Reſecta ſunt in *Apologetico* capitula illa Auguſtini.

Saec. XVIII.

1738.

Lugduni Batauorum, apud Gerardum Potuliet. 4. P. Oroſii presbyteri Hiſpani aduerſus Paganos Hiſtoriarum libri VII. vt et apologeticus contra Pelagium de Arbitrii Libertate. Ad fidem MSS. et praeſertim Cod. Longob. Antiquiſſ. Bibliothecae Florentinae Mediceae S. Laurentii, adiectis integris Notis *Franc. Fabricii* Marcodurani et *Ludou. Lautii*, recenſuit ſuiſque animaduerſionibus nummiſque antiquis plurimis illuſtrauit Sigebertvs Havercampvs.

Ad manum erant Hauercampo non ſolum omnes priores editiones, ſed etiam, quod potiſſimum ſane fuit auxilium, vndecim codices MSS. Hiſce igitur ſubſidiis *ea cura*, inquit, *recenſui Oroſium, quam mereri videbatur ſcriptor, cui expoliendo centum amplius annis defuiſſe fautores agnoſcimus;* id eſt, vt nunc demum editus videri poſſit. Nam veriſſime monuit, quae ſparſim ad illum Viri Docti notauerint, parca admodum manu collata eſſe, vt, quantum medelae ex MSS. eorumque adcuratiore, quam a prioribus factum fuit editoribus, inſpectione, acceſſerit Oroſio, facile conferenti pateat. De Oroſio autem ipſius eſt iudicium, eum, *quamuis neque aurea, neque argentea Latinitatis aetate floruerit, et vix in aerea ſibi locum retineat, nonnunquam quoque, pro ſeculi ſui captu, anilibus fabulis, vt de veſtigiis rotarum, quae reliquerint conſpicienda adhuc Aegyptiorum perſequentium currus, abripiatur, tamen, quum ob ipſius Operis multiiugem Hiſtoriam, non inutili breuitate congeſtam, et ad tem-* porum

porum rationem Conſuleſque Romanos ſollicite digeſtam, tum propterea, quod integris, quos fruſtra iam quaerimus, magnis Hiſtoriarum et Annalium ſcriptoribus, atque in eo genere principatum tenentibus, ſit vſus, plurimi apud omnes Eruditos haberi ſolere. Hinc quae ad Hiſtoriae illuſtrationem ſpectant docte vbique appoſita ſunt, vt nihil ex hac parte deſiderari poſſit. Ac in hunc vſum etiam multa inſeri curauit numiſmatum antiquorum ſpecimina. Librum de arbitrii libertate adiecit quidem, quoniam a Fabricio in altera, quam adornauerat, editione factum obſeruaſſet, ſed abſque omni adnotatione, notatis ſolummodo in inferiori margine textibus biblicis, qui tam crebro in illo afferri ſolent. Praeterea Hauercampus in Praefatione ſua non ſolum hiſtoriam editionum Oroſii ab incunabulis typographiae inde breuiter et docte contexuit, ſed curauit etiam, vt omnes ſuperiorum editionum *praefationes*, eae etiam, quae minimi ad criſin momenti eſſent, nec omiſſo quidem ex Franc. Fabricii editione *Io. Ruremundi*, Fabricii diſcipuli, carmine ad praeceptorem gratulatorio, vna hic recuderentur. Denique ab arte praefulgidam eſſe hanc editionem obſervamus, nec nominis, quod honoris cauſa ei praefixit, obliuiſcamur. Inſcripſit ſcilicet *Nicolao Griis*, Regi Daniae a Conſiliis ſtatus et ad Ord. Foed. Belgii Ablegato Extraord. Cf. etiam huius Oroſii cenſuram *in Nouis Actis Erudit. a.* 1742. *P.* I. *n.* XI. *p.* 481 *ſqq.*

✲ ✲

V ERSIONES. Praeter Anglo-Saxonicam Regis Aelfredi translationem, haud aliam antiquiorem nouimus, quam Germanicam, auctore *Hieronymo Bonero.* Huius primam editionem exiſtimamus eſſe

eam, quae a. 1539. *Colmariae (Zü Colmar bey Barptholomeo Grüninger) fol.* prodiit, vt quidem coniicio ex praemiſſa *Boneri epiſtola* vernacula *ad Wolffium a Landtſperg d. Colmariae. 1. Octobr.* a. 1539. Inſcribitur autem, vt initium ſaltem afferam: „*Paulus Oroſius. Chronica und beſchreybung des heyligen Pauli Oroſii, ſo er hat gethan in Latin* etc. — *yetzund durch den achtparn und weiſen Herrn Hieronimum Bonern diſer zeit Oberſter Meiſter* (ſic) *der loblichen Reichſſſtatt Colmar in obern Elſaſſ in dz nachfolgend Teutſch verdolmetſcht und gemeinen nutz zü güt an tag geben.*" Saepius illa deinde typis repetita eſt, verſus finem Saeculi XVI. nobiſque praeſto ſunt editiones *Francof. ad Moen. ſumt. Sigismundi Feyerabend.* 1576. per *Paulum Reffeler* et 1581. per *Ioh. Schmidt. fol.* excuſae.

Non multo Germanicae huic recentior videtur eſſe *Italica* hoc tit. *Paolo Oroſio tradotto di latino in volgare per* GIO. GUENNI DA LANCIZA *nuovamente ſtampato* ſine loco et anno. 8. In fine extant hae notae: *P. Alex. Pag. Benacenſes F. Bena. V. V.* Primo libro praemittitur argumentum, non item reliquis, qui vti et capita nullis ſeu titulis ſeu numeris diſcreta ſunt. Commemoratur in *Biblioteca degli Autori Greci e Latini volgarizz.* inſerta in *Raccolta d'Opuſc. ſc. e filol.* T. XXXIV. pag. 317.

Quod *Anglo-Saxonicam* attinet, iam ſuperiori ſaeculo exeunte ſpecimen illius dedit doctus Anglo-Britannus, hoc titulo: *Hormeſta Pauli Oroſii, quam olim patrio ſermone donauit Aelfredus magnus, Anglo-Saxonum rex Doctiſſimus; ad exemplar Iunianum deſcriptum edidit* GVILIELMVS ELSTOB, A. M. *et Coll. Vniu. Soc. Oxoniae e Theatro Sheldoniano A. D. MDCXC.* Integri tamen operis editio non

non ſecuta eſt, fortaſſe quod non ſatis numeroſos emtores ea habitura videretur, ſaepiuſque eadem ſpes ab aliis viris doctis, ad quos deinceps *Elſtobii* exemplar peruenerat, non feliciori ſucceſſu oſtenſa eſt, donec viginti abhinc annis tandem eruditiſſimus vir DAINES BARRINGTON omnibus eiuſmodi impedimentis ſuperior euaſit, et non ſolum editoris ſed interpretis etiam munere feliciter functus notaſque inſuper et mappam Geographicam Europae addidit. Titulus huius verſionis eſt:

The Anglo-Saxon Verſion, from the Hiſtorian Oroſius. By Aelfred the Great. Together with an Engliſh Translation from the Anglo-Saxon. London printed by W. Bowyer and I. Nichols. 8.

CODICES. *Bolſuingius* meminit duorum exemplarium MSS. qui ipſi in ed. Colon. a. 1526. praeſto fuerint, inter quae erat vnum *Bibliothecae eccleſiae Cathedralis Coloniae* characteribus vetuſtis et inſolitis ſcriptum. Apud reliquos ante Hauercampum editores codicum diſerta mentio non fit. Ab hoc vero *vndecim* ſequentes recenſentur:

1) *Codex MS. Bibl. Lugduno-Batauae* chartaceus admodum recens, quippe anno 1463. abſolutus, ſed tamen valde bonus et, vt ille iudicauit, antiquiſſimus. Seruatur in Legato Perizoniano atque inſcribitur: *de Orcheſtra Mundi.*

2) *Codex MS. eiuſdem Bibl.* membranaceus, *Iuſtinum* habens adiunctum, olim Nicolai Heinſii, deinde Iſaaci Voſſii. Praefixos habet plures verſiculos ſic incipientes: *Orbis terrarum metaſque ſituſque locorum, Computat hic ſacri codex luculenter Oroſi.*

3) *Codex MS. eiuſdem Bibl.* Inſcribitur: *Oroſii de Cladibus et miſeriis antiquorum libri ſeptem.* In fine: *Libri Oroſii Presbyteri de Cladibus et antiquis Miſeriis Mundi per manus ſcripti fratris Euerardi de Novongio.*

4) *Codex quartus MS. eiuſdem Bibl.* cum *Iuſtino* quoque, inſcriptus: *Oroſii libri Hiſtoriarum de Ormeſta Mundi.* In fine iidem verſus ac in ſecundo.

5) *Codex MS. quintus Bibl. Lugd. Bat.* membranaceus ex Iſ. Voſſii reliquiis emtus.

6) *Codex MS.* pergamenus per columnas ſcriptus, optimae notae; *penes ipſum editorem fuit*, ex Hulſiana quondam Bibl. coemtus. Eum plurimum ſibi profuiſſe teſtatur.

7) *Codex MS. Vltraiectinus* recentior et valde mendoſus, ſed qui tamen aliquot lectiones bonas ſuppeditauit. Contulit in vſum Hauercampi *Otto Arntzenius.*

8) *Codex MS. antiquus*, cuius collationem aliquando inſtitutam a *Iacobo Gronouio* filius *Abrahamus Gronouius* cum editore communicauit. Eum plurimum conuenire cum tertio Lugduno Bat. deprehendit.

9) *Codex MS. Florentinus Bibliothecae Laurentianae*, forma maioris quarti, Literis Longobardicis ante mille fere annos exaratus, veluti iudicauit Bibliothecae iſtius tunc praefectus *Antonius Maria Biſcionius*, qui non ſolum ſua manu ſuiſque oculis in Hauercampi gratiam eum contulit, ſed etiam literarum picturam, aeri incidendam, ad ipſum tranſmiſit, quam vna cum *Ratione Orthographiae eius et eorum, qui eum hac in re ſequuntur,*

tur, poſt *praefationes* inuenies. Mutilus tamen eſt, non ſolum ab initio libri primi, ſed totus liber ſeptimus etiam in eo deſideratur. Seruabatur in Bibl. Laurentianae Pluteo LXV. n. 1. eiuſque etiam meminit *Mabillonius de Re Diplom.* lib. V. p. 354.

10) *Codex MS. Florentinus eiuſdem Bibl.* ex Pluteo LXV. n. 35. saeculi decimi tertii, lacerus ab initio.

11) *Codex MS. Florentinus tertius eius Bibl.* ex eodem Pluteo n. 37. quem ſaeculi decimi quarti cenſent, incipiens: *Pauli Oroſii presbyteri Hiſpani de totius mundi calamitatibus liber primus.* Atque hi duo poſteriores etiam Longobardici illius Orthographiam, imprimis autem prior n. 35. ſequuntur. Eorum lectiones eiuſdem Biſcionii beneuolentiae Hauercampus debuit.

II.

INNOCENTIVS EP. ROM.

Natione Italus, patria Albanus, ineunte anno 402. in locum Anaſtaſii epiſcopus Romanus ordinatus eſt, doctrina atque alacritate huic muneri gerendo non impar. Nam a primo ſtatim ſuſceptae dignitatis die ad plures ad ſe, tum ſuper doctrinae, tum diſciplinae eccleſiaſticae capitibus, a diuerſarum regionum epiſcopis delatas quaeſtiones promte et copioſe reſpondit. Qua in re fieri non poterat, cum conſuetudines eccleſiae et quid illis conſentaneum eſſet explicaret et conſultantibus ſequendas eas proponeret, quin in ipſum ſemper aliquid auctoritatis redundaret ipſeque iubentis magis quam docentis perſonam, quo ſuopte ingenio erat propenſior, indueret, §. 1. Vita.

duceret. Non multo autem poſt ipſius muneris auſpicia a. 403. ſubortae ſunt Conſtantinopoli turbae illae in Ioannem Chryſoſtomum a factioſis hominibus contractae, quae huic non ſolum immenſarum calamitatum cauſae extiterunt, ſed tandem eum funditus oppreſſerunt. Innocentius vero, quo effrenatior erat inimicorum eius libido et felicior, imperatrice quoque in perniciem eius coniurante, audacia, tanto arctius communionis ſuae vinculo eum complexus eſt, quam illis interim negauit et Ioanne etiam mortuo tamdiu reddere fortiter recuſauit, donec nomen eius in diptycha inter epiſcopos referrent. Quod quidem primus fecit Alexander Epiſcopus Antiochiae a. 414., cunctantius et vel inuiti vel doloſe Theodoſius Alexandri ſucceſſor et Atticus poſt Acacium Conſtantinopolitanus Epiſcopus. Immo hic, ſicuti etiam Cyrillus Alexandrinus, non ante Bonifacium I. eccleſiae Romanae reconciliatus eſſe dicitur *). Pelagianos errores Innocentius cum patribus Africanis, qui tum ex Synodo Carthaginenſi et Mileuitana (a. 416.) tum etiam priuatis literis ad eum ſcripſerant, damnauit: quamquam magis ipſi pax cum illis, quam bellum cum Pelagio cordi fuiſſe videtur, niſi forte alias in hac cauſa partes, eaſdem ſcilicet quas poſtea Zoſimus ſuſcepit, meditatus ſit. Certe ambigua ad Africanos reſponſio tale quid portendebat. Infenſior Nouatianis fuit, quos primus, teſte Socrate, Romae degentes perſequi coepit multaſque eis Eccleſias ademit. Obiit die 12. menſis Martii a. 417. Inter praecipuas vitae

*) Nimirum liquido de his non conſtat. *Tillemont X. pag.* 660. ſub Zoſimo communionem inſtauratam eſſe coniicit. Sed ſecus ſtatuit *Pagius ad Baronium.*

vitae eius felicitates merito numerari ſolet, quod ſuſcepta Rauennam ad Honorium legatione a funeſto deuaſtatae (a. 410.) per Alaricum vrbis adſpectu remotus fuerit.

Superſunt *Innocentii Epiſtolae* XXXIV. his titulis: I. *Ad Anyſium Theſſalonicenſem Epiſcopum*, ſcr. a. 402. II. *Ad Victricium Epiſcopum Rotomagenſem*, ſcr. a. 404. III. *Ad vniuerſos epiſcopos in Toletana Synodo conſtitutos* *), ſcr. eodem anno. Extat etiam forma breuiori in quibuſdam Conciliorum et Epiſtolarum Pontificiarum editionibus. IV. *Ad Theophilum Epiſcopum Alexandrinum*, ſcr. eodem anno. Graece extat apud Palladium de Vita Ioannis Chryſoſtomi, latine autem conuerſa eſt ibidem ab Ambroſio Camaldulenſi. V. *Ad Exſuperium* Epiſcopum Toloſanum, ſcr. a. 405. VI. *Ad Clerum et populum Conſtantinopolitanum*, ſcr. eodem anno. Graece extat apud Sozomenum lib. VIII. c. 26. indeque apud Nicephorum Calliſti lib. XIII. c. 32. VII. *Ad Aurelium Carthaginenſium et Auguſtinum Hipponenſium epiſcopos*, ſcr. circa a. 406. VIII. *Ad Ioannem Chryſoſtomum Conſtantinop. epiſcopum*, quae apud vnum Sozomenum l. VIII. c. 24. graece extat, ſcr. a. 407. IX. *Ad Rufum Epiſcopum Theſſalonicenſem*, ſcr. a. 412. X. *Ad Aurelium*, ſcr. a. 413. aut etiam 412. XI. *Ad Iulianum nobilem*, ſcr. circa a. 413. XII. *Ad Marcianum Epiſcopum Naïſſitanum*, ſcr. circa idem tempus. XIII. *Ad Epiſcopos et Diaconos Macedones*, ſcr. a. 414. XIV. *Ad Epiſcopos per Macedoniam conſtitutos*, ſcr. eodem anno. XV et XVI. *Ad Alexan-* §. 2. Scripta.

*) Plerique MSS. *Toloſana* praeferunt, manifeſto vitio.

Alexandrum Epiſcopum Antiochenum, ſcr. circa a. 415. XVII. *Ad Acacium Beroeae Epiſcopum*, ſcr. circa idem tempus. XVIII *Ad Maximianum Epiſcopum* de Attico Epiſc. Conſtantinop. ſcr. circa idem tempus. XIX. *Ad Bonifacium Presbyterum*, eodem tempore ſcr. XX. *Ad Alexandrum Epiſcopum Antiochenum*, ſcr. eodem tempore. XXI. *Ad Decentium Epiſc. Eugubinum*, ſcr. a 416. XXII. *Ad Epiſcopos qui in Concilio Carthag. a.* 416. *adfuerant*, ſcr. a. 417. XXIII. *Ad Epiſcopos qui Concilio Mileuitano interfuerunt*, eodem anno ſcripta. XXIV. *Ad quinque Epiſcopos Africanos*, *Aurelium* ſcilicet, *Alypium*, *Auguſtinum*, *Euodium* et *Poſſidium*, ſcr. a. 417. XXV et XXVI. *Ad Aurelium Epiſc. Carthag.* eodem tempore ſcriptae. XXVII. *Ad Hieronymum Presb.* ſcr. eodem tempore. XXVIII. *Ad Ioannem Epiſc. Hieroſolymitanum*, eodem tempore ſcripta. XXIX. *Ad Probum*, Probi praefecti praetorio et Probae Falconiae, vt videtur, filium, incerti temporis, vt ſequentes omnes. XXX. *Ad Felicem Epiſc. Nucerinum.* XXXI. *Ad Maximum et Seuerum Epiſcopos per Bruttios.* XXXII. *Ad Agapitum*, *Macedonium et Marcianum epiſcopos Apulos.* XXXIII. *Ad Florentium Epiſc. Tiburtinenſem.* XXXIV. *Ad Laurentium Epiſc. Senienſem.*

Haud paucas huius pontificis, quae *interierunt*, Epiſtolas, temporum et occaſionum, quibus ſcriptae fuerunt, ordine habito, vna cum aliorum ad eas pertinentibus pariter amiſſis recenſet Couſtantius. Paucis indicat *ſuppoſitas*, inter quas vna eſt *ad Aurelium Epiſc. Carthag.* ab Iſidoro Mercatore ficta, quam in ſequenti, ſi comparuiſſet, Epiſtolarum Pontificiarum tomo parenti ſuo redditam exhibiturus erat. Interim alias quatuor, nempe *duas Innocentii ad Arcadium*

cadium Imperatorem et alias *duas Arcadii ad Innocentium* in Appendicem primi Tomi coniecit.

Pleraſque, nempe XXI. Innocentii Epiſtolas nobis ſeruauit Dionyſius Exiguus, apud quem LVII. ſectiones ſeu *Decreta* conſtituunt hoc ordine, XXI. II. V. XXX. XXXI. XXXII. XIIII. XXXIII. XXIX. VII. XI. X. XIX. XVI. XVIII. XV. XX. XVII. XXXIV. XII. XIII. Epiſtolae XXII. XXIII. XXIV et XXV. inter Auguſtinianas extant, nec non apud Iſidorum Mercatorem et in Codice Queſnelli, XXV. etiam in Collectione Hiſpana Optima, poſterioris collectionis exemplaria III. quoque epiſtolam integram exhibent, quae, antequam a Sirmondo ederetur, ex Iſidoro in pleriſque Conciliorum editionibus mutilata legebatur. Quae num. XXVI. XXVII. et XXVIII. citantur primum editae ſunt *Romae* in antiquiſſima *Epiſtolarum Pontificiarum* editione, indeque a *Baronio* ad a. 416. recuſae. Hiſce duas inſuper ex codice Vaticano addidit *Lucas Holſtenius* in Collectione Romana, I. ſcilicet et IX. Denique IV. a Palladio de vita Chryſoſtomi ſeruata, latine ex interpretatione Ambroſii Camaldulenſis inter Epiſtolas Pontificias Romae excuſa et in variis deinde Conciliorum editionibus recuſa fuit. VI. apud Sozomenum et Nicephorum, VIII. apud vnum Sozomenum repertae ſunt. Iam quas Dionyſius Exiguus et Iſidoriana collectio praebent, eae fere etiam leguntur in Conciliorum editionibus. Vniuerſae autem praeter duas ab Holſtenio prolatas reperiuntur in antiqua Epiſtolarum Pontificiarum collectione, quam ſecutus eſt *Binius.* Iuſtum vero cultum vni *Couſtantio* debent, quem nuper iterum expreſſit *Andreas Gallandius* in *Bibliotheca PP. Veneta.* Sed quo magis haec lucem foenerentur, age proferamus potiora,

§. 3. Editiones.

tiora, quae in diuerſis locis per annorum interualla prodierunt iſtarum collectionum exemplaria.

Saec. XVI.

1525.

Moguntiae in aedib. Schoeffer. fol. Decreta Innocentii Papae (LVII. i e. Epiſtolae XXI.); in ed. prima *Collect. Canonum Dionyſii Exigui per Ioannem Wendelſtinum.* Praemiſſa eſt vita Innocentii ex Platina.

1530.

Coloniae. fol. Decreta Innocentii papae; in *Concil. general. Iacobi Merlini, Tomo I. fol.* CLXX — CLXXXII. Exhibentur Epiſtolae XXVII. non continuis numeris connexae, ſed ſingulae in capitula quaedam diuiſae, quae fere ab initio cuiuſque propoſita ſunt.

1535.

Pariſiis apud Franciſcum Regnault. 8. Decreta Innocentii Papae; in *Concilior. gen. et prouinc. quorund. collectione* eiuſdem *Merlini. Tomo* I. *fol.* CLXXXII. a. — CXCV. b.

1536.

Baſileae. fol. Innocentii Epiſtolae *aliquot*, 1) *ad Concilium Carthaginenſe.* 2) *Ad Concilium Mileuitanum.* 3) *Ad V. Epiſcopos* cum eorundem litteris ad ipſum miſſis; inter *ſelectiſſimas vetuſtiſſimorum praeſulum epiſtolas, quae praeter cetera axiomata Chriſti humanitatem diuinitatemque adſtruunt et liberi arbitrii vires declarant,* additas *Diui Clementis Recognitionibus* edente *Ioanne Sichardo*, *pagg.* 290—302. et in ampliore editione *Lamberti Gruteri.*

teri. *Coloniae Agrippinae* 1570. *fol. pagg.* 553—561. in qua tamen priores duae tantum recuſae ſunt.

1538.

Coloniae excudebat Petrus Quentel. fol. Decreta Innocentii Papae I; in *Conciliis Petri Crabbe Tomo* I. *fol.* CCLXVI—CCLXXXIV. Epiſtolae ſunt LXVIII. Crabbei lectiones vt et Merlinianas haudquaquam neglexerunt Couſtantius et Ballerinii.

1591.

Romae . . . . . fol. Innocentii Papae I. Epiſtolae et Decreta; in collectione *Epiſtolarum Pontificiarum Cardinalis Antonii Carafae Tomo I.*

Complectitur haec editio epiſtolas XXXIV. hoc ordine. I. *Ad Victricium.* II. *Ad Exuperium.* III. *Ad Felicem.* IV. *Ad Epiſcopos per Bruttios.* V. *Ad Epiſcopos Apulos.* VI. *Ad Epiſcopos Macedones*, incipit: *Mora coëpiſcoporum.* VII. *Ad Florentium.* VIII. *Ad Probum.* IX. *Ad Aurelium et Auguſtinum.* X. *Ad Aurelium*, inc. *Charitatis.* XI. *Ad Iulianam.* XII *Ad Laurentium.* XIII. *Ad Patres in Synodo Toletana.* XIV. *Ad Ioannem Chryſoſtomum.* XV. *Ad Clerum et Pop. Conſtantinop.* XVI. *Ad Theophilum Alex.* XVII. *Ad Arcadium Imperatorem* cum reſponſo eius. *Suppoſititia.* XVIII. *Ad Alexandrum*, inc. *Apoſtolici fauoris gratia.* XIX. *Ad eundem*, inc. *Quam grata mihi.* XX. *Ad eundem*, inc. *Opus et honor.* XXI. *Ad Bonifacium.* XXII. *Ad Acacium.* XXIII. *Ad Maximianum.* XXIV. *Ad Ioannem Hieroſolymitanum* hic primum edita ex vet. libro Bibl. Vat. quemadmodum ſequentes duae. XXV. *Ad Hieronymum.* XXVI. *Ad Aurelium*, inc. *Piiſſimam* (26.) XXVII. *Ad Epiſcopos Macedones*, inc.

Magna me gratulatio habuit. XXVIII. *Ad Marcianum Naiſſitanum.* XXIX. *Ad Decentium.* XXX. *Ad Aurelium*, inc. *Qua in dignitate*, ex MSS. codd. edita, ſed a Couſtantio reiecta. XXXI. *Ad Carthag. Concilium.* XXXII. *Ad Concil. Mileuitanum* cum ſcriptis eorundem PP. ad Innocentium. XXXIII. Ad V. Epiſcopos Africanos, adiecta eorundem ad Innocentium epiſtola. XXXIV. *Ad Aurelium*, inc. *In familiaribus ſcriptis* (25).

1593.

Madriti exc. Petro Madrigal. fol. Epiſtola Innocentii I. ad Synodum in Ciuitate Toletana; in *Collectione Concilior. Hiſpaniae*, diligentia *Garſiae Loaiſae. pagg.* 51—53. His iungi debet editio eiuſdem epiſtolae breuioris ſcilicet in *Collectione Conciliorum omnium Hiſpaniae et noui Orbis* etc. cur. *Ioſ. Saenz de Aguirre*, *Tomo* II. *Romae* 1694. *fol. pagg.* 151. 52. cum obſeruationibus huius Cardinalis in eandem, additaque pleniore ex reſtitutione *Iac. Sirmondi* cum notis variorum, *pagg.* 153—56. quae iunctim item reperiuntur in noua eiuſdem Collectionis editione auctore *Ioſepho Catalano Tomo* III. *pagg.* 42—47. *Romae* 1753. *fol.*

[1597.]

Romae. fol. Innocentii Epiſtolae XI; in *Baronii Annalibus Tomo V.* *)

Pro-

*) Ingenue fateor, me neſcire, quo anno primum Tomus V. huius operis prodierit. Sed ſi non prima vice hoc anno comparuit, certe recuſus eſt. (Cf. *Meuſelii Bibl. hiſt. T. I. P. I. pag.* 103.) In Bibliotheca Regia Gott. extat editio, quam primo intuitu principem omnino dixeris. Nam *primus* tomus excuſus eſt a. 1588. T. II. et III. 1594. T. IV.

Producuntur ab anno 404. vſque ad a. 416. incluſiue, I. *ad Theophilum* valde ab ea verſione, quam Couſtantius exhibet, diſcrepans, ad a. 404. II. *ad Clerum Conſtantinopolitanum*, ibidem. III. *ad Ioannem Chryſoſtomum*, ibidem. IV. *ad Bonifacium presb.* ad a. 408. V. *ad Alexandrum*, ibidem. VI. *ad Aracium.* VII. *ad Maximianum*, ibidem. VIII. *ad Iulianam*, a. 413. IX. *ad Ioannem Epiſc. Hieroſolymitanum*, a. 416. Hanc notat a ſe collatam eſſe cum alio codice ſcripto. X. *ad Hieronymum*, ibidem, ex eadem collatione. XI. *ad Aurelium*, ibidem. Inuenies autem haec eadem in ipſo *Tomo V.* ed. *Colon. apud Anton. Hierat.* 1624. et in *Tomo VI. et VII.* ed. *Manſi. Lucae.* 1740. et 41.

Saec. XVII.

1606.

Coloniae Agripp. apud Io. Gymnic. et Ant. Hierat. fol Vita, Epiſtolae et Decreta Innocentii Papae Primi; in *Conc. gen. et prouinc. coll. Seuerini Binii T.* I. *pagg.* 570—591. Epiſtolae ſunt XXXIV. cum quibuſdam aliorum omnes ex ed. Epiſtolarum

 Pon-

IV. 1600. T. VI. VII. 1607. T. VIII. 1599. T. IX. 1600. T. X. 1602. T. XI. 1605. T. XII. 1607., omnes aequabiliter charactere rotundo, luculento et nitido impreſſi ſunt *in Typographia Vaticana*, textu nullis numeris, quemadmodum in ſequentibus editionibus per ſingulos annos factum cernitur, diſtincto. Sed *quinti* tomi editio prima demum a. 1607. facta eſſe nequit, quoniam idem iam a Binio ad epiſtolas Rom. Pontiff. laudatur in *Conciiior. ed. Colon. a.* 1606. Vnde colligo poſteriora ſaltem huius exemplaris volumina non originaria ſed recuſa eſſe.

Pontiff. Rom. ſed ordine diuerſo expreſſae. Additae ſunt notae *Binii.* Biniana haec collectio repetita eſt ibidem a. 1618.

1609.

Lutetiae Pariſiorum apud Adrian. Beys. 8. Decreta Innocentii Papae; in Wendelſtiniana *Dionyſii Exigui* editione ſub titulo *Codicis Canonum Veteris Eccleſiae Romanae* h. a. et l. repetita *pagg.* 330—386.

1629.

Pariſiis ſumtib. Sebaſt. Cramoiſy. fol. Innocentii I. Papae Epiſtolae *tres* 1) *Ad Victricium Epiſcopum Rotomagenſem.* 2) *Ad Exuperium Epiſcopum Toloſanum.* 3) *Ad Patres in Synodo Toletana;* in *Conciliis Galliae* ed. a *Iac. Sirmondo Tomo* I.

Tertia quidem epiſtola proprie ad Galliae concilia non pertinebat, licet in pleriſque MSS. perperam inſcribatur ad Patres Synodi *Toloſanae;* ſed quoniam in MSS. libris integriorem reperiſſet, quam vſque dum in omnibus editis comparuerat, non praetermittendam duxit occaſionem, quam primum poſſet, cum eruditis communicandi. Emendauit etiam reliquas duas ex MSS. codicibus tituloſque decretorum in illis variantes ipſe conſtituit; ſed cum ipſum opus praeſto nobis non ſit, in praeſenti haud quidquam nobis ſuppetit, quam vt lectores admoneamus, Couſtantium, quaecunque a Sirmondo praeſtita ſint, in editionem ſuam transtuliſſe.

1634.

Antverpiae ex officina Plantin. fol. Innocentii Papae I. Epiſtola XI. ad Aurelium Carthag. Epiſcopum ſcripta pro Paſchate anni Chriſti vulgaris 414; inter *Epiſtolas Patrum Antiquorum de Feſti Paſchalis*

lis

lis ratione, quas *Doctrinae* ſuae *Temporum* ſubiunxit *Aegidius Bucherius p.* 480. Ad hanc epiſtolam faciunt diſputata eius cap. V. et VII. in Victorium Aquitanum, quem hoc opere illuſtrare ſtuduit, et cap. IX. de Iudaeorum Cyclo.

1645.

Pariſiis e Typographia Regia. fol. Vita, Epiſtolae et Decreta Innocentii I. Papae; *in Conciliorum Tomo IV. Collectionis Regiae pagg.* 1—92. Binianae editionis iteratio.

1661.

Lutetiae Pariſiorum apud Ludouic. Billaine. fol. Decreta Innocentii Papae (LVII): in *codice Dionyſii Exigui* qualem praebet *Bibliotheca Iuris Can. Vet.* cur. *Guil. Voëllo et Henrico Iuſtello, Chriſtophori Filio, pagg.* 194—210. Editio Codicis Dionyſii Exigui, quam a. 1628. *Lut. Pariſ.* 8. pater Chriſtophorus Iuſtellus procurauit, primam partem, non item Decreta Pontificum continet.

1662.

Romae typis Iacobi Dragondelli. 8. Innocentii epiſtolae *duae*, altera ad Anyſium, altera ad Ruſum; inter *Acta Synodi Romanae ſub Bonifacio II. num.* IV. et V. edita in *Collectione Rom. Bipartita veterum aliquot Hiſtoriae eccleſiaſticae monumentorum, edi coepta a Luca Holſtenio et abſoluta poſt eius obitum* cura *Card. Franc. Barberini, Parte* I. *pagg.* 45—51.

1671.

Lutetiae Pariſiorum fol. Vita, Epiſtolae et Decreta Innocentii I. Papae cum notis Binii, Sirmondi et Albaſpinaei; in *Conciliis Labbei et Coſſartii, To-*

mo II. *pagg.* 1245—1309. Vide editionem Manſianam. Couſtantius et Ballerini frequenter Lectiones Labbeanas citant.

1673.

Pariſiis fol. Innocentii Epiſtolae tres 1) ad Epiſcopos Concilii Carthag. 2) ad Epiſcopos Conc. Mileuitani. 3) ad V. Epiſcopos Africanos cum Obſeruatione praeuia *Io. Garnerii;* in *Diſſertatione* eius II. ad *Opp. Marii Mercatoris Tomo* I. *pagg.* 194—199. Praecedunt Epiſtolae Epiſcoporum illorum vberioribus notis illuſtratae. Conſuluerunt hanc Garnerii operam diligenter Ballerini in opere mox laudando.

1675.

Lutetiae Pariſiorum Sumpt. Io. Bapt. Coignard. 4. Innocentii Papae Epiſtolae *aliquot;* in *Codice Canonum et Conſtitutionum ſedis apoſtolicae* a Queſnello edito in *Tomo* II. *Opp. Leonis M.*

Inſunt *Reſcriptum ad Conc. Carthag.* cap. VII. *Reſcriptum ad Conc. Mileuit.* cap. IX. *Reſcriptum ad V. Epiſcopos Afric.* cap. XI. *Epiſtola familiaris ad Aurelium Carth. Ep.* cap. XII. *Ad Exſuperium* cap. XXI. *Ad Macedonenſes Epiſcopos* cap. XXII. *Ad Decentium Eugubinum* cap. XXIII. *Ad Victricium Rotomagenſem* cap. XXIV. Repetita eſt haec ed. *Lugduni* 1700. *fol.*

1687.

Pariſiis e Typographia Regia. fol. Decreta Innocentii Papae; in Franciſci Pithoei editione *Codicis Dionyſii Exigui* h. a. et l. recuſa et variis acceſſionibus aucta. *pagg.* 191—213.

Saec.

SAEC. XVIII.

1715.

Pariſiis ex Typographia Regia. fol. Innocentii Papae I. Epiſtolae XXVII; in *Harduini Conciliis Tomo* I. *pagg.* 995—1032. Sunt partim ex Dionyſiana partim ex Iſidoriana collectione profectae et eodem ordine iam a Merlino vulgatae, ſed complurium MSS. ope variis in locis emendatae. Epiſtola ad PP. Toletanos ex Sirmondo deſcripta eſt.

1717.

Rotomagi apud Franc. Vaultier. fol. Epiſtola Innocentii Papae ad Victricium Epiſcopum Rotomagenſem collata ad MSS. codd. optimae notae, codicem S. Germani Pariſ. annorum 1100. Colbertinos duos annorum 800. et S. Petri Carnotenſis vnum 700. annorum; in *Conciliis Rotomagenſis Prouinciae* ſtudio *Guil. Beſſin* e Congreg. S. Mauri *P.* I. *pagg.* 3 — 6.

Num vero ab ipſo editore, an iam olim a Sirmondo libri iſti MSS. exhibiti fuerint, diiudicare nequeo.

1721.

Pariſiis fol. Innocentii I. Papae Epiſtolae et Decreta nouo ordine diſpoſitae, emendatae notiſque et admonitionibus illuſtratae a PETRO COUSTANTIO; in *Epiſtolis Rom. Pontiff. T.* I. *pagg.* 739—931.

Ordinem chronologicum, quem Couſtantius inſtaurauit, ſupra indicauimus. Inſertae ſunt *num.* IV. *Ioannis Conſtantinopolitanae vrbis epiſcopi ad Innocentium* epiſtola gr. et lat.; *num.* VIII. *Exemplum Sacrae Honorii Auguſti miſſae ad Principem Orientis Arcadium*, quae primum ex vetuſto libro Vat.

Bibliothecae prodierat in Epiſtolis Roman. Pontiff. Antonii Carafae; *num.* IX. *Honorii Epiſtola ad Arcadium* altera (in cauſa Ioannis Chryſoſtomi tertia) gr. et lat.; *num.* XI. *Ioannis Chryſoſt. ad Innocentium Epiſtola* gr. et lat.; *num.* XXVI. *Epiſtola Carthaginenſis Concilii ad Innocentium; num.* XXVII. Mileuitani Conc. epiſtola ad eundem; *num.* XXVIII. *Epiſcoporum quinque ad eundem; num.* XLII. *Litterarum Pelagii ad Innocentium, poſt mortem eius, ſed cum eum defunctum neſciret, ſcriptarum fragmenta.* Accedit *Notitia Epiſtolarum non exſtantium, quae ad Innocentium attinent,* ſolita ipſi diligentia conſcripta, in qua amplius XL. enumerantur. In *Appendice pagg.* 102—110. ſuppoſititiae eius et Arcadii nominibus epiſtolae addita praefatione et notis proponuntur. Quod textus ſinceritatem attinet, plurimis adiutus fuit Couſtantius libris MSS. collectionum Dionyſii Exigui, Hadrianeae, Hiſpanae et Iſidorianae. Et Dionyſianae quidem primigeniae valde laudat codices duos peruetuſtos, Corbeienſem medio ſaeculo VI. ſcriptum, et Colbertinum literis Longobardicis exaratum. Sed nec deterioribus in aliis vſus eſt, de quo illuſtre exemplum praebet epiſtola III. ad Epiſcopos in Toletana ſynodo conſtitutos. Quam cum in variis MSS. Collectionis Hiſpanae exemplaribus, ſicut in omnibus Iſidori Mercatoris mutilam reperiſſet Couſtantius, parum abfuit, quin ab eo, qui Hiſpanam collectionem concinnauit, mutilatam ſuſpicaretur. Amouerunt autem iſtam ſuſpicionem codices duo, alter Colbertinus 700. annorum, alter recentior Coislinianus *de inſtitutione Clericorum* ex ſolius Hiſpanae collectionis monumentis compoſiti, in quibus plane legebantur iſta capitula, quae in breuiori exemplari deſiderantur. Mox vbi plura genuina et ſincera ex eccleſiis Vrgellenſi, Gerun-

Gerundenſi et Riuipullenſi huius collectionis exemplaria inueniſſet, in quibus integra haec epiſtola, quemadmodum etiam in Corbeienſi et Foſſatenſi tunc Colbertino codice, extaret: intellexit, a nullo alio quam ab impoſtore Iſidoro mutilatam eſſe, ſcilicet qui contentus generalia decreta exſcripſiſſe, cetera, quae ad perſonas cauſaſue ſpeciales attinerent, vt a ſcopo ſuo magis aliena ſubtraxerit. Nec vero huic opinioni officere monet, quod in quibuſdam collectionis Hiſpanae exemplaribus velut Laudunenſi, Nouiomenſi et Bellouacenſi decurtata legatur; nam quamuis ex Hiſpana collectione iſta deſcripta ſint, deprehendiſſe ſe tamen eum, a quo ſcripta dictataue fuerint, etiam collectionem Iſidori penes ſe habuiſſe et eam Hiſpanae interdum, etſi raro, antepoſuiſſe, idque nominatim ex Epiſtola Vigilii papae ad Profuturum liquere.

1757.

Venetiis apud Simonem Occhi. fol. Innocentii Papae I. epiſtolae *aliquot;* in *Codice Canonum Sedis Apoſtolicae* a Queſnello olim edito, nunc ad MSS. codices denuo recognito et in meliorem formam reſtituto a *Balleriniis* fratribus.

Epiſtolae et capitula quibus continentur, ſupra indicata ſunt. Praeſtantiſſimam in hac editione partem faciunt notae editorum, emendationes et variantes lectiones ex pluribus libris MSS. et editis ſuppeditantes.

1759.

Florentiae expenſis Antonii Zatta. fol. Vita, Epiſtolae et Decreta Innocentii Papae I; in *Ampliſſima Conciliorum Collectione Ioannis Dominici Manſi, Tomo* III. *pagg.* 1025—1132.

Binium ſequitur cum Labbeo non ordine modo, ſed et numero epiſtolarum, omiſſis etiam duabus ad *Rufum et Anyſium epiſcopos Theſſalonicenſes.* Binii notae vbique inculcatae ſunt, ad II. vero, III. et XXIII. etiam Iacobi Sirmondi, tum quas ipſe editioni Conciliorum Galliae addiderat, tum poſthumae a Labbeo in Appendice ad Tom. II. vulgatae, nec non Gabrielis Albaſpinaei quaedam in tertiam adiectae ſunt. Miraberis fortaſſe, cum nihil a Couſtantio deſumſerit, quid ſit, quod Graecas tamen epiſtolas ex eo dare ipſiuſque annotationibus ſtipare maluerit. In Appendice pag. 1127. proponitur excerptum *de epiſtola Innocentii Papae ex Concilio Nicaeno* ex vetuſto codice Lucenſi iam pridem in *Supplem. P. Manſi.* T. I. p. 277. excuſum. Succedunt *Canones e nonnullis Innocentii epiſtolis collecti et in epitomen redacti* cum praeuia *in eandem epitomen diſſertatione.*

1772.

Venetiis ex typogr. Io. Bapt. Albritii. fol. S. Innocentii I. Papae Epiſtolae: quibus nonnullae intextae ad eundem Pontificem miſſae. Ex editione V. C. *Petri Couſtant.*; in *Biblioth. PP. et SS. Vet. Eccleſ. Andreae Gallandii Tomo* VIII. *pagg.* 545—612. In *Prolegg. caput XVIII.* de Innocentio tractat.

1785.

Matriti apud Ioachimum Ibarra. 4. Innocentii Epiſtola ad Epiſcopos in ſynodo Toletana; in *Summa Conciliorum Hiſpaniae Matthiae de Villanuño T.* I. *pagg.* 159—168. cum notis eiuſdem.

1789.

Pariſiis ſumtibus Petri Didot, filii primogeniti. fol. Innocentii I. Papae epiſtolae 1) ad Victricium Epiſco-

Epiſcopum Rotomagenſem. 2) ad Exuperium Epiſcopum Toloſanum, ex recenſione et cum notis et praeuiis Obſeruationibus *Petri Couſtantii;* in *Collectione Conciliorum Galliae, tam editorum, quam ineditorum*, quam modo inchoarunt *PP. Benedictini e Congreg. S. Mauri*, *Tomo* I. *pagg.* 303—322.

Sunt eaedem, quas vna cum tertia *ad epiſcopos Synodi Toletanae* inſeruerat quondam Galliae Conciliis Iac. Sirmondus. Conſultius autem actum eſt a Patribus Maurinis, quod minime Couſtantii copias repudiauerint. Omiſerunt etiam tertiam epiſtolam, non improbantes Sirmondi conſilium, qui integram proferre poterat, quae ad ipſius aetatem vſque mutila tantum noſcebatur, ſed ob id ipſum ſcilicet, quod nunc non amplius opus eſſet, quod tum res poſtulare videretur.

12.

Zosimvs Ep. Rom.

Zoſimus natione Graecus ſedere coepit die XVIII. §. 1. Vita.
eiuſdem menſis, quo Innocentius deceſſerat, et breve epiſcopatus ſui tempus multis non tam rebus geſtis quam conatibus illuſtrem ſeu famoſum potius reddidit. Ex quibus primo loco ſeſe offerunt acta ſuper Coeleſtio et Pelagio. Vterque horum, alter praeſens, alter per epiſtolam epiſcopum Romanum ſollicitauerant, vt cauſam ſuam inique ab Africanis patribus iudicatam retractaret, eoſque nihil orthodoxae fidei contrarium ſentire cognoſceret. Vterque etiam libellum fidei exhibuit, in quo, niſi forte quaedam captioſe poſita vel praetermiſſa erant, nihil a catholica regula alienum et recedens reperiebatur. Imprimis autem Coeleſtius ſtrenue querelas ſuas tam contra accuſatorem ſuum, Paulinum Diaconum, quem

quem calumniae et malarum artium inſimulabat, quam iudices, a quibus praepoſtero iudicio damnatum ſeſe querebatur et iam pridem ad Innocentium prouocaſſe affirmabat, coram Zoſimo perſequi coepit, iſque tantum eis detulit, vt ſolemnem eius cauſa in S. Clementis Baſilica conſeſſum haberet, in quo diſcuſſis actis ſuperioribus, lectoque libello Coeleſtii, cum praeſens ad ſingula interrogatus fidem de omnibus feciſſe viſus eſſet, illico abſolutus eſt. Africani vehementem a Zoſimo increpationem tulerunt, datumque iis duorum menſium ſpatium, intra quod praeſentem aliter ſentire redarguerent, Paulinus vero ad accuſationis ſuae cauſam defendendam Romam venire iuſſus eſt. Dici autem vix poteſt, quam plenae fuerint Zoſimi litterae, praeſertim illae, quibus Pelagii libellum publice lectum ac probatum eſſe ſignificabat, gaudio et gratulatione de patefacta coram omnibus damnatorum innocentia et plene purgata calumnia. Verumtamen hanc animi affectionem repente mutauit Honorii edictum *datum Rauennae pridie Kal. Maias Honorio XII. Theodoſio VIII. Coſſ.*, adeo, vt idem Zoſimus, qui nihil non fecerat, quo ſolemniorem Coeleſtii et Pelagii abſolutionem redderet, iam ad damnandos eos feſtinaret, operamque daret, vt omnibus per Orbem terrarum epiſcopis damnatio illa innoteſceret, immo, vt omnes ſuo ſuffragio quaſi reſonare eam facerent. Ita ſaltem et haec, quae non ſua ſponte faciebat, auctoritate ſedis Romanae peragi videbantur, cuius ſi non diſertus, aſſiduus tamen praeco fuit. Hoc nomine etiam Patrocli Arelatenſis epiſcopi, hominis famae quam maxime ancipitis, ſed cui Conſtantius, magiſter militum, poſtea Auguſtus, fauebat, cauſam contra Proculum Maſſilienſem, Hilarium Narbonenſem, et Simplicium Viennenſem epiſcopos iurium

ſuorum

ſuorum defenſores ſuſcepit, eique ſuopte arbitrio ius metropolitae in Viennenſi etiam et duabus Narbonenſibus prouinciis tribuit, iactans antiquam conſuetudinem, quae nulla vnquam fuerat, et ſtatuta patrum, et reuerentiam Trophimo neſcio cui, quem Sancti titulo decorabat, debitam, vtpote qui primus metropolitanus Arelatenſis ciuitatis e ſede Romana olim tranſmiſſus fuiſſet. Et cum eadem res iam ante plures annos in ſynodo quadam Taurinenſi diſceptata et pacis et concordiae ſeruandae cauſa ad ſingulorum placitum quodammodo compoſita videretur, vehementer hinc increpauit Proculum, *qui hac praeſumtione a ſynodo longe aliud agente in Apoſtolicae ſedis iniuriam ſubripiendum putaſſet, vt ſibi concilii illius emendicata praeſtaret, obreptio ordinandorum ſacerdotum, veluti metropolitano in Narbonenſi ſecunda poteſtatem.* Quid? quod eundem ſpreta Zoſimi vſurpatione ius ſibi tributum exercentem deponere clerumque ac plebem Maſſilienſem hortari auſus eſt, vt Patrocli nutui et conſilio obtemperarent ab eoque nouum epiſcopum acciperent. Maſſilienſes tamen adhortatoriae eius non modo non paruerunt, ſed Proculo ne minimum quidem de beneuolentia et exiſtimatione tum apud ſuos tum exteros hac Romani epiſcopi offenſione et damnatione, quam ad diuerſas terras direxiſſe profitetur, detractum fuit, ſedemque ſuam ad obitum vſque tranquille tenuit, ſanctitatis nomine etiam ab Hieronymo laudatus. Licet autem Hilarius Narbonenſis et Simplicius Viennenſis epiſcopi Zoſimo ceſſiſſent, non vbique tamen clerus earum prouinciarum in illius ſententia acquieuit, vt ex Bonifacii ſucceſſoris Zoſimi actis diſcimus. Enimuero non ſic affectus erat Zoſimus, vt ſi quid ipſi irritum cecidiſſet, ab animo iſto damnationis auido deſiſteret; immo morti fere propinquus

pinquus nouum nec diſſimile cum Africanis epiſcopis ſuper appellationibus ad ſedem Romanam certamen occepit. Occaſionem praebuit presbyter quidam Siccenſis, Apiarius nomine, ab epiſcopo ſuo Vrbano ob multa et grauia crimina excommunicatus, a Zoſimo autem, ad quem confugerat, non ſolum in communionem receptus, ſed etiam ſpe amiſſa recuperandi ſuſtentatus. Auſum hoc manifeſto legibus eccleſiaſticis, quales patres Concilii Nicaeni canone V. ſanxerant, repugnans, non ſine magna eccleſiarum Africanarum offenſa accidere poterat. Mox autem alio res ſpectare coepit. Quippe Zoſimus legatos a latere Carthaginem miſit et quaſi iudicis ſuperioris auctoritate, quam Romano epiſcopo in Canonibus Nicaenis conceſſam aut potius confirmatam iactitabat, Apiarium reſtitui iuſſit. Sed morte oppreſſus motus hinc exortos non reſciuit. Viuendi enim finem fecit d. XXVI. Decembris a. 418. anno vno, menſibus nouem et nouem diebus ſecundum Proſperum in Pontificatu exactis.

§. 2. Scripta. Quatuordecim *ſuperſunt* Zoſimi epiſtolae; ſcilicet I. *Ad vniuerſos Epiſcopos per Gallias et ſeptem prouincias conſtitutos*, ſcr. a. 417. ſicut et ſubſequentes ſex. II. *Ad Aurelium et vniuerſos Epiſcopos per Africam conſtitutos*, incipiens *Magnum pondus*. III. *Ad eoſdem*, inc. *Poſtquam a nobis Coeleſtius*. IV. *Ad Aurelium et vniuerſos Epiſcopos per Africam conſtitutos, vniuerſis Epiſcopis per Gallias et ſeptem prouincias, vniuerſis Epiſcopis per Hiſpaniam conſtitutis, a pari* *). V. *Ad Epiſcopos prouinciae Vien-*

*) Interpretatur haec verba, in Zoſimi epiſtolis primum, in ſequentium pontificum literis frequenter occurrentia, quod plura paria ac ſimilia eiuſdem epiſtolae

Viennenſis et Narbonenſis ſecundae, *a pari.* VI. *Ad Hilarium Epiſcopum Narbonenſis primae provinciae.* VII. *Ad Patroclum Epiſcopum Arelatenſem.* VIII. *Ad Heſychium Epiſcopum Salonitanum.* a. 418. IX. *Ad Patroclum Epiſcopum Arelatenſem.* X. *Ad Clerum*, *Ordinem et plebem conſiſtentem Maſſiliae.* XI. *Ad Aurelium et ceteros qui in Concilio Carthag. adfuerunt*, *epiſcopos.* XII. *Epiſtola ſeu Commonitorium ad presbyteros et diaconos ſuos Ravennae* (negotiorum Eccleſiae curandorum cauſa) *conſtitutos.* XIII. *Commonitorium* ſeu potius *Fragmentum Commonitorii ad Fauſtinum epiſcopum et Philippum et Aſellum presbyteros*, *legatos ſuos.* XIV. *Ad Epiſcopos per Byzacium conſtitutos.*

Inter *deperditas* tres quatuorue eiuſdem praeſulis epiſtolas celebris maxime eſt *Tractoria* illa, quae Pelagium et Coeleſtium damnat, *per totum Orbem*, vt Mercator inquit, *miſſa*, cuius nonniſi paucula *fragmenta* ſuperſunt.

Duae Zoſimi epiſtolae in Dionyſiana et reliquis Decretorum collectionibus ſeruatae cum iiſdem et ex iis ſaepius ſunt editae. *Vndecim* deinde *Baronius* partim ex Vaticano, partim ex Arelatenſi codice in lucem emiſit. Numerus mox auctus eſt *vna*, quae in codice monaſterii Weingartenſis reperta fuit a *Binio.* Has denique *Couſtantius* codicum MSS. et doctrinae vberrimae ſubſidio ita formauit, vt merito eum ſolum repraeſentandum duxerit *Gallandius.* Singula ex indice ſequenti accuratius noſcantur. §. 3. Editiones.

Saec.

epiſtolae exempla ſeorſum ſingulis ſeu prouinciis aut eccleſiis ſeu viris in inſcriptione praenominatis tradenda fuerint.

Saec. XVI.

1525.

Moguntiae. fol. Decreta Zoſimi Papae I—IV. (quibus *duae* epiſtolae ad Heſychium et ad presbyteros Ravennae conſtitutos comprehenduntur;) in prima ed. *Collectionis Canon. Dionyſianae. Cf. Innocentius.*

1530.

Coloniae. fol. Decreta Zoſimi pape (totidem,) in *Merlini Conciliis Tomo* I. *fol.* CLXXXII.

1535.

Pariſiis. 8. Eadem; in *eadem Collectione T.* I. *fol.* CXCV. VI.

1538.

Coloniae. fol. Decreta Zoſimi, in *Conciliis Petri Crabbe T.* I. *fol.* CCLXXXVIII—IX. Subiicitur Decretum einſdem ex Gratiano deſumptum, *quod Apoſtolicae ſedis authoritas contra ſanctorum ſtatuta aliquid condere non valeat.*

1591.

Romae. fol. Zoſimi epiſtolas in Magna *Collectione Epiſtolarum Pontificiarum Card. Antonii Carafae* locum obtinere nullus dubito, ſed quot qualeſue ignorare me fateor. Binius eam non allegat. Baronius ſemel, dum Epiſtolam ad Heſychium citat. Inde colligo, ineſſe non plures, quam duas ſuperioribus editionibus euulgatas.

1597.

Romae. fol. Zoſimi papae epiſtolae XII; in *Baronii Annalibus Tomo V.* I. *ad Africanos de Coeleſtio.* II. *Ad eoſdem ſuper Pelagio.* III. *Ad*

vniuer-

vniuerſos Epiſcopos per Gallias et ſeptem prouincias conſtitutos. IV. *Ad vniuerſos Epiſcopos Africae, Galliarum et Hiſpaniae.* V. *ad Epiſcopos prouinciae Viennenſis et Narbonenſis ſecundae.* VI. *ad Hilarium Narbonenſem.* VII. *ad Patroclum.* VIII, *ad Simplicium Viennenſem:* ad a. 417. I. num. 19. II. 25. (ex Cod. Vat.) III. 41. IV. 44. V. 49. VI. 50. VII. 52. (ex Cod. Arelat.) VIII. *ibidem* (ex Bibl. Floriacenſi ed. a Io. Coeleſtino). IX. *ad Aurelium.* X. *ad Patroclum* altera incipiens *Cum et in praeſenti cognoueris* etc. XI. *ad clerum et plebem Maſſilienſem:* a. 418. n. 4. et 5. (ex cod. Vat.) n. 40. 41. (ex Cod. Arelat.) XII. *Commonitorium ad Fauſtinum et Presbyteros Philippum et Aſellum;* ad a. 419. a. I. Bonifacii. De ed. Annalium Baronii vide quae ſupra in Innocentio diſputata ſunt. Continentur haec *Tomo* V. ed. *Rom. et Colon.* et VII. *Manſianae.*

SAEC. XVII.

1606.

Coloniae Agr. fol. Vita, Epiſtolae et Decreta Zoſimi cum notis *Seu. Binii* in *Conciliis* eiuſd. *Tomo* I. *pagg.* 605—612.

Inſunt Epiſtolae XII. nempe *duae* (priores) ex ſuperioribus editionibus, et *decem* ex Baronio, eodem quo antea indicauimus ordine. Deſunt autem, quae ibi fuerat *octaua*, *ad Simplicium*, et *duodecima*, *ad Fauſtinum.* Poſteriorem non aduertiſſe videtur Binius, cum longius a ceteris abſit ſub Bonifacio. Denique monebo, me *epiſtolam ad Epiſcopos per Byzacium conſtitutos*, quam primum Binium produxiſſe ſignificat Couſtantius, inter has reperire non potuiſſe.

1609.

Lutetiae Pariſiorum 8. Decreta Zoſimi cum vita eiuſd ex Platina; in *Codice Canonum Vet. Eccleſiae Romanae pagg.* 386—92. Ex ed. Wendelſtini.

1629.

Pariſiis. fol. Zoſimi Papae epiſtolae; in *Conciliis Galliae Iacobi Sirmondi. Tomo* I. Inſunt eaedem epiſtolae, quas ex Codice Arelatenſi vulgauit Baronius. Ipſe autem, vt ex notis eius apud Manſium diſcimus, MS. hoc exemplar, vt et aliud Lirinenſe et tertium Pithoeanum, euoluit.

1644.

Pariſiis ex Typogr. Regia. fol. Vita, Epiſtolae et Decreta Zoſimi Papae; in *Collectione Regia Conciliorum Tomo* IV. *pagg.* 389—418. Sequitur haec editio per omnia Binium, niſi quod notae eius, praeter illas, quas vitae ſubiunxit, omiſſae ſint. Acceſſit vero *Epiſtola num.* XIII. *ad Epiſcopos per Byzantium* (ſic) *conſtitutos*, de qua ſupra mentio eſt facta.

1661.

Lutetiae Pariſiorum. fol. Decreta Zoſimi Papae; in *codice Dionyſii Exigui* ed. in *Bibl. Iuris can. Voelli et Iuſtelli pagg.* 211. 12.

1671.

Lutetiae Pariſiorum. fol. Vita, Epiſtolae et Decreta Zoſimi Papae cum notis Seuerini Binii; in *Sacroſanctis Conciliis Phil. Labbei et Gabr. Coſſartii Tomo* II. *pagg.* 1554—76. Addita ſunt *Fragmenta Tractoriae* Zoſimi cum Obſeruatione Labbei et in Appendice notae poſtumae Iac. Sirmondi.

1673.

1673.

Pariſiis. fol. Zoſimi epiſtolae II. ad Aurelium et Epiſcopos per Africam conſtitutos et III. ad Aurelium et ceteros Epiſcopos, qui in Concilio Carthag. adfuerant: apud *Garnerium* et *M. Mercatorem* in *Diſſ.* II. ad *Tomum* I. *de Synodis in Cauſa Pelag. habitis, Synodo nona et vndecima. pagg.* 202—204. et 209. Notae Garnerii ad priores duas contra Capellum diriguntur, qui eas adulterinas dixerat.

1687.

Pariſiis ex Typogr. Regia. fol. Decreta Zoſimi; apud *Dionyſium Exiguum in ed. Franc. Pithoei* h. a. recuſa *pagg.* 213—15.

1690.

Pariſiis. fol. Zoſimi epiſtolae III. ad Epiſcopos Africanos in cauſa Coeleſtii et Pelagii; inter *varia monumenta ad hiſt. Pelag. ſpectantia P. II. Appendicis* ad Tomum X. *Operum Auguſtini* ed. *Benedictinorum.* iuxta ex. Antverpienſe (1700). *pagg.* 66—68. et 70.

SAEC. XVIII.

1715.

Pariſiis ex Typogr. Regia. fol. Decreta Zoſimi Papae (ex Dionyſii et Iſidori collectionibus MSS. Bibl. Collegii Soc. Ieſu Pariſ.); in *Harduini* Conciliis *T.* I. *pagg.* 1233—36.

1721.

Pariſiis. fol. Zoſimi Epiſtolae et Decreta; inter *Epiſtolas Pontiff. Rom.* curante *Petro Couſtantio T.* I. *pagg.* 934—1006.

Couſtantius XIV. praebet epiſtolas eodem ordine ac ſupra a nobis ſunt recitatae. Fragmenta aliarum et imprimis Tractoriae praebet *Notitia* ſubiuncta *Scriptorum non exſtantium, quae ad Zoſimum papam attinent.* Praeterea inſertae ſunt inter VII. et VIII. *Libellus Paulini*, de quo nos infra, inter XI. et XII. *Honorii conſtitutio ad Agricolam praefectum de concilio VII. prouinciarum ſingulis annis Arelate habendo.* De notis editoris nihil dicere attinet, quandoquidem earum praeſtantiam nemo non agnoſcit. Adhibuit plures MSS. codices, ex quibus inſigniores quoſdam iam ad Innocentium laudauimus.

1760.

Florentiae. fol. Vita, Epiſtolae et Decreta Zoſimi Papae; in *Ampliſſima Conciliorum Collectione ed. Io. Dom. Manſi, Tomo IV. pagg.* 348—372.

Labbeum ſequitur editor. Inde eſt quod praeter Binii notas, etiam Sirmondi, tum quas ſtatim ad Concilia Galliae ediderat, tum poſtumas et Phil. Labbei pauculas adiunxerit. Paſſim etiam Manſius ex Harduino et Couſtantio Variantes aliquot lectiones enotauit.

1773.

Venetiis. fol. S. Zoſimi Papae epiſtolae: quibus intexitur Honorii Imp. Conſtitutio ad Agricolam Praefectum. Ex editione Petri Couſtantii V. C.; in *Bibl. PP. et SS. Eccl. Vet. Andreae Gallandii Tomo IX. pagg.* 1—20. De Zoſimo diſquiritur *capite* I. *Prolegomenorum pagg.* I—V.

1789.

Pariſiis apud Petr. Didot. fol. Zozimi papae epiſtolae cum decretis et decretorum titulis vti a Sirmondo compoſiti fuerant et Admonitione in eaſdem

nec

nec non notulis ex Couſtantio ſelectis; in nouiſſima *Collectione Concilior. Galliae. T. I. pagg.* 332—350.

13.

Severvs Minoricensis Episcopvs.

Huius Seueri temporibus Minoricae Hiſpaniarum inſula magna contigit Iudaeorum, qui frequentes in ea conſederant, ad fidem chriſtianam conuerſio, praeeunte imprimis quodam Theodoro, opibus et dignitate inter ſectae iſtius homines omninoque in Magone oppido inſulae eminente. Cauſam huius tam ſubiti ardoris vulgi opinio eiuſque interpres Seuerus tribuebat reliquiis S. Stephani Martyris, quas Oroſius ex Oriente redux in eccleſia oppidi illius collocarat, cum antea ipſi conſtitutum fuiſſet, ad Hiſpanias eas portare. Quodſi verum fuit, ſancti illius oſſa cauſa facta ſunt conſeruatae Seueri, obſcuri alias hominis, memoriae. §. 1. Vita.

Scripſit enim hac de re *Epiſtolam ad omnes orbis terrarum Epiſcopos, Presbyteros et Diaconos*, ſignatam *poſt conſulatum Honorii XI. et Conſtantii II.* (reuera Coſſ. Honorio XII. et Theodoſio VII.) i. e. anno 418. quae hodie ſupereſt. §. 2. Scripta.

Vulgauit eam primus e ſchedis Vaticanis erutam Baronius in Annalibus ad annum 418. n. XLIX. ſeqq. (in *ed. Manſ.* num. XLIV—LXXII. T. VII. *pagg.* 140—148.) Exinde *Benedictini* Operum *Auguſtini editores* inſeruerunt *Appendici Tomi* VII. *col.* 15. (*ed. Antverp. col.* 11—18.) hoc titulo: *Seueri epiſtola ad omnem Eccleſiam de virtutibus in Minoricenſi inſula factis per reliquias ſancti Stephani Martyris.* §. 3. Editiones.

14.

Hesychius Salonitanus.

In Dalmatia epiſcopus non confundendus cum Heſychio Hieroſolymitano, claro Scripturarum interprete, qui a. 433. deceſſit. Cum Auguſtino et Ioanni Chryſoſtomo epiſtolarum habuit commercium, cuius nunc etiam reliquiae ſunt teſtes vtriuſque epiſtolae. Etiam Zoſimi Papae epiſtola ad eum fertur Honorio XII. et Theodoſio VIII. Coſſ. Obiit ante annum 429. ſiquidem Auguſtinus in opere de Ciuitate Dei Lib. XX. c. 5. eius tanquam defuncti meminit. Supereſt ipſius *Epiſtola* vna *ad Auguſtinum*, quae inter huius epiſtolas vulgari conſueuit, in *ed. Louanienſi* num. LXXIX. in *Benedictina* vero num. CXCVIII. Auguſtini epiſtolae ibidem inueniuntur iuxta poſitae, in *Louan.* quidem num. LXXVIII. et LXXX. in *Bened.* num. CXCVII. et CXCIX.

15.

Bonifacius I. Ep. Rom.

§ 1. Vita. Patria Romanus et prouectae iam aetatis presbyter cum epiſcopatus huius honorem, quamquam non ſine aemulo, adipiſceretur. Antequam enim, altero ſcilicet poſt exſequias Zoſimo perſolutas die, h. e. XXVIII. Decembris a. 418. a plebe et presbyteris in eccleſiam Theodorae conuenientibus eligeretur et ſequenti die in eccleſia S. Marcelli epiſcopus conſecraretur, ipſo exſequiarum Zoſimi die ab alia factione Eulalius archidiaconus in baſilica Lateranenſi ordinatus erat, cui Praefectus Vrbi Symmachus adeo fauebat, vt Imperatorem etiam facili negotio in partes eius deduceret. Sed cum Honorius ſupplicationi aſſeclarum Bonifacii tantum tribuiſſet, vt tota

tota cauſa coram epiſcopis recognoſceretur, nec vero cum pertinaci partium altercatione finiri ea potuiſſet, ſed ad ſeditionem animi ſpectare viderentur, ſimul Paſchae feſtum inſtaret, quo epiſcopi ad eccleſias ſuas praeſto eſſe debebant, vterque donec res deciſa foret, imperiali edicto ex vrbe decedere iuſſus eſt. Tum vero Eulalius impatientia ſua rem perdidit. Vrbem enim ingreſſus pro damnato haberi meruit, Bonifacio autem epiſcopatus ceſſit. Afri interim epiſcopi ad Bonifacium litteras miſerunt, quibus profiterentur, ſe paratos eſſe, ea, quae ſuper appellationibus epiſcoporum ad Romanae ſedis ſacerdotem a Zoſimo legatis ſuis mandata eſſent, pauliſper ſeruare vſque ad inquiſitionem ſtatutorum Nicaeni Concilii. Idem iam praedeceſſori eius per litteras, quas ille fortaſſe non amplius recepit, ſignificaſſe ſe monent et ab ipſo poſcunt, vt eorum cauſa ad Antiochenam, Conſtantinopolitanam et Alexandrinam vel etiam alias eccleſias ſcribat et quemadmodum ea apud Nicaeam acta vel conſtituta eſſent, ſic ab ipſis faciat cuſtodiri *). Ac ſane Antonii Fuſſalenſis epiſcopi pariter ab Africanis damnati et ad Bonifacium prouocantis cauſa exemplum ſeruatae huius profeſſionis praebet, in qua ipſe tamen Pontifex Romanus nec ab aequitate nec a moderatione alienum ſe oſtendit. Peculiaris quippe haec Bonifacii laus eſt, quod nullo partium fauore regi ſe paſſus ſit, nulla in eo fuerit, niſi legum eccleſiaſticarum ſeruandarum affectatio.

*) Fatendum eſt litteras epiſcoporum Africanorum ſtilo tam perplexo et diſtorto eſſe exaratas, vt paſſim, imprimis autem §§. IV. et V. ſenſum plane contrarium verba fundere videantur ab eo, quem manifeſta tota ſententiarum ſerie exprimere volebant.

ſectatio. Qua de cauſſa ipſum praedeceſſoris ſui iudicium inter Arelatenſem et Narbonenſem epiſcopum ſuſtulit et Lutubenſis in Narbonenſi I. prouincia eccleſiae precibus conceſſit, vt abrogato Patrocli privilegio, Hilario ius a Zoſimo ablatum reſtitueretur. Ceterum parum abfuit, quin ſub hoc pontifice ſedi Romanae iura in Illyricum eriperentur et in epiſcopum Conſtantinopolitanum transferrentur. Sed Honorio intercedente Theodoſius conſtitutionem ſuper nouo hoc Conſtantinopolitani epiſcopi iure, ſupplicantium, vt aiebat, epiſcoporum per Illyricum precibus ſibi ſubreptam, rurſus abrogauit et Romanae ſedis priuilegia illaeſa ſeruari iuſſit. Obiit Bonifacius a. 422. IV. Septembris.

§. 2. Scripta. Ex pluribus, quas Bonifacius ſcripſit, *epiſtolis* hodie reliquae ſunt I. *Ad epiſcopos per Gallias et ſeptem prouincias conſtitutos*, ſcr. a. 419. II. et III. *Ad Rufum Theſſalonicenſem*, ſcr. eodem anno. IV. *Supplicatio ad Honorium Auguſtum*, ſcr. a. 420. V. *Ad Hilarium Epiſcopum Narbonenſem* ſcr. a. 422. VI. *Ad Rufum Epiſcopum Theſſalonicenſem Commonitorium*, ſcr. eodem anno. VII. *Ad vniverſos epiſcopos per Theſſaliam conſtitutos*, ſcr. eodem anno. VIII. *Ad Rufum ceteroſque per Macedoniam, Achaiam, Theſſaliam, Epirum veterem et nouum, Praeualin et Daciam conſtitutos*, ſcr. eodem anno. *Deperditarum indicem* Couſtantius fecit.

§. 3. Editiones. Epiſtolas I. IV. et V. ſeruant collectiones decretorum Dionyſii Exigui, Hadrianea, Hiſpana, Queſnelliana et Iſidoriana, nec ſolum cum iis ipſis, ſed ex iis etiam in variis Conciliorum et Epiſtolarum Pontiff. editionibus vulgatae ſunt. Reliquas ex ſchedis Vaticanis eruit Holſtenius. Lucem viderunt

a. 1661.

a. 1661. Ab eo primus omnium collectionem inſtituit praeclare emendatam et illuſtratam *Petrus Couſtantius*, quem nuper exprimendum dedit in Bibl. PP. *Andreas Gallandius*. Sed ſingula propius ſpectare iuuabit.

SAEC. XVI.

1525.

Moguntiae. fol. Decreta Papae Bonifacii I. numero IV. (epiſtolae III. quibus inſertum *num.* II. *Reſcriptum Honorii ad Bonifacium;*) in ed. *Wendelſtiniana Dionyſii Exigui.*

1530.

Coloniae. fol. Decreta Bonifacii papae (eadem;) in *Merlini Collectione Concil. T.* I. *fol.* CLXXXIII.

1535.

Pariſiis. 8. Decreta Bonifacii, *vt in praecedenti;* in ead. Collectione *T.* I. *fol.* CXCVI. VII.

1538.

Coloniae. fol. Decreta Bonifacii; in *Collectione Conc.* ed. *Petro Crabbe. T.* I. *fol.* CCXC – II. Subiiciuntur decreta V. quae non habentur in prioribus.

1591.

Romae. fol. Bonifacii epiſtolae; inter *Epiſtolas Pontiff. Rom. ed. Ant. Card. Carafae.* Haud dubie eaedem inſunt, quae in ſuperioribus erant vulgatae. Vide *Zoſimum.*

1597.

Romae. fol. Bonifacii epiſtola ad *Honorium Aug.* ad a. 419. ſed quae pertinet ad a. 420. vt pri-

dem Pagius monuit; in *Tomo V. Annalium Baronii* ed. Rom. et Colon. 1624. *Tomo VII.* autem *Manſianae.*

SAEC. XVII.

1606.

Coloniae Agr. fol. Vita, Epiſtolae et Decreta Bonifacii Papae primi, cum Notis Binii; in *Conciliis* eiuſd. *T. I. pagg.* 613—15. Ex ed. Crabbeana.

1609.

Lutetiae Pariſiorum. 8. Decreta Bonifacii Papae; in *Codice Can. eccl. vet. Rom. pagg.* 392—402. *cf. Innocentius.* Praecedit *Auguſtini epiſtola,* qua Bonifacio nuncupat quatuor libros in duas epiſtolas Pelagianorum.

1629.

Pariſiis. fol. Bonifacii Epiſtolae I. *ad Epiſcopos Galliae.* II. *ad Hilarium Narbonenſem;* in *Sirmondi Conciliis Galliae T.* I.

1644.

Pariſiis ex Typogr. Regia. fol. Vita, Epiſtolae et Decreta Bonifacii Papae I; in *Collectione Regia Concilior. Tomo IV. pagg.* 421—33. recuſa ex Biniana.

1661.

Lutetiae Pariſiorum. fol. Decreta Bonifacii Papae, apud Dionyſium Exiguum in *Bibl. Iuris Can. Voëlli et Iuſtelli pagg.* 213—15.

1662.

Romae typis Iac. Dragondelli. 8. Bonifacii Epiſtolae I. II. III. ad Ruſum Theſſ. IV. *ad univerſos*

verſos Epiſcopos per Theſſaliam conſtitutos. V. *Ad Rufum et ceteros Epiſcopos per Macedoniam* etc. *conſtitutos:* editae primum vna cum *Honorii Epiſtola ad Theodoſium* et *Reſcripto Theodoſii ad Honorium* inter *Acta Synodi Romanae ſub Bonifacio* II. in *Lucae Holſtenii Collectione Rom. Bipartita. P.* I. *pagg.* 51—83.

1671.

Lutetiae Pariſiorum. fol. Vita, Epiſtolae et Decreta Bonifacii cum notis *Seu. Binii;* in *Philippi Labbei* et *Gabriel Coſſartii* ed. *Conciliorum T.* II. *pagg.* 1580—86. In Appendice editae ſunt notae aliquot poſtumae Iac. Sirmondi.

1687.

Pariſiis ex typogr. Regia. fol. Decreta Bonifacii Papae; in Codice Dionyſii Exigui, ed. *Franc. Pithoei* recuſae. *pagg.* 215—19.

Saec. XVIII.

1715.

Pariſiis ex Typogr. Regia. fol. Decreta Bonifacii; in *Harduini Conciliis T.* I. *pagg.* 1237—40. Cf. *Zoſimus.*

1721.

Pariſiis. fol. S. Bonifacii Papae I. Epiſtolae et Decreta; in *Conſtantii Epiſtolis Pontiff. Rom. T.* I. *pagg.* 1005—1051.

Epiſtolae ſunt VIII. quas ſupra indicauimus. Simul autem exhibentur I. *Exemplum precum presbyterorum Romanorum pro Bonifacio ſcr. ante medium Ianuarii* a. 419. II. *Epiſtola Concilii Africani ad Bonifacium,* ſcr. a. 419. Maii die 31. III. *Auguſtini*

ſtini Epiſtola ad eundem ſcr. a. 420. IV. *Reſcriptum Honorii ad Bonifacium.* V. *Theodoſii Epiſtola ad Philippum Praef. Praet. Illyrici.* VI. *Honorii Epiſtola ad Theodoſium.* VII. *Theodoſii Reſcriptum ad Honorium.* Priores duo ipſis Bonifacii literis praemittuntur, tertia inter III. et IV. quarta inter IV. et V. reliquae tres inter V. et VI. locum obtinent. *Notitia ſcriptorum non exſtantium, quae ad Bonifacium I. attinent*, ſolita diligentia conſcripta eſt.

1760.

Florentiae. fol. Vita, Epiſtolae et Decreta Bonifacii Papae I.; in *Concilior. Coll. Ampliſſ. Io. Dom. Manſi, Tomo* IV. *pagg.* 387—400.

Eduntur epiſtolae illae III. quae apud Binium extant, cum notis eiuſdem, vt et Iac. Sirmondi poſtumis. Sed inſertae ſunt ex Couſtantio I. *Presbyterorum Rom. preces pro Bonifacio ad Honorium* et II. *Reſcriptum Honorii ad Bonifacium;* nec non ex *Supplem. P. Manſi* initium Epiſtolae ad *Iuſtum Dorobernenſem.*

1773.

Venetiis. fol. S. Bonifacii Papae I. Epiſtolae: quibus aliorum nonnullae intextae. Ex editione *Petri Couſtantii* V. C. in *Bibl. PP. Andreae Gallandii T.* IX. *pagg.* 43—60. Ad Bonifacium pertinet *Caput III. Prolegg. pag.* VIII.

1789.

Pariſiis per Petr. Didot. fol. Bonifacii Papae epiſtolae II. ad epiſcopos Galliae et Hilarium Narbonenſem, cum Obſeruationibus praeuiis et notulis ex Couſtantio ſelectis; in *Collectione Concil. Galliae* ſtudio *PP. Congreg. S. Mauri T.* I. *pagg.* 368—74.

16.

Marivs Mercator.

Quaecunque de patria, loco, conditione et accuratiore aetatis definitione viri, cuius nomen vix exeunte ſaeculo ſuperiore reuiuiſcere coepit, diſputari ſolent, coniecturis innituntur, haud quidem improbabilibus, nec tamen ab omni controuerſia liberis. Garnerius enim e Campania, vel Apulia, vel ex ea parte Italiae, quae ad Siciliam vergit, oriundum eum credidit: non alia de cauſa, quam quod Coeleſtii et Iuliani, quorum primum Campanum, alium Apulum, fuiſſe contendit, res domeſticas priuataſque ita nouerit, quemadmodum vix alteri liceat, quam qui fuerit eiuſdem aut ciuitatis aut ſaltem prouinciae. Gerberonius contra, qui eodem tempore inſignem ſcriptorum eius partem tractauit, tum ex ſtilo eius duriori, tum quod acta Eccleſiae Africanae apprime nouerit, eorumque exemplaria apud ſe tenuerit, tum etiam, quod S. Auguſtini ſtudioſiſſimus fuerit et ſtrenuus Gratiae Chriſti et illius oeconomiae defenſor, Africanum eſſe iudicauit, atque eandem ſibi arridere ſententiam ſignificauit Baluzius, infringens Garnerii argumentum Hieronymi maxime exemplo, qui, licet ipſe Stridonienſis aut Dalmata fuiſſet, Pauli patria Thebani et Hilarionis Palaeſtini vitam ſic deſcripſerit tanquam ſui eſſent, et Vigilantii hominis Galli ortum et natalia ſic nouerit, ac ſi eiuſdem cum illo ciuitatis et prouinciae fuiſſet. Ipſe autem nouum ſuae cauſae argumentum reperire ſibi viſus eſt in eo, quod Facundus Hermianenſis epiſcopus eius verbis interdum vſus ſit in compoſitione librorum ſuorum pro defenſione trium capitulorum. Illud vterque Garnerius et Gerberonius viderunt, eum nec Sacerdotem nec Epiſcopum, §. 1. Vita.

ſed

ſed Laicum hominem fuiſſe, quippe qui nullam alicuius dignitatis notam in ſuis operibus gerat, immo Pientii cuiuſdam Presbyteri mandatis parere ſe proteſtetur, nulla conſacerdotis vel fratris, ſed duntaxat *venerandi Presbyteri* ſalutatione praemiſſa. Floruiſſe Mercatorem ab anno circiter 418, cum Garnerio ſtatuit Baluzius, ſiquidem ad illum annum referenda eſſe videatur Epiſtola, quam ab Auguſtino accepit; at contra eundem cenſet, illum non ante annum 450. viuere aut ſcribere deſiiſſe. Nam cum Eutychianorum mentionem faciat, quorum nomen in Eccleſia ante tempora ſynodi Chalcedonenſis auditum non ſit, manifeſtum eſſe cogit, ſcripſiſſe eum aliquanto poſt 451, quo ſynodus illa habita eſt. Nec obſtare exiſtimat argumentum, quod Garnerius ab inſectatione Theodoreti Epiſcopi Cyrenſis petit, inferens, non facturum illud fuiſſe Mercatorem, ſi reſciuiſſet eum receptum a tanta Synodo poſt idoneam fidei ſuae profeſſionem, indeque colligens, eum non perueniſſe vſque ad tempora ſynodi Chalcedonenſis, aut certe nihil ex eo tempore ſcriptis mandaſſe, quod ad nos peruenerit. Quae contra arguit Baluzius, ex inſectatione Theodoreti modo illud confici poſſe, aut Mercatorem iſta aduerſus illum ſcripſiſſe, antequam Chalcedonenſis ſynodus haberetur, aut ſi poſtea ſcripſerit, tarde ad eum perueniſſe geſta ſynodi, adeoque non compertam ei fuiſſe illam Theodoreti ſuſceptionem.

Occepiſſe videtur velitationes ſuas contra Pelagianos Romae tempore Zoſimi Papae, cum diuerſis animorum motibus iſtorum ſententiae diſceptabantur. Roma etiam libros ſuos de eadem haereſi compoſitos in Africam miſiſſe, ibidemque Auguſtini literas recepiſſe putandus eſt. Dehinc, neſcio ſui ipſius animi inſtinctu, an Auguſtini conſilio, Con-

ſtantino-

ſtantinopolim petiit, prohibiturus, ne Iuliani et aſſeclarum eius, qui Roma depulſi huc ſe conuerterant, errores radices ibi agerent. Quod aſſecutus tradito a. 429. Theodoſio iuniori et Clero Conſtantinopolitano, Commonitorio, mox eodem feruore implicauit ſe liti a Cyrillo contra Neſtorium motae, colligendis ſimiliter, ac in priore cauſa fecerat, gravioribus tum haereticorum tum orthodoxorum per varia ſcripta pugnantibus dictis cum ſuis ipſius contra Neſtorium clamoribus, a quibus vix ante finem vitae deſtitiſſe videtur.

Quae hodie ſuperſunt Marii Mercatoris ſcripta, omnia ad refutandam haereſin Coeleſtianam et Neſtorianam tendunt. Sunt autem pleraque non tam proprio labore compoſita, quam ex Graecis Latina facta, collecta et excerpta ex ſcriptis tum aduerſariorum, tum eorum, qui eos oppugnaſſent, veluti inſtrumenta quaedam cauſae, quibus lectores, quae rectae fidei eſſent, edocerentur et ad iudicium de praue ſentientium impietate ferendum informarentur. Dabimus elenchum eorum iuxta editionem Baluzii, qui Codicis Vaticani ſeriem ſequitur. §. 2. Scripta.

1) *Commonitorium aduerſus haereſim Pelagii et Coeleſtii, vel etiam ſcripta Iuliani.* Pleno titulo inſcribitur: *Commonitorium lectori — a Mario Mercatore Seruo Chriſti.* Continet excerpta ex ſcriptis Iuliani ſubiunctis vbique ſuis ipſius reſponſionibus ſeu *Subnotationibus.* Scr. iudice Garnerio a. 431. Idem vero Garnerius titulum huic operi fecit, *Liber Subnotationum ad Pientium Presbyterum,* quem duabus partibus conſtare exiſtimat, altera, quae praefationis loco ſit, nomine *Commonitorii,* altera, qua ipſum opus comprehendatur, titulo *Subnotationum ad verba Iuliani:*

liani: Haec porro diſpertitus eſt Garnerius in *nouem capita, octo* nempe iuxta excerpta, quae ex Iuliani libris examinanda Mercator ſibi propoſuerit: totidem enim numerat, ſecus ac Baluzius, qui ſeptem tantum excerpta diſtincte ponit, et ſexto complectitur, quae apud Garnerium caput VI. et VII. efficiunt; *nono* autem, quod incipit a verbis, *Habes vt credo*, pagina 30. ed. Baluz. *Retractationem quaeſtionis de morte per peccatum in mundum ingreſſa* contineri ſcribit. Inſuper verba Auguſtini ad ſingula verba Iuliani, quae Mercator non appoſuerat in notis, vbique produxit.

2) *Refutatio Symboli Theodori Mopſveſteni*, ſeu *Expoſitio prauae fidei Theodori* cum *praefatione Mercatoris.* Apud Garnerium legitur Tomo II. pagg. 250—53. *praefatio* autem dupliciter Tomo I. pag. 95. et Tomo II. l. l.

3) *Comparatio dogmatum Pauli Samoſateni et Neſtorii.*

4) *Sermones V. Neſtorii aduerſus Dei genitricem Mariam.*

5) *Neſtorii epiſtola ad Cyrillum Alexandrinum.*

6) *Cyrilli Alexandrini epiſtola ad Neſtorium.*

7) *Eiuſdem epiſtola ſecunda ad Neſtorium.*

8) *Eiuſdem epiſtola ad clericos ſuos.*

9) *Excerpta ex Codicibus Neſtorii.*

10) *Neſtorii Sermones IV. aduerſus haereſim Pelagianam.*

11) *Eiuſdem epiſtola ad Coeleſtium.*

12) *Mercatoris commonitorium ſuper nomine Coeleſtii.* Integer titulus: *Exemplum Commonitorii, quod ſuper nomine Coeleſtii Graeco ſermone a*

Merca-

Mercatore datum eſt, non ſolum Eccleſiae Conſtinopolitanae: ſed etiam plurimis religioſiſſimis viris; oblatum quoque piiſſimo Principi Theodoſio ſemper Auguſto; id ipſum ex Graeco in Latinum translatum per eundem Marium Mercatorem Chriſti ſeruum, in conſulatu Florentii et Dionyſii VV. CC. per quod Commonitorium cognito funeſtiſſimo errore, imperiali praecepto, tam Iulianus defenſor, et ſequax eius, cum ceteris ſociis et participibus ſuis, quam poſtea idem Coeleſtius, de Conſtantinopolitana vrbe detruſi in Synodo quoque Epheſienſi ducentorum ſeptuaginta quinque Epiſcoporum ſententia poſtmodum in praeſenti damnati ſunt. Annus per Conſules hic deſignatus eſt 429. quo primum oblatum fuit Theodoſio, ſerius autem, poſt celebratam a. 431. ſynodum Epheſinam, in Latinum conuerſum cenſent Garnerius et Noriſius.

13) *Neſtorii blaſphemiarum capitula, quibus literis ad ſe miſſis a ſanctis Coeleſtino Romae vrbis Epiſcopo, et Cyrillo Alexandrino contra dicit, et diſputationibus breuiſſimis reſpondendo, duodecim capitula fidei, quae ad ſe miſſa fuerant refellit*, latine conuerſa et ſub nomine *Catholici* a Mercatore refutata. Garnerius huic libro aſſignat initium anni 431.

14) *Synodus Epheſiana aduerſus Neſtorium* i. e. *Excerpta ex actis Synodi* huius, quae contra Neſtorium maxime facere viderentur. Garnerius ea plane omiſit, ſed compenſauit quodammodo accurata rerum Neſtorii per annos octo, ab ordinatione ſcilicet vſque ad deportationem eius, enarratione, ductaque ex eadem cum actionum omnium Concilii Epheſini, tum ſingularum eius partium

deſcriptione; in qua multa ſunt, quae perturbate in editionibus etiam optimis poſita eſſe ſtatuit et aliter collocari iubet, multo vero plura, quae deſint, non minus ad hoc concilium pertinentia, atque etiam magis neceſſaria, aſteriſcis notat.

15) *Cyrilli Alexandrini apologeticus aduerſus orientales.*

16) *Eiuſdem apologeticus aduerſus Theodoretum.*

17) *Fragmenta Theodoreti, Theodori, Diodori et Ibae.*

18) *Eutherii Tyanenſis fragmentum.*

19) *Neſtorii epiſtola ad Papam Coeleſtinum.*

20) *Epiſtola ſynodica Cyrilli ad Neſtorium.*

21) *Eiuſdem ſcholia de incarnatione vnigeniti.* Poſtremis hiſce actorum contra Neſtorianam haereſim collectionibus tribuit Garnerius a. 446.

Interciderunt, quemadmodum ex Auguſtino (ep. CXCIII.) diſcimus, Marii Mercatoris *libri contra Pelagianos.* Quodſi tamen Dupinium audiamus, etiamnunc ſuperſunt in libris *Hypognoſticon* Auguſtini *).

§. 3. Editiones. Ante Clementis X. tempora Marii Mercatoris nomen plane incognitum fuit. Nam etſi quaedam ex illius ſcriptis centum fere et quod excurrit ab ipſius exceſſu annis lecta fuiſſe Facundi Hermianenſis Epiſcopi et Pelagii II. exemplis conſtet, nemo tamen

*) *Dupin des aut. eccl. T.* III. *pag.* 256. Contraria ſenſit *Garnerius*, qui hancce ſuſpicionem velut naſcentem deſtruxit eoſdemque libros Sixto presbytero, Coeleſtini in Romana ſede ſucceſſori in peculiari diſſertatione *Cap.* VI. *Diſſ.* VI. ad *T.* I. *Opp. M. Mercatoris pagg.* 357—65. aſſertum iuit.

tamen veterum Opera Mercatoris citauit, et inter ſequiores ne nomen quidem ipſius auditum eſt. *Lucae Holſtenii* quippe hoc meritum fuit, vt, qui tot inſignia rei eccleſiaſticae monumenta ex Vaticanis clauſtris eduxiſſet, etiam hunc auctorem obliuione ſepultum et acta illius Pelagianarum et Neſtorianarum litium hiſtoriae tam proficua ex codice Palatino-Vaticano tantum non omnia erueret. De edendo autem non cogitaſſe videtur Holſtenius, nec forte omnia, quae in iſto codice continerentur, ad eundem auctorem ſeu interpretem pertinere credidit; attamen laetabundus, quae inde excerpſiſſet amicis ſuis oſtendit et cum iis fortaſſe communicauit. Ita ſane *Henricus Noriſius* in Hiſtoria Pelagiana narrat, Commonitorium Mercatoris ſuper nomine Coeleſtii Theodoſio oblatum ab Holſtenio oſtenſum fuiſſe ſe praeſente Chriſtiano Lupo. Ex quo neſcio quantum temporis effluxerit vſque dum eidem Noriſio opus laudatum molienti accidit, vt a Cardinali Bona ad legendos Marii Mercatoris libellos *prorſus ipſi incognitos* excitaretur. Bona etiam affirmabat, ſe eoſdem exſcribi et in Galliam mitti curaſſe, vbi Gerberonio obtigerant *). Sed factum id non antea videtur, quam in Gallia eadem omnia a *Philippo Labbeo* et *Ioanne Garnerio* in codice quodam Bellouacenſi detecta fuiſſent. Scilicet Cardinalis Barberinius Commonitorium ſuper nomine Coeleſtii cum aliis quibuſdam ex codice iſto excerptis in ſchedis Holſtenii (a. 1661.) defuncti repertis per Petrum Poſſinum Societatis Ieſu Presbyterum miſerat Philippo Labbeo

Mm 2 ampliſ-

*) Hoc, quod ab initio ex coniectura a me ſcriptum erat, non falſum eſſe didici ex opere gallico *Histoire litteraire de la Congregation de S. Maur* (*à Bruxelles* 1770. 4.) in vita *Gerberonii*. pag. 329.

ampliſſimam Conciliorum generalium Collectionem modo inchoanti. Is eodem ferme tempore commodato habuerat vetuſtiſſimum codicem Actorum V. Concilii ex Bibliotheca Eccleſiae Capituli Bellovacenſis, in quo praeterea deprehendit eiuſdem Mercatoris Opera ipſumque adeo Commonitorium. Quibus cognitis ad Poſſinum miſit elenchum Operum Mercatoris; mandans, vt inueſtigaret, an eadem, aut alia extarent in eo codice, vnde ſua hauſerat Holſtenius. Quod cum ille promte executus eſſet, eaque omnia, quae contineri in Bellouacenſi libro ſignificatum erat, in Romano etiam exemplari deprehendiſſet: tum demum nomen Mercatoris Romae magis percrebuiſſe, lectaſque eſſe et commendatas lucubrationes eius reor. Ac Noriſius ſane non ſolum Commonitorium iſtud integrum *ex ipſo Codice* laudato in commentarios ſuos retulit; ſed et alia pleraque Mercatoris, quae ad Pelagianas res referuntur, in vſum ſuum conuertit, ipſaque verba ad paginam codicis citata paſſim inſeruit. Labbeus autem cum ex Vaticano codice deſcripta Roma ſibi tranſmiſſa eſſent, horum Operum editioni ſeſe accinxit, at morte inopinata praeoccupatus Ioanni Garnerio amico quidem coniunctiſſimo eiuſdemque ſocietatis membro et Theologiae in Collegio Pariſienſi Doctori iſtam curam reliquit. Itaque is, qui pridem ſingulari ſtudio haereſis Pelagianae hiſtoriam ſcrutatus erat idemque fortunae amici in reperiundo litterario hocce theſauro fuerat particeps, duorum codicum et doctrinae haud poenitendae ſubſidiis inſtructus Mercatori operam nauauit, cumque intellexiſſet, Labbeum, vtpote ingenti Conciliorum labore obrutum, opera iſta, quemadmodum in codicibus ſe haberent et ſine notis daturum fuiſſe, ipſe pro otio ſuo et amore erga hanc hiſtoriae eccleſiaſticae partem,

non

non ſolum ſingula, quae illuſtrari poſtularent, attentius obſeruare coepit, ſed, quod potiſſimum ipſi videbatur, cauere voluit, ne *mutila maiori ex parte* illa prodirent. Id vero euenturum exiſtimauit, ſi eodem tenore atque ordine, quem in codicibus ſervarent, ſingula exſcriberentur. Nam quod vtriuſque et Pelagianae et Neſtorianae haereſis acta inter ſe permiſta videret, nec vel annorum, quibus condita eſſent, vinculo coordinata, librariorum id culpae tribuendum, ab iiſque illa male diſtracta atque adeo diſcerpta eſſe ſibi perſuaſit. Separauit igitur vtraque et in duos Tomos diuiſa, annotationibus et diſſertationibus ampliſſimis magnaque eruditione refertis diſtincta itemque quibuſdam in locis, vbi ipſi opus eſſe videretur, aliter coagmentata publici iuris fecit *Pariſiis a.* 1673. *in folio.* Eodem anno *Bruxellis* duodenis ediderat *Domnus Gabriel Gerberonius* monachus Benedictinus e Congreg. S. Mauri, adſcito nomine *Rigberii*, aliquam partem Operum Mercatoris ex Codice Vaticano exſcriptam notiſque lectiſſimis inſtructam. Sed quoniam Garnerii editio ob crebras textus per ipſius annotata interpellationes vſui minus commoda, nec per ea, quae ſibi in eo conſtituendo permiſerat, ſatis fida iudicaretur, Gerberonii autem, vtut praeclara, partem tantum eamque exiguam complecteretur: nouae et integrae editioni manum admouit vir immortalis memoriae *Stephanus Baluzius*, eadem via qua Labbeus olim et Garnerius, nempe Conciliorum tractatione ad eam deductus eorundemque codicum et doctrinae longe accuratioris et magis diffuſae praeſidiis ornatus. Prodiit illa Pariſiis 1684. octonis, eodem ordine omnia, ac in Vaticano codice reperiuntur, ſummaque fide, vt quae vitia adeo ſcripturae ſeruauit, exhibens et notulis criticis inſtructa; omniumque homi-

num doctorum plauſu fuit, excepta. Eam nuper in *Bibliotheca PP. Veneta* recudendam curauit *Andreas Gallandius* ſimulque laudabili ſtudio et perfecto iudicio omnia lectionis vitia, quae ex parte de conſilio Baluzii relicta erant, abſtergere ſtuduit.

Saec. XVII.

1671.

Lutetiae Pariſior. impenſis Soc. Typogr. libror. eccleſiaſticorum iuſſu Regis conſtitutae. fol. Marii Mercatoris Serui Chriſti commonitorium ſuper nomine Coeleſtii, Pelagii et Iuliani, eorumque haereſi; ſcriptum ſub conſulatu Florentii et Dionyſii. VV. Cll. in *SS. Conciliis ad Regiam edit. exactis ſtudio Phil. Labbei et Gabr. Coſſartii Soc. Ieſu Presbyt. Tomo II. pagg.* 1512 — 1517.

Titulo ſupra laudato Phil. Labbeus hocce ſubiunxit monitum: „Ex codice Palatino Vaticanae Bibliothecae deſcripſit Lucas Holſtenius, poſt cuius obitum iuſſu eminentiſſimi Card. Franc. Barberini, miſit Roma R. P. Petrus Poſſinus S. I. nos vero variis S. Auguſtini, aliorumque veterum teſtimoniis veſtitum et illuſtratum tanquam accuratiſſimum haereſis Pelagianae, ex quo plurima ad hiſtoriam ſpectantia quivis haurire poterit, breuiarium ſequentibus conciliis epiſtoliſque Romanorum pontificum praemiſimus.“ Incipit *Coeleſtius quidam* etc. Scholia ad marginem ſunt appoſita; ſubiungiturque ſimul *Obſeruatio Ph. Labbei* de opuſculi huius praeſtantia.

1673.

Bruxellis typis Lamb. Marchant, ſub ſigno boni Paſtoris. 12. Acta Marii Mercatoris, S. Auguſtini Eccleſiae Doctoris diſcipuli, Cum notis Rigberii *Theologi Franco-Germani.*

Prodeunt

Prodeunt nunc primum ex Vaticano codice: 1) *Commonitorium Lectori aduerſum Haereſim Pelagii et Coeleſtii, vel etiam ſcripta Iuliani*, incipiens *Quaeſtio contra Catholicam Fidem.* 2) *Theodori Mopſveſteni Sermo ſ. Symbolum e Graeca in Latinam linguam conuerſum a Mario Mercatore, et confutatum*, praemiſſo prologo. 3) *Epiſtola Marii Mercatoris, qua Pauli Samoſateni atque Neſtorii peruerſa dogmata refellit.* 4) *Alia epiſtola, qua Neſtorii blaſphemias impetit*, praemiſſa 5) *Sermoni I.* eiuſdem a Mercatore conuerſo. 6) *Sermo II. Neſtorii* ab eodem conuerſus. Praefatio Gerberonii breuitate ſua inſignis eſt. Ecce totam: „Iam diu fama increbuerat Marii cuiuſdam Mercatoris, qui S. Doctoris Auguſtini fuit diſcipulus, opera quaedam extare hactenus inedita. Haec vbinam haberentur dum curioſius inquirerem, ab amicis renunciatum eſt mihi, vnum exemplar ab vno Patre Societatis Ieſu Collegii Claromontani aſſeruari, et alterum eſſe penes quendam Monachum S. Germani Pariſienſis. Ab iſtis vtpote ſuorum MSS. tenaciſſimis quidquam obtinendi omni ſpe deiecta; tandem clariſſimi viri H. N. ope vnum huiuſmodi ſcriptorum tranſſumptum ex Vaticana Bibliotheca ſum conſecutus, quae euulganda cenſui, notis tum hiſtoricis tum dogmaticis illuſtrata." Notae, quae maiorem libri partem occupant, accuratiſſima doctrina ſunt refertae et aptiſſimae ad haec acta illuſtranda. Diſputat in iis de auctore, ex coniectura ſcilicet, ſed admodum probabiliter.

* *

Pariſiis apud Sebaſtianum Marbre-Cramoiſy regis typographum via Iacobaea, ſub Ciconiis. fol. Marii Mercatoris S. Auguſtino Aequalis Opera quae-

 cunque

cunque extant. Prodeunt nunc primum ſtudio Ioannis Garnerii *Societatis Ieſu Presbyteri*, qui Notas etiam ac Diſſertationes addidit.

De codicibus, ex quibus noua haec collectio adornata eſt, Vaticano et Bellouacenſi, poſtea dicemus. Enumeratio autem ſingulorum, quae in ea continentur, Mercatoris opuſculorum fieri non poteſt, niſi prius de Garnerii opera monuerimus. Is enim licere ſibi putauit ordinem, quem in codicibus tuentur ſingula, immutare, ſeu, vt ipſe prae ſe tulit, diſperſa et temere disiecta ad verum ordinem reducere, commodeque a ſe factum eſſe arbitratus eſt, quod in duas partes diſtribueret, quorum prior comprehenderet omnia, quae ad haereſim Coeleſtianam pertinent, poſterior, quae ad Neſtorianam. Adiunxit porro ſingulis operibus notas hiſtoricas, aut philologicas, locos obſcuros maxime ex auctoribus Mario aequalibus et in vtroque negotio, Coeleſtianae atque Neſtorianae haereſis, verſatis illuſtrantes. Denique addidit etiam reliquis a Mario collectis nonnulla, quae apud ipſum non reperiuntur, veluti Neſtorii, Theodorique Mopsveſteni aliorumque collectanea, partim, vt ex iis alia confirmarentur, partim, vt notarum inſtar, quibus tamen ſine breuitatis et nexus diſpendio interſeri non poterant, illuſtrationi inſeruirent. His ergo praemiſſis indicem contentorum omnium, tum operum Mercatoris, tum notarum, aliarumque Garnerii acceſſionum proponere non cunctabimur.

In Priore Parte continentur

1) *Praefatio generalis et fragmentum epiſtolae a S. Auguſtino ad Marium Mercatorem ſcriptae cum notis.* 2) Commonitorium ſuper nomine Coeleſtii. 3) *Notae ad Commonitorium ſubiunctae ſingulis capitulis, cum duabus diſſertatiunculis, altera de vindiciis*

vindiciis Zoſimi Papae in cauſa Coeleſtii et Pelagii, altera de tractoriis ſummorum pontificum. 4) Commonitorium lectori aduerſus haereſim Pelagii et Coeleſtii vel etiam ſcripta Iuliani. 5) *Notae ad Commonitorium, ſeu praefationem libri ſubnotationum.* 6) Liber ſubnotationum in dicta quaedam Iuliani ad Pientium presbyterum. 7) *Notae ſingulis ſubiunctae.* 8) Commonitorium, ſeu Prologus in ſymbolum Theodori Mopsveſteni: *ipſum* vero *ſymbolum cum refutatione M. Mercatoris in poſteriorem partem eſt relatum.* 9) *Notae ad Commonitorium, ſeu prologum.* 10) Excerpta ex quinque libris Theodori, aduerſus S. Auguſtinum, interprete Mercatore. 11) *Photii codex CLXXVII. de quinque libris Theodori.* 12) *Notae ad excerpta et codicem Photii.* 13) Praefatio Mercatoris in Neſtorii tractatus, contra haereſim Pelagii et Coeleſtii. 14) *Notae ad praefationem.* 15 — 22) Sermones IV. Neſtorii aduerſus Pelagianos, quorum poſtremus in verba: *Haec omnia tibi dabo, ſi cadens adoraueris me*, interprete Mercatore et *Notae ſingulis ſubiunctae*, inter quas primo loco *diſſertatiuncula de tempore ſolemnis baptiſmi.* 23) *Sermo IV, idem integer Graecolatinus, hactenus vel Chryſoſtomo vel Aſterio tributus*, (ex Tomo VII. Opp. Ioannis Chryſoſtomi ed. Sauilii pag. 301.) *cum noua verſione.* 24) *Epiſtolae duae Neſtorii ad ſanctum Coeleſtinum in gratiam Pelagianorum, incerto interprete.* 25) *Notae ad vtramque epiſtolam.* 26) Epiſtolae eiuſdem Neſtorii ad Coeleſtium Pelagianum, interprete M. Mercatore. 27) *Notae ad iſtam epiſtolam* *). In Appendice Prima: 28) *Epiſtola Ana-*

*) Ita quidem ſeries contentorum *prioris partis* in Praefatione generali cap. III. pagg. XIII. et XIV.

Anaſtaſii ad Ioannem Hieroſolymitanum ſuper nomine Rufini. 29) *Notae hiſtoricae ad epiſtolam Anaſtaſii.* 30) *Fides Rufini interprete M. Mercatore.* 31) *Notae ad fidem Rufini.* In ſecunda Appendice: 32) *Diſſertationes* ſeptem; prima, *de primis auctoribus et praecipuis defenſoribus haereſis, quae a Pelagio nomen accepit* ad haec verba Commonitorii in Subnotationes: *Quaeſtio contra Catholicam fidem* etc. ſecunda, *de ſynodis in cauſa Pelagiana habitis viginti quatuor, quarum poſtrema Epheſina* ad illa verba Commonitorii: *Sacerdotalibus ſtatutis:* tertia, *de ſanctionibus Imperatorum in cauſa Pelagiana*, ad illa verba eiuſdem Commonitorii: *Imperialibus praeceptis;* quarta, *de ſubſcriptionibus pontificali et imperiali auctoritate exactis,* ad haec verba: *Patrum ſubſcriptionibus roborata;* quinta, *de libellis fidei editis ab auctoribus et primis defenſoribus haereſis Pelagianae*, ad haec verba Mercatoris ad Iulianum: *Audi nunc et tu* etc., ſexta, *de libris a defenſoribus fidei ſcriptis, aduerſus eandem haereſim, vivente ſancto Auguſtino, vbi apologia Oroſii vindicatur et auctor librorum hypognoſticῶν detegitur*, etc. ad haec verba: *Sanctus Auguſtinus diuerſis temporibus diuerſos condidit libros*, etc., ſeptima, *de haereſi Coeleſtiana, quomodo ex vna ſententia in immenſam*

a Garnerio deſcribitur. At vero re ipſa longe aliter illa ſeſe habet. Nam poſt *libros ſubnotationum n.* 7 et 8. ſequuntur *ſtatim Epiſtolae tres a Neſtorio in cauſa Pelagianorum ſcriptae*, a pagg. 65—72. porro pagg. 73—94. *Sermones IV. Neſtorii cum Praefatione Mercatoris,* id eſt ea omnia, quae *num.* 13—23. recenſentur. Tum denique *praefatio Mercatoris in ſymbolum Theodori* cum *Excerptis ex libris Theodori* ſequuntur, adeoque *num.* 8—12. extrema occupant.

Jam quaſi multitudinem excreuerit, ad illa verba Mercatoris: *ad vnam impiiſſimam ſententiam* etc.

Posterior pars diuiditur in *libros quatuor*, quorum contenta haec ſunt; ab initio eſt *Praefatio hiſtorica, quae totam Neſtorii cauſam, et geſta ab ipſius ordinatione ad mortem complectitur.* Liber Primvs continet: Neſtorii ſermones XIII, interprete Mercatore, cum vno Procli, Epiſtolas III. cum quatuor ſancti Cyrilli, Mercatoris Epiſtolam vnam de Neſtorii haereſi, et excerpta a ſancto Cyrillo in Operibus Neſtorii etc. Sequuntur autem hoc ordine: 1) Praefatio Mercatoris in varios Neſtorii ſermones de incarnatione Domini noſtri Ieſu Chriſti. 2) *Notae ad praefationem.* 3) Sermo I. impii Neſtorii de incarnatione Verbi, ſeu de virgineo partu, qui latine tantum habetur. 4) *Notae ad eundem.* 5, 6) Sermo II. de dogmate, ſeu Θεογνωσία, et III. velut in Arianos et Macedonianos, Graecolatini. 7) *Notae ad Sermonem* III. 8) Epiſtola M. Mercatoris de diſcrimine inter haereſim Neſtorii et dogmata Pauli Samoſateni, Ebionis, Photini et Marcelli. 9) *Notae ad hancce epiſtolam.* 10) Homilia Procli Graecolatina, aduerſus Neſtorium, interprete, vt videtur, Mario Mercatore. 11) *Notae ad eandem.* 12) Sermo IV. Neſtorii, qui primus extemporalis aduerſus Proclum. 13) *Notae ad eundem.* 14) Sermo V. gr. lat. de Deo nato et virgine Θεοτόκῳ, ſecundus aduerſus Proclum. 15) Sermo VI. aduerſus Proclum III. de dictis epiſtolae Apoſtoli ad Hebraeos. 16) Sermo VII. ex parte gr. lat. aduerſus eos, qui propter coniunctionem, vel diuinitatem verbi mortificant, vel humanitatem deificant. 17) *Notae ad Sermonem VII.* 18) Epiſtola I. S. Cyrilli ad Neſtorium gr. lat. interpr. Mercatore. 19) *Notae ad eandem, cum reſponſione Neſtorii.*

Neſtorii. 20) Epiſtola II. S. Cyrilli ad Neſtorium gr. lat. interpr. Mario. 21) *Notae ad eandem.* 22) Epiſtola S. Cyrilli ad ſuos apocriſiarios Conſtantinopoli agentes, gr. lat. interpr. Mario. 23) *Notae ad hanc epiſtolam, quae longe diuerſa eſt ab ea, quae in editis libris corrupte legitur.* 24) *Commonitorium* epiſtolae inſertum gr. lat. 25) Epiſtola II. Neſtorii ad S. Cyrillum gr. lat. interpr. Mario. 26) *Notae in eandem.* 27) Sermones quatuor Neſtorii, VIII. IX. X. XI. gr. lat. 28) Epiſtola III. Synodica S. Cyrilli ad Neſtorium, continens XII. anathematiſmos, gr. lat. interpr. Mario. 29) *Notae ad epiſtolam III. S. Cyrilli.* 30) Epiſtola Neſtorii ad S. Coeleſtinum ſummum pontificem latine tantum, interpr. Mario. 31) *Notae ad epiſtolam cum diſſertatiuncula de quibuſdam pertinentibus ad concilium Epheſinum.* 32) Sermo XII. Neſtorii habitus in Eccleſia, in qua literas Coeleſtini Romani Ep. et Cyrilli Alex. denuntiatorias accepit VII Id. Decemb. 33) *Notae ad eandem.* 34) Sermo XIII. die conſequente habitus de ſcientia pietatis. 35) Excerpta ex diuerſis Neſtorii libris vel tractatibus ab Epiſcopo Cyrillo capitula, interpr. Mercatore. 36) Excerpta ex libro Neſtorii, lecta in concilio Epheſino. gr. lat. 37) *Excerpta alia hinc et hinc collecta, quae diuerſa ſunt ab iis, quorum aliunde notitia habetur.*

Contenta Libri Secvndi ſunt: 1) Neſtorii blaſphemiarum capitula duodecim, quibus literis ad ſe miſſis a SS. Coeleſtino Romanae vrbis epiſcopo, et Cyrillo Alex. contradicit, et diſputationibus breviſſimis reſpondendo, duodecim capitula fidei, quae ad ſe miſſa fuerant, refellere nititur, cum refutatione a M. Mercatore. 2) *Notae ad opus totum Mercatoris.* 3) Expoſitio anathematiſmorum, quae reſpon-

reſponſio S. Cyrilli ad obiectiones nomine Orientalium factas ab Andrea Samoſateno, interpr. M. Mercatore. 4) *Notae ad eandem.* 5) Expoſitio II. anathematiſmorum, quae reſponſio S. Cyrilli ad reprehenſiones Theodoreti, interpr. M. Mercatore. 6) *Notae ad reſponſionem II.* 7) Scholia S. Cyrilli de incarnatione Vnigeniti integra, quae antea imperfecta edebantur, interpr. Mario Mercatore. 8) *Notae ad ſcholiorum capita quaedam.* In LIBRO TERTIO continentur: 1) Excerpta ex libris Theodori Mopsveſteni de incarnatione verbi, M. Mercatore interpr. 2) *Notae ad Excerpta.* 3) *Collectanea ex diuerſis eiuſdem Theodori operibus, quae habentur in quinta Synodo, apud Facundum Hermianenſem et Leontium Scholaſticum, alioſque auctores, vtilia ad Haereſim Neſtorianam intelligendam.* 4) Excerpta ex libris quinque, quos aduerſus ſanctum Cyrillum, ſanctumque concilium Epheſinum Theodoretus conſcripſit, interpr. M. Mercatore. 5) *Notae ad Excerpta ſingulis, ſicubi opus fuit, adiecta.* 6) Epiſtola Theodoreti ad Neſtorium, interpr. M. Mercatore. 7) *Notae ad eandem.* 8) Epiſtola eiuſdem in fauorem Neſtorianorum Conſtantinopolim deſtinata, eodem interprete. 9) *Notae in eandem.* 10) Epiſtola eiuſdem ad Andream Samoſatenum Epiſcopum, interpr. Mercatore. 11) Fragmenta duarum epiſtolarum Theodoreti ad Himerium Ep. Nicomediae, interpr. Mario. 12) *Notae ad epiſtolas praecedentes.* 13) Fragmentum ſermonis a Theodoreto habiti coram Domno Antiocheno poſt obitum S. Cyrilli, interpr. Mario. 14) Fragmentum ſermonis ab Eutherio habiti aduerſus S. Cyrillum, interpr. Mercatore. 15) Refutatio Neſtorianiſmi, gr. lat. et epilogus Marii. LIBRO QVARTO denique inſunt, *Diſſertationes duae,* prima,

prima, *de Neſtorii haereſi, aliiſque erroribus, quorum nomine ſuſpectus eſſe poteſt*, *deque libris pro haereſi ab ipſo ſcriptis;* ſecunda, *de ſynodis in cauſa Neſtorii coactis a tempore motarum turbarum ad pacem vſque eccleſiarum.* Additurus erat tertiam, *de libris, quos fidei defenſores ediderunt, eodem tempore, aduerſus Neſtorianam haereſim*, quae reuera in elencho contentorum eſt promiſſa. Attamen ne molem huius voluminis, quod iam ſatis videbatur excreuiſſe, prolixitate ſua in maius augeret, cumque et ipſa monumentis aliquot, quae aliunde expectabat, debebat locupletari, in praeſenti omittendam, et quoniam argumentum haberet cognatum ei, quod inter cenſendos Theodoreti libros tractari oporteret, ad auctuarium Theodoreti *) potius differendam cenſuit. Ex hac contentorum tabula nemo non intelligere poteſt, quanto ſtudio, quantaque doctrina vtrumque actorum Mercatoris argumentum a Garnerio ſit excultum; quo meruit ſane, quod pluris ſemper apud eruditos homines hae eius lucubrationes ſint aeſtimatae, quamquam, quod ipſam Mercatoris lectionem attinet, vt et aliorum quorundam, quae ipſe interſeruit, opuſculorum; nec non, quod ſingula iſta opuſcula ex ſuo vnius arbitrio dilacerauit magis, quam diſpoſuit, tantum abfuit, vt aliorum aſſenſum conſequeretur, vt potius a doctiſſimo quoque in hoc genere viro grauem vituperationem ſubierit **). Nec iniuria conqueri putes, qui animum in

*) Prodiit illud titulo *Tomi V. operum Theodoreti a Sirmondo Pariſ.* 1642. *editorum*, ipſo quoque Garnerio iam defuncto *Lutetiae Pariſiorum* 1684. *fol.* ſed nec vola nec veſtigium huius diſſertationis in eo apparet.

**) Le pere Garnier, *Tillemontii* eſt iudicium, in *Mem. Eccleſ. T. XV. p.* 142. a donné au public tout

in haereſium illarum auctores defenſoresue nimis offenſum ei exprobrarunt, quo nomine imprimis videnda ſunt, quae ad Theodoretum ab iniquis eius incuſationibus vindicandum vir S. R. *Ioannes Ludovicus Schulze*, Academiae Halenſis ornamentum, in Diſſertatione *de Vita et ſcriptis Theodoreti* praemiſſa Tomo I. ſed. nouae Operum illius protulit, in qua tota fere haec operae Garnerii pars, quae Neſtorii atque Theodoreti cauſam concernit, velut ad obruſſam exigitur. Ceterum in *praefatione generali* Garnerius *cap. I.* de Mario Mercatore, eius aetate, ortu, loco, ingenio et auctoritate; *cap. II.* de operibus eius, *cap. III.* de eo, quod ipſe contulerit ad editionem operum eius, exponit; *cap. IV.* exhibet Specimen

tout ce qu' il en a pu trouver dans un manuſcrit du Vatican, et dans un autre du Chapitre de Beauvais, qu' il eſtime beaucoup plus que l' autre: et il les a mis dans l' ordre qu' il lui a paru le meilleur. Il y a joint quelques autres pieces qui ſe ſont trouvées dans les meſmes manuſcrits: et y a ajouté un grand nombre de notes et de diſſertations, parmi lesquelles on a ſouvent peine a trouver le texte de ſon auteur. Il lui eſté libre de placer comme il vouloit les ouvrages de Mercator. Mais il me ſemble *qu'il a meſme ſeparé les differens membres d' un meſme écrit.*" Nec abludit ab eodem ſententia *Cotelerii* (in notis ad *Monum. eccleſ. Gr. Tom. III. pag.* 602. *b.* vbi loca aliquot Mercatoris editionis Baluzianae tentat) inquientis: „Editionem aliam *(a Baluziana)* Marii Mercatoris nihil moror: propterea quod illius adornator *(Garnerius)* vir venerandae memoriae ingenioſas coniecturas ſuas malo exemplo textum facere ſoleat." Cf. etiam quae T. I. Bibl. PP. pag. 644., dum de Anaſtaſii P. R. ſcriptis diſſerebamus, de eiuſdem auſis in conſtituenda fidei profeſſione Rufiniana notauimus.

Specimen eorum, quae primum ex operibus Marii Mercatoris innotuerint. *Cap. V.* indicat, quomodo primum in manus ſuas Mercatoris opera peruenerint. Nuncupauit opus Bellouacenſis Eccleſiae Decano, Canonicis et Capitulo, epiſtola data *Lut. Pariſ. ſexto Idus Ianuarii, qui triumphus S. Luciani Bellouacorum Apoſtoli a.* 1673.

⁂ ⁂

Patauii. fol. Marii Mercatoris commonitorium contra Pelagianos (quod ſupra audit *ſuper nomine Coeleſtii;*) in *Henrici Noriſii Hiſtoria Pelagiana*, quae primum h. a. et loco prodiit, *Libro II. cap. VI.* In exemplari, quod in titulo dicitur *iuxta exemplar Patauinum* recuſum *pagg.* 125—28. Adde Opera *Noriſii* edita a *Balleriniis* a. 1729. Tomo I. Ab Holſtenio pariter accepiſſe ſe affirmat Marii hocce opuſculum e Vaticano codice deſcriptum.

1677.

Lugduni apud Aniſſonios. fol. Acta Marii Mercatoris etc. cum notis Rigberii; in *Biblioth. Max. PP. Tom.* XXVII. *pagg.* 129—173.

1684.

Pariſiis apud Franc. Muguet, Regis et illuſtriſſ. Archiepiſc. Pariſ. Typogr. 8. Marii Mercatoris opera. Stephanvs Balvzivs *Tutelenſis* ad fidem veterum codicum MSS. emendauit et illuſtrauit.

Quae huic primariae editioni, et quo ordine Marii opuſcula inſint, ſupra declaratum eſt. De occaſione autem, qua ad tractandum illud argumentum Baluzius acceſſerit, ita ſcribit: „Cum anno MDCLXXVII. ſerio cogitarem de edendo tomo primo

primo nouae Collectionis Conciliorum, qui anno praeterito emiſſus eſt, mentionemque veteris exemplaris Bellouacenſis Concilii V. fieri animaduertiſſem a Labbeo, incenſus ſum deſiderio illius habendi, quod aſſecutum me fuiſſe beneficio viri doctiſſimi Godefridi Hermant, eiuſdem Eccleſiae Canonici, lubens profiteor. Cum autem illud euoluerem, coniuncta cum eo reperi opera Marii Mercatoris, eaque ſtatim contuli cum editionibus virorum clariſſimorum. Agnoui porro ex collatione veteris exemplaris ordinem mutatum fuiſſe a Garnerio, tum multa ab eo mutata, dum medicinam adhibere tentaret locis corruptis, denique nonnulla omiſſa, quae mihi videbantur eſſe magni momenti. Agnoui praeterea codicem Bellouacenſem eſſe valde mendoſum et mutilum, adeoque alio exemplari opus eſſe, vt depravata poſſent emendari et omiſſa reſtitui. Quam ob rem VI. Kal. Decembris anno MDCLXXVII. ſcripſi ad Eminentiſſimum Cardinalem — Hieron. Caſanatem, eumque rogaui, vt in mei gratiam faceret exſcribi codicem Vaticanum, in quo Marii Mercatoris opera extarent, et ad me mitti iuberet.“ Satiſfecit ille poſtulationibus viri de hiſce ſtudiis meritiſſimi, reſcripſitque Idibus Martiis anni ſequentis literis humaniſſimis, ex quibus poſtea, a nobis quaedam ad codicis illius indolem ſpectantia depromentur. Quas poſtquam integras appoſuit Baluzius, ita pergit: „Damus igitur tibi nunc, Lector, opera Marii Mercatoris qualia leguntur in antiquis exemplaribus Eccleſiae Bellouacenſis et bibliothecae Vaticanae, et ea quidem fide ac diligentia, vt errores etiam retinuerimus veterum librariorum. Exiſtimauit vir clariſſimus Ioannes Garnerius, codicem Bellouacenſem Vaticano longe praeſtare. At ego compertum habeo Vaticanum eſſe Bellouacenſi multo meliorem,

non ſolum, quia eſt interdum emendatior, ſed etiam, quia nonnulla habet, quae manifeſto conſtat omiſſa eſſe ab eo, qui Bellouacenſem deſcripſit, vt ſunt e. c. tituli quorundam fragmentorum excerptorum ex Theodoreto Epiſcopo Cyrenſi, Theodoro Mopsveſteno, Diodoro Tarſenſi, et Eutherio Tyanenſi. Nam cum tituli illi deeſſent in codice Bellouacenſi, ex eo factum eſt, vt Garnerius inciderit in ambages inextricabiles, et ſic, vt cum Plinio loquar, torſit ingenia contemplantium. Optandum autem eſſet, vt alia vetera eiuſdem ſcriptoris exemplaria emendatiora reperirentur, quorum ope ea emendari poſſent, quae ſupra diximus eſſe corrupta.“ Haec ille de ratione operae ſuae. Deinde ſe conuertit ad quaeſtionem de auctore eiuſque patria et ſtudiis, quam breuiter quidem, ſed ita tamen perſtrinxit, vt nonnulla a Garnerio non ſatis caute poſita rectius conſtitueret. Notae ad finem voluminis ſunt remotae, adſcriptis ad marginem paginarum, quas reſpiciunt, numeris. Non copioſae ſunt, ſed magni ponderis, prope omnes criticae, quae centenis in locis Garnerium emendant. Vltimo loco accedit index rerum. Inſcripta eſt editio eidem Hieronymo Cardinali Caſanatae, cui magna parte deberi eam cognouimus.

1690.

Pariſiis. fol. Marii Mercatoris Commonitorium contra Pelagianos; in *ed. Bened. Opp. S. Auguſtini Tomo X. P. II. in append.*

1700.

Antverpiae. fol. Marii Mercatoris Commonitorium contra Pelagianos; in *S. Auguſtini Opp. ed. Bened. curante Io. Clerico. Tomo X. P. II. in append. col.* 46—48.

SAEC.

SAEC. XVIII.

1772.

Venetiis ex typogr. Io. Bapt. Albritii. fol. Marii Mercatoris Opera. Ex editione V. C. STEPHANI BALVZII, nunc denuo recenſita, pluribus in locis reſtituta et illuſtrata; in *Bibliotheca PP. ſcriptorumque eccleſ. Andreae Gallandii. Tomo VIII. pagg.* 615—737.

Baluzii notae ad calcem ſunt adiectae, dum ſuis ſcilicet, haud parca manu adſperſis, inferiorem paginae oram dicaſſet. Textum fere ſingulae emendare ſtudent, et feliciter plerumque hic conatus comparatione imprimis Graecorum Cyrilli et Theodoreti ceſſit. Neque neglexit, quae ſparſim ad emendationem illuſtrationemue Mercatoris a viris doctis in aliis operibus, veluti a Noriſio in Hiſtoria Pelagiana, Cotelerio ad Monumenta Graeca, Conſtantio ad epiſtolas Pontiff. Romanorum, Merenda ad Opera Damaſi aliiſque collata fuerant. Paginae editionis Baluzianae, ad quas notae referuntur, in margine ſunt appoſitae, infra textum autem loca biblica diligenter, vt in reliquis huius Bibliothecae partibus, ſunt notata. In *Prolegomenis*, capite XIX. pag. XXXIII. inſerta eſt diſſertatio de Mario Mercatore egregio cum iudicio et diligentia confecta.

* *

CODICES. Ex duobus omnino codicibus MSS. omnis Marii Mercatoris memoria et actorum eius, quotquot nunc tenemus, reliquiae erutae ſunt: adeo manifeſto errori debetur, quod eſt apud Gallandium accuratiſſimum alioquin virum, Baluzium trium MSS. librorum ope hunc auctorem emendaſſe. Prior ordine, quo adhiberi coepti ſunt, *Vaticanus*,

alter *Bellovacenſis* fuit, aequalis vterque ferme aetatis octingentorum circiter annorum, vt ex caracterum forma colligi ſcribit Garnerius, et optimae notae vterque, quamquam vir modo laudatus Bellouacenſem Vaticano longe praeſtantiorem iudicauerit, contradicente Baluzio, qui Vaticanum Bellouacenſi palmam praecipere contendit, et exemplis quibuſdam probat.

1. *Vaticanus* olim Heidelbergenſis bibliothecae fuit. Illi debetur primum Commonitorium illud Mercatoris, quod vulgauit Labbeus; mox denuo excuſſus eſt iuxta indicem operum, quae in Bellovacenſi codice ab eodem Labbeo reperta erant, atque haec quidem collatio Garnerio praeſto fuit. Simul integra eius pars tenore continuo deſcripta et ad Gerberonium miſſa ab eo edita eſt bona fide. Tertium in Baluzii gratiam conferri et exſcribi eum curauit Cardinalis Caſanata, qua quidem occaſione haec ſuper eo litteris mandauit ad Baluzium datis: „*Codex ille Marii Mercatoris Palatino-Vaticanus collatus cum Bruxellenſi ac Pariſienſi* [editis] *inuentus eſt longe ab vtriſque diuerſus. Primus ſiquidem voluminis illius exigua pars eſt. In altero vero*, [editione Garnerii] *licet mole maiori*, *multa deſunt*, *et ea quae continentur*, *ordine prorſus vario leguntur. Quare manus operi illico admota fuit*, *vt integra codicis Vaticani exſcriptione votis tuis ſatiſfacerem. Quoniam vero ea omnia*, *quae habentur in editione Bruxellenſi*, *prorſus conueniunt re et ordine cum manuſcripto Vaticano*, *nullatenus duxi in iis tranſſcribendis tempus inſumere ac labore penitus inutili tua deſideria protrahere; ſed ſatius exiſtimaui opus adoriri*, *vbi deſiit Rigberius. Barbaris ac truncis vocibus ſcatet hic codex. Et quamuis facile potuiſ-*

ſem

ſem ex ingenio illas vel ſupplere vel emendare, ex induſtria tamen omiſi, conſcius optare te genuinum ac fideliſſimum illius codicis, qualiſcunque ſit, exemplar.

2. *Bellouacenſis*, pertinens ad Capitulum Eccleſiae Bellouacenſis. Hic liber excitauit olim Labbeum, cui ad iuuandam Conciliorum collectionem commodatus fuerat, vt cum Vaticano accuratius conferri ab amicis ſuis Romanis poſtularet. Garnerius, qui primas ei defert, capite II. praefationis generalis in omnia M. Mercatoris opera, *Synopſin operum eiuſdem et reliquorum connexi argumenti opuſculorum, prout in eo iacent*, exhibuit. Generatim monet, duas ipſi eſſe partes, quarum altera ſynodum quintam complectatur, altera praeferat hunc titulum recentiore manu appoſitum: *Synodus Epheſiana, vbi Neſtorii haereſis cum ſuo auctore damnatur.* Poſtremo eundem oculis ſuis vſurpauit Baluzius.

17.

NICETAS.

Ita recte ſcribi videtur nomen epiſcopi illius Romatiani, qui Niceas audit a Gennadio *). Gente Dacus fuit et in patria Romatianae ciuitatis epiſcopus. Ex Paulino Nolano nouimus, eum, cum in itinere §. 1. Vita.

*) Variant quauis fere occaſione et in omnibus paene MSS. nomina, *Nicaeas*, *Niceas*, *Nicetas*, *Nicetus* et *Nicetius*. Interim Daci epiſcopi nomen frequentius *Nicetas* et *Nicetius* exhibent, ſicut Hypodiaconus Aquileiae conſtantiſſime *Niceas* appellatur. Apud Gennadium etiam *in admirando codice ad S. Andream de Valle Nicetam non Niceam ſcribi* teſtatur Holſtenius in Notis poſtumis ad Martyrologium Romanum apud Florentinium et Bollandi continuatores, laudante Rubaeo.

itinere in Italiam facto Romam tranſiiſſet, multorum in ſe ibi admirationem traxiſſe. Tum vero etiam (quod a. 398. accidit) Nolam acceſſit et ad ſepulchrum S. Felicis ſe contulit, inuiſitque Paulinum et in eius animum ſane candidiſſimum adeo ſeſe inſinuauit, vt ille reditum eius in Daciam ſingulari poëmate nunc quoque ſuperſtite proſequeretur, quod late inſignes mentis atque animi ipſius dotes explicat imprimiſque eum ab ardore in praedicando per barbaras, quae Daciam obtinebant, gentes euangelio extollit. Neque poterat Nicetas non concedere amici precibus, quo minus in ſecundo ſuo ad iſtas terras acceſſu (a. 402.) apud ipſum iterum ſubſiſteret. Ex Innocentii I. epiſtolis patet, eum a. 414. adhuc in viuis fuiſſe *). Ceterum memoriam eius valde conturbauit Baronius, diuerſum cenſens Nicetam Dacum, cuius mentio fit in Martyrologio Romano ad diem VII. Ianuarii, a Nicaea Gennadii Romatianae ciuitatis epiſcopo, cuius depoſitio notatur ad diem XXII. Iunii, hunc vero eundem eſſe ratus cum Nicaea Hypodiacono Aquileienſi, qui a. 458. literas a Leone M. accepit, per grande temporis interuallum ſcilicet ab iſto officio ad epiſcopi dignitatem euecto. Quam in rem mirifice ſe torſit, vt Romatianae ciuitatis nomine Aquileiam appellatam eſſe demonſtraret. Sed haec omnia vana eſſe, dudum viri docti animaduerterunt, quorum accurata exploratione tantum

*) Scilicet non ſolum in Ep. ad Marcianum Naïſſitanum d. Rauennae a. 409. vt Tillemontius iudicat de eo tanquam viuente loquitur (vbi Cf. *Couſtant*, apud quem extat *n. XVI. pag.* 822.), ſed etiam inter Epiſcopos Macedones recenſetur in inſcriptione epiſtolae XVII. a. 414. iuxta *Couſtantium pag.* 833.

tantum iam effectum eſt, vt Romatianam ciuitatem in Dacia Mediterranea ſeu Moeſia inter Naïſſum et Sardicam quaerendam, et Nicetam Romatianum in Dacia natum, non, quae fuerat media Tillemontii ſententia, ex Aquileienſi clero ad illius ciuitatis epiſcopatum euocatum fuiſſe, teneamus *).

Compoſuit teſte Gennadio ſimplici et nitido ſermone *competentibus ad Baptiſmum inſtructionis libellos ſex* et *ad lapſam virginem libellum, paene omnibus labentibus incentiuum.* Illi deperditi ſunt et ſolummodo ex argumentis a Gennadio indicatis noſcuntur. Hunc ſupereſſe putant inter Ambroſii et Hieronymi Opera. Nimirum inter Epiſtolas Hieronymi vna occurrit titulo *Obiurgationis ad Suſannam lapſam*, manifeſto ſpuria; nam ab Epiſcopo compoſitam eſſe apparet, quam dignitatem Hieronymus nunquam aſſecutus eſt. Eadem vero inter Ambroſiana reperitur ſub nomine *Tractatus ad Virginem lapſam*, eique cum propter orationis diſcrepantiam, tum ob ſenſus, rigore ſuo prope ad Nouatianam haereſim, quam ille in libris de poenitentia impugnauit, accedentes, non maiori iure competere dudum inter eruditos operum eius cenſores creditum eſt. His quoque Bellarminus, Poſſeuinus, Riverus et ſequiores huius generis ſcriptores concinunt. Nicetae primus, ni fallor, tribuit *Ioannes Baptiſta* §. 2. Scripta.

*) Inter hos numerandi ſunt *Holſtenius* in *l. l.*, *Queſnellus* ad *Leonis M. Epiſtolam LXXIX.*, *Tillemontius in Memoriis Tomo X. pag.* 62 *ſeqq.* et nouiſſime *Rubaeus* in *Monum. Eccl. Aquilei. c.* XVII. *pag.* 151 *ſeqq.* Illis tamen inſuper habitis Baronii ſententiam amplexus eſt et in Commentarios ſuos nude tranſſcripſit *Oudinus T.* I. *pag.* 1249. *ſeqq.*

Cotelerius *), a quo nemo deinceps praeter laudatos Maurinos Patres diſſenſit. Hi vero, vt Ambroſio vindicarent, argumenta haec in medium adduxerunt: ſcilicet, vt haereſis notam auerterent, locutiones, quae in illo occurrunt duriores, non alio conſilio aiunt eſſe adhibitas, quam vt maiorem commiſſi propudii horrorem incutientes, acrius ad poenitentiae opera ſontem excitarent, efficerentque, ne vel propria mollitie vel remiſſioris cuiuſpiam doctoris indulgentia quandoque ab auſteritate ſemel ſuſcepta reuocaretur. Ita vero auctorem ipſam ad poenitentiam publicam ſtimulaſſe, vt ſimul aeternas poenas euitandi ſpe ſubleuaret. Quibus addunt, fuiſſe quondam Eccleſiae morem, vt atrocium quorundam criminum reis ne in morte quidem veniam et reconciliationem concederent, proindeque Auctorem inter ea crimina et hoc Suſannae flagitium ſine vlla erroris nota referre potuiſſe. Stilum concedunt non omnino Ambroſianum eſſe, nam ſanctum praeſulem etiam vbi orationem adhibeat maxime concitatam, minus denſis ac breuibus inciſis vti. Tum iudicant ſententiam quandam, quam *Rob. Cocus* in *Cenſura* ſua tanquam doctrinae Chriſtianae e diametro aduerſam obiecerat, iiſdem paene verbis in libro I. de Virginitate legi. Porro, quod Nicetae tribuatur ſimilis argumenti epiſtola, nihil referre putant; potuiſſe enim peraeque Ambroſio occaſionem illius ſcribendi naſci, ſicut et Baſilii exſtet epiſtola eiuſdem materiae et epigraphes, et ſi apud ipſum Ambroſium virgo Indicia falſi criminis accuſari

*) In Notis ad *Conſtitutiones Apoſtolorum lib.* II. *c.* 57. In nouiſſima *PP. Apoſtolicorum ed. Io. Clerici Amſtelod.* 1724. *T.* I. *pag.* 268. *not.* 14. Prima ed. prodierat *Pariſiis a.* 1672.

ſari potuerit, iuxta epiſtolam ad Syagrium, potuiſſe et aliam veri. Denique omnes in Ambroſii nomine conuenire libros MSS. praeter vnum recentiorem, qui Ioanni Chryſoſtomo tribuerit. Hiſce igitur rationibus inducti inter genuinos Ambroſii foetus reliquerunt, et licet improbauerint Tillemontius et Vaillarſius, non video tamen, noui quidquam momenti ab iis contra allatum eſſe.

Dictum eſt a nobis, inter Hieronymiana aeque ac Ambroſii opera hoc opuſculum legi. Sed quoniam in diuerſis ſaepe diuerſarum editionum tomis deprehenditur, lectoribus eius curioſis indicio aliquo ſubuenire ſtudebimus. Id vero ante omnia animadverti velim, in Hieronymi editionibus initium eſſe a verbis *Puto leuius eſſe crimen*, quae cum ſequentibus vſque ad illa, *euaporans praeſtat refrigerium paſſioni*, in Ambroſianis deficiunt, vbi principium ſonare ſolet, *Audite qui prope eſtis.* In editione HIERONYMI *Eraſmiana Baſ.* 1516. extat *Tomo* II. *fol.* 81. *b.* — 85. „Dictu mirum eſt, ſcribit Eraſmus, quam hic liber diuerſus habebatur in exemplaribus. Nec idem erat initium, et alia in aliis ſupererant aut deerant, tum pleraque diuerſa habebantur. Stilus palam arguit, non eſſe Hieronymi, étiamſi non indignum cenſeam, qui legatur. Guſtus phraſis non abhorret ab oratione diui Auguſtini.“ In editione *ſecunda Frobeniana* a. 1537. ext. *Tomo* IV. *pagg.* 139—143. in edit. *Mariani Victorii Antverpienſis impreſſionis* a. 1579. *Tomo* IX. *pagg.* 104 —107; *Pariſini exemplaris* a. 1609. *Tomo* IV. *pagg.* 865—871; item a. 1643. *Tomo* IX. *pagg.* 88—91; in his omiſſa eſt cenſura Eraſmi. In ed. *Francofurtana* a. 1643. legitur *Tomo* IV. *pagg.* 92—96; in ed. *Benedictinorum Pariſiis* 1706. *Tomo*

§. 3. Editiones.

mo V. *pagg.* 176—182; in ed. *Vallarſii, Veronae* 1742. *Tomo* XI. *pagg.* 178—192. et *Venetiis* 1771. *Tomo* XI. *P.* II. *pagg.* 245—263. Vallarſius auctorem ſcribi iubet Nicaeam et eundem putat cum Hypodiacono Aquileienſi, qui cum familiaris Hieronymi fuerit, facile accidere potuiſſe, vt liber eius locum inter Hieronymianas ſcriptiones inveniret, ſicuti Ambroſio ob argumenti ſimilitudinem, quod ſaepius de Virginitate et Virginum inſtitutione diſputet, videatur adſcripta. Sed prior ratio, quam leuis ſit, nemo non intelligit, poſterior aeque in Hieronymum ac Ambroſium cadit. Ceterum in Vallarſiana editione diligentiſſime hic liber tractatus eſt, diiudicatis etiam Benedictinorum, Ambroſii editorum, variis lectionibus et obſeruationibus.

In Ambrosii operum ed. *Baſileenſi.* a. 1527. extat *Tomo* I. *pagg.* 178—186. Typographi errore caput vltimum, quod *conſolationem lapſae* continet, quaſi nouus libellus ſingulari titulo exſcriptus eſt. Eraſmus in breui ad lectorem admonitione in auerſa tituli pagina impreſſa declamationem eſſe, inquit, qualis illa Hieronymi de matre et filia reconciliandis, et inter Hieronymiana ſcribae dolo, ne ſcilicet deprehenderetur, ab initio, iuxta quam in medio et fine eſſe interpolatam. In *Sixtinae* editionis exemplari *Pariſienſi* a. 1603. legitur *Tomo* IV. *pagg.* 449—456; in *Benedictina*, *Pariſiis* 1690. *Tomo* II. *pagg.* 301—320. titulo *libri de lapſu Virginis conſecratae.*

18.

Ivlianvs Episc. Eclanensis.

§. 1. Vita. Iulianus*) gente Apulus, ex illuſtri familia, patre Memore ſeu Memorio Epiſcopo, vt creditur Capuano,

*) Quaecunque ad notitiam rerum eius faciant, collegit

puano, caro praecipue Auguſtino et Paulino Nolano, et matre Iuliana lectiſſima matrona procreatus et fideli parentum cura moribus iuxta et literis probe et mature excultus eccleſiaſticis miniſteriis patre adhuc viuente admoueri coepit. Lectoris enim officio in Eccleſia paterna fungebatur, cum matrimonium cum Ia virgine conſulari, Aemilii viri illuſtris poſtea Epiſcopi Beneuentani filia, contraheret, cuius auſpicia carmine tenerrimi in vtrumque patrem et filium affectus pleno Paulinus celebrauit. Diaconatum etiam, vtpote cuius Auguſtinus, ipſius quoque tunc temporis amantiſſimus, meminit, ſuperſtite adhuc patre ſuſcepiſſe videtur et Epiſcopus *Eclanenſis* ordinatus creditur ab Innocentio Romano epiſcopo. Non diu poſtquam hanc dignitatem adeptus eſſet, cum Coeleſtio, aut eius dogmatibus ſaltem, ſed forte cum vtriſque ſimul, familiaritatem contraxit: nam Romae aliquantiſper commorabatur ſub initium epiſcopatus Zoſimi, vt ex Mercatoris teſtimonio colligi poteſt. Publice autem huius cauſae patrocinium ſuſcipere viſus eſt tunc, cum miſſae a. 418. ad omnes orbis Epiſcopos Zoſimi tractoriae adeoque Pelagii et Coeleſtii damnationi ſubſcribere detrectaret. Habebat huius criminis ſeu audaciae ſocios plures per Campaniam vicinaſque prouincias et Siciliam epiſcopos, eamque non ſuo tantum ſed etiam communi nomine, ſi Garnerio credimus,

legit et multa ſagacitate connectere calluit Ioannes Garnerius tam in notis ad Mercatorem quam ad librum mox laudandum. Potior pars a Mercatore proficiſcitur, cui tamen ille nimis credulum ſe praebuit, omniaque inepti hominis conuicia inſtar rerum fide digniſſimarum habuit.

credimus, excuſare ſtuduit literis ad Zoſimum et ad Rufum Theſſalonicenſem ſcriptis. Nitebatur autem non magis ſuo ingenio, quam iudicio, quod prius ille epiſcopus de Coeleſtii et Pelagii cauſa tulerat, iratus Auguſtino, qui ſuo vnius arbitrio et imperatorem et Romanum epiſcopum regeret et ſcriptis ſuis eccleſiae imperitaret. Hinc praecoces eius in eum impetus, quem, ſi minus memori animo teneret, quo olim affectu ipſum amplexus eſſet, ſaltem ob paternae neceſſitudinis vinculum colere debebat. Scripſit enim non multo poſt literas Zoſimo deſtinatas, ſed eo iam defuncto quatuor libros aduerſus primum Auguſtini librum de Nuptiis et Concupiſcentia, non ſine multa acrimonia. Sed vix illi in manus Auguſtini peruenerant, cum Iulianus epiſcopatu ſuo iuxta cum ceteris, qui Pelagii et Coeleſtii damnationi ſubſcribere detrectauerant, epiſcopis ex edicto Imperatorum priuatus ſolum mutare coactus fuit. Conſtantinopolim adiit non magis ſibi propitia fortuna; ſiquidem ab Attico epiſcopo vna cum ſociis ſuis ex vrbe pulſus longinquius in Ciliciam iter ingreſſus eſt. Ibi apud Theodorum Mopsueſtenum, eidem doctrinae fauentem et ſi Mercatori fidem habeamus, parentem et auctorem eius (non liquet quamdiu et an adhuc poſt ſynodum a. 423. in Cilicia habitam) ſubſtitiſſe, atque opus poſtremum octo librorum elaboraſſe videtur. Anno 428 *), cum Neſtorius ad Eccleſiae

*) Haec inter et tempus in Cilicia tranſactum ſcilicet a. 425. accidiſſe opinatur Garnerius, vt Iulianus epiſcopatus amiſſi deſiderio et vana ſpe totius cauſae retractandae pellectus, in Italiam redierit. Nec procul eſſe putat huius tam ſubiti conſilii cauſas. Reſciuiſſe enim, eodem anno obiiſſe Bonifacium Pontificem, a quo depoſitus fuiſſet, et Honorium atque

cleſiae Conſtantinopolitanae regimen euectus eſſet, in vrbem regiam rediit, ſperans, ſe noui epiſcopi interuentu a gratia principis, quod in Occidente amiſerat, recuperaturum. Certe de crebris eius apud Theodoſium et epiſcopum Conſtantinopolitanum querelis teſtes ſunt literae Neſtorii ad Coeleſtinum datae, quae huic anſam praebuerunt, ipſum quoque earum auctorem ſat graui odio inimicorum domeſticorum preſſum conſortii haereticorum coarguendi, et fortaſſe maligna haec ſuſpicio vna ex pluribus cauſa extitit, cur tardius ei, et ad iſta fere nihil reſponderet, ſubornato interim Mario Mercatore, qui Conſtantinopolim aduolans, oblato (a. 429.) Theodoſio Commonitorio effecit, vt tam Iulianus quam ſocii eius et poſtea ipſe Coeleſtius vrbe detruderentur, mox etiam (a. 431.) in Concilio Epheſino Oecumenico (non abſente Mario Mercatore) damnarentur. Poſt hanc vltimam, vt videtur, rerum eius calamitatem rareſcit in aequalium illorum temporum ſcriptis eius memoria, niſi quod a Proſpero accepimus, eum a. 439. denuo molitum eſſe ſub ſpecie correctionis in Eccleſiae communionem irrepere et amiſſum epiſcopatum recuperare, ſed Sixtum papam Romanum

atque Conſtantium, Imperatores, quorum edictis exulare coactus fuiſſet; reſciuiſſe item, Bonifacio ſucceſſiſſe Coeleſtinum, virum longe Sixto competitore mitiorem; indeque auſum eſſe ſperare nonnullam rerum commutationem. Sed vt haec praeclare dicta viderentur, ſi de re ipſa certo conſtaret; ſic nec reditus Iuliani, nec quod a Coeleſtino iterum expulſus ſit vel leuiſſimo nititur fundamento. Quotquot enim affert partim Proſperi, partim ex Neſtorii epiſtolis et Concilio Epheſino teſtimonia, ea vel ad Coeleſtium vel ad Coeleſtianos et Pelagianos generatim pertinent, vel primam eius depoſitionem et eiectionem reſpiciunt.

Romanum his eius conaminibus fortiter reſtitiſſe. Extrema autem vitae eius et quando diem ſupremum obierit, plane ignoramus *). Quantum ex ſcriptorum reliquiis et teſtimoniis veterum cognoſci poteſt, acris fuit ingenii, in graecis et latinis litteris non mediocriter doctus, et lingua promtus, immo eloquens ad quandam nominis claritatem et inter Auguſtini aduerſarios facile grauiſſimus. Pugnauit enim iiſdem armis, quibus S. Doctor tam callide vti ſolebat, verborum copia, vehementia et ambiguitate, quae ſi non fallerent ſemper mentes, obruebant tamen et vel ad tempus detinebant. Superauit autem ingenii dotes animi nobilitate, quae tanta fuit, vt famis et communis anguſtiae tempore omnia ſua indigentibus erogaret. Sed cum ob id a bonis magis diligeretur, non effugere potuit, quo minus aduerſariis ſuis miſerationis ſpecie ad capiendos et ſociandos ſibi nobiles praecipue et religioſos homines vſus videretur.

§ 2. Scripta. Ex omnibus, de quibus certo conſtat Iuliani ſcriptis, nullum integrum ad nos peruenit, ſed *fragmenta* tantum non admodum lacera quidem et rara tranſmiſſa ſunt. Alia *plane interierunt*, ſi recte ad ſcriptorum celebritatem refertur, quod a Gennadio dicitur *clarus fuiſſe in doctoribus eccleſiae, antequam Pelagii impietatem in ſe aperiret.* Sunt autem *genuina,*

*) Felicior tamen fuit *Hieronymus Vignerius*, ſupplementi Operum Auguſtini editor, qui in praef. ad ſecundum tomum laudati operis, in quo ſex Auguſtini contra Iulianum reſponſionis libros prodidit, haud perfunctoriam de Iuliani extremis in inſula Lerino geſtis, obitu et intumulatione narrationem inſtituit. Sed donec fontes, vnde tam rara ipſi notitia profluxerit, innoteſcant; ſolum eum hac de re doctiorem eſſe facili animo feramus.

mina, quorum fragmenta aut veſtigia ſaltem reſtant

1) *Epiſtola ad Zoſimum* prima, cuius ſolus Mercator meminit, et verba Subnotationum libro c. 6. et 9. inſeruit, a Iuliano tamen pro ſuis agnita *). Garnerius in fine diſſertationis quintae ad Marium Mercatorem T. I. pag. 333 ſq. ea compoſuit, in notis quoque ad laudata Subnotationum loca comparandus. Ex eius ſententia ſcripta fuit a. 417. circiter autumnum.

2) *Epiſtola communis ei cum plurimis (octodecim) Pelagianis epiſcopis, quam Theſſalonicam (ad Rufum Epiſcopum) miſerunt.* Sic Auguſtinus denotat epiſtolam, quam in ſingulari opere IV. librorum ad Bonifacium epiſcopum Romanum directo refutare ſtuduit, in quorum tribus poſterioribus etiam fragmenta eius reperiuntur, a Garnerio ibidem, vbi antecedentia, collecta et ad formam priſtinam digeſta.

3) *Libri IV. ad Turbantium Epiſcopum, aduerſus librum primum Auguſtini de Concupiſcentia.* Scr. a. ineunte 419. aut ſub praecedentis exitum. Fragmenta eorum ſuperſunt in tribus Auguſtini operi-

*) Minus accurate haec tradit *Caueus (T. I. p.* 407. *ed. Oxon. nou.) duas* commemorans *Iuliani* ad *Zoſimum epiſtolas, quas Auguſtinus libris quatuor ad Bonifacium refutauerit;* et deinceps: *ex his alteram eſſe octodecim epiſcoporum Siculorum nomine ſcriptam et* libellum fidei *inſcribi.* Immo quam primo libro refutat Auguſtinus, non Iuliani fuit, et ſi *libellus fidei* eſſet ex iis, quas ibidem ille refellit, non tantum vanae operae Garnerius inſumpſiſſet in eo Iuliano aſſerendo, ſed facile ex locorum inter ſe comparatione res confici poterat.

operibus; in *libro ſecundo de nuptiis*, *in libris VI. contra Iulianum* et in *opere imperfecto.* Reperiuntur autem magna quaedam ex libro primo, parua ex reliquis duobus. Primum enim confutauit Auguſtinus libro ſuo ſecundo *de nuptiis*, relatis verbatim quaecunque continebat chartula, ex hoc ipſo libro primo excerpta et Valerio comiti oblata, atque per Alypium Auguſtino miſſa; qua ex charta etiam inſcriptionem librorum nouimus: *Contra eos, qui Nuptias damnant, et fructus earum diabolo adſignant.* Ex libris ſex contra Iulianum quatuor poſteriores ita pugnant cum quatuor Iuliani libris, vt non tantum libri libris, ſed capita quoque capitibus reſpondeant. *Garner. in App. ad diſſ. VI. de ſcriptis pro Haereſi Pelag. p.* 388. De hiſtoria eorum in ipſa diſſ. ſexta pag. 349. tractat.

4) *Liber de conſtantiae bono contra perfidiam Manichaei,* cuius fragmenta aliquot ſeruauit Beda. Scriptus fuit iudice Garnerio poſt expulſionem e ſede ſua.

5) *Libri octo ad Florum [Beneuentanum] Epiſcopum aduerſus ſecundum librum Auguſtini de nuptiis et concupiſcentia.* Scr. vt Garnerius contendit, in Cilicia, ſed publicati demum circa annum 426. quo ex Italia iterum Conſtantinopolim fugiſſe eum fingit. Quinque priores libri, aut etiam ſex integri habentur in *Opere imperfecto* Auguſtini *contra ſecundum Iuliani reſponſionem.* Pendet vero ſuperſtitum numerus ab ipſa Auguſtini operis deſcriptione, ſuper qua Vignerii ſententiam optime refutauit Garnerius in notis ad Subnotationes Mercatoris. Opp. T. 1. pag. 34 ſeqq.

6. *Li-*

6) *Liber de amore ſiue Commentarius in Cantica Canticorum.* Solus Beda huius operis mentionem facit, et duobus libris, altero de amore, altero commentario, comprehenſum fuiſſe notat. Addit etiam, ſcriptum eſſe occaſione duelli eius cum Auguſtino. Quare, cum nec Auguſtinus, nec qui cum eo erant, eius meminerunt, coniici poteſt, poſterius eſſe libris octo ad Florum, quibus refutandis ille immortuus eſt. Garnerius poſterius eſſe iudicat, propterea quod totus imitatione Theodori Mopsveſteni, qui amatorie ſcripſerit in Cantica, compoſitus videatur. Fragmenta aliquot ex Beda collecta habes apud eundem in *App. ad diſſ.* VI. *Opp. T. I. pag.* 388. ſq.

Dubia ſunt aut omnino *falſo* Iuliano *adſcripta: Epiſtola* Pelagii *ad Demetriadem*, quae vt diuerſos maxime auctores partim ignorantiae, partim ingenio hominum debuit, nec effugere potuit, quo minus huic tribueretur. Auguſtinus porro in Opere contra duas Pelagianorum Epiſtolas ad Bonifacium, libro primo, redarguendam ſibi ſumſit *epiſtolam* tanquam *Iuliani*, *Romam miſſam*, quam ille tamen ſuam eſſe negauit his verbis: *Facit quoque Auguſtinus mentionem epiſtolae, quam a me ait Romam fuiſſe directam; ſed verba quae poſuit, nequiuimus, quo de ſcripto loqueretur, agnoſcere. Nam ad Zoſimum quondam illius ciuitatis epiſcopum ſuper his quaeſtionibus duas epiſtolas deſtinaui; verum eo tempore, quo adhuc libros* (contra primum Auguſtini de nuptiis et concupiſcentia) *exorſus non eram* *). Alterius ergo cum fragmen-

*) Apud Auguſtinum Lib. I. Op. imperf. c. 17. — Auguſtinus reſpondit: *Haec epiſtola non eſt ad Zoſimum, ſed ad eos ſeducendos, qui Romae poſſent tali*

fragmenta ſuperſint, alteram patet prorſus intercidiſſe. Secus tamen ſtatuit Garnerius. Ponit enim, alteram ad Zoſimum epiſtolam ſcriptam fuiſſe octodecim epiſcoporum, ſubſcribere Tractoriae Zoſimi detrectantium, nomine et cum forte in manus eius incidiſſet *libellus fidei quorundam epiſcoporum ad metropolitam ſuum* nomine *Auguſtinum* directus, in quo negant ſibi per fidem ſuam licere damnationi Pelagianorum, vt iuſſi erant, ſubſcribere: hanc ipſam veram illam epiſtolam Iuliani aſſertionibus ſuper alias aſſertiones coaceruatis, non item probatis, contendit. Vt enim alia mittamus, quae iure meritoque contra eum diſputarunt viri accuratiſſimae doctrinae et certi iudicii, Noriſius *), Couſtantius **) et Rubaeus ***), id ipſum ſtatim veritate caret, quod altera ex duabus, quas ad Zoſimum direxiſſe profeſſus eſt epiſtolis non ſuo ſolius, ſed epiſcoporum octodecim, qui ad Rufum Theſſalonicenſem ſcripſerunt (vnde hoc fingendi ipſi occaſio enata eſt,) nomine

tali ſuaſione ſeduci etc. quaſi fraus ſubeſſet Iuliani verbis. Garnerius (ad Opp. Mercatoris. T. I. pag. 317.) Coeleſtio eam vindicat.

*) in *Cenſura Garnerii*, *Tomo IV. Opp.* a Balleriniis collectorum. Ei debetur coniectura, ſcriptam fuiſſe epiſtolam ab epiſcopis dioeceſis Aquileienſis ad metropolitam Auguſtinum, qui ſedem ſuam ab a. 408. ſat longo temporis ſpatio, ſi Chronographis fides habenda, tenuit.

**) in *Notitia ſcriptorum non exſtantium quae ad Zoſimum attinent.* n. XI. §. 28. p. 1001.

***) in *Monum. eccleſ. Aquilei. c.* XIV. *p.* 118. iterumque in Tr. *de peccato orig. cap.* XI. *pag.* 43. vbi pluribus Noriſii ſententiam adſtruit. His adde *Walchium* in *Hiſtorie der Ketz. T. IV. p.* 677 *ſq.*

mine ſcripta fuerit. Confidenter quidem in recenſu ſcriptorum Iuliani aſſerit, Mercatorem huius libelli meminiſſe (T. I. pag. 388;) ſed fruſtra locum illum ab eo indicari ſperes, et ſi inſtes, fatebitur (in notis ad libellum T. I. Opp. Mercatoris p. 327.) eum non niſi de *una*, cuius num. I. mentionem fecimus, teſtimonium tuliſſe. Enimuero non contentus fuit Garnerius, vno libro ditiorem feciſſe Iulianum, ſed homo opinioſus hac qualiſcunque fidei poſſeſſione vltro vſus eſt, ad aliud quoddam opus ipſi adquirendum. Extat nempe *liber fidei* Graeci cuiuſdam, vt videtur, ab incerto quodam in latinum ſermonem conuerſus, editusque primum e Corbeienſibus MSS. S. Germani de Pratis a Iacobo Sirmondo, qui de auctore nihil definire maluit, quam hallucinari. Huius vero non auctorem modo, ſed interpretem ſimul deprehendiſſe ſibi viſus eſt Garnerius: alterum Rufinum Syrum ſeu presbyterum Palaeſtinae, qui a Mercatore magiſter Pelagii Coeleſtiique dictus fuit; alterum Iulianum, hac maxime de cauſa, quod integrae fere ex eo paginae in iſto fidei libello, quem recens ei vindicatum iuerat, tranſſcriptae reperiantur, vnde ſtatuit, tantum ex hoc libro profeciſſe, vt ſuum fidei libellum voluerit eſſe Rufiniani paene compendium *).

Sufficere

*) Si amplius acumen eius noſſe cupis, vide, quae de tempore verſionis huius conſtituendo ex Gennadio elicit. *Non ſine cauſa*, inquit, *Gennadius de Iuliano:* PRIVSQVAM HAERESIM PELAGII IN SE APERIRET. *Indicauit enim, Iulianum, antequam haereſis Pelagii palam proderetur, eam in alio aperuiſſe, Rufino ſcilicet, cuius confeſſionem Latinis legendam praebuiſſet. Hinc vero colliguntur duo: alterum, verſionem eiuſmodi edidiſſe Iulianum, cum adhuc admodum iuuenis fo-*

 ret

§. 3. Editiones. Sufficere poteſt fragmentorum Iuliani ſedes in antecedentibus indicaſſe, quae facile in quibus Auguſtini editionibus inueniri queant. Sed quo minus in totum hac paragrapho ſuperſedeamus, facit libellus ille a Garnerio ſub Iuliani nomine publice propoſitus, qui ſic inſcribitur.

1668.

Pariſiis apud Sebaſtianum Marbre-Cramoiſy, Regis typogr. via Iacobaea, ſub Ciconiis. 8. Iuliani Eclanenſis Epiſcopi Libellus Fidei miſſus ad Sedem Apoſtolicam in cauſa Pelagianorum. Prodit nunc primum ex codice Veronenſi cum notis et diſſertationibus tribus hiſtoricis IOAN. GARNERII *Soc. Ieſu Presb.*

Digna notatu ſunt, quae de occaſione huius editionis ipſe prodidit Garnerius, *Hunc*, inquiens, *Pater Iacobus Sirmondus, ex codice Veronenſi, cum in Italia verſaretur, exſcripſit ſua manu, mihique aliquando oſtendit, et* gratulatus extemporalem de auctore et tempore coniecturam *dedit illuſtrandum notis et typis mandandum.* Mirum quippe non eſt, quod extemporalem ſuam coniecturam, Sirmondo approbatam, tantopere fouerit, vt nihil ei officere, nihil non eam iuuare, omnibus perſuaſum eſſe vellet. Atqui in MS. codice, vnde libellum Sirmondus

ret: alterum, a Pelagianis eam erroris partem, quae peccatum originale ſpectat, traditam fuiſſe primum, quaſi Orientalium fidem; immo tertium quoddam coniecto, Iulianum Pelagii exhortationibus e vita coniugali ad arctiorem conuerſum eſſe, indeque Memorio, Iuliani patre, ſcribente, Auguſtinum de Pelagii laudibus reſciuiſſe, quae poſtmodum in libris ſuis retulit.

dus eruit, nihil ſuper tituli loco poſitum erat, praeter quaſdam euaneſcentium literarum figuras, quas ille ſic expreſſit I V L I. Benedictini autem et cum iis Rubaeus legendas cenſent I N L I. *incipit libellus*, vt initium concordet fini: *Explicit libellus fidei* S I C. quas literas ibidem ſuae coniecturae conuenienter interpretatur Garnerius *Siculorum (epiſcoporum)*; Benedictini rectius *Sacerdotum Ieſu Chriſti.* Exhibetur autem libellus fidei in quatuor partes diſtributus, eique ſuccedunt diſſertatio I. *de tempore et auctore Libelli*, diſſ. II. *de vita et moribus Iuliani.* diſſ. III. *de ſubſcriptionibus in cauſa Pelagianorum*, quarto denique loco notae vberiores in libellum, quibus comparationis et illuſtrationis cauſa praemittuntur 1) *Libellus fidei a Pelagio Romam miſſus ad Innocentium Papam.* 2) *Fragmenta libelli fidei a Coeleſtio ſcripti.* 3) *Excerpta ex epiſtola Coeleſtii ad Clericos Romanos* (illa, quam Auguſtinus Iuliani eſſe putauerat) cum *obſeruationibus de tempore, auctore* etc. *eius.* 4) *Symbolum Theodori Mopsveſteni interprete Mario Mercatore:* additurque *Appendix de Anniano interprete homiliarum S. Chryſoſtomi, et breviatore Codicis Theodoſiani*, quae omnia vna cum multis aliis ad Hiſtoriam Pelagianae haereſis ſpectantibus, fuſius tractata et edita ſunt cum Operibus Marii Mercatoris. Sed Garnerius aliquando ea cum hoc fidei libello peculiari volumine editurus erat, ni ipſe Mercator tardioris morae impatiens mutare ſententiam coëgiſſet. Sic tamen non prorſus a ſe impetrare potuit, quin aliqua ſaltem ex pluribus ſuo guſtanda lectoribus propinaret. Recuſus eſt poſtea hic libellus vna cum diſquiſitione de tempore et auctore itemque obſeruationibus in *diſſ. VI. ad Opp. Mercatoris (Pariſ. 1673.) T. I. pagg.* 320—335. additis in fine quibuſdam ex genuinis Iuliani frag-

mentis, quae ſupra indicauimus. Ibi quoque diſſertatio de vita Iuliani facit caput VI. diſſ. I. de *prauis auctoribus et defenſoribus Haereſis Pelagianae*, *pag.* 144 *ſq.* quemadmodum de ſcriptis eius *caput IV. Append. ad diſſ. VI. pag.* 387 *ſq.* exponit. Diſſertatio denique de *ſubſcriptionibus in cauſa Pelagianorum* inter ceteras ad Mercatorem quartum locum occupauit, *pagg.* 263—282. Sed et hoc notabimus, ne cui fraus accidat, dari exemplaria editionis ſeorſim factae, quae annum 1673. in titulo praeferant. Titulus quoque non verbis quidem, ſed forma ac habitu ſuo paulo a ſuperiore diuerſus eſt (caret inſigne typographi Ciconiarum;) ſed opus ipſum abs vlla mutatione adiunctum habet. Scilicet a bibliopola hoc inſtitutum eſt, vt emtores alliceret, a quibus forte poſt editum ex ſua officina Mercatorem deſtitui metuebat. Textum ſolum libelli huius iterum deſcripſerunt, addita coniectura ſua ſupra indicata, *Monachi Benedictini in Appendice ad T. X. Opp. Auguſtini P.* II. *ed. Antverpienſis pag.* 74 *ſq.*

19.
FASTIDIVS.

§. I. Vita. Britannorum epiſcopus, vt ait Gennadius, aetatem innuens eo, quod inter Cyrillum Alexandrinum et Theodotum Ancyranum eum recenſuit, quibus itaque aequalis fuiſſe videtur *). Nimis longe petitum eſt, quod a Pelagio, vtpote conterraneo, iis erroribus infectum autumant, quos in ſcripto ſuo non occulte prodidit.

Scripſit

*) *Gennad. de ſcr. illuſtr. c. LVI.* Quae recentiores ſcriptores Britanni de eo memoriae prodiderunt, fabulis accenſeri merentur. Cf. *Caueus T. I.* (*ed.* Ox. nou.) *pag.* 401.

Scripſit eodem Gennadio teſte *ad Fatalem de vita Chriſtiana* librum et alium *de viduitate ſeruanda.* Sed haec ex parte tantum vera ſunt. Reſtat enim opuſculum, non in duobus ſed vno tractatu comprehenſum, ita tamen, vt totum quidem *de vita chriſtiana*, clauſula vero *de triplici viduitate* agat *). §. 2. Scripta.

Diu quidem ac ſaepius hic liber vel ſeorſim ſub Auguſtini nomine vel in collectionibus operum eius tanquam incerti auctoris foetus vulgari conſueuit, antequam ab *Holſtenio* vero ſuo parenti reſtitueretur. Is quippe nactus illum in vetuſto exemplari monaſterii Caſſinenſis, deſcripſit et typis paratum reliquit: publicauit autem ex ſchedis eius cum duobus aliis opuſculis Romae 1663. Petrus Poſſinus ex S. I. mox complurium MSS. librorum ope expolitum et cum Holſteniana editione collatum recudi fecerunt *editores Operum Auguſtini Pariſienſes*, idque nuper exemplar denuo cum Holſteniano comparatum et adnota- §. 3 Editiones.

*) Lectio vulgaris Gennadii *ad Fatalem quendam*, neminem morari debet. Praeterquam enim, quod Corbeienſis codex alteram vocem omittit, appellatio *dilectiſſima ſoror*, qua auctor vti ſolet, errorem ſiue ipſius Gennadii, ſeu librarii prodit. Nihilominus *Pagius* (in Baron. ad a. 420. §. 29.) ex eo anſam cepit, libellum iſtum Faſtidio abiudicandi, adſumto altero argumento ex verbis Gennadii, quibus *ſana et digna doctrina* ſcriptum illos libros dicit, cum tamen in eo, quem Holſtenius demum Faſtidio aſſeruit opuſculo, Pelagianiſmi veſtigia appareant. Sed poſterius etiam dudum cognita Maſſilienſis presbyteri in Pelagianas doctrinas propenſione reuellitur, adeo vt equidem non videam, cur *Walchio (Hiſtorie d. Ketz.* T. IV. p. 701.) imprudentius viri docti Holſtenio aſſenſum praebuiſſe cenſeantur.

notatione aliqua illuſtratum dedit *Andreas Gallandius* Congreg. Oratorii Venet. Presbyter; quae ex ſequentibus magis patebunt.

Saec. XV.

1467.

Per Olricum Zel de Hanau. 4. Beati Auguſtini liber de vita chriſtiana. Eiuſdem liber de ſingularitate clericorum. In fine poſterioris: „*Explicit Liber beati Auguſtini epi. de ſingularitate clericorum. Per me Olricum Zel de Hanau clericum dioceſ. Moguntinen. Anno milleſimo quatercenteſimo ſexageſimo ſeptimo.*" Prior tractatus XIX. folia, alter XXXIII. complectitur, quorum ſingulae paginae lineis XXVII. conſtant. *Debure in Cat. Ducis de la Val. T. I. p.* 173. Supra ſub *opuſculis* plures habes Auguſtini tractatus huic editioni valde ſimiles, ab eodem haud dubie typographo, circa annum 1470. vt putant, impreſſos.

Sine anno et loco.

[*Moguntiae apud Petr. Schoiffer*] 4. Incipit prologus beati Auguſtini de vita Xpiana. In fine: *Explicit liber b. Aug. de v. chr. Hec faciendo quiſque vitam obtinebit eternam.* Extremo loco inſigne Schoefferianum minio, vt ſolet, impreſſum conſpicitur. Character ex gothico ad rotundum deflectit, ſed perquam exilis et rudis eſt. Signaturae et numeri foliorum plane abſunt. Cf. *Cat. Bibl. Duc. de la Val. T. I. p.* 174. Extat item in Bibliotheca Lubecenſi.

1500.

Pariſiis per Alexandrum Aliate. 8. Auguſtinus de vita Chriſtiana liber. Sic memorat *Orlandi*

Origine

Origine e Progr. della Stampa pag. 284. Neſcio vero, an et ſequens editio huic ſaeculo ſit adnumeranda.

Sine anno.

Pariſiis ap. Ioh. Lambert. 8. Liber beati Auguſtini De Vita chriſtiana. Haec in ſuprema paginae parte, reliqua ſignum officinae pro more typographorum Pariſienſium exeunte ſaeculo XV. et ſub initium XVI. occupat. In fine: „*Explicit* etc. *Impreſſus pariſiis per Iohānem lambert in vico ſancti iacobi commorantem p Dijoniſio* (ſic) *Roce.* Literae ſunt gothicae minutae.

SAEC. XVI.

1529.

Baſileae ap. Froben. fol. De vita Chriſtiana tractatus; *in tomo IX. Opp. Auguſtini ed. Eraſmi* primae, neſcio qua pagina; in edd. annorum 1524 et 1569. ibidem *pagg.* 888—903. Eraſmus hanc cenſuram addidit: „Hunc librum non eſſe S. Auguſtini, non magis ſuperuacaneum ſit, quam ſi quis admoneat, bubalum non eſſe equum. Fruatur ſuo quiſque iudicio, ego nihil video dignum in quo tempus terat, cui ſit alioqui aliquid ſerii negotii.“

1539.

Lipſiae. 8. Auguſtini de vita Chriſtiana liber, cum praefatione *Georgii Wicelii* ſenioris, Fuldenſis. *Becmanni Cat. Bibl. Francof.* p. 35. Cf. *M. Bibl. Eccl. Colon.*

1576.

Antverpiae ap. Chriſtoph. Plant. fol. De vita chriſtiana liber; in ed. Opp. S Auguſtini *Louanienſium*

ſium Theologorum Tomo IX. pagg. 416—421. Ibidem plane eum reperies in repetita *Pariſiis* 1586.

SAEC. XVII.

1663.

Romae typis Iacobi Dragondelli. 8. Faſtidii Epiſcopi de vita Chriſtiana liber denuo editus et Autori reſtitutus ex MS. Codicis Sacri Caſinenſis Monaſterii, opera et ſtudio Lucae Holſtenii Vaticanae Baſilicae Canonici et Bibliothecae praefecti.

Additae ſunt in pagina extrema *Variae lectiones ex Collatione cum MS. Vaticano et cum editis inter Opera S. Auguſtini.* Prodiit autem vna cum duobus aliis opuſculis hoc communi titulo: *Opuſcula Tria Veterum Autorum prolata nunc primum ex muſeo Lucae Holſtenii Vat. Baſ. Can.* etc. *cura eius, dum viueret, editioni parata*, quae in titulo interiori ſic notantur: I. *Paſſio SS. Martyrum Perpetuae et Felicitatis cum Teſtimoniis veterum et Notis poſthumis Holſtenii.* II. *Paſſio S. Bonifacii Martyris cum animaduerſionibus ad Martyrologium Rom.* III. *Faſtidii Epiſcopi de Vita chriſtiana liber.* Sed praeter haec nihil habent, quo inter ſe ligentur tria illa opuſcula; immo quoduis peculiari titulo et praefatione gaudet et citra diſpendium a ceteris ſeparari poteſt. Quo factum eſt etiam, vt priora duo Pariſiis a. 1664. curante Henrico Valeſio recuſa ſint, Faſtidio non admiſſo, ſed additis in locum eius quibuſdam aliorum Martyrum actis.

1685.

Pariſiis. fol. Faſtidii Britannorum Epiſcopi liber de vita chriſtiana; *in Opp. S. Auguſtini* edd. BENEDD. *Append. ad T. VI. pag.* 183. *ſeq.* in ed. *Clerici.*

Clerici. Antverpiae. 1701. *pagg.* 663—672. Contulerunt editores cum codicibus MSS. Corbeienſi vetere, Remigiano, Michaelino, Victorino ac duobus Sorbonicis itemque cum Holſtenii editione denuo.

SAEC. XVIII.

1773.

Venetiis ex typogr. Io. Bapt. Albritii. fol. Faſtidii Britannorum Epiſcopi liber de Vita Chriſtiana; in *Biblioth. PP. et SS. Vet. Ecclеſ.* ANDREAE GALLANDII *Tomo* IX. *pagg.* 481 — 89. De Faſtidio agitur *cap. XV. Prolegg pag.* XXIX. *ſq.*

VERSIONES. Scilicet de his ſolummodo ea hic repetemus, quae diligentiſſimi auctores *M. Bibliothecae Eccl. Colonienſis* collegerunt et obſeruarunt. Sunt autem *Gallicae* ferme ſequentes:

1542.

Paris par Jean Feuchier. 8. Traitté de S. Auguſtin de la vie Chreſtienne avec les traittez de charité et de la vanité de ce ſiecle et monde inferieur d' obedience et d' humilité. Et l' eſchelle de Paradis. [Trad. par *Joſeph Du Chesne* ſieur de la Violette, conſeiller et medecin ordinaire de Monſeigneur frere unique du Roy.] Sic *Duverdier* p. 773. hanc verſionem recenſet inter ſcripta Medici ac Chymici illius ſatis ſua aetate famoſi. Sed *Baelius* ad memoriam eius obſeruat, ſi recte Verderius annum notauerit, huic non conuenire poſſe; ſiquidem Effigies eius *Diaetetico Polyhiſtorico* a. 1606. primum edito praefixa Autorem tum aetatis annum ſexageſimum egiſſe teſtetur, et aliunde conſtet, eum a. 1609. obiiſſe,

obiiſſe, vnde colligitur eum anno demum 1546. natum fuiſſe: praetereaque non credibile eſſe cenſet, virum Chymicae arti prorſus deditum S. Auguſtini libris in vernaculam linguam tranſferendis operam impendiſſe.

1577.

Lyon par Benoiſt Rigaud. 8. Le Livre de S. Auguſtin de la vie chreſtienne traduict par *Mr. de Galiſſard* Docteur en Theologie de l'Ordre des Freres Precheurs. *Duverdier p.* 478. qui male tamen *Guilielmum* appellat, cum potius *Petrus* audierit *), vt ex *Echardo (SS. Ord. Praed. T. II. p.* 246) auctores noſtri monent, vnde ſimul diſcimus, *Renatum Clavieres* Eccleſiae Anicenſis in Velauniis Canonicum hanc verſionem edendam curaſſe.

1653.

à la Haye. 12. Traité de la Vie du Chretien trad. par *D. Fleury de Belingen.* Monent Colonienſes Epiſtolam Dedicatoriam traductoris ſubſcriptam eſſe a. 1662. vbi vel legendum ſit 1652. vel in anno editionis non 1653, ſed 1663.

1666.

Regensburg. 12. Auguſtini Büchlein von Vollkommenheit der Gerechtigkeit. Sub hoc titulo librum huncce *germanice* conuerſum laudat *Lipenius* in *Bibl. Theol.* ſub tit. *Perfectio* Chriſtiana.

20.

LEPORIVS.

§. 1. Vita. Natione Gallus, vitam monaſticam Maſſiliae ſub Caſſiano vt videtur ab ineunte ſaeculo quinto amplexus,

*) In recenti operis illius editione error hic ſublatus eſt.

xus, ſumma inter ſuos vitae innocentis atque morum ſanctitatis exiſtimatione florebat, cum, incertum quo pacto, ſed ſi ex verbis ipſius concludere licet, epiſtola quadam ſua, duplicis haereſis infamia, nouae alterius, de Chriſto homine ſolum nato, et Pelagianae, de homine dei adiutorio non indigente, quam priori conſequentem dicit Caſſianus *) flagrare coepit, et quod admonitus tam a Caſſiano, quam ab aliis, defendere fortaſſe ſententiam ſuam ſuſcepiſſet, ex eccleſia Maſſilienſi vel Aquenſi eiectus eſt. Vnde in Africam profectus cum aliis quibuſdam erroris ſui ſociis in Aurelii Carthaginenſis et Auguſtini praeſertim manus incidit, eorumque opera in tantum

*) *Lib. 1. de Incarnat. cap. I. Illud ſane vnum praetereundum non arbitramur, quod peculiare ac proprium ſupradictae illius haereſeos, quae ex Pelagiano errore deſcenderat, fuit, quod dicentes quidam ſolitarium hominem Ieſum Chriſtum ſine vlla peccati contagione vixiſſe, eo progreſſi ſunt, vt aſſererent, homines, ſi velint ſine peccato eſſe, poſſe: conſequens enim exiſtimabant, vt ſi homo ſolitarius Ieſus Chriſtus ſine peccato fuiſſet, omnes quoque homines ſine Dei Adiutorio eſſe poſſent, quidquid ille homo ſolitarius ſine conſortio Dei eſſe potuiſſet;* etc. Idem Caſſianus in *eod. cap.* Leporium, *ex Pelagii inſtitutione vel potius prauitate deſcendentem,* aſſertorem praedictae haereſeos apud Gallias extitiſſe dicit, cumque alibi (c. 2.) memoret venenoſam iſtiusmodi peſtem aetate ſua et *maxime Beligarum* vrbe emerſiſſe; quod alii ad Belicam apud Rhodanum in Breſſia (Bellay) trahunt, alii *Belgarum* ſubſtituentes Treuiros interpretantur: nonnulli in eo ſibi praecipue placentes, ſi omnia vel leuiſſima hiſtoriae momenta connectere inuicem et aptare poſſint, coniecerunt, Leporium in ea vrbe errores ſuos et hauſiſſe primum et docuiſſe antequam in Prouinciam regreſſus per epiſtolam eos euulgaret.

tum reſipuit, vt publice etiam emendatum ſe et ſanae doctrinae redditum teſtari cuperet, id quod fecit epiſtola ad eos maxime, qui ex eo offenſam ceperant, Proculum ſcilicet Maſſilienſem et Cylinnium Aquenſem aliosque Galliae epiſcopos directa et hac ſubſcriptione firmata: „*Ego Leporius libellum meo ſenſu dictatum, in quo fidem meam Deo volente in finem vſque tenebo, medullitus exprimere volens coram ſanctis epiſcopis in eccleſia Carthaginienſi relatum ſubſcripſi.* Similia teſtati erant extorres ceteri pariter correcti. Subſcripſerant praeterea quatuor Africanae Eccleſiae Epiſcopi, Aurelius, Auguſtinus, Florentius et Secundinus, eius eſſe teſtantes et adiunctis ad eosdem epiſcopos literis, vt ſanatos gratanter ſuſciperent orantes. De anno, quando haec acciderint, diuerſiſſimae extant eruditorum, qui has res attigerunt, ſententiae. Nobis prae ceteris verior videtur eorum, qui ad annum 418. vel 419, quo ipſo Proculus ille Maſſilienſis obiit, retractationem Leporii referunt; quacum reliqua omnia momenta ſatis bene congruere videntur *). Licet autem hoc ſpecimine edito cum eccleſia patria in gratiam rediiſſet, ipſum tamen eo reuerſum eſſe haud accepimus. Immo monachi habitu depoſito in Hipponenſem eccleſiam receptus atque ab ipſo Auguſtino circa annum 425. aut 426. presbyter ordinatus eſt. Nam ipſum hunc Leporium fuiſſe, cuius in actis eccleſiaſticis, quibus Eraclium ſibi ſucceſſorem deſtinauit a. 426. ſexto Kal. Octobris editis, Auguſtinus meminit, quemque in ſermone *de vita et moribus clericorum* eodem ferme tempore habito his verbis laudauit: *Vobis dico, qui forte neſcitis; nam veſtrum*

plu-

*) Haec eſt ſententia PP. Benedictinorum Congreg. S. Mauri in *Hiſt. litt. de la France, T. II, pag.* 167.

plurimi ſciunt: presbyterum Leporium, quamuis ſaeculi natalibus clarum, et apud ſuos honeſtiſſimo loco natum, tamen iam Deo ſeruientem, cunctis, quae habebat, relictis inopem ſuſcepi etc. nemo iam dubitat. Ibi autem adhuc anno 430. eum egiſſe ex Caſſiano diſcimus *).

Inſcribitur opuſculum illud, *Libellus Emendationis ſiue Satiſfactionis ad Epiſcopos Galliae* **). Adpellatio autem habet, *Dominis Beatiſſimis et Venerandiſſimis Dei Sacerdotibus Proculo et Quillenio (Cyllenio, Cilinio) Leporius Exiguus.* Magna autem ipſi apud veteres tributa fuit auctoritas, adeo vt Leporius etiam inter propugnatores fidei catholicae contra Neſtorium cenſeretur. Fuerunt tamen inter recentiores nonnulli viri docti, qui non tam a Leporio conceptum, quam ab Auguſtino dictatum exiſtimarent, idque cum ex ſtili ſententiarumque ſimilitudine, tum vero etiam ex eo, quod inter teſtimonia epiſtolae S. Leonis CXXXIV. (ed. Queſn. CLXV. ed. Ballerin.) ſubiecta itemque in actione II. concilii Chalcedonenſis et apud Theodoretum (dial. II.) Auguſtini nomine inſcriptus eſt. Tale quid priori de cauſa iam ſuſpicatus erat Garnerius ***), ſerio autem profiteri ſuſtinuit *Paſchaſius Queſnellus* in notis ad laudatam Leonis epiſtolam, vbi ſingularem hac de re diſputationem inſeruit ſic inſcriptam: *De libello Confeſſio-* § 2. Scripta.

*) *Caſſian. de Incarnat. Lib. I. c. IV.*, quod opus ſcriptum eo tempore exiſtimant.

**) Additur plerumque in editis, *Confeſſionem fidei catholicae continens de myſterio incarnationis Chriſti, cum erroris priſtini deteſtatione.*

***) in *Opp. M. Mercatoris diſſ. II. de Synodis in cauſa Pelag. habitis* T. I. p. 230.

Confeſſionis Leporii Monachi, *cuius auctor S. Auguſtinus nunc primum aſſeritur* *). Sciendum vero, multum eum tribuere Codici cuidam MS. Grimanico, cuius auctoritatem tantam facit, vt haud aegre agnoſcas, totam illam coniecturam in eius gratiam eſſe propoſitam. Nam cetera argumenta eius certe admodum leuidenſia ſunt, veluti illud, quod a ſuffragio Actorum Concilii Chalcedonenſis petiit. In iis enim, vt iam a Gallandio eſt obſeruatum, eadem Leonina epiſtola recitatur, quam etiam Theodoretus exſcripſiſſe intelligitur. Et haud dubie Leo non aliam ob cauſam librum iſtum Auguſtino tribuit, quam quod ab eo approbatum eſſe noſſet. Leuia ſunt et haec, quae ex verbis ſubſcriptionis *libellum ſuo ſenſu dictatum eſſe* et quod paſſim de eo ſic loquatur: *huius Epiſtolae fides*, *huius Epiſtolae profeſſio*, cum alioqui a ſe ſcriptum et ſuum dicere debuiſſet, depromit, cum interea nullius momenti putat, quod ipſi ex Epiſtola Africanorum Epiſcoporum obiici poſſit, qua confeſſionem illam Leporii *ipſius eſſe teſtantur*. Etenim quod addit, multis nominibus ipſius fuiſſe et dici potuiſſe, quia videlicet ipſius ſenſu dictatus, ipſiuſque nomine euulgandus fuiſſet; quia eius fidem emendationemque palam faceret; quia denique propria cum manu deſcriptum proprioque munitum Chirographo in Gallias mitteret: id vero nugae ſunt. Immo nuſquam ſua manu ſcriptum legimus, ſed ab ipſo ex vero animi ſenſu amanuenſi cuidam dictatum, verba ſuperius poſita lucide declarant. Quod denique ad ſtilum ipſaſque dicendi formulas apud Auguſtinum obuias attinet, quis

*) *Opp. Leonis T.* II. ed. *Paris. pag.* 906. ed. *Lugd. pag.* 508.

quis dubitauerit, quaeſo, eum ad illius viri mentem et ſcripta ſe compoſiturum fuiſſe, cui ſui emendationem potiſſimum deberet. Ceterum epiſtola Africanorum epiſcoporum, qua ſubſcriptionem Leporii teſtimonio ſuo confirmant, etiamnunc ſupereſt et cum libello iſto fere euulgari ſolet. Hanc autem qui ab Auguſtino reliquorum nomine ſcriptam exiſtimant, minus errare videntur. Quapropter etiam epiſtolis illius inſerta eſt *).

Quo maius autem huic Leporii libello pretium apud omnes orthodoxos ſtatutum fuit, eo citius *intercidere* debuit prior illa, quam proxime attinebat epiſtola, de qua ſic ipſe ſcripſit §. 11. *Epiſtola itaque, auctor ſcandali et offendiculum caritatis, a me quondam ſimpliciter ſcripta quidem, ſed in quibuſdam, vt agnoſco, infideliter ordinata, quaeſo ſecundum huius epiſtolae profeſſionem et ſanctimoniae veſtrae auctoritatem, vt in ea paginae parte, vel cauſſa, in abolitione calcanda ducatur, in qua contra veritatem per ignorantiam edita comprobatur; vt cunctis innoteſcat et pateat, iuſto iudicio illud quod erat aemulum fidei, contrarium veritati, de corpore eiuſdem epiſtolae cum damnatione eſſe deciſum.*

Huius Leoporiani libelli fragmenta inſeruerat olim Conciliis Galliae *Iacobus Sirmondus*, idemque primus a. 1630. integrum ex codice monaſterii Herivallenſis edidit. Exinde in varias Conciliorum editiones receptus fuit, emendatior etiam a Garnerio attextus Mario Mercatori, inſertus porro Bibliothecae PP. Lugdunenſi, collectioni Operum Sirmondi nuperque ex eadem recuſus in Bibliotheca PP. Veneta. Teſtis erit ſequens indiculus. §. 3. Editiones.

Saec.

*) Epiſt. CCXIX. Opp. T. II. *pag.* 810.

SAEC. XVII.

1629.

Pariſiis. fol. Epiſtola ſeu Libellus emendationis Leporii Monachi ad Epiſcopos Galliae *ex fragmentis apud Caſſianum de Incarnatione Domini reſiduis collectus* cum adnotatione Chronica *Iacobi Sirmondi;* in *Tomo I. Conciliorum Galliae pag.* 52. *ſqq.*

1630.

Pariſiis. 8. Leporii Presbyteri Libellus emendationis *integer* vna cum *Epiſtola Epiſcoporum Africae cum eodem miſſa ad Epiſcopos Galliae* (ex codice MS. S. Laurentii Leodienſis) inter *Opuſcula Dogmatica Veterum Quinque Scriptorum, qui ante annos* M. CC. *claruerunt, primum in lucem* edita ſtudio et opera IACOBI SIRMONDI *Soc. I. Presb.* primo loco.

1644.

Pariſiis ex Typographia Regia. fol. Epiſtola ſeu Libellus Emendationis Leporii Monachi etc in *Tomo* IV. *Conciliorum Collectionis Regiae Luparenſis pagg.* 669—671. Praemittitur Epiſtola Epiſcoporum Africanorum. Monendi autem ſunt lectores, non integrum hoc loco exhiberi libellum, vt ab aliis proditum eſt et facile a quouis exſpectatur, ſed qualis primum in Conciliis Galliae proditus erat, ex Caſſiano conſarcinatus.

1666.

Lutetiae Pariſiorum apud ſoc. Typogr. librorum officii eccleſ. fol. Leporii presbyteri libellus Emendationis ſeu Liber Satiſfactionis; in *Petri Delalande Supplemento Conciliorum Vet. Galliae Iac. Sirmondi. pagg.* 16—20. cum nota editoris.

1671.

1671.

Lutetiae Pariſiorum. fol. Leporii Monachi et Presbyteri Libellus emendationis ſeu ſatiſfactionis — miſſus Carthagine cum ſubſcriptione et epiſtola epiſcoporum Africae ad Epiſcopos Galliae; in *Conciliis Phil. Labbei,* cum notis ex priore tranſſcriptis et noua Obſeruatione Ph. Labbei. Praecedit epiſtola Africanorum. Notae quaedam poſtumae Sirmondi exhibentur *pag.* 1820.

1673.

Pariſiis. fol. Leporii Monachi Libellus ad Epiſcopos Galliae, ſimul cum Epiſtola Epiſcoporum Africanorum; repurgauit mendis plurimis et obſeruationibus quibuſdam illuſtrauit *Io. Garnerius ad Opp. Marii Mercatoris T.* I. *pagg.* 224—231. Menda a ſe ſublata Sirmondi diligentiam inexhauſtis manuſcripti codicis erratis fatigatam effugiſſe, non ita tamen leuia fuiſſe, profitetur, quin ſaepe lectorem a proprio auctoris ſenſu ad falſum auerterent. Non autem ignorari debet, eſſe hunc Libellum cum Epiſtola laudata a Garnerio tanquam *Acta Synodi XX Africanae Vniuerſalis in cauſa cum aliorum, tum etiam Leporii Monachi*, quam ab Aurelio a. 425. Theodoſio Auguſto XI. et Valentiniano Caeſare Coſſ. congregatam vult, propoſita: quanquam haec ſynodus merum Garnerii figmentum eſt, quo ſcilicet numerus rerum in Diſſertatione II. ab eo tractatarum ſpecioſior exiret, cui tamen ipſe quod praetenderet adeo parum inuenit, vt non erubuerit fateri, ſe haud noſſe, quid in ea actum ſit, *nec canones conditos opinari, ſed actum eſſe vel de ſola iam dudum recognitorum executione, vel de cauſis ad perſonas pertinentibus, quae ex prouinciis delatae eſſent.* Sicuti omni omnino probabili ratione egent, qui

Leporii libellum coram Synodo quadam recognitam contendunt, quippe quod vnum illud Romani Epiſcopi teſtimonium *) minime euincit. Ceterum haec Garnerii opera recuſa eſt in *Appendice Auguſtiniana* Ioannis Clerici. *pag.* 142.

1677.

Lugduni apud Aniſſonios. fol. Leporii libellus emendationis etc. in *Tomo VII. Bibl. PP. Max. pag.* 14 *ſeq.*

1696.

Pariſiis ex Typogr. Regia. fol. Leporii Presbyteri Libellus Emendationis etc. inter *Opuſcula Dogm. Vet. V. SS. Iacobi Sirmondi* recuſa in *Operibus* eiuſdem *Tomo I. pagg.* 346—58. Adiecta eſt Africanorum Epiſtola. Subiunxit editor *Iacobus de la Baune* notas eius omnes nec non eas Garnerii.

SAEC. XVIII.

1715.

Pariſiis ex Typographia Regia. f. Leporii Monachi Libellus Satiſfactionis *praemiſſa* Epiſtola Epiſcoporum Africae, quam cum Leporii libello miſerunt ad Epiſcopos Galliae; in *Tomo I. Concilior. Harduini pagg.* 1263—1270.

1773.

Venetiis ex Typogr. Io. Bapt. Albritii. fol. Leporii presbyteri Libellus Emendationis ſeu Satiſfactionis

*) In epiſtola III. *ad Auienum et alios Senatores* locum recitans ex hoc libello, *Leporius*, inquit, *in epiſtola, quam Aurelius Epiſcopus Carthaginenſis et Auguſtinus et* SYNODVS AFRICANA *confirmauit.* Sed poſterius fortaſſe non aliam ob cauſam, quam quod in Eccleſia recitata dicitur, locutus eſt.

ctionis vna cum Epiſtola Epiſcoporum Africanorum in *Bibl. Vet. PP. et. SS. Eccleſ. Andreae Gallandii Tomo IX. pagg.* 396—400. Imprimendum dedit exemplum in Operibus Sirmondi propoſitum, id eſt, textum editionis primae cum emendationibus Garnerii notiſque eius et Sirmondi. In *Prolegg. caput* X. *pagg.* XXII—XXIV. Leporio dicatum eſt.

1789.

Pariſiis ſumtib. Petri Didot. F. Primog. fol. Leporii Presbyteri Libellus ad Epiſcopos Galliae vna cum epiſtola Epiſcoporum Africae ad Gallos et aliis documentis ad eius et ſociorum emendationem pertinentibus, inſtructus notis ac obſeruationibus a *Monachis Congreg. S. Mauri Pariſ.* in *Tomo* I. *Collectionis Conciliorum Galliae, pagg.* 351—366.

21.

Pavlinvs Mediolanensis.

S. Antiſtitis, cuius vitam ſcripſit, dum viueret §. 1. Vita.
amanuenſis, non multo autem poſt ipſius obitum eccleſiae Mediolanenſis diaconus, Mediolani natus atque educatus videtur, et fortaſſe dum adhuc inferioris ordinis clericum ageret, Auguſtino ibidem commoranti innotuit. Apparet enim, eum paucis poſt Ambroſii exceſſum annis Africam ſe contuliſſe, atque eius conſiliis et auctoritati tradidiſſe regendum. Dum autem Carthagine ſubſiſteret et fortaſſe presbyterii honorem in ea eccleſia opperiretur, accidit, vt eodem deferretur Coeleſtius ad eandem dignitatem adſpirans. Cui cum ex optato res ſuccedere, nec amplius dubium videretur, quin iſto honore potiturus eſſet, feliciter Paulinus detexit, eum noua dogmata per vrbem ſpargere et oblato patribus Cartha-

 ginenſis

ginenſis ſynodi a. 412. aduerſus haereticum libello ab omni ſpe cogitationum ſuarum rurſus deturbauit. Quae deinceps ipſum inter et Zoſimum Romanum Epiſcopum huius cauſa acta ſint, ſupra in Coeleſtii vita enarrauimus. Tum tamen nondum presbyteratum obtinebat, quem, ſi Iſidoro Hiſpalenſi fides, tandem adeptus eſt.

§. 2. Scripta. Tria iam ſuperſunt huius opuſcula:

1) *Vita Ambroſii*, ſcripta hortatu Auguſtini in Africa poſt annum 400. quin abſoluta demum poſt a. 412. Nam non ſolum Venerii meminit, qui poſt Simplicianum, Ambroſii ſucceſſorem, ſedem Mediolanenſem ab a. 400. vſque ad annum 408. ſeu 409. tenuit, ſed mentionem etiam facit Ioannis praefecti praetorio, qui ſub Honorio hanc dignitatem annis 412, 413. et 422. obtinuit, vt ex προσωπογραφίᾳ Codicis Theodoſiani conſtat.

2) *Libellus aduerſus Coeleſtium Zoſimo papae oblatus*, ſcr. a. 417. et conſignatus *VIII. die Nouembris.*

3) *De Benedictionibus Patriarcharum*, de quo teſtimonium tulit Iſidorus Hiſpalenſis. *Paulinus*, inquiens, *presbyter explicuit in benedictionibus patriarcharum triplici intelligentiae genere libellum, ſatis ſuccincta breuitate compoſitum:* ſed quod, antequam ipſum opuſculum a Mingarellio euulgaretur, vix fidem apud criticos meruit, cenſentes, Iſidorum perperam Paulino *Rufini* Opus *de Benedictionibus Patriarcharum* tribuiſſe.

Intercidit vero *libellus accuſationis contra Coeleſtium*, quem Synodi Carthaginenſis patribus obtulerat.

Vita

Vita Ambroſii ſub Paulini Nolani vel Paulini Epiſcopi nomine, inde, ab a. 1474. in omnibus paene opuſculorum vel Operum Mediolanenſis Antiſtitis editionibus excudi conſueuit, atque in nouiſſima *Benedictinorum editione* ad plures MSS. codices repurgata legitur in *Appendice Tomi II. pagg.* 2—14. Inſerta quoque *Actis SS. Surii IV. Aprilis.* § 3. Editiones.

Libellum Zoſimo oblatum primus e Vaticano Codice edidit *Card. Baronius* ad a. 418. num. XII. XIII. XIV. XV. Exinde repetitus eſt in *Conciliis Labbei Tomo* II. *pagg.* 1578—80. *) cum obſeruatione eiuſdem Labbei; inſertus quoque a *Benedictinis* inter *varia ſcripta et monumenta ad Pelagianorum hiſtoriam ſpectantia* in *II. Parte Append. T. X. Opp. Auguſtini* (ed. *Antverp. p.* 69.) Mox denuo ad Vaticanum codicem et ſuperiores editiones recognitum et annotationibus doctiſſimis illuſtratum dedit *Conſtantius* inter *Epiſtolas Rom. pontiff.* cum epiſtolis Zoſimi *pagg.* 963—68. Labbei tamen editionem repraeſentauit *Manſius* in *Tomo Concilior. pagg.* 381—84.

*) Inſcribitur ibi, *Paulini Diaconi libellus, Zoſimo papae oblatus* in gratiarum actionem *poſt damnatos apoſtolica autoritate Pelagium atque Coeleſtium:* ex Baronio ſcilicet, qui neſcio quam gratiarum actionem pro fine totius epiſtolae venditat, quae re ipſa excuſatoria eſt et callide nectit cauſas, cur ad iudicium Zoſimi, ad quod vocatus erat, venire non poſſit nec debeat, inter quas gratiarum actio de lata pro ſe (Paulino) ſententia, tanto acerbior eſt geſtorum Zoſimi exprobratio, quo minus ille tum Coeleſtium damnaſſe videri poterat aut videri volebat. Sed quaecunque hic contra veritatem peccauit Baronius dudum correxerunt *Garnerius* ad Mercatorem diſſ. II. T. I. p. 206. et *Pagius* (ed. Manſi T. VII. p. 110 ſeq.) vt mirum ſit, peiorem ſententiam ab aliis poſthac repeti potuiſſe.

Tandem *tertium* quoque opuſculum diu deſideratum et iam plane in dubium vocatum clauſtra, quibus abſcondebatur, perrupit. Prodiit enim anno

1751.

Bononiae apud Hier. Corciolani etc. 4. Paulini Mediolanenſis de Benedictionibus Patriarcharum libellus cum notis ac praefatione *Ioannis Aloyſii* MINGARELLI *S. Salu. Bononiae Canon.*; in *Anecdotis* ab iiſdem *Canonicis vulgatis T.* II. *P.* I. *pagg.* 199—237.

Codex, vnde opuſculum iſtud editur, eſt Bibliothecae S. Saluatoris Bononiae vetuſtiſſimus et haud procul ab ipſa ſcriptoris huius aetate remotus. Titulum non habet, ſed loco eius librarius non indoctus adſcripſerat: *Vel eſt Paulini presbyteri, vt Iſidorus de viris illuſtribus capitulo IV. dicit, vel Rufini Aquilejenſis presbyteri, vt Gennadius de Viris Illuſtr. c. XVII.* Rufini opuſculum ſimilis argumenti male ab Iſidoro Paulino tributum eſſe, non tantum ſuſpicati erant, ſed confidenter affirmarant Io. Caveus et Caſimirus Oudinus. Sed hic certe libellus diuerſus eſt cum a Rufini, tum ab Ambroſii in eadem materia opere. Editor autem eruditione accurata iuxta quam ingenio liberali conſpicuus in laudata praefatione ſolertiſſime oſtendit: 1mo. Iſidorum Paulini nomen ac genuinum opus ignorare non potuiſſe, ipſiuſque teſtimonium ab Honorio Auguſtodunenſi eſſe confirmatum, qui poſtquam in Rufino libri eius de *Benedictionibus Patriarcharum* mentionem fecit, eodem de argumento Paulinum ſcripſiſſe affirmet. 2do. Proprium Iſidori conſilium fuiſſe ea, quae ab Hieronymo et Gennadio omiſſa eſſent, in ſuo opere ſupplere, adeoque non potuiſſe Rufinum cum Paulino, aut Rufini opuſculum cum Paulini

Paulini opuſculo confundere, vt qui probe noſſet a Gennadio commemoratum Rufini *de benedictionibus Iacob et Patriarcharum* libellum; 3tio. Ipſum Iſidorum in Commentariis V. T., dum ſingulas Patriarcharum benedictiones exponit, multa vti ex Rufino, ita ex Paulini hoc libro deſumpſiſſe videri (quod pluribus in annotationibus opuſculo ſubiectis demonſtratur;) eumque, qui commentaria ſua ex collectis veterum Scriptorum ſententiis ſe confeciſſe profiteatur, antequam de benedictionibus Patriarcharum ſcriberet, non potuiſſe Ambroſii, Rufini et quem a Paulino ea de re ſcriptum nouerat libellum non percurrere ac diſcernere. 4to. Non competere Rufini libris duobus haud ita breuibus, quod de Paulini opere ſcribit Iſidorus, illud *ſatis ſuccincta breuitate eſſe compoſitum;* 5to. Id vero mirifice conuenire huic opuſculo, cui praeterea et illud, quod ipſe Iſidorus ex eo hauſiſſe videatur, itemque quod hic ſcriptor multis in locis ſequi videatur Ambroſium, nec non ſtilus ei, quem Paulinus in Ambroſii vita adhibuerit, perſimilis, et loquendi modi vtrobique pares, demum ipſa opuſculi vetuſtas, quod ſe multo ante Iſidori aetatem ſcriptum prodat multis indiciis, imprimis autem hoc, quod ſcripturae loca non modo ex Hieronymi translatione auctor proferat, verum etiam ex vetuſtiore alia, quae *Italica* dicebatur. Remouet deinde dubia quaedam, quae obmoveri poſſe videbantur, alterum, quod *triplex intelligentiae genus* habuiſſe dicatur a Paulino Iſidori opuſculum, cum hocce duplex tantum, *hiſtoricum* et *myſticum*, non item et *morale* habere videatur: vult enim triplicem intelligentiam ideo Iſidorum agnoviſſe, quod ſaepe, quae ad moralem ſenſum ſpectant, Paulinus intermiſceat; alterum, quod ſcripturae loca, non modo ex *Italica*, quae dicitur, verum

etiam ex Hieronymi translatione allegentur, cuius vſum ante Gregorii M. tempora non inualuiſſe, nonnullorum fuit ſententia. Sed niſi haec iam ſatis Leonis M. et Hilarii Arelatenſis exemplis refelleretur, amanuenſibus id non iniuſte tribui poſſe monet, quos ſaepe in aliis Hieronymianam verſionem ſubſtituiſſe nouimus. Et re vera eiuſmodi interpolationis veſtigia non obſcura deprehendiſſe ſe Mingarellius affirmat. Ceterum cum in fragmentum huius opuſculi olim incidiſſet Martianaeus, in quinto tomo operum Hieronymi illud edidit, ſed mendis plenum: inde vero id ipſum iiſdem mendis refertum in ſuam editionem tranſtulit Vallarſius, cui, cum aliquot poſt annos Rufini opera edere meditaretur, totum opuſculum accuratiſſime exſcriptum miſit Io. Chryſ. Trombellius, vt fragmentum, quod vna cum Hieronymi operibus imprimendum curarat, emendaret, emendatumque ac perfectum in Appendice Rufini euulgaret. At Vallarſius eo quidem ad illuſtrandum Rufinum vſus eſt, ſed totum non edidit.

Hactenus de ſingulorum opuſculorum editionibus; nunc etiam collecta exſtant hoc titulo.

1773.

Venetiis. fol. Paulini Mediolanenſis opuſcula III. I. Vita S. Ambroſii Mediolanenſis epiſcopi. II. Libellus aduerſus Coeleſtium Zoſimo papae oblatus. III. Libellus de Benedictionibus Patriarcharum; in *T.* IX. *Bibl. PP. Andreae Gallandii pagg.* 23—41.

Duo priora iuxta optimas Benedictinorum et Conſtantii editiones expreſſa ſunt, notis quoque exinde, ſicuti et ad tertium opuſculum ex Mingarellio deriuatis, cuius tamen vberiores annotationes omiſſae ſunt. In *Prolegg. capite* II. *pagg.* V—VIII. de Paulino differitur.

22.

22.

EVODIVS EPISCOPVS VZALENSIS.

Tagaſta, celebris Auguſtini natalibus, Euodii §. 1. Vita. quoque patria fuit: quo vinculo vterque diuinitus quaſi mutuo amori et amicitiae, quae arctiſſima inter ipſos fuit, deſtinati fuiſſe videntur. Parentes non mediocris loci ac fortunae eum habuiſſe oportet. Nam admodum iuuenis ad negotia publica admotus *Agentis in rebus* perſonam ſuſtinuit, ſed ad fidem chriſtianam conuerſus baptizatuſque ante Auguſtinum ſaeculo valedixit. Vix autem nuntium de iis perceperat, quae amico Mediolani contigiſſent, cum ſine mora ad ipſum ſuo ardore ſubleuandum properaret. Hinc crebra ipſius atque officiorum eius cum in Confeſſionibus, quae haec tempora ſpectant, tum in aliis libris, in quibus etiam loquentem inducit, mentio: vt palam adeo ferat Auguſtinus, quantum huius quamuis iunioris amici ingenio et ſtudiis ſenſus ac cognitio veritatis in ſe cultus atque perfectus ſit. Nec improbabile videtur, Euodium in Africa quoque, quo redeuntem Auguſtinum comitatus erat, tam in receſſu prope Tagaſtam, quam poſtea in monaſterio, quod Hippone inſtituerat, cum amico egiſſe. Poſtquam circiter annum 396. aut 397. epiſcopatum oppidi Vzalis in prouincia Proconſulari, haud procul ab Vtica occupaſſet, ſaepius geſtis per id tempus contra Donatiſtas atque Pelagianos interfuit *). Quo etiam pertinet, quod conſultus in cauſa diſſidii Monachorum Adrumetinorum epiſtolam ad eos dedit a. 427. qui quidem annus terminus extremus eſt, ad quem memoria eius pertingit. Inclaruit miraculis, quae

*) Singula habes apud *Tillemontium* T. XX. *pag.* 582 *ſeqq.*

quae apud Vzalim ad Reliquias S. Stephani Martyris, quas Oroſius a. 416. ex Palaeſtina redux ſecum aſportauerat et ex parte Euodio donauerat, fieri dicebantur, quaeque paſſim Auguſtinus, ad Euodium ipſum prouocans laudat.

§. 2. Scripta. Superſunt *quatuor* Euodii *Epiſtolae ad Auguſtinum*, *vna* porro quam cum aliis quatuor epiſcopis miſit ad *Innocentium*, et *fragmenta Epiſtolae ad Monachos Adrumetinos*. *Deperditum* exiſtimant *librum de miraculis in Africa oſtenſis per reliquias Stephani*, quem ab eo ſcriptum tradit Sigebertus Gemblacenſis. Certe ipſius non ſunt, qui vulgo ei tribuuntur, *libri duo de miraculis S. Stephani*, editi ad calcem operis de Ciuitate Dei, Tomo VII. Operum Auguſtini editionis Benedictinorum, ſed ad eum potius et iuſſu eius ſcripti cognoſcuntur. Vereor autem, ne Sigeberto eadem vulgi opinio fraudem fecerit, neue exiſtimarit eius aeque dici poſſe libros, cuius ad mandatum ſcripti ſunt. In quo fortaſſe minus hic erraſſe videri poſſit, propterea, quod is, qui libros iſtos exarauit, haud dubie inſtructus fuerat ab ipſo Euodio rerum geſtarum commentariis. Omnino vero non probabile videtur, Euodium ipſum de miraculis iſtis ſcripſiſſe, et alii iniunxiſſe eandem prouinciam.

Tribuitur quoque Euodio in quibuſdam MSS. codicibus liber *de fide* ſeu *de Vnitate Trinitatis contra Manichaeos* inter Auguſtinianos reperiundus.

§. 3. Editiones. *Epiſtolae quatuor ad Auguſtinum*, ſicut illa *quinque Epiſcoporum ad Innocentium*, habentur inter Auguſtinianas num. XCV. XCVIII. CCXLVI. CCXLVII. et CCLVIII. in Benedictinorum edit. num. CLXXVII.

CLXXVII. CLXIII. CLX. CLXI. et CXLIII *) . Poſterior quoque in omnibus paene epiſtolarum Innocentii editionibus exſcripta legitur.

Fragmenta epiſtolae ad Monachos Adrumetinos edita ſunt primum e Codice Corbeienſi a *Sirmondo* in *hiſtoria Praedeſtinatiana* cap. I. et a *Benedictinis* ad *Epiſtolam* CCXVI, quae alias fuerat CCLVI. Cetera haberi ſcribit Sirmondus in Codice abbatiae S. Maximini Treuirenſis. Liber *de Vnitate S. Trinitatis* inter genuina Auguſtini opera locum olim obtinuit, in ed. *Eraſm.* et *Louan. Tomo* VI. et in *Antverpienſi* quidem *pagg.* 236—42. hac *cenſura* addita; „*De libri huius authore nulla fuit vnquam dubitatio, plane enim Auguſtini eſſe videtur: vt mirum ſit, nec in Retractationibus eum haberi, nec in indiculo. Sed iiſdem locis abeſt quoque liber de Vnitate Trinitatis contra Felicianum:* quem tamen *Beda Auguſtini eſſe agnoſcit, in 1 Cor. 1.* „*Benedictini* tamen poſt Bellarminum, Vindingum alioſque Auguſtino abiudicarunt et inſeruerunt *Appendici* Tomi *Octaui*, (in ed. Antverp. *pagg.* 24—34.) allegantes praeter ipſius Auguſtini in Retractationibus et Poſſidii ſilentium, etiam ſtili diuerſitatem ac debiliorem diſputandi rationem. In MS. codice Corbeienſi Euodio tribui, Sirmondus ſcripſerat. At ex Patrum Maurinorum Admonitione diſcimus, hanc auctoritatem ſatis eſſe ambiguam. Docent enim, in antiquis codicibus reperiri hunc librum proximo loco poſt Auguſtini tractatum de fide et ſymbolo, interiecta adnotatione, quae in Foſſatenſi octingentorum

*) Totidem Auguſtini ſunt ad Euodium nempe C. CI. XCIX. CII. ed. *Bened.* vero CLIX. CLXII. CLXIV. et CLXIX. praetereaque tractatus *de anima Chriſti apud inferos.*

rum annorum codice ſic ſonet: *Explicit in Chriſto Ieſu Filio Dei Tractatus Aureli Auguſtini epiſcopi de fide Catholica. Incipit aduerſus Manichaeos;* adeo vt ſpectata vocum interpunctione haud facile definiri poſſit, illene *de fide Catholica* tractatus appelletur, qui *Explicit*, an qui *Incipit.* Inde vero accidiſſe putant, vt liber ſubſequens tribueretur Auguſtino et *de fide* inſcriberetur, quamquam haec inſcriptio praecedenti magis quam ſubſequenti conueniat et in aliis codicibus, in quibus accuratior interpunctio, ad praecedentem referatur. Atque in horum numero eſſe aiunt Codicem vetuſtiſſimum Corbeienſem, in quo, relicto ab illa quae praecedenti libro apponitur clauſula, *Explicit in Domino Chr. F. D. Tr. A. Aug. de fide Catholica*, ſeptem circiter verſuum ſpatio vacuo, ſeorſim in alterius folii capite exhibeatur titulus ſubſequentis libri hunc in modum: *Incipit eiuſdem contra Manichaeos. Vtrum eiuſdem, vtrum ſancti Euodii ignoratur.* Huic vero Corbeienſi, Colbertinum alioſque MSS. codices eandem dubitationem praeferentes conſentiebant.

23.

VIGILIVS DIACONVS.

Vigilius Diaconus, inquit Gennadius cap. LI., compoſuit ex traditione Patrum *Monachorum regulam*, quae in coenobio ad profectum fratrum in conuentu legitur, breuiato et aperto ſermone totius monaſticae profeſſionis in ſe tenentem diſciplinam. In Trithemii commentariis autem haec leguntur: „Vigilius Diaconus et monachus, vir in ſcripturis ſanctis ſtudioſus et eruditus, monaſticae diſciplinae cuſtos et rector, fertur ad aedificationem monachorum quaedam cudiſſe opuſcula, *quae ad noſtram memoriam*

memoriam venire et locorum et temporum diſtantia prohibuit. Dicit autem presbyter Gennadius, ſcripſiſſe illum valde vtilem regulam de conuerſatione monachorum lib. I. De ceteris non loquitur. Claruit ſub Honorio et Theodoſio principibus. Anno CCCCXX."

Extat tamen haec regula ſub titulo *Regulae Orientalis ex Patrum Orientalium Regulis collectae a Vigilio Diacono* in Codice *Regularum*, quem edidit *Romae* a. 1661. 4. *Lucas Holſtenius, Parte* I. ed. *Pariſ.* 1663. 4. *pagg.* 88—95. et nouae, quam accurauit *Marianus Brockie* et poſt mortem eius ediderunt ſocii eius *Auguſtae Vind.* a. 1759. ſex Voluminibus in folio, *T.* I. *pagg.* 60—64.

24.

SEVERVS EPISCOPVS MILEVITANVS.

Auguſtini familiaris et admirator plane in laude eius exſultans, ſcripſit iam grandaeuus, vt videtur, et ingenio animi geſtientis ſenſui exprimendo impari *epiſtolam*, quae etiamnunc ſupereſt. Obiit ante Auguſtinum, vt ex Actis huius ſuper Eraclio ſucceſſore deſignando a Notariis exceptis (Ep. CX.) patet.

Epiſtola laudata, inſcripta *Venerabili ac deſiderabili et toto ſinu charitatis amplectendo epiſcopo Auguſtino*, inter Auguſtinianas ed. *Eraſm.* et *Louan.* num. XXXVII. *Bened.* num. CIX.

25.

MAXIMVS EPISCOPVS TAVRINENSIS.

Si tantum rerum geſtarum magnitudine quantum praedicandi facultate claruiſſet Maximus, tantumque nobis priſca memoria de vita eius tribuiſſet, quantum ipſe in ſcriptis ſuis ad ingenii morumque imagi- §. 1. Vita

imaginem refingendam materiae reliquit: profecto non accuſanda foret in praeſenti dicendorum inopia, quae adeo de accurata temporis quod in vita tranſegit definitione laborare nos facit. Nempe id vnum certo ſcimus, *Maximum Epiſcopum Taurinatis* ſubſcripſiſſe anno 451. epiſtolae ſynodicae Euſebii Epiſcopi Mediolanenſis ad Leonem Magnum, eundemque anno 465. interfuiſſe concilio Romano ſub Hilario Leonis ſucceſſore coacto, eiuſque actis primo loco poſt Romanum epiſcopum atque ante Metropolitas Ebrodunenſem et Mediolanenſem ſubſcripſiſſe: id quod non ſedis, ſed aetatis longaeuae praerogatiuae, vt qui reliquis in ſynodo praeſentibus epiſcopis prior ordinatus fuiſſet, tribuendum non iniuria exiſtimant. Ab hac vero aetatis exploratae nota retrogradum faciunt ad anteriora vitae eius tempora, qui indiciis qualibuscunque in ſermonibus eius obviis confidunt. Quibuſcum non luctabimur, ſi ex elogiis eius in S. *Euſebium Vercellenſem*, Vercellis eum natum educatumque, item ſacerdotio initiatum et praedicandi munere primum in eadem vrbe perfunctum eſſe colligant *). Sed ſi ex iis, quae in ſermone *de Sanctis Martyribus Anaunienſibus*, interemtis a. 397. ad memoriam eorum commendandam loquitur, neceſſario effici exiſtimant, ſermonem illum aut eodem anno aut paulo poſt ab eo fuiſſe habitum **), nos aſſentientes non habebunt. Quin nec alterum concedimus, quod ex ſecundo de iiſdem Martyribus ſermone ex iniecta imperialis edicti de

*) Vide *Sermonem* VII. VIII. et IX. de *S. Euſebio* et quae ex iis adducit *Gallandius* l. infra laudando.

**) *Gallandi in Prolegg. ad T. IX. Bibl. PP. c. IX. ſ. II.* hoc imprimis vrget a ſe recens repertum argumentum.

de idolorum fanis ſubruendis mentione ad corroborandam priorem coniecturam afferunt, qua Maximum iunioris Valentiniani conſtitutionem *datam III Kal. Mart. Tatiano et Symmacho coſſ.* id eſt anno 391. reſpexiſſe exiſtimant *). Quod qui amplectuntur, volunt eo tempore, quo duos iſtos ſermones habuiſſet, presbyterii gradu inſignitum eum fuiſſe, ne ſcilicet vltra modum anni eius extendantur, ſi iam a. 397. epiſcopali dignitate conſpicuum facerent, quem anno 465. in viuis adhuc fuiſſe compertum eſt. Sed nihil vetat, quo minus ea, quae dictis locis recitat, poſt viginti et plurium annorum interuallum tanquam *ſuis temporibus* et *nuper* geſta commemorare potuerit. Quemadmodum ex eo, quod in Sermone IV. de *Natiuitate* ait: *haereſim* Iouiniani *ſynodalis noſter vno ore damnauit conuentus*, falſo aliquis colligeret, eum inter patres conſediſſe, qui anno 389. in concilio Mediolanenſi illam haereſin damnarunt. Sed ſi iſtis virorum doctorum argumentis non tantum efficaciae tribuimus, quantum ipſi ineſſe putant et ab aliis agnoſci volunt, ipſi tamen non negamus, ſubeſſe iis aliquam veri ſpeciem hactenus, vt Maximus ineunte ſaeculo V. vel paulo poſt initium eius muneribus eccleſiaſticis fungi coepiſſe videatur adeoque verſus finem ſaeculi IV. natus fuerit et forte octogenarius, vel nonagenarius etiam, diem ſupremum, aeque ac cetera ignotum **), obierit.

Maximus

*) *Idem* §. III. Quae contra *Brunus* in *Vita Maximi* (pag. CXXXVIII.) monet, potuiſſe eum etiam reſpicere legem Theodoſii iunioris et Valentiniani III. *datam a. 426. iiſdem Theodoſio XII. et Valentiniano IV. Coſſ.*

**) Gennadii ſuper hoc errorem aut librariorum potius in eo loco oſcitantiam pridem viri docti emendarunt.

§ 2. Scripta. Maximus Taurinenſis Eccleſiae Epiſcopus, *inquit Gennadius*, in diuinis ſcripturis ſatis intentus et ad docendam ex tempore plebem ſufficiens, compoſuit in *laudem Apoſtolorum* tractatus et in *Ioannis Baptiſtae*, et generalem *omnium Martyrum homiliam*. Sed et *de capitulis Euangeliorum et Actuum Apoſtolorum* multa ſapienter expoſuit. Fecit et duos *de ſancti Euſebii Vercellenſis Epiſcopi et Confeſſoris vita* tractatus, et *de ſancti Cypriani;* ſpecialem *de baptiſmi gratia* librum edidit. Scripſit *de auaritia; de hoſpitalitate; de defectu lunae; de eleemoſynis; de eo, quod ſcriptum eſt in Iſaia:* Caupones tui miſcent aquam vino; *de paſſione Domini; de ieiunio ſeruorum Dei; de ieiunio ſpeciali Quadrageſimae, et quod non ſit in eo* iocandum; *de Iuda traditore; de cruce Domini, de ſepulcro eius*, et *de reſurrectione ipſius; de accuſato et damnato Domino apud Pilatum; de Kalendis Ianuarii.* Scripſit etiam homilias *de natali Domini;* homilias *de Theophania*, et *de Paſcha*, et *de Pentecoſte* multas; *de hoſtibus carnalibus non timendis* et *de gratiis poſt cibum Deo agendis, de poenitentia Niniuitarum* et MVLTAS ALIAS eius homilias DE DIVERSIS legi, quas retineo *(forſan* reticeo). Eadem omnia eodemque paene ordine et deſignatione recitat *Trithemius* *), praeterea vero *de officio Miſſae librum* I. *de ſancto Laurentio hom.* 3. et *de ſancto Stephano hom.* I., quibus omnibus enumeratis addit: *ſcripſit et alia multa: ſermones et tractatus, epiſtolas et homilias, quae ad notitiam meam non peruenerunt.* Huic vero poſtremo

*) Quemadmodum enim Gennadius alios *tractatus*, alias *homilias* appellat, ſic *Trithemius* in *libros* et *homilias* diſpeſcit et vtroque nomine eoſdem fere quos ille deſignat.

ſtremo vtriuſque viri aſſerto veteres libri MSS. plane aſſentiuntur, ex quibus longe plures ſermones, quam ab illis diſerte laudati erant, iteratis virorum doctorum ſtudiis iam pridem ſunt eruti, nuper vero et iſte numerus vltra dimidium in Romana editione adauctus eſt, omniaque vetuſtiſſimarum et optimarum membranarum teſtimoniis ita ſunt confirmata, vt de ſinceritate eorum tractatuum, qui Maximo hic aſſeruntur, dubium ſupereſſe non poſſit. Iam ergo nouiſſimae huius editionis indicem et diſtributionem videamus. Conſtitutae ſunt ab editore *tres claſſes* ſeu *collectiones*, *Homiliarum* ſcilicet, *Sermonum* et *Tractatuum*, quibus adiecta ſunt *dubia* aut quae *Maximo* plane videbantur *indigna,* inter quae etiam *Epiſtolae duae.* Homiliae porro et Sermones trifariam diuiſae ſunt et inſcriptae *de Tempore*, *de Sanctis* et *de Diuerſis:* quibus nominibus plerumque ſignificari ſolent orationes mobilibus diebus feſtis, de laudibus Sanctorum, Martyrum et Confeſſorum in ſolemni eorum natali die habitae; et quae ad locum aliquem ſacrarum Scripturarum illuſtrandum pertinent, aut ſolemnibus quibuſdam occaſionibus fuerunt recitatae. Haec diſtributio editionibus ſuperioribus eſt conſona et debetur lectionariis antiquis, ex quibus primum Maximi ſermones ſeligi coeperunt. Quibus autem de cauſis priorem amplexus ſit, nec ipſe explicat, nec alius quiſquam facile deteget. Nam quae ab eo afferuntur de homiliarum et ſermonum diſcrimine ex Ducangio *), ea nec in Maximianos quadrant, nec omnino hic expetebantur. Nempe non tam quaerebatur quae vocum ſit illarum ſignificatio, quam potius, quo iure, quibuſve indiciis ſingulas orationes in hanc illamue collectionem

*) in Praef. §. XXVIII. p. XXXVII.

ctionem adlegerit, praeſertim cum vix credibile ſit, libros MSS. in hoc ſatis conſtantes ei duces fuiſſe. Sed accipe indicem.

I. HOMILIAE. *De Tempore.*

I. *Ante Natale Domini.*

II. *In aduentu dominico, et de eo quod ſcriptum eſt*, Luc. 17.

III. *Super eadem verba Euangelii.*

IV. V. *Ante Natale Domini.*

VI—XV. *De Natiuitate Domini* I—X. Ex his *quatuor priores* nunc primum ſunt editae.

XVI. *De Kalendis Ianuariis.*

XVII—XXVIII. *De Epiphania Domini* I—XII. ex quibus I. II. III. IV. et VI. a Bruno primum ſunt repertae.

XXIX—XXXV. *De Baptiſmo Chriſti* I—VII. quarum II. III. IV. et V. antea erant ineditae.

XXXVI. *In Die Cinerum.*

XXXVII. *De Ieiunio Quadrageſimae.*

XXXVIII—XLIV. *De Quadrageſima* II—VIII.

XLV. *Dominica in ramis Palmarum.*

XLVI. *De accuſato et iudicato Domino apud Pilatum.*

XLVII. *De eodem iudicio.*

XLVIII. *De Iuda proditore.*

XLIX. *De paſſione et cruce Domini* I.

L. *De Cruce Domini* II.

LI. LII. *De ſancto Latrone* I. II.

LIII. *De Poenitentia Petri et oſtiaria ancilla.*

LIV. *De eodem Petro Apoſtolo.*

LV. *De feſto Paſchae* I.

LVI. *De Maria Magdalena et Reſurrectione Domini* II.

LVII—LIX. *De eadem Paſchae ſolemnitate* III—V.

LX.

LX. *De Aſcenſione Domini.*
LXI—LXIII. *De ſolemnitate Sanctae Pentecoſtes* I—III.

Homiliae de Sanctis.

LXIV. *In Natali S. Stephani Leuitae et Protomartyris.*
LXV—LXVII. *In Die Natiuitatis S. Ioannis Baptiſtae* I—III.
LXVIII—LXXIII. *In Natali SS. Apoſtolorum Petri et Pauli* I—VI. quarum vltima hactenus fuerat inedita.
LXXIV—VI. *In Natali S. Laurentii Leuitae et Martyris* I—III.
LXXVII. VIII. *In Natali S. Euſebii Vercellenſis Epiſcopi* I. II.
LXXIX. *In Natali S. Cypriani Epiſcopi et Martyris.*
LXXX. *In Natali SS. Martyrum Taurinenſium Octauii, Aduentii et Solutoris.*
LXXXI. *De ſanctis Magiſtratibus.*

Homiliae de Diuerſis.

LXXXII. *De traditione Symboli.*
LXXXIII. *De Corpore Chriſti.*
LXXXIV. *De eo, quod ſcriptum eſt*, quis putas etc.
LXXXV. *De bellico tumultu.*
LXXXVI. *De hoſtibus non timendis.*
LXXXVII. VIII. *De non timendis hoſtibus carnalibus et gratiis poſt cibum Deo agendis* I. II.
LXXXIX. *De poenitentia et ieiuniis Niniuitarum* I.
XC. *De Niniuitis* II.
XCI. *De Barbaris non timendis et, qui Deum timet, et de ſancto Eliſeo* I.
XCII. *De eodem S. Eliſeo* II.

XCIII. *In repartitione Eccleſiae Mediolanenſis* antehac inedita.

XCIV. V. *De auaritia* I. II.

XCVI. VII. *De eleemoſynis et de Muliere Samaritana* I. II.

XCVIII. *De hoſpitalitate.*

XCIX. C. *De defectione Lunae* I. II.

CI. *De eo quod ſcriptum eſt Ieſaiae* I. Caupones tui miſcent aquam vino etc.

CII. *De Kalendis Gentilium.*

CIII. *De haereticis peccata vendentibus.*

CIV. *Quod non debent Clerici negotiari.*

CV. *De timore Dei et correctione linguarum.*

CVI. *De eo quod ſcriptum eſt in Pſ. 119.* Bonitatem etc.

CVII. *Super illa Euangelii* Matthaei 6.

CVIII. IX. *De grano ſinapis* I. II.

CX. *Quod ſimile ſit regnum Dei fermento.*

CXI. *Increpatio ad populum de abſentia ſua ab Eccleſia.*

CXII. *Poſt increpationem allocutio.*

CXIII. *De eo quod ſcriptum eſt* Matthaei 22. Reddite etc.

CXIV. *De eo quod dicit Dominus in Euangelio* Matthaei 8. Vulpes foueas habent etc.

CXV. *Vbi Deus Sabbato manum aridam curauit* Luc. 6.

CXVI. *De camelo.*

CXVII. *De margarita.*

II. Sermones. *De Tempore.*

I. *Ante Natale Domini.*

II. *De duobus in lecto uno* Lucae 17.

III—V. *De Natali Domini* I—III.

VI. *De Kalendis Ianuarii.*

VII—X. *De die ſancto Epiphaniae* I—IV.

XI—XII. *De Baptiſmo Chriſti* I. II.

XIII. *De gratia Baptiſmi.*

XIV. *De ieiunio generali.*

XV. *De ieiunio Domini in deſerto; et quod non in ſolo pane vixit homo* Matth. 4.

XVI—XXVIII.) *De Quadrageſima* II—XIV. inter quos III. VIII. IX. et X. nunc demum proferuntur.

XXIX—XLIII. *In Paſchatis ſolemnitate* I—XV. ex quibus III. IV. V. VI. VII. antea erant inediti.

XLIV—VII. *De Aſcenſione Domini* I—IV. quorum vltimus nunc Bruno debetur.

XLVIII—LIII. *De Pentecoſte* VI. Alii duo de eodem argumento ex codicibus Gallicanis recens eruti in fine ante appendicem adiecti ſunt, quod opere iam dimidia parte abſoluto allati eſſent.

Sermones de Sanctis.

LIV. *In Natali S. Agnetis.*

LV—LXIII. *De Natiuitate S. Ioannis Baptiſtae* I—IX. inter quos inediti antea III. IV. V. VII. et VIII.

LXIV—VII. *In Natali SS. Apoſtolorum Petri ac Pauli* I—IV.

LXVIII—LXXI. *De Natali S. Laurentii Leuitae et Martyris* I—IV. quorum II. III. IV. primum nunc in lucem prodierunt.

LXXII—LXXV. *De S. Cypriano* I—IV.

LXXVI. *De Natali Sanctorum praecipue Cypriani.*

LXXVII. VIII. *De SS. Macchabaeis* I. II.

LXXIX. LXXX. *De SS. Martyribus Alexandro, Martyrio et Siſinnio* I. II.

LXXXI. *In Natali SS. Macchabaeorum* et S. Euſebii Vercellenſis Epiſcopi.

LXXXII. *De SS. Martyribus Cantio Cantiano et Cantianilla.*

LXXXIII. *In Natali S. Stephani Protomartyris* antea ineditus.

LXXXIV—XC. *De Natali plurimorum SS. Martyrum* I—VII. quorum IV. V. VI. et VII. nunc primum eduntur.

XCI. *In Natali plurimorum Confeſſorum* antea iam ineditus.

Sermones de Diuerſis.

XCII. *De mirabilibus.*

XCIII. *De euangelica piſcatione* a Bruno demum inventus.

XCIV. *De hoſpitalitate.*

XCV. VI. *De eo quod ſcriptum eſt*, ſicut tuba exalta vocem tuam etc.

XCVII. VIII. *De Zachaeo* I. II.

XCIX. C. *De idolis auferendis de propriis poſſeſſionibus.*

CI. *De ſpeculatore poſito filiis Iſrael.*

CII. *Increpatio ad Plebem* etc.

CIII. *De calice aquae frigidae.*

CIV. *De quinque panibus et duobus piſcibus.*

CV. *De verbis Euangelii Marci* 8. Cum turba multa eſſet cum Ieſu etc.

CVI. *De muliere Cananaea* ineditus antea.

CVII. *De fraterna correptione*, quem hic demum in lucem protraxit Brunus.

CVIII. *De caſtitatis ſtudio*, e MSS. recens erutus.

CIX. *Contra loquendi prauitatem* hic primum editus.

CX. *De ſeruo Centurionis in Euangelio.*

CXI. *De eo quod ſcriptum eſt*, Venite ad me omnes qui laboratis et onerati eſtis, *Matth.* II.

CXII. *Super illa verba Euangelii*, Quis putas maior erit in regno coelorum. *Matth.* 18. antea ineditus.

His acceſſerunt opere iam paene finito

CXIII. IV. *De Pentecoſte* VII. VIII.

CXV. XVI. *In Aduentu Diuitum* I. II. poſt Tractatus collocati.

III. Tractatvs.

I—III. *De Baptiſmo* I. II. III.

IV. *Contra Paganos* antea ineditus.

V. *Contra Iudaeos* antea pariter ineditus.

VI. *Expoſitiones* de Capitulis Euangeliorum quem nunc primum eruit Brunus, eundem eſſe arbitratus, qui a Gennadio memoratur.

In Appendicem coniecti ſunt.

Sermones: I. II. *De Aduentu Domini* antea ineditі. III. *De praeparatione ad Domini Natiuitatem.* IV. *De Natali Domini* antea ineditus. V. *Super illa verba Matth.* c. 2. Defuncto Herode apparuit in ſomnis Ioſeph in Aegypto etc. antea ineditus. VI. *In vigilia Paſchae.* VII. *De die Dominicae Aſcenſionis* antea ineditus. VIII. *De Pentecoſte.* IX. X. *De S. Ioanne Baptiſta*, quorum I. antea ineditus fuit. XI. *De Aſſumptione beatae Mariae Virginis* I. II. quorum poſterior ineditus. XIII. et XIV. *In Natali SS. Martyrum Nazarii et Celſi* I. II. XV. *De S. Vincentio Martyre.* XVI. *In Natali S. Laurentii* antea ineditus. XVII. *De Salomone* XVIII. XIX. *In Dedicatione Eccleſiae.* I. II. XX. XXI. *De S. Euſebio Epiſcopo et Martyre Vercellenſi* I. II. XXII. XXIII. *De S. Euſebio et de Macchabaeis* III. IV. XXIV. *De Natali vnius Confeſſoris Pontificis.* XXV. *In Dedicatione Eccleſiae* antea ineditus. XXVI. *De primitiis et decimis.* XXVII.

De honore et de dilectione ergo parentes et de decimis antea ineditus. XXVIII. *De ſancta Chriſti Reſurrectione.* XXIX. *De feſtiuitate S. Stephani Protomartyris.* XXX. *In feſto Dedicationis Eccleſiae.* XXXI. *In Octaua S. Stephani*, omnes nuſquam antea vulgati.

Homiliae: I. *Dominica III. Aduentus, ſuper Euangelium ſecundum Matthaeum* 11. II. *Super Euang. S. Ioannis* 11. III. *Super Euang. ſecundum Matth.* 2. ineditae antea.

Epiſtolae: I. *Ad amicum aegrotum.* II. *Ad amicum aegrotum de viro perfecto.*

Multas Maximi homilias atque ſermones *intercidiſſe* ex luculentis indiciis coniicit editor Romanus.

Benedictinorum, qui Ambroſii operibus inſudarunt, erat coniectura, libros de *Sacramentis*, qui vulgo Ambroſii nomen ferunt, forſan non alium, quam Maximum auctorem habuiſſe. Cui locum praebuiſſe videtur id, quod Mabillonius paulo ante obſeruauerat, nempe iſtos libros *de Sacramentis*, qui Ambroſio in editis tribuuntur, abſque auctoris nomine inſeri ſermonibus S. Maximi in Codice Sangallenſi, atque in ſermones ſeptem diſtribui ſub hoc titulo, *Incipit prima die in Paſcha:* ita vt ſinguli ſex libri ſingulos ſermones conſtituant pro totidem hebdomadae diebus; et quidem ſeptimus ab extrema parte libri ſexti incipiat ab his verbis: *Aliud, Pſalmorum Dauid licet nunc libellus ſit*, etc. Sed nouiſſimus editor ad ea animum non aduertit.

§. 3. Editiones. Homiliae et Sermones SS. Patrum communi fere hac vtuntur fortuna, vt de auctoribus earum aut plane nulla, aut obſcura ſaltem et incerta fama ad nos delata ſit, doctorumque hominum iudicia diuiſa identidem fuerint atque inter ſe diſcrepantia. Cuius

ius rei cauſa maxime haec fuit, quod harum meditationum non ea cura ab ipſis auctoribus ſit habita, qua ceteris ſuis libris proſpexerunt, quos et cum amicis ſuis communicaſſe et frequenter deſcribendos dediſſe, emendaſſe item, atque etiam, ſi aliquis numerus eſſet, in vnum collegiſſe nouimus. At ſermones, quos ex tempore fere meditari ſolebant, nonniſi ab audientibus excipiebantur et vix vnquam ſub oculos auctorum ſuorum redibant. Ex eiuſmodi autem commentariis, in quos forte non vnius doctoris tractatus colligebant, conficiebantur deinde *Breuiaria* ſeu *Lectionaria* diuerſarum eccleſiarum, delectu, prout maxime conducere viderentur, vel ſecundum ſingulas dominicas, vel dies feſtos mobiles ſanctorumue, habito. Quorum vt alia aliis erant locupletiora, ſic, vt occaſio ferebat, aut eorum, qui colligerent, cura ſocordiaue nomina auctorum modo adſcribebantur, modo amiſſa fuerunt; alibi nomen potioris, id eſt, cuius vel plurimae homiliae ineſſent, aut maxime inſignes, volumini praefigebantur. Interdum tamen accidit, vt integrae etiam inſignis alicuius oratoris ſermonum collectiones vel in eccleſiarum vel priuatorum vſum conderentur. Sed partim fraude partim leuitate deſcribentium in his imprimis turbatum fuit. Prae ceteris confuſae ſunt et in vnum ſaepius congeſtae homiliae Auguſtini, Ambroſii, Maximi et Caeſarii, non ſolum, quod numeroſiſſimae erant, ſed etiam per ſimilitudinem quandam quae in dicendi ratione alterius cum altero, velut Caeſarii cum Auguſtino, Maximi cum Ambroſio etiamnunc obſeruatur, nec merae opinionis res eſt, ſed vt Ambroſii editores Benedictini de Maximo oſtenderunt, ex imitatione et quadam velvti aemulatione eſt profecta. Praeſentis igitur et ſuperioris ſaeculi exeuntis potiſſimum meritum hoc fuit,

fuit, vt iſta ab inuicem diſcernerentur et cuicunque homini veri ac genuini foetus ſui adſererentur, quod in *Caeſario* praeſtitit *Steph. Baluzius*, in *Auguſtino Benedictini*, *iidemque* in *Ambroſio*, porro in *Zenone* et *Leone M. Ballerini fratres*, in *Maximo* denique, poſt non contemnenda aliorum conamina, quae paucis nunc attingere placet, *Bruno Brunus*. Nempe typis primum exſcribi coeptae ſunt Maximi homiliae in *Homiliario Doctorum*, quod olim iuſſu Caroli M. adornaſſe creditur Paulus Diaconus, vulgo Alcuinus, cuius antiquiſſima editio prodiit *Spirae* 1482. *per Petr. Drach*, nouiſſima, ſi bene memini *Coloniae apud Euch. Ceruicornium* a. 1530. At in eadem vrbe a. 1535. LXXIV. homilias eius a *Damiano* Aſcendienſi D. Benedicti Coloniae apud S. Panthaleonem Abbate acceptas ſeparatim excudi fecit *Ioannes Gymnicus*, ſaepius deinceps variis in officinis et diuerſo habitu iteratas. Nam a. 1564. *Romae apud Paullum Manutium* in choro Scriptorum Eccleſiaſticorum a *Petro Galeſinio* editorum proximum a Saluiano locum obtinuerunt; Anno 1579. *Coloniae Agrippinae* repetitae ſunt, adiectis Petri Chryſologi ſermonibus; ab anno vero 1613. cum Leone M. et aliis ſcriptoribus, quorum collectio per *Theoph. Raynaudum* a. 1633. alioſque deinceps fuit adaucta, *Pariſiis* et *Lugduni* frequentiſſime, aliquoties etiam in *PP. Bibliothecis* impreſſae ſunt. Interea a. 1684. *Monachi Benedictini e Congreg. S. Mauri Pariſiis* in *Tomo V. Opp. S. Auguſtini* plurimos ſermones vulgo Auguſtino adſcriptos Maximo reſtituerunt, eiuſdemque Congreg. Socius celeberrimus *Io. Mabillonius* ex codicibus MSS. optimae notae in Italia et Heluetia repertis, XII. Maximi Sermones, omnes fere ineditos antea, euulgauit in *Muſeo Italico*, 1687. cuius contubernalis ſui veſtigiis inſiſten-

inſiſtentes, aliorumque MSS. haud rarum omen ſecuti *Ambroſii editores* a. 1690. inſigni Maximum homiliarum copia, Ambroſio iure, vt ſibi viſi ſunt, ademta, locupletarunt. Horum conatibus ſucceſſit *Lud. Ant. Muratorius*, excuſſo denuo codice, quem Mabillonius primus tractauerat, Ambroſiano, et propoſitis ex eo haud paucis ineditis in *Anecdotorum Tomo IV*. a. 1713. ſicut ex ipſius Mabillonii ſchedis paucula adhuc elicuerunt ſocii ipſius quondam *Edmundus Martene* et *Martinus Durand*, in *Collectione ampliſſima* a. 1733. prolata. Anno 1741. et 1748. Maximi homiliae iterum *Venetiis* excuſae ſunt cum Leonis M. Operibus, in quibus duabus editionibus fortaſſe antiquior iſta collectio cum hiſce recentioribus incrementis eſt coniuncta. Etenim a *Gallandio* in *Bibl. PP. Veneta* a. 1773. nonniſi ea, quae *Mabillonius*, *Muratorius* atque *Martenius* collegerunt, exhibita ſunt. Tandem haec omnia atque alia multa nondum antea viſa, ex codicibus MSS. fere innumeris denuo eduxit, noua ratione diſpoſuit, animaduerſione critica, argumentis, admonitionibus et notis vberrimis inſtruxit Bruno Brunus *Romanus*, *Clericus Reg. Scholarum Piarum* in editione, quae nuper, a. 1784. *Romae* iuſſu Pii VI. P. M. eſt adornata, quaeque tantum ab editoris induſtria nacta eſt honorem, quantum ſpecie ac ſplendore Pontifice Summo ac Rege, cui dicata eſt, digno inter omnes Patrum Latinorum fulgentiſſimas editiones excellit. Plura de his ſi cupis, euolue hunc ſingularum editionum indicem.

Saec. XV.

1482.

Spirae per Petrum Drach. fol. S. Maximi Epiſcopi Homiliae (variae de Tempore); in *Homiliario Docto-*

Doctorum editionis, cuius iam ad Auguſtinum et Leonem facta eſt mentio.

1493.

Baſileae per Nic. Keſſler. fol. S. Maximi Epiſcopi Homiliae; in eodem *Homiliario.*

1494.

Norimbergae per Anth. Koburger. 4. S. Maximi Homiliae; in *Homeliis omnium doctorum de Sanctis*, quae noua eſt et a praecedenti plane diuerſa collectio.

1496.

Baſileae per Nic. Keſſler. fol. S. Maximi Taurinenſis *aliquot* homiliae; in *Homiliario Doctorum Karoli M.* repetitae editionis.

Sine anno.

Coloniae per Conr. de Homborch. fol. Maximi Epiſcopi Homiliae aliquot, in eodem *Homiliario*, quae editio inter Auguſtiniana eſt notata.

Saec. XVI.

1516.

Lugduni per Ioh. Clein. Alemannum. fol. Beati Maximi Epiſcopi Sermones; in *Homiliario Doctorum.*

1520.

Ibidem per eundem. fol. B. Maximi Sermones in eadem Collectione *Homeliarum* denuo impreſſa.

1525.

Ibidem per honoratum virum Chalcographum Ioannem Creſpin. fol. Sermones *varii* beati Maximi Epiſcopi

Epiſcopi, inter eaſdem *Homelias Doctorum eccleſiaſticorum* etc.

1530.

Coloniae ex officina Eucharii Ceruicorni. fol. Sermones *varii* beati Maximi Epiſcopi; inter *Homilias praeſtantiſſimorum eccleſiae doctorum*, quae in titulo *nunc ex vetuſtiſſimis codicibus integritati reſtitutae et aliis nondum antea impreſſis auctae* dicuntur.

1535.

Coloniae apud Ioannem Gymnicum. 8. Opus inſigne Homiliarum hyemalium et aeſtiualium tam de tempore quam de ſanctis Diui Maximi Epiſcopi Taurinenſis, qui et in homiliis declamandis ad populum fuit vere maximus. Additae ſunt aliquot homiliae D. Ioannis Chryſoſtomi eruditiſſimae et prope diuinae, antehac non excuſae. Cum indice.

Inſcripſit editor opuſculum hocce *Damiano Aſcendienſi ordinis D. Benedicti Coloniae apud S. Panthaleonem*, eidem, cui totum acceptum referebat, quemque magna cum gratulatione ob hanc praeclaram de ſtudiis Theologicis bene merendi occaſionem adhortatus eſt, vt ſi quid huius ſcriptoris reliquum apud ipſum eſſet, operam daret, vt in lucem propediem veniret. Hanc Ioannis Gymnici ad *Religioſum et Eruditum Virum Damianum* epiſtolam integram iterum exſcribendam dedit Bruno Brunus in editione Romana pag. CLVIII. Quocirca neſcio qui factum ſit, vt idem doctiſſimus et diligentiſſimus vir in *praef. pag XIV.* aſſeruit, Damiani hanc S. Maximi homiliarum collectionem ideo demum a Ioanne Gymnico Coloniae a. 1535. editam fuiſſe, quod ipſe morte praereptus eam in lucem emittere nequiuiſſet. Inſunt autem *partis hyemalis de tempore* homi-

homiliae ſequentes: *De aduentu Domini* I. II. *In vigiliis natalis domini* I. *In natali domini* I — VI. *In circumciſione domini ſiue de Calendis Ianuarii increpatio* I. *In Theophania domini* I — VIII. *In die Cinerum* I. *De ieiunio quadrageſimae* I — IV. *Dominica in ramis palmarum in illud Pſalmi: Deus Deus meus reſpice me.* I. *De accuſatione Domini apud Pilatum* I. II. *De Iuda traditore* I. *De paſſione et cruce et ſepultura domini* I — IV. *De ſancto latrone, Petro apoſtolo et ancilla oſtiaria* I—IV. Homiliae autem *partis aeſtiuae de tempore* ſunt: *In ſolemnitate paſchali* I — V. *In laetaniis et Niniuitarum ieiuniis.* I. *In ſolemnitate pentecoſtes* I — III. Porro homiliae *hyemales et aeſtiuales de Sanctis: In Natali Diui Stephani* I. *In natali diuae Agnetis.* I. *In natali diui Ioannis Baptiſtae* I — III. *In natali ſanctorum Petri et Pauli Apoſtolorum* I — V. *In natali diui Laurentii martyris.* I — III. *In natali diui Euſebii Vercellenſis Epiſcopi* I. II. *In natali diui Cypriani Epiſcopi et martyris* I. II. *In feriis diui Michaelis* I. *In natali ſanctorum Taurinorum martyrum* I. Denique *homiliae de diuerſis: De expoſitione ſymboli* I. *De non metuendis carnalibus hoſtibus et gratiis poſt cibum agendis* I. II. *De auaritia vitanda.* I. II. *De eleemoſynis largiendis* I. II. *De hoſpitalitate* I. *De defectu lunae* I. *Super illud Eſaiae: Caupones tui miſcent aquam vino* I, Summa LXXIV. Homiliarum Chryſoſtomi ſunt XII. vnaque praeterea Origenis. *Index* in titulo promiſſus non alius eſt, quam harum ipſarum homiliarum, quae verbis initialibus ſingulae ſignificantur. Praemittitur Gennadii teſtimonium.

1555.

1555.

Baſileae per Hieron. Froben. et Nic. Epiſcopium. fol. S. Maximi Taurinenſis Sermones; inter Ambroſianos vulgo dictos in *Tomo III. Opp. Ambroſii editionis Eraſmo-Coſterianae. pagg.* 225—323.

Iſti quidem Sermones non in hac demum Ambroſii editione prolati ſunt, ſed aeque in prima iam Eraſmiana comparent, et in ſuperioribus Baſileenſibus fuerunt editi; quas omnes, ſi lubet, aliquis Maximi editionibus accenſeat. Sed quia noſtra non tam refert, ſcire, quidquid ex Maximi meditationibus tacito auctoris vel adeo ſub alterius nomine paſſim excuſum ſit, quam quae vel primitus nomen eius geſſerint vel ſenſim ei fuerint reſtituta: praetermiſſis aliis hanc Coſterianam commemoramus, in qua primum ſingulis ſermonibus auctor ſuus adſcriptus eſt. Nempe haec Coſterii opera fuit, non Eraſmi. In quo corrigendus eſt nouiſſimus editor *Bruno Brunus*, qui in praefatione Romanae editionis (§. IV. p. XV.) Eraſmi in opuſculis Maximi diſtinguendis et ad manuſcriptos Codices exigendis laudat induſtriam, confiſus ſcilicet non ſuis oculis, ſed Caſimiro Oudino, cuius tamen locum propriis verbis allatum non recte cepit. Eraſmus enim nihil amplius ſtatuit, quam, eſſe ſermones iſtos ſuppoſititios et nihil habere Ambroſianae venae, Coſterius vero plerosque Maximo, tum ex MSS. codicum fide, tum ex impreſſis attribuit; quod ipſum Oudinus dicto loco confirmat, in eo ſolum falſus, quod *omnes* omnino Maximo attribuiſſe Coſterium dicat. Ceterum quantum Coſterio Colonienſis Maximi ſermonum editio profuerit quamue diligens in euoluendis MSS. libris hac in re fuerit, alii videant.

1564.

Romae apud Paulum Manutium Aldi F. in aedibus Populi Romani. fol. Maximi Taurinenſis Homiliae, cum *Saluiani* de vero iudicio et prouidentia Dei libris VIII. aliisque *Paciani*, *Sulpicii Seueri*, *Dorothei* et *Haymonis Halberſtattenſis* opuſculis, edente *Petro Galeſinio: pagg.* 85—181.

Editionis huius iam in primo tomo operis noſtri ad Pacianum mentionem fecimus, nec ſane Maximus plus ab eo quam Pacianus lucri fecit. Nihil enim notarum acceſſit, ſed ex Gymnici editione ſimpliciter ſunt repetitae praefixo quoque eodem indice et Gennadii teſtimonio. Admonemur autem a Brunone Bruno, binam huiuſce collectionis patrum extare editionem, eodem anno, eodem charactere eademque forma a Galeſinio vulgatam: Primam enim teſtatur ſibi in concinnanda nouiſſima collectione praeſto fuiſſe ex Bibliotheca Florent. Collegii S. Ioannis Euangeliſtae, alteram autem multo illa perfectiorem et completiorem Romae ſeſe nactum fuiſſe, additque, non ſatis admirari potuiſſe, quod a Galeſinio ſilentio praetermiſſa fuerit, nec minus, quod de Gymnici editione prorſus ille taceat. Sed quod poſtremum attinet non tantopere mirabitur, qui cognouerit, nullius omnino editionis ſuperioris mentionem a Galeſinio factam eſſe.

1579.

Coloniae Agrippinae apud Io. Carolum Munich et Petrum Ketteler. 4. S. Maximi Epiſcopi Taurinenſis Homiliae Hyemales et Aeſtiuales pariter inſignes; cum *Petri Chryſologi* ſermonibus h. a. et loco primum in Germania editis. Deeſt index ſermonum in prima adiectus.

1581.

Mediolani .... S. Maximi Epiſcopi Taurinenſis Sermones IIII. de Sancto Euſebio Martyre Vercellenſi; in *Antiquorum Patrum Sermonibus et Epiſtolis de S. Euſebio Vercellenſi Epiſcopo et Martyre, collectis iuſſu Ioannis Franciſci Bonhomii Epiſcopi Vercellenſis.*

Laudat hanc editionem *Muratorius* in *praef.* ad Sermones a ſe editos in *Anecdotis*, inter quos quatuor illi ſunt *de Sanctis* VI. VII. VIII. et IX. In nouiſſima Romana editione autem nonniſi vnus ex iiſdem inter genuinos locum occupauit, *Sermo* LXXXI. *de Sanctis*, inſcriptus *in Natali SS. Macchabaeorum et S. Euſebii V. E. et M.* incipiens a verbis *Ad celebritatem praeſentis diei;* reliqui tres in Appendicem ſunt relegati n. XXI. XXII. XXIII. incipientes verbis, *Dum ad obſequia* etc. *Licet me, fratres, caritati veſtrae* etc. et *Quamquam, dilectiſſimi fratres* etc.

1588.

Lugduni ex officina Iunctarum fol. S. Maximi Taurinenſis Ep. Homiliae; in *Bibliotheca Homiliarum et Sermonum priſcorum Eccleſiae Patrum* Lavr. Cvmdii et Gerardi Mosani, per totum opus diſperſae.

Saec. XVII.

1613.

Pariſiis ..... *fol.* S. Maximi Taurinenſis Ep. Homiliae, cum Leonis M. et Petri Chryſologi operibus. Sic *Bruno Brunus* aſſerit.

1614.

Pariſiis apud Claudium Morellum. fol. Eaedem; cum iiſdem. Vide ſequentes.

1618.

Pariſiis ſumtibus Sebaſt. Cramoiſy, via Iacobaea. fol. S. Maximi Taurinenſis Epiſcopi Homiliae; cum Leonis M. et Petri Chryſologi Operibus, medio loco, *pp.* 550—706. Additus eſt index rerum Leoni et Maximo communis. Bruno Brunus in recentiſſima Maximi editione, alteram horum Patrum editionem *Antverpiae* 1628. factam eſſe prodit.

✤ ✤

Colon. Agripp. ſumt. Ant. Hierat. fol. S. Maximi Taurinenſis Homiliae ex editione Romana expreſſae in *Tomo V. P. I. Bibliothecae PP.*

1622.

Lugduni ſumtibus Claudii Landry. fol. Maximi Taurinenſis Ep. Homiliae; cum *Leonis*, *Petri Chryſologi*, *Fulgentii*, *Valeriani* et *Aſterii* Operibus, *pagg.* 193—246.

1623.

Pariſiis ..... fol. S. Maximi Taurinenſis Ep. Homiliae 74; cum iiſdem Leonis M. aliorumque Operibus. Teſtante Bruno.

1633.

Lugduni ..... f. S. Maximi Taurinenſis Homiliae; cum Leonis M. aliorumque, quibus *Heptadem Praeſulum* confecit *Theoph. Raynaudus*, Operibus.

1651.

Pariſiis ..... fol. Eaedem; in recuſa *Raynaudi collectione Leonis M.* etc. Laudat hanc editionem Queſnellus in praef. ad Leonem.

1661.

1661.

Pariſiis apud Simeonem Piget, Bibliopolam Iuratum, via Iacobaea ad inſigne Prudentiae. fol. S. Maximi Taurinenſis Ep. Homiliae; cum *Operibus Leonis M. Petri Chryſologi*, etc. auctis *Amedeo Lauſannenſi*, *pagg.* 193 — 246. Ad paginas ſuperiori reſpondet.

1662.

Pariſiis ſumtibus Antonii Bertier. fol. S. Maximi Taur. Epiſcopi Homiliae in *Franciſci Combefiſii Bibliotheca Patrum Concionatoria.* In recenſu auctorum, quorum homiliae hic collectae exhibentur, etiam *Maximus* locum inuenit. Adiecit etiam editor Tomo VII. p. 45. nouum *ad Feſtum Natiuitatis S. Mariae* ex Codice S. Germani Pratenſis titulo *in eius Aſſumptionem*, ſed qui magis ad *Feſtum Annunciationis* ſpectat.

1670.

Cygneae typis et ſumptib. Sam. Ebelii. 8. S. Maximi Taurinenſis Epiſcopi Homiliae *tres* in Solemnitate natiuitatis Domini noſtri Ieſu Chriſti: in *Diuorum PP. veterumque Eccleſiae Doctorum aliquot, qui oratione ſoluta ſcripſerunt, Homiliis et Meditatt. in Feſtum Natiu. I. Chr.* collectis a *Chriſtiano* Davmio, *pagg.* 121—27. Sequitur editionem Bibliothecae PP. Colonienſis. Sunt I. II. VI. alias IV. V. IX.

1671.

Pariſiis ſumpt. Petri Variquet. fol. S. Maximi Epiſcopi Taurinenſis homiliae, cum *Operibus Leonis M.* etc. in aucta *Raynaudi* collectione h. l. et a. recuſis. Nouiſſimus editor homiliarum S. Maximi

ximi aliam inſuper huiuſce collectionis editionem Pariſiis a. 1672. factam notat; quam vere, neſcio.

1672.

Lugduni apud Hugonem Denovallay. fol. S. Maximi Taurinenſis Epiſcopi Homiliae 74; in eadem Collectione denuo recuſa; teſte Brunone Bruno.

1677.

Lugduni apud Aniſſonios fratres. fol. S. Maximi Taurinenſis Epiſcopi homiliae 74; in *Tomo VI. Bibliothecae max. PP.* pagg. 1—49.

✻ ✻

Romae ſumpt. Pontii Bernardon. fol. Latini Latinii Obſeruationes et Correctiones in Homilias S. Maximi Epiſcopi Taurinenſis; in *Ei. Bibliotheca Sacra et Profana pag.* 164.

Editio, quam hae notae reſpiciunt, fuit Pariſina apud Michaelem Sonnium. Ab Editore Romano non neglectae ſunt.

1684.

Pariſiis apud Franciſcum Muguet. fol. Maximi Taurinenſis Homiliae aliquot ex Auguſtinianis ſecretae et in *Appendice Sermonum ſuppoſititiorum* a *Patribus Maurinis* notatae *Tomo V. Operum Auguſtini*, nimirum in *Claſſe* I. Sermonum *de Scripturis Vet. et Noui Teſtamenti:* 1) Sermo LXXX in *Matth.* 27. *de Iuda proditore*, tam in codicibus MSS. quam editis Maximo tributus, olim *de Tempore* 128. et poſtea in *Append.* 48. 2) Sermo LXXXII. *de verbis Euangelii Lucae* 3. Venerunt etc. a Louanienſibus Maximo tributus, olim *de verbis Domini* 19. et poſtea in *App.* 3. et inter Ambroſianos. Benedictini

nedictini tamen dubitant, an etiam Maximum auctorem habeat. 3) Sermo C. *de verbis Actor.* 4. Nemo quidquam ex eo, quod poſſidebat, proprium eſſe dicebat; olim *de verbis Apoſtoli* 25. et poſt in *App.* 9. Sed et inter Ambroſianos et Maximi vulgatus, cui cum Louanienſibus etiam Vindingus aſſignat. In *Claſſ.* II. *de Tempore:* 4) Sermo CXXII. *In Natali Domini*, VI. in MSS. aeque ac editis Maximo adſcriptus, olim *de Tempore* 11. et poſt in *App.* 23. 5) Sermo CXXXIV. *in Epiphania Domini*, IV. Maximi conſentientibus MSS. aeque ac editis, olim *de Tempore* 37. et poſt in *App.* 29. 6) Sermo CXLV. *in Quadrageſima*, VI. alias *de Tempore* 69. a Louanienſibus dubius, a Verlino et Vindingo falſus iudicatus, a Benedictinis primum in *Appendicem* relatus, qui in Remigiano codice Maximi nomen eum praeferre teſtantur. 7) Sermo CLII. *de Paſſione Domini*, III. et *de Suſanna* in MSS. aeque ac impreſſis Maximo tributus et quidem inter eius homilias poſt Dominicam in ramis prima, olim *de Tempore* 118. et poſt in *Append.* 44. 8) Sermo CLXXXV. *in Pentecoſte*, IV. olim de Tempore 183. et poſt in *App.* 60. In Theodoricenſi codice falſo Ambroſio tributus, ſed in ceteris vna cum aliis tribus Maximi nomen recte gerit. In *Claſſe* III. *de Sanctis:* 9) Sermo CXCII. *in Cathedra S. Petri*, III. alias de Sanctis 16. a Louan. inter dubios relictus, a Verlino et Vindingo pro ſpurio habitus et a Benedd. primum in *App.* relatus, excuſus etiam inter Ambroſii et ipſius Maximi ſermones mutato duntaxat initio. 10) Sermo CCII. *in Natali Apoſtolorum Petri et Pauli*, II. olim de *Sanctis* 27. et poſt in *App.* 79. in excuſis etiam inter Ambroſianos et Maximianos locum habens, in MSS. partim Auguſtino, partim Ambroſio, ſed plerumque Maximo aſſignatus, cuius

 nomine

nomine etiam in Breuiario Romano die V. Iulii eum reperiri Benedictini monent. 11) Sermo CCVII. *in Natali ſancti Laurentii*, II. alias *de Sanctis* 32. a Benedd. primum, ſed ex parte poſteriori duntaxat, in *App.* relatus, a verbis nempe *Sufficere nobis debent* etc. In *Claſſe* IV. *de Diuerſis.* 12) Sermo CCXLVIII. *de Sepultura Domini,* alias *de Tempore* 133. a Louan. inter dubios relictus, a Benedd. autem poſt Verlini et Vindingi Cenſuras in *App.* relatus. Compoſitus eſt nempe ex parte poſtrema Sermonis apud Ambroſium 52. *de cruce* et ex integro Sermone apud eundem 53. *de ſepulcro Domini*, qui duo etiam *Maximi* nomine vulgati ſunt.

1687.

Lutetiae Pariſiorum apud Viduam Edmundi Martin, Ioh. Boudot et Steph. Martin. 4. S. Maximi Epiſcopi Taurinenſis Homiliae XII. ex codicibus MSS. primum erutae a *Ioanne Mabillon.* Eduntur in *Muſeo Italico* eiuſdem *Parte altera pagg.* 1—31.

Tituli eorum ſunt: I. *de Barbaris non timendis ei qui Deum timet*, *et de ſancto Heliſaeo.* II. *Item ſequentia* i. e. de eodem S. Eliſaeo *). III. *Item ſequentia* i. e. de hoſtibus non timendis. IV. *De Niniuitis.* V. *De Kalendis Ianuariis.* VI. *De defectu Lunae.* VII. *Ante Natale Domini.* VIII. *De Natali Domini.* IX. *Poſt Natalem Domini.* X.

*) Enimuero hi duo *de S. Eliſaeo* ſermones, non, vt ſibi perſuaſerat Mabillonius, inediti erant, ſed pridem in Romana editione Ambroſii excuſi, loco quidem tam alieno, vt facile etiam diligentiſſimum hunc virum fugere poſſent. Obſeruarunt illud primum *Ambroſii* editores *Benedictini* in *Admonitione ad Appendicem.*

X. *De Haereticis peccata vendentibus.* XI. *Quod non debent Clerici negotiari.* XII. *De Corpore Domini.* Hauſtae illae ſunt ex tribus codicibus MSS. perantiquis, vno Mediolanenſi bibliothecae Ambroſianae, ſecundo Romano monaſterii S. Crucis in Ieruſalem, tertio Heluetico ex Abbatia S. Galli. „Ex his tribus codicibus, *Mabillonius* inquit, quantumuis antiquis, non eruitur certa et explorata omnium ſancti Maximi homiliarum, ſiquidem Sancti Gallenſis eas ſub Auguſtini falſo titulo adducit: ſanctae Crucis codex, deleto veri auctoris nomine, Ambroſium praefert: vnus Ambroſianus Maximo quaſdam aſſignat, ſed paucas, vt poſtea videbimus. Verum ex aliis indiciis, maxime ex Gennadio intelligimus, omnes, aut propemodum omnes, praeſertim quae in Codice Sancti Galli exhibentur, Maximo eſſe tribuendas. Et quidem ita ſimul connexae et colligatae ſunt, vt ſi vnarum auctor exploratus habeatur, de aliis conſequens futurum ſit iudicium. Auctor quippe paſſim homiliae praecedentis in ſubſequenti mentionem facit. Atqui pleraeque Maximum vti legitimum parentem agnoſcunt, vtpote quas Gennadius manifeſte deſignauit. Hoc in numero eas eſſe, quas nunc primum in lucem proferimus ex ſubiectis obſeruationibus quiuis facile animaduertere poterit.“ Singulas dehinc percenſet et multo cum acumine elicit ſigna, quae in eas, quarum argumenta Gennadius protulit, conueniant, additque poſtremo loco, non ſolum pleroſque Sermonum, qui ſub Maximi nomine in editis vulgati ſint, Maximum auctorem habere, ſed eidem adeo vindicandos eſſe quotquot ex iis Ambroſio inter eius opera ſupponantur; quorum paucos admodum Ambroſio, longe plures Maximo adſcribi debere cenſet; alios nec Maximo nec Ambroſio tribui poſſe, ſed po-

 ſterio-

ſteriorum auctorum eſſe luculentis aliquot exemplis demonſtrat.

1690.

Pariſiis typis et ſumtibus Viduae Ioh. Bapt. Coignard et Ioh. Bapt. Coignard filii. fol. S. Maximi Taurinenſis Sermones inter *Ambroſianos* reperiundi, in *Tomo* II. *Opp.* Ambroſii, ed. *Benedictinorum*, Append. a *pag.* 391.

Maior quidem pars Sermonum iſtorum, qui Ambroſii nomen in MSS. libris gerunt et cum Operibus illius excuſi ſunt, quorumque omnium nullum omnino ad Ambroſium pertinere cenſuerunt Benedictini, Maximum Taurinenſem auctorem agnoſcit. Plerique etiam ex iis alibi ſub Maximi nomine impreſſi fuerunt. Enimuero a Romanis Ambroſii editoribus, quorum opera per centum et amplius annos ſola exſcribi conſueuit, horum nulla plane ratio habita erat, quippe quibus magis cordi fuit, numerum Ambroſii ſcriptorum quocunque modo augere, quam critici officio fungi et pati, vt notandis ſpuriis ille imminueretur. Qua quidem deſidia factum eſt, vt tanto acrius in hoc negotium Benedictini incumberent et falce nequaquam timida cuncta aliena amputarent. Diximus autem nullos omnino Sermones praeter quatuor conciones propriis locis exhibitas, nempe *in funere Valentiniani*, *in funere Theodoſii*, *de Baſilicis non tradendis* et *de reliquiis SS. Geruaſii et Protaſii* pro genuinis ab iis haberi. Iam cum ex ſpuriis illis alii nonniſi apud Ambroſium, alii vero etiam alibi vulgati extarent, priores tantum retinuerunt et in Appendice exhibuerunt, ſermonis cuiuſque capiti ſtrictim praemiſſis iis rationibus, quae Ambroſianum non eſſe ſuaderent aut alium auctorem oſtenderent. Ne vero mutatio illa

illa moleſta cuiquam accideret, gemino indice prouiſum eſt, quorum in primo *omiſſi* collocantur tali ordine, *vt non ſolum quam quiſque ſedem antea in editionibus Ambroſianis obtinuerit, verum etiam, apud quem Patrum reperiatur*, vno intuitu aduerti poſſit; in ſecundo ii ſermones, quos retinuerunt, ita indicantur, vt editionum, antiquarum ſcilicet, Romanae et nouiſſimae comparatio exiſtat. Sicut vero ex priore indice apparet, *omiſſorum* longe plurimos inter Maximianos iam vulgatos eſſe, quem non immerito pro auctore eorum haberi in ſingulari ad omiſſos ſermones adnotatione demonſtrant; ita ex *ſexaginta tribus*, quibus locum in Appendice dederunt, vſque dum nonniſi cum Ambroſio excuſis Sermonibus potiſſimam partem Maximo Taurinenſi deberi oſtenderunt; nuper vero editor Romanus Maximi Bruno Brunus tantum non omnes, quos vel incertos reliquerant, vel aliis interdum tribuere viſi ſunt Ambroſii editores, codicum MSS. ſuperante teſtimonio Maximo ſuo aſſertum iuit. Tanta vero Maximi ſermonum pars quod in Ambroſii nomen potiſſimum tranſſcripta ſit, praeter librariorum fraudes, qui, vt vendibiliora exemplaria facerent, illuſtria nomina iis inſcribere ſolebant, hoc cauſſae fuiſſe cenſent Benedictini, quod cum Ambroſii opera diligenter lectitaſſe videatur Maximus, ex iiſque, potiſſimum ex Commentario in Lucam magna fragmenta ad verbum excerpta indiderit, incautis librariis errandi praebuerit occaſionem. „Inde ſimiliter, *inquiunt*, coniicere forſan liceat, non alium auctorem libris ſeu Sermonibus *de Sacramentis* quaerendum eſſe, quam eundem Maximum; cui coniecturae locus et tempus patrocinantur."

Saec. XVIII.

1713.

Pataiuii typis Seminarii, apud Io. Manfré. 4. S. Maximi Taurinenſis Epiſcopi Sermones (73. partim editi, partim inediti) cura et ſtudio *Ludouici Antonii* Mvratorii; in *Tomo IV. Anecdotor. pagg.* 1—117.

Muratorius ex eodem Codice Ambroſiano, ex quo partem Homiliarum XII. ineditarum excerpſerat Mabillonius, non ſolum nouas denuo, nec paucas eruit, quas vere Maximum auctorem habere putat homilias, ſed eas etiam, quae iam editae fuerant ſiue inter Ambroſii, ſiue in Maximi ipſius Operibus annotauit et iudicio ſuo confirmauit. Stilum potiſſimum iudicem ſecutus eſt, ſed non minus Gennadium et alia indicia ex ipſis homiliis petita.

1733.

Pariſiis apud Montalant, ad Ripam PP. Auguſtinianorum, prope pontem S. Michaelis. fol. S. Maximi Taurinenſis epiſcopi homiliae ſex, ex ſchedis Mabillonii edidit *Edmundus Martene* in *Tomo* IX. *Collectionis ampliſſimae Vett. SS. et Monumentor.* quam vna cum *Martino Durando* eiuſdem ac ipſe Congregationis S. Mauri ſocio et presbytero nouem voluminibus adornauit; *pagg.* 134—142.

Selegerat eas Mabillonius ex eodem Codice Sangallenſi, ex quo primum homilias XII. publicauit, alias ex XCVII. quas ſub nomine Auguſtini comprehendebat, quarum tamen pars maxima iam ſub Auguſtini, vel Ambroſii vel ipſius Maximi nomine exarata erat, in aliud tempus reſeruans. Sed praeter has ſex nihil in ſchedis eius ab hoc editore repertum eſt.

1741.

1741.

Venetiis apud Auguſtinum Savioli. fol. Opera Maximi Taurinenſis; accedunt *Operibus Leonis M.* ab eodem bibliopola editis.

De hac editione, vt de ſequenti, dicetur in annalibus editionum Leonis. Ad manum neutra fuit. Ignoramus ergo, vtrum ſolae primitus cum Leone vulgari ſolitae Homiliae 74. redditae ſint, an ex *Mabillonii*, *Muratorii* et *Edmundi Martene* collationibus fuerint locupletatae.

1748.

Venetiis apud Andream Poletti. fol. Sermones et homiliae S. Maximi Epiſcopi Taurinenſis ad MSS. Codices denuo caſtigati et aucti; accedunt *Leonis M. Operibus* per eundem excuſis.

1749.

Venetiis apud Carolum Pecora. fol. S. Maximi Taurinenſis Epiſcopi Sermones varii; in COMBEFISII *Bibliotheca Concionatoria* nouae editionis, potiſſimum per Tomum I. II. V et VI.

1773.

Venetiis ex typogr. Io. Bapt. Albritii. fol. Sancti Maximi Epiſcopi Taurinenſis complures Homiliae, quae in antea editis deſiderantur, euulgatae cura et ſtudio *VV. CLL.* MABILLONII, MVRATORII et MARTENII, recollectae ab ANDREA GALLANDIO; in *Bibliotheca Vet. Patrum antiquorumque Scriptorum Eccleſiaſticorum. Tomo IX. pagg.* 349—395. Additus eſt etiam Sermo nouus ex Combefiſio. Subiecit editor breues aliquot notas, variantes, emendationes, coniecturas, nec non loca biblica, quae vel diſerte profert, vel reſpicit ſaltem

Maxi-

Maximus. In *Prolegomenis* denique cap. IX. pp. XX—XXII. de Maximi rebus, et harum eius homiliarum editoribus exquiſito cum iudicio diſſeritur.

1784.

Romae typis Sac. Congr. de Propaganda Fide. fol. max. Sancti Maximi Epiſcopi Taurinenſis Opera *iuſſu* Pii Sexti P. M. aucta, atque Adnotationibus illuſtrata a Victorio Amedeo *Sardiniae Regi D. D.*

Seriem cum Homiliarum, tum Sermonum in hac editione contentorum ſupra dedimus. Iam primum eſſe debet, vt, quonam pacto praeſtitum ſit illud, quo maxime gloriari ea poſſit, vt non tam aucta, quam de nouo condita videatur, explicemus. Simulac nimirum a Pontifice Summo Brunoni Bruno haec concredita eſſet Maximum ornandi prouincia, non ſolum intra Italiam auctoritate ſua egit, vt vbicunque libri MSS. in quibus aliquid Maximi operum ineſſet, deliteſcerent, ſtudioſe inquirerentur et ad edita excuterentur, quique inde proueniſſent vel nouorum ſermonum vel variantium lectionum fructus, vna cum formae, characterum, atque aetatis declaratione Romam mitterentur, ſed extra Italiam etiam idem per legatos ſuos fieri curauit. Ipſum denique Brunum inſigniores et codicibus MSS. maxime abundantes bibliothecas veluti Caſinenſem et Florentinas adire et ſuopte ingenio experiri iuſſit, quantum lucri eſſet laturus. Simul ſummi vndequaque et loco et doctrina viri et officii ſui erga Pontificem teſtandi cauſa et bene de Maximo merendi cupidi eximiam in hoc ſtudio editori nauarunt operam. Is ergo poſtquam omnes, quotquot hactenus curatae eſſent Maximi editiones circumſpexerat et conquiſiuerat, ingeniumque deinde legendis virorum hiſtoriae criticaeque

caeque artis peritia inſignium de Maximo ſcriptis, qualia ſunt ex antiquioribus, Gennadii et Honorii Auguſtodunenſis, recentiorum vero, Trithemii, Eraſmi, Sixti Senenſis, Latini Latinii, Bellarmini, Baronii, Labbei, editorum Auguſtini et Ambroſii e Congreg. S. Mauri, Natalis Alexandri, Io. Alb. Fabricii, Cauei, Dupinii, Oudini, Tillemontii, Ceillerii et fratrum Balleriniorum, nutriuerat; tantaque denique MSS. copia mactatum ſe videret, quod ad editas quidem, ſecutus eſt partim exemplum Gymnici, qui primus LXXIV. homilias dederat a Galeſinio mox recuſas, ita tamen vt nonnulla eius aut ſuppleret, aut emendaret omninoque ad probatiorum MSS. fidem exigeret, partim repraeſentauit exempla editionum Pariſienſium operum S. Ambroſii annorum 1569. et 1690, Anecdotorum Muratorii a. 1713. et Muſei Italici Mabilloniani a. 1724; nouas autem et ineditas hactenus non niſi conſentientibus pluribus optimae notae MSS. et ex iudicii ſui aſſenſu in numerum allexit, hac adhibita in diiudicandis MSS. codicibus cautione, vt antiquiores generatim praeferret recentioribus, emendatiores minus caſtigatis et iis plus tribueret, quos ex optimis exemplaribus deſcriptos eſſe cognouiſſet. „Id vero vt dignoſcerem, inquit, regulas mihi ſubſidio tres comparaui. „Earum fuit prior, Codicum plurimorum eorumque antiquiorum emendatiorumque concentus: altera, veterum monumentorum ſcriptorumque auctoritas: tertia, hiſtoricorum criticaeque artis peritorum „conſenſio. His ergo praeſidiis munitus, permulta „opuſcula iure adſerui Maximo, etſi eſſent, qui ipſorum aliqua eidem accepta referri oportere aut inficiarentur, aut dubitarent. Quodſi aliquando „horum mihi praeſidiorum vel aliqua vel paene „omnia defuerunt, induci tamen non potui, vt ſan-

„cto

„cto Antiſtiti abiudicanda eſſe ducerem, quae ab „ipſo fuiſſe ſcripta ſtili ac orationis ſimilitudo ſua„deret. Neque vero, quod in quibuſdam opuſculis „humilior, quam in ceteris, ſit oratio, idcirco ab iiſ„dem Maximo adſcribendis deterreri potui. Non „enim ſum neſcius, conſueſſe ſanctos, eius praeſer„tim aetatis, Antiſtites ſublimiore elegantioreque „oratione vti, cum auditores eloquentiae doctrinae„que laude praeſtantes nacti eſſent; humiliore con„tra, cum conciones ad imperitum vulgus habe„rent. — Verum etſi par omnino in aliquot Maxi„mi opuſculis, atque in aliis pluribus eſſe non videa„tur ſublimitas ſermonis, et elegantia; adeo tamen „eſt ſeries, collocatio, verborum ductus, afferen„dorumque ſacrae Scripturae locorum ratio ſimilis, „vt facile in vtriſque Maximum auctorem poſſis „agnoſcere. Iam vero ſi qua in opuſcula incurri, „quae ſermone tam vulgari, humili, abiecto, im„plicato ſcripta eſſent, vt prorſus indigna Maximo „viderentur; ea equidem nihil haeſitans ſtatui, re„iici oportere in numerum operum ſpuriorum, „quamquam in aliquot Codicibus inſcripta eſſent „Maximi eiuſdem nomine." Quod poſterius latius ibidem editorum Ambroſii et Auguſtini e Congreg. S. Mauri et Leonis M., fratrum Balleriniorum exemplis defendit. Atque haec in vniuerſum quidem de methodo, quam in adhibendis codicum MSS. teſtimoniis ſecutus ſit, praecipit; ſingulatim vero ad vnamquamque orationem docet, vnde illa ſit, noua, an alias iam edita, quo iure Maximi nomen ferat, quibuſque MSS. ſe tueatur; quae iunctim *Admonitionum* nomine ab eo comprehenduntur. Iam ad alia accedamus, quae in hoc opere S. Maximi amatoribus videbuntur eximia, textus emendationem dico et illuſtrationem. Ad illam quod ſpectat, vix dubitari

dubitari poteſt, quin ei, qui S. Maximi ingenium propriamque dictionem adeo, vt noſter, animo imbibit, egregie hic labor ceſſerit, nec facile illa, niſi ab aeque exercitato in huius aliorumque Concionatorum lectione rite aeſtimari poterit; id vnum tantum affirmamus, variantes lectiones larga manu appoſitas et diligenter enotatas eſſe. Illuſtrationi inſerviunt cum *Argumenta* ſermonibus et homiliis praefixa, tum *Adnotationes* non omnibus quidem ſed prolixioribus paſſim ſubiunctae, de fidei dogmatibus, quae forte Maximus attigit, vnice tractantes. De iiſdem vero ſeparatim etiam per ſyſtematis modum longe vberius, quam in tali auctore quiſpiam deſiderauerit, commentatus eſt. Reſtat nunc, vt totius operis deſcriptionem et quomodo ſingulae ſe partes ordine continuo excipiant, paucis exponamus. Auſpicatur volumen *Pii VI. P. M. ad Victorium Amedeum Sardiniae Regem Epiſtola*, (d. Romae apud S. Mariam Maiorem VI. Idus Iulii a. 1784. Pontificatus anno X.) in qua tum Maximi de Taurinenſibus merita, tum Taurinenſium et vniuerſae gentis Subaudiae imprimiſque Comitum Ducumque eius et Regum denique pietatem, in tuenda propagandaque fidei catholicae doctrina alacritatem et in Apoſtolicam ſedem deuotionem ita praedicat, vt non omiſerit ſingula Pontificum Romanorum Praedeceſſorum ſuorum literis et Guichenonii Subaudicae domus hiſtoriographi teſtimoniis confirmare. Sequitur Editoris *Praefatio* in duas partes diuiſa, quarum vna exponit, *quibus Scriptorum et Codicum adiumentis; et quo ordine haec editio ſit perfecta*, altera *de doctrina Maximi* copioſiſſime diſſerit. Hanc excipit *de Vita S. Maximi Commentarius* verboſiſſimus, binis columnis impreſſus. Proxima ſunt *Teſtimonia Scriptorum Eccleſiaſticorum de Scriptis S. Maximi*

Taurinenſis, cui adnectitur Elenchus *Editionum Homiliarum et Sermonum* eiuſdem. Poſtea *Notitia Codicum MSS. ex quibus auctior et locupletior prodit haec operum S. Maximi editio* itemque *Declaratio aetatis codicum MSS.* quorum ſpecimina in tabulis aere inciſis ad calcem ſubiectis ſunt exhibita. *Index* denique *Sermonum et Homiliarum* ſiſtitur. Quae omnia iuxta quam a nobis ſunt enumerata CC. paginas implent. Dehinc ipſi Sermones et Homiliae genuini binis columnis, dubii ac ſpurii per Appendicem adiecti, latis lineis impreſſi ſequuntur. Coronant opus *Indices duo locorum Scripturae Sacrae et Rerum Sententiarumque memorabilium.* Quod reliquum eſt, typographi ſolertiam non infra editoris artem ſubſtitiſſe notamus. Gaudet enim haec editio chartis ampliſſimis candidis et teneris; typorum ſumma eſt varietas, elegantia et nitor; deſcriptioque tam oculis grata eſt, quam commoda vſibus; denique rariſſima apparent operarum vitia, vt qui verum amet, neceſſe ſit, fateatur, neutrum in profligando hoc opere Pii VI. voluntati ac conſiliis defuiſſe.

* *

Codices. Quin Codicum MSS. loco habendae ſint antiquae illae *Homiliariorum* editiones, in quibus Maximi, vt tot aliorum Patrum varii Sermones primum formulis ſtanneis exſcripti ſunt, qui addubitare vellet, nae illum celebres Leonis M. Operum editores exemplo ſuo redarguerent et docerent, horum lectiones, vtpote ex MSS. ſaeculo IX. antiquioribus ductas, non parui faciendas eſſe. Quo magis miramur recentiſſimum Maximi editorem, eorum vel oblitum eſſe, vel plane eos contemſiſſe. Sed ingens

ingens MSS. librorum, quae ei ſuppetebat copia, cauſa haud dubie fuit, vt alterutrum acciderit.

Vtrum ex huiuſcemodi Homiliarii vel impreſſis vel MSS. exemplaribus, an ex aliis MSS. faſciculis decerpta fuerit collectio Sermonum Maximi, quam *Damianus* ille *Aſcendienſis* Ioanni Gymnico excudendam dedit, nondum a quopiam, quantum ego memini, quaeſitum eſt.

Mabillonii Codicibus, *Ambroſiano* ſcilicet, *Romano*, et *Sangallenſi* cum item Romanus editor vſus fuerit, commodior de iiſdem in ſequentibus dicendi locus erit. Ergo *Brunonis Bruni* MSS. librorum apparatum recenſere nunc aggredimur, qui quidem tantus fuit, quantus nulli adhuc eiuſmodi ſaltem, id eſt, non multorum voluminum ſcriptoris editori contigit. Erant autem partim *Italici*, partim *Germanici*, qua poſteriore appellatione etiam *Helueticos* et *Belgicos* quoſdam comprehendit. Series autem omnium ſic ſe habet.

A. *Codices ex Italia conquiſiti.*

I. *Subalpini.*

1. *Codex Taurinenſis.* Membranaceus, in folio, ſaeculo certe XI. ſcriptus, quo veriſimilius eſt, eum ex optimis exemplaribus fuiſſe ductum. A recentiori manu adpoſita erat inſcriptio: *Ad vſum maioris eccleſiae Taurinenſis.* Continebat partim homilias, partim ſermones Maximi CXXII. quorum plures nondum lucem adſpexerant, eorumque indicem vna cum titulis et initiis ſingulorum ſeparatim habes in nouiſſima editione deſcriptum pagg. CLXVII—LXXII. Peculiaris quippe ipſi fuit ſeries continua et colligatio homiliarum titulorumque adpoſito-

rum ſatis caſtigate perfecta deſcriptio. Diſtributi fuerant ſcilicet ſermones et homiliae iuxta anni eccleſiaſtici tempora, vt diuinis officiis inſeruirent. Simul ex eodem patet, collectione hac antiquiorem alteram extitiſſe; ſiquidem ſcriptor eius paſſim, quae ipſi deerant, indicauit. Vnde colligit editor longe plures, quam nunc extant, a Maximo habitas et lectas olim in antiquioribus codicibus fuiſſe homilias. Nec leuem etiam, idem inquit, hunc indicem ſibi praeſtitiſſe coniecturam, vt quas homilias et ſermones Maximi nomine ex editionibus et codicibus collegiſſet, ipſi tutius adiudicaret, ex titulorum et orationis congruentia auctorem arguens. Monet denique in hoc, iuxta quam in tribus ſequentibus codicibus, formas plerumque characterum aut prorſus aut plene fuiſſe deletas, adeo, vt vix fragmenta quaedam remanſerint, quae tamen facile intelligi, aut non difficulter legi a perito lectore poſſint.

2. *Codex Pedonenſis*, qui olim fuit Monaſterii S. Dalmatii de Pedona, membranaceus, in folio, lacerus quidem multis in partibus, ita tamen vt ex numeris adpoſitis dignoſci poſſit, comprehenſas in eo fuiſſe homilias CCXLII. et ſermones XX, videaturque collectio ex optimis exemplaribus condita. In titulis homiliarum et ſermonum per omnia fere cum Taurinenſi conuenire dicitur, ſed aetate ſuperiorem et a ſaeculo VIII. repetendum eſſe verſus in extremo appoſiti demonſtrant, quibus ſcriptus traditur ſub *Ruperto Abbate Coenobii Pedonenſis* et regnante *Karulo*

rulo Rege Longobardorum et Francorum. Anni notae euanuerunt.

3. *Codex Pedonenſis alter*, membranaceus, in quarto, ſaeculi XI, *exaratus* quippe *a Ioſepho Monacho, quo tempore Abbas Henricus monaſterio iſti praefuit, rexque Henricus in Italia obtinebat principatum*, vt verſibus ad calcem adſcriptis ſimiliter declaratur. Inſunt homiliae CLXX, ſermones XL. ſed diuerſo a ſuperioribus ordine diſpoſitae et cum ſermonibus permiſtae. In fronte literis e minio maiuſculis Maximi nomen inſcriptum gerit. Scipio Maffeius eiuſdem cum ſuperiore aetatis, ſaeculi nempe VIII. eſſe iudicabat.

4. *Codex Appanienſis*, id eſt monaſterii ſeu Prioratus de Appania, ad quod olim pertinuit, in folio paruo, imperfectus in principio, et in corpore; auulſa enim ſunt multa folia. Complectebatur autem ſermones XXXI; homilias vero LXX. *) vt ex numeris reſtantium colligitur. Ex forma characteris ad ſaeculum IX. vel ſummum ad X. referri debet **); id quod ſubſcriptio quodammodo confirmat, in qua Lotharii imperatoris (incertum, I, qui a. 841, an II, qui a. 947. imperio potitus fuit) fit mentio.

Quatuor hoſce codices dudum ante initum a Pio VI. Maximi edendi conſilium excuſſerat et cum editis diligenter compararat *Franciſcus Meyraneſius*, Academiae Taurinenſis Theologus, qui quidquid inde

*) Sic in praef. alio loco CXX. ſcriptum eſt.

**) In notitia Codicum error eſſe videtur, quod ſaeculo XI. adſcribitur.

inde enotauerat, vna, vt auguror, cum accurata eorum deſcriptione Ioſephi Vernazzae hortatu ad Brunonem Brunum tranſmiſit, cui vniuerſe quidem, cum ob vetuſtatem, tum ob miram inter ſe conſenſionem plurimum profuerunt, praeſertim autem auctores extiterunt, vt nonnulla antehac inedita, quae Maximi nomen in iis praeferrent in iiſque tres de *Baptiſmo* tractatus, ei adſereret.

II. *Codices Vercellenſes*, i. e. Capituli Eccleſiae Vercellenſis, quos Subalpinis adnumerat in praefatione editor.

1. *Codex membranaceus ſign. num. VII.* in folio, ſaeculi XI. duabus columnis exaratus, comprehendens vnam homiliam de *Kalendis Ianuarii*, in omnibus editis impreſſam.

2. *Codex membranaceus ſign. num. LXVII.* in folio maximo, Saeculi XII. vel XIII. integer, complectens ſermonem iam vulgatum *de mirabilibus*, et quatuor illos ſermones *de Euſebio Verc. Ep. et Martyre* a Bruno inter ſpurios reiectos.

3. *Codex Membranaceus ſign. num. LXXXI.* in folio maximo, ſaeculi XII. vel XIII. vt adnotatur *), exhibens XII. partim ſermones, partim homilias.

Vercellenſibus Codicibus in Operibus S. Leonis iam vſi erant fratres Ballerinii. At in vſum Romani editoris denuo excuſſit eiuſdem eccleſiae Canonicus *Ant. Franc. Friſius.*

III.

*) Sic in *notitia*, in *praefatione* autem ſcribit, pertinere eum ad ſaeculum XI. et complecti homilias XVIII. omnes iam typis vulgatas.

III. *Codices Nouarienſes* i. e. Bibliothecae Eccleſiae Cathedralis Nouarienſis.

1. *Codex membranaceus ſign. num. X* *) in folio, ſaeculi XI, litteris initialibus eleganter pictis ornatus. Comprehendit II. *de communi SS. Martyrum* homilias **).

2. *Codex membranaceus ſign. num. XI* in folio, ſaeculi XII, literis itidem initialibus coloratis, vnam homiliam *de SS. Martyribus* hac in ed. col. 263. continens.

3. *Codex membranaceus ſign. num. XXVII.* in folio, ſaeculi XI ***) literis initialibus et titulis rubricatis, partim homilias, partim ſermones XXVII. omnes iam vulgatos praeſtans.

4. *Codex membranaceus ſign. num. XLII.* in folio, exaratus, vt in nota eidem adſcripta legitur, anno 1234. Ornatus eſt, vt ceteri, et continet XII. ſermones iam editos et aliis codd. confirmatos.

Excuſſerat hoſce Nouarienſes codices in vſum Bruni idem *Ant. Franc. Friſius.* Plures autem et optimas variantes lectiones ſuppeditaſſe ſibi ſcribit, indeque

*) In *praef.* audit ei *ſeptimus.*

**) Sic in *praefatione.* In *notitia Codicum* autem ſcribit, repertum in eo fuiſſe Sermonem vnum de *communi Martyrum* S. Maximi nomine nondum antea editum, qui extet in ed. Rom. col. 631. At ibidem dicitur, deſcribi hunc ſermonem ex CVIII. Codice Bibl. S. Marci Venetiarum. Videtur adeo ipſa multitudo codicum cauſa fuiſſe, vt haec confunderet.

***) In *praefatione* IX. vel ad ſummum X. ſaeculi eſſe traditur.

indeque colligit ex perfectis archetypis eos fuiſſe deſcriptos. Cum Vercellenſibus ſaepe conueniunt.

IV. *Codices Romani.*

α. *Vaticani.* In Bibliotheca Vaticana teſtatur editor plus *triginta Homiliarios* ſe reperiſſe, quorum vetuſtiores ad initia ſaeculi octaui referri poſſe viderentur, ſiquidem Romanis characteribus quadratis perſcripti erant. Plerique omnes integri, ex parte olim ad Sirletum Card. pertinebant, qui aliqua in iiſdem ſua adnotauit manu; pars eorum Reginae Suecorum Chriſtinae fuit, alii ex Ottoboniana ſuppellectile profecti erant. Singuli ad condendam S. Maximi collectionem aliquid contulerunt. Praefert autem ceteris *tres*, qui indubias ſaeculi VIII. notas exhiberent, inter quos celeberrimus is, qui *Gennadii* librum *de viris illuſtribus* complectebatur. Alii duo ſignati *num.* 3835 et 3836. membranacei, in folio paruo, charactere maiuſculo nitido exarati, ſermones et homilias per totum annum in duas partes diſtributas exhibebant. Reliquorum iuxta aetatis ſeriem haec eſt apud eum recenſio.

Cod. Vat. in fol. min. *num.* 248. membran. ſaec. XI. circiter.

Cod. Vat. num. 1278. et *Vat. Palat.* num. 430 in fol. membranacei ambo, circiter ſaec. XI.

Cod. Vat. num. 4222. literis Longobardicis exaratus in fol. max. ſaec. IX. (fortaſſe ſcribere voluit XI, ſi vere aetatis ordinem ſeruauit.)

Cod.

Cod. Vat. num. 4951. ſaec. XI vel XII. olim Card. Sirleti, nitide et diligenter ſcriptus, ex quo plures *de Epiphania* homiliae, item de *Quadrageſima* et *S. Ioanne Baptiſta* deſcriptae.

Cod. Vat. num. 1196. eiuſdem circiter aetatis, vitas Sanctorum et paſſiones Martyrum referens. In eo quatuor de *S. Ioanne Baptiſta* Sermones reperti.

Codices Vat. ſignati num. 1267, 1269, 1270, 6450, 6451, 6452 etc., et *Vat. Reginae Suecor.* 125, 128 et 539, qui omnes ad Saec. Chriſti XII. pertinent.

Cod. Vat. Reg. num. 1025. membranaceus, in fol. ſaec. XIII.

Codex alter num. 19. in fol. eiuſdem aetatis.

Cod. Vat. num. 587 ſaec. XIV.

Codices Vat. Palat. num. 183, 432, 433. chartacei, ſaeculi XIV.

Cod. Vat. Ottobon. num. 106. in fol. membranac. ſaec. XI. *Cod. Vat. Ottob.* alter *num.* 773. in quo per ſententias et doctrinas Patrum agitur de *myſteriis redemptionis humanae*, interque eas plurima citantur S. Maximi. Opus ineditum, abſque auctoris nomine forte perſcriptum extremo ſaec. XIV.

Antequam autem ipſos hoſce codices perluſtraret, acceperat a *Petro Aloyſio Galletio*, Monacho tum Bened. Congreg. Caſinenſis, poſt Cyrenenſi Epiſcopo, *Varias lectiones* ex Vat. Codd. et ſermones aliquot diligenter inde deſcriptos, quae ſtimulum tanto acriorem ipſi indiderunt ad omnia ſuis oculis cognoſcenda.

β *Baſilicae S. Petri.* Recenſentur *ſex:*

1. *Codex* ſign. *num.* 106. *litt. C*, membranaceus, in fol. ſaec. XII.
2. *Codex* alter continens homilias et ſermones in lectiones diſtributos.
3. *Codex* ſign. *num.* 210. in quo collectio ſermonum Leonis M, inter quos nonnulli, qui S. Maximo poſterioribus temporibus adiudicati ſunt. Saeculi videtur XIV.
4. *Codex* ſign. *num.* 7. A. Lectionarius et Paſſionarius, continet partem homiliae S. Maximi *de Mirabilibus.*
5. *Codex* ſign. *num.* 40. A. Lectionar. continens octo partim ſermones partim homilias S. Maximi.
6. *Codex* ſign. *num.* 9. A. Lectionar. continens ſermones in *Nat. Apoſtolorum Petri et Pauli* et alterum *de S. Laurentio.*

Ceterum teſtatur Brunus, codices S. Petri prae ceteris emendatiſſimos eſſe, vtriſque autem, hiſce ſcilicet et Vaticanis, hoc impertit elogium, eos et emendatiore textu, characterum nitore et elegantia, et concentu inter ſe, reliquis omnibus praeferri oportere.

γ. *S. Crucis in Ieruſalem* i. e. Bibliothecae Romanae Monaſterii S. Crucis in Ieruſalem, Ordinis Ciſtercienſis. Inter hos longe praeſtantiſſimus fuit:

1. *Codex Nonantulenſis*, i. e. qui olim erat Monaſterii Nonantulani in agro Mutinenſi, ante annum Chriſti octogeſimum acquiſitus ab Anſelmo abbate, membranaceus, in folio, notatus *num.* XC. in fronte quidem exteriore, quamquam intus pag. 1. *num.* CXXXIV. praefert. Omnes eius Bibliothecae

codices

codices cum antiquitate, tum accurata ſcriptura antiquitateque antecellit, ſpectatque ad ſaeculum VII. vel ſummum VIII. Ductus literarum Romanus eſt, ſecundae, vt aiunt, aetatis, paululum vergens ad Longobardicum. A pag. 129 ad 160, inquit Brunus in *Praefatione*, ſexaginta partim homilias, partim ſermones complectitur, qui omnes indice Card. Beſutio in indice eiuſdem Bibliothecae S. Maximum auctorem agnoſcant. At in *notitia Codicum*, vbi omnium ſigillatim titulos recenſet, numerat LXIII. Mabillonius contra, qui pridem eo vſus erat, homilias in eo contineri ſcribit LXXIII. ex quibus pleraeque etiam in exemplari Sangallenſi habebantur. Inſcriptum erat, eodem teſte, in fronte codicis nomen auctoris: ſed eo abraſo, *ſancti Ambroſii* nomen ſubſtitutum. Maximam tamen partem harum homiliarum Maximi eſſe cenſet: tametſi quaedam aliae Hieronymi et Auguſtini ſub eorum nomine inſertae eſſent.

2. *Codex Nonantulenſis alter*, ſignatus *num.* XCIX (intus LXVII) membranaceus, in 4. charactere Romano rotundo et eleganti, ſaeculo circiter XII. exaratus. Principio *exorciſmos ſuper energumenos* continet, deinde *Epiſtolas duas Pontificis Max.* A. (Alexandri III. putat Brunus); poſtremo a pag. 5. ad 163. homilias ſermoneſque S. Maximi XCVI, in quibus XLVIII. ſermones nullatenus ab iis, quos Codex XC continet, diſcrepantes, vnde verum eorum autorem Maximum eſſe cum Beſutio Brunus cenſet, adſtipulantibus verſibus barbaricis ab initio eorum

rum adſcriptis et titulo. Etiam huius codicis ſermonum homiliarumue titulos ſingulos tranſſcripſit in Notitia Codd. ſed numerus ſimiliter ac in priori diſcrepat, nec XCVI. ſed XCII. exhibentur.

3. *Lectionarium* ſaeculo fere XIII. perſcriptum, ſignatum *num.* 9. (intus 222.) in folio grandiori, membranaceo, literis quadratis exaratum. Continebat Lectiones de Tempore et de Sanctis et homilias aliquot.

4. *Lectionarium Ciſtercienſe alterum* ſaeculi XIV. in fol. itidem grandiori, membran. charactere ſemigothico exſcriptus. Inerant XII. homiliae S. Maximi.

Monita et Variantes Lectiones teſtes aduocat Brunus, ex quibus conſtet, quantum vtilitatis hi Codices editioni ſuae contulerint.

δ. *Vallicellani*, i. e. Bibliothecae Vallicellanae PP. Congregationis Oratorii S. Philippi Nerii, quae Lectionariis valde inſignibus abundat, vt pridem a Balleriniis fratribus in Leonis M. editione edocti ſumus. Septemdecim ex iis euoluit Brunus, in quibus quinquaginta erant Maximi ſermones et homilias, quos cum editis contulit; nempe

1. *Codex* II. membranaceus in fol. max. ſaec. XI. circiter, in quo nouem Sermones Maximi.
2. *Codex VI.* membranac. in fol. max. ſaec. XIII.
3. *Codex VII.* membr. in fol. max. ſaec. XIV.
4. *Codex VIII.* membr. in fol. max. ſaec. XIII.

XIII. Hi non niſi vnum aut alterum Maximi ſermonem habebant.

5. *Codex IX.* eiuſdem aetatis ac formae, ac praecedens, tres ſermones continebat.

6. *Codex XV.* eiuſdem formae et aetatis ſermones X. Maximo inſcribit.

7—9. *Codices* XIX, XX et XXV. Primus eſt membran. in fol. max. literis Longobardicis exaratus, ſaeculi forte IX. Eiuſdem aetatis et formae, nec tamen characteris ac reliqui duo. Quilibet eorum non niſi vnicum Maximi ſermonem continebat.

10. *Codex* ſign. 4. 7. homilias exhibens per anni circulum, in quibus ſeptem Maximi ſermones.

11. 12. *Codex A.* 9. *Codex A.* 10. vterque membr. in fol. max. ſaec. XIII. prior vnicum *de SS. Apoſtolis Petro et Paulo*, poſterior ſex profert.

13—17. *Codices* A. 16. B. 5. H. 2. H. 7. H. 23. vnum vel alterum ſermonem aut homiliam ſuppeditantes.

ε. *Lateranenſes.* In huius Baſilicae tabulario plures olim, quam nunc ſuperſunt, extitiſſe codices ex numeris inſcriptis patere monet Brunus. *Quatuor* tamen inuenit *homiliaria*, quorum tria membran. in folio max. charactere Romano nitide exarata ſaeculo XI. ſcripta cenſet, quartum in fol. minori ſaec. XIII. Ex grandioribus illis duo in fronte voluminis inſcriptum gerebant: *Compoſitum a Secundino Tauromintano Epiſcopo tempore ſancti Gregori Papae.*

Ex

Ex Lateranenſibus quaedam ante inedita, nempe ſermonem in *Dominica Palmarum et de communi plurimorum Martyrum*, deſumpſit, aliaque eorum teſtimonio confirmauit, omninoque Balleriniorum, qui emendatiſſimos cenſeant, ſubſcripſit ſententiae.

ζ. *Caſanatenſes.* Bibliotheca Card. Caſanatae apud FF. Praedicatorum ad Mineruae *duos* praebuit *Homiliarios* codices membranaceos in fol. max. eleganti et nitido Romano charactere ſaec. fere XI. ſcriptos. At pauca ex iis pro Maximo collegiſſe ſe teſtatur.

η. *Zeladiani*, i. e. codices, qui ſunt penes Card. Franc. Xau. de Zelada, Bibl. Vat. Praefectum, inter quos eminet,

1. *Codex Vrbeuetanus*, a Capitulo Cathedralis Vrbeuetanae ipſi dono datus, membranaceus in folio maximo optime exaratus ab octingentis circiter annis. Inter plures celebriorum PP. homilias plures S. Maximi habet, quarum nonnullae, etſi nomine auctoris careant, fidem tamen ex aliis codicibus nanciſcuntur. Ex eadem praeterea Bibliotheca Bruni vſibus conceſſi fuerunt,
2. *Codex* membranaceus in folio max. Acta et Paſſiones Martyrum continens, et
3. *Codex Lectionarius*, in quo quatuor Maximi ſermones.

θ. *Chiſiani.* In Chiſiana Bibliotheca mss. libris abundantiſſima *tres* euoluit *Homiliarios*, quorum duo membranacei in fol. ſaec. XII. olim Eccleſia Anagnienſis poſſedit. Tertius erat chartaceus ſaec. XV.

XV. et plures Maximi Sermones dubios continebat.

ι. *Carrarianus*, i. e. codex Praeſulis Franciſci Carrariae, ſacrae Congregationis Concilii a Secretis. Fuit olim Eccleſiae *Strigonienſis* et *Breuiarium* eiuſdem continet. Scriptus eſt in membranis candidis, charactere nitido et eleganti, initio fere ſaeculi decimi ſexti, picturis ſplendidiſſimis a Ioanne Boccardino ciue Florentino in hoc artis genere eximio ornatus. Septem homilias Maximi exhibebat, quarum *variantes* lectiones ſuis locis ſunt propoſitae.

κ. *Codex Bibliothecae Angelicae S. Auguſtini.* Breuiarium Saeculi XV, membranaceum, in folio, eoſdem quatuor ſermones ſancto Maximo attributos complectens, quos Breuiarium Eccleſiae Veliternae continet.

Ceterum luſtrauit etiam Brunus Bibliothecas *Columnarum* Comitum, *Barberiniorum* et *Albanorum;* at nihil in eorum codicibus reperiſſe ſe affirmat, quod non tritum editorum ſuperiorum ſermone, aut non peruulgatum eſſet. Cum autem ad Pontificem Maximum relatum eſſet, quam diues prae ceteris libris mss. Maximo profuturis eſſet Caſinenſis Bibliotheca, ipſum Brunum Caſinum ſe conferre eoſque euoluere iuſſit. Paruit ille et adiuuantibus doctis aliquot eius Congregationis Monachis XX. codices excuſſit. Erant autem

V. *Codices Caſinenſes* omnes membranacei, partim Romano partim Longobardico charactere exarati

exarati et meliorum criticorum iudicio ad X. vel XI. ſaeculum referendi. Signabantur his numeris: 102. (alias 1094.) 203. (alias 1075) 104, (alias 2030) 106. (alias 1072) 107. (alias 1034) 126, 129, 123 (alias 581) 131, 147, (alias 1100) 144. 142 (alias 1100) 193, 305 (alias 1080) Omnino autem *ſexaginta* ſermones pleroſque iure ſancti Maximi nomen ferentes in iis deprehendit. Attamen paucos ex iiſdem in Appendicem, tanquam ſpurios et Maximo indignos, non obſtante horum codicum autoritate reiecit. Illud notabile ducit, quod homilia de *Euangelica Piſcatione* et quartus ac ſeptuageſimus ſermo, de *natali ſancti Laurentii*, cum niſi ſola vnius codicis Laurentianae Mediceae Bibliothecae epigraphe Maximo adſcribi nequirent, iam etiam inſcriptione Codicis alterius huius Bibliothecae quaſi firmiore aſſeueratione ei tribui videantur. Ceterum quamquam hoſce codices inſigni plane bonae frugis *variantium* lectionum copia Maximum illuſtrare ſcribit: fatetur tamen, eos plerumque ita cum Vaticanis congruere, vt in iis vix quidquam deprehendi poſſit diſſimile.

VI. *Codices Farfenſes.* Inter plures ſummae vetuſtatis ac ſummi pretii libros mss. celeberrimi monaſterii Farfenſis, *duos* praecipue obſeruavit membranaceos in fol. max. Lectionarios ex Card. Tamburinii ſententia ſaeculo XI. perſcriptos. Tertius codex item membranaceus in folio minori, ſaeculi X. cum aliis tractatibus homilias aliquot complectebatur. *Duodecim* (in Praef. *Quatuordecim*) ſermones S. Maximi iam editos in iis inuenit, plureſque inde *variantes* lectiones deſumpſit.

VII.

VII. *Codices Sublacenſes.* Ex vetuſtiſſimi monaſterii Sublacenſis Bibliotheca *tres* Codices mss. cum editis contulit. Erant autem Lectionarii Saeculi XIV. in membrana fol. max. literis Gothicis exarati, tres ſermones S. Maximi continentes.

VIII. *Codices Beneuentani.* In Bibliotheca Eccleſiae Beneuentanae antiquis libris mss. inſtructiſſima, *quatuor* reperiri monet codices, qui ſermones X. exhibeant S. Maximi nomine inſignitos. Membranaceos eſſe declarat, in fol. max. ſignatos num. I. II. III. et IV. et ſaeculo XiI. non inferiores, vt ex charactere argui poſſit, et ex iudicio Eminentiſſimi Card. Stephani Borgiae, qui decerpta ex iis cum Bruno communicauit.

IX. *Codex Veliternus*, *Breuiarium* eius eccleſiae ſiſtens, ſeruatus in tabulario Capituli Veliterni, membranaceus, in folio paruo, ſaeculi XV. charactere eximio et literis initialibus eleganter pictis exaratus. Quatuor ſermones in collectionem Brunianam traductos continet, quorum duo ſancti Auguſtini, alii duo ſancti Maximi nomen praeferunt. Communicauerat cum Bruno Eminentiſſimus Stephanus Borgia, iam S. R. C. Card.

X. *Codices Bobienſes.* Bobienſe monaſterium eſt S. Columbani in eo tractu Ducatus Mediolanenſis, qui nunc Sardiniae regi paret, cuius codices S. Maximi opuſcula continentes laudat Muratorius in indice Bibliothecae eius ſaeculi X. edito in Antiquit. Medii Aeui Tom. III. pag. 819. Quae cum cognouiſſet Monaſterii Caſinenſis atque Congregationis iſtius Abbas Generalis Dominicus Fauilla, ſcripſit ad Bobienſem

Abbatem et mandauit, vt de codicibus eiſdem cognoſceret et ad ſe referret. Sed reſcripſit ille, fruſtra eoſdem a ſe ſuiſque eſſe perquiſitos ac neſcire ſe, niſi penitus perierint, quo caſu ſublati et quorſum aſportati fuerint. In iis vero, qui adhuc in ſuo Monaſterio exſtent codicibus, *Octo* eſſe inuentos ſermones S. Maximi nomine inſignitos, quos exſcribi etiam et Romam ad Brunum mitti ipſe curauit. Ex his octo ſermonibus tres genuini erant et antea editi, reliqui quinque tanquam ſuppoſiti in Appendicem ſunt a Bruno reiecti.

XI. *Codices Neapolitani*, quos luſtrauit et excerpta cum Bruno communicauit Angelus Maria Bandinius;

α. *Bibliothecae Montis Oliueti.* Huius in Notitia *duo*, in Praefatione *tres* enumerat codices, qui Maximi aliquot orationes continerent. Homiliarii omnes, et quidem

1. *Codex* membranaceus, fol. max., charactere Romano exaratus, ſaeculi, vt in Praefatione Brunus ait, XI. ſed iuxta eiuſdem in *Notitia* aſſertionem, ſaeculo XIV. non ſuperior, et adquiſitus Florentiae ſaeculo XV. In hoc Codice vnum genuinum S. Martini ſermonem deprehendit, cuius initium: *Saepe intimatum eſt*, quique ab eo iuxta mss. teſtimonia ſequenti ſub tit. *De ieiunio generali* reliquis ſermonibus de *Quadrageſima* eſt adiectus.

2. *Codex* alter priori perſimilis. Sic in *Praefatione.* At in *notitia* plane de eodem ſilet.

3. *Co-*

3. *Codex* chartaceus, fol. min. cum initialibus vario colore ornatis, ſaeculi, vt character eius demonſtrat, XV. Hunc *Alterum* vocat in *Notitia.* Ex hoc etiam ſermonem genuinum Maximi, olim Ambroſio tributum, depromſit, qui inſcribitur *Ante Natale Domini* et incipit: *Satis abundeque dixiſſe me credo.*

Duos praeterea ex iiſdem Codicibus ſermones inter dubios repoſuit, alios autem, quos iidem exhibebant, tanquam indignos Maximo plane abiecit.

β. *Bibliothecae Auguſtinianorum S. Ioannis ad Carbonariam.* Codex membranaceus, in folio, medio fere ſaeculo XIII. (in *Notitia*, ſaeculo XIV.) exaratus, haud quidem inedita, ſed *variantes* lectiones quam plurimas ſuppeditauit.

XII. *Codices Florentini.* „Quamuis, *inquit Brunus*, nulla fere ſit Florentiae Bibliotheca, quae aliquibus mss. codicibus non exornetur; attamen Laurentianae copia et raritate omnibus eminet, cum Principes Medicei nullis pepercerint ſumptibus, vt eam locupletarent; quorum literarum amorem, et munificentiam Franciſcus I. Imperator, et Petrus Leopoldus eius filius Etruriae Magni Duces ſecuti ſunt." Hos ergo primos, immo ſolos, ſiquidem de aliis tacet, conſulendos cenſuit, eoſque diuidit in *Laurentianos* et *additos.*

1. Ex *Laurentianis* autem, qui ſunt *Medicei*, praeſto fuerunt

Codex 1. Plut. XIV. membranaceus in fol. max. ſaec. XII.

Codex 36. Plut. XVII. membranaceus in fol. max. ſaec. XI.
37. Plut. eiuſd. membranaceus in fol. max. ſaec. XI.
38. Plut. eiuſd. membranaceus in fol. max. ſaec. XI.
39. Plut. eiuſd. membranaceus in fol. max. ſaec. XI.
42. Plut. eiuſd. membranaceus in fol. max. ſaec. XI.
41. Plut. XVI. membranaceus in fol. max. ſaec. XI.
23. Plut. XVIII. membranaceus in fol. max. ſaec. XI.
1. Plut. XIV. membranaceus in fol. max. ſaec. XII.
10. Plut. eiuſd. membranaceus in fol. min. ſaec. XV.
9. Plut. XIX. membranaceus in fol. min. ſaec. XIV. continens epiſtolas Hieronymi.

2. *Ex Additis in Laurentiana noſtris temporibus*

Codex 4. Bibliothecae olim ſanctae Crucis Minor Plut. XXXIII. partis ſiniſtrae, membranaceus in fol. min. ſaec. XI.

Codex 1. eiuſdem Plutei in fol. max. ſaec. XI.

Codex 4. Plutei XIII. partis ſiniſtrae, membranaceus in fol. min. ſaec. XI.

Codex 5. Plutei eiuſdem, membranaceus in fol. ſaec. XI.

Codex 2. Plut. XXXIII. partis ſiniſtrae, membranaceus, in fol. max. ſaec. XI.

Codex 117. membranaceus in folio max. ſaec. XI. olim Bibliothec. Aedil. Maioris Eccleſiae Florentinae.

Codi-

Codices 172, 173, 174, 169. membranacei in fol. max. ſaec. XI. Poſtremus fuit olim Bibl. Aedil. Eccleſiae Maioris Florentinae.

Inter hos praecipuos eſſe et caſtigate ſcriptos tradit, non item reliquos, *quinque;* nempe

1. Sanctacruſienſem. 2. eum, qui olim fuit Eccleſiae Meldenſis, nunc Laurentianae Bibliothecae. Sed ad quem ex ſupra recenſitis illa ſpectent, auguratu difficile ſit. 3. Duos eccleſiae olim Florentinae, nunc quoque Laurentianae Bibl. ad vſum chori, ex ſententia ipſius, paratos. 4. Codicem ſaeculi XIV, in quo homiliae ea ſerie eoque ordine diſtributae ſint, atque in Codice XCIX. ſanctae Crucis in Ieruſalem. Scilicet *Homiliarii* ſunt omnes fere hi Laurentiani Codices, de quorum indole et diuerſis generibus commode hac occaſione praecipit editor, vt doceat, qui fieri potuerit, vt multi et plerique adeo mendorum et falſarum inſcriptionum pleni ſint. Fuiſſe enim monet Homiliarios non ſolum Cathedralibus ſed etiam Parochialibus ac Monaſticis eccleſiis, quin etiam cuique Sacerdoti, in quibuſdam ſaltem regionibus, vnde fieri vix potuiſſe, quin imperitis interdum calligraphis in manus inciderent.

XIII. *Codices Ciſtercienſes* Montis Amiatae i. e. Coenobii veteris Ordinis Ciſtercienſis S. Salvatoris in agro Senenſi ditionis Cluſinae. Duo hic reperti erant Codices, de quibus ad Brunum relatum fuit, Maximi homilias et ſermones aliquot continentes, membranacei, in fol. max. ſaeculi XIII. quos in monitis non infrequenter commemorat.

XIV. *Codices Lucenſes*, i. e. Eccleſiae S. Martini Lucenſis. Inter plures huius Eccleſiae mss. codices, qui famam per celeberrimum eius vrbis Archiepiſcopum Ioannem Dominicum Man-

ſium adepti ſunt, *tres* extant, homilias quaſdam et ſermones S. Maximi praebentes, membranacei omnes, in folio, charactere Romano ſaeculo XII. vel XIII. exarati; nempe

1. *Codex* ſignatus P. ✝ non niſi vnum ſermonem de S. Laurentio Martyre in ed. Rom. col. 579. impreſſum continens.
2. *Codex* ſign. num. 89. vnam homiliam ſinceram in Rom. col. 285. collocatam aliamque ſpuriam in *Dedicatione ſancti Michaelis Archangeli* a Bruno reiectam exhibens.
3. *Codex* ſign. num. 85. decem et octo partim homilias, partim ſermones ſancti Maximi germanos omnes exhibens.

Non leuem ex Lucenſibus mss. vtilitatem ſe cepiſſe Maximi editor teſtatur. Sed cum addit, ſe ad laudem eorundem ſilere non poſſe, quod nihil ſpurium, nihil ſuppoſititium in illis ſit contentum (quapropter ex optimis exemplaribus ductos exiſtimat;) id, quomodo cum antecedentibus componi poſſit, neſcire me fateor.

XV. *Codices Mediolanenſes*

α. Bibliothecae Baſilicae Ambroſianae.

1. *Codex* ſign. *lit. C num.* 98. exaratus literis Longobardicis octauo circiter ſaeculo. Is ipſe eſt, quem primum Mabillonius et non minori diligentia poſt eum Muratorius excuſſit. Vterque haud paucos ineditos ante Sermones ex eo eduxit, pluresque etiam notauit inter Ambroſianos iam tum vulgatos; ita tamen, vt de omnibus non ſatis certum ſibi eſſe iudicium fateretur. Quippe mutilus eſt codex non in fronte ſolum, ſed etiam in calce aliiſque quam plurimis in locis, quod iure ſuo cauſam eſſe exiſtimat Muratorius,

rius, cur clariora de harum homiliarum autore deſiderentur. Praetereaque illud, quod quidam inſint Sermones, qui expreſſo nomine *S. Maximo Taurinati Epiſcopo* tribuuntur; vnde naſci ſentit ſuſpicionem, ne ceteri, quorum ipſe non ſcribitur Autor, ad alios Autores pertineant. Dignum autem memoratu cenſeo, quod de hoc Codice nuper demum Brunus comperit, cum ſuper ipſo ex Io. Bapt. Branca Subſtituto Praefecti Bibl. Ambroſ. quaeſiſſet: pertinuiſſe eum olim ad Monaſterium Bobienſe; excidiſſe inde; magnoque diu poſt pretio a Card. Frid. Borromeo partum ac Bibliothecae Ambroſianae illatum eſſe. Hic autem codex, cum diu ſolus apud Mediolanenſes cognitus fuiſſet, qui Maximi ſcripta quaedam contineret: nuper demum alii cum Mediolani, tum Modoetiae inuenti ſunt, ex quibus ſermones aliqui inediti et plures *Variantes* lectiones ad Brunum redierunt. Nempe

2. *codex Homiliarius*, ſcriptus in membrana, ſaeculo fere XI. Ex eo homilia Maximi nomine inſignita *in Traditione Symboli*, multis cum Variantibus lectionibus ex codice ſuperiore, num. 98. tranſmiſſa fuit.
3. *Codex* membranaceus in fol. charactere Longobardico exaratus ſaeculo IX.
4. *Codex* item membranaceus in folio, ſaeculi XI.
5. *Codex* eiuſdem Baſilicae membranaceus in folio, ſaeculi IX.
6. *Codex* alter eiuſdem aetatis, qui non extat, niſi in exemplari exarato a. 1514. a Canonico Caſola. Ex hoc homiliae aliquot Ma-

ximi nomen praeferentes a Friſio Canonico ad Brunum ſunt tranſmiſſae, inter quas praecipua *de reparatione Eccleſiae* Maioris Mediolanenſis.

β. Bibliothecae Metropolitanae Eccleſiae Mediolanenſis.

1. *Codex* membranaceus, in folio min. ſign. lit. *F. num.* 56. ſaeculi XIII.
2. *Codex* membranaceus in fol. max. ſign. *nunc.* 202.

XVI. *Codices Modoetienſes*, i. e. Bibliothecae Capituli Modoetiae (Monza).

1. *Codex* ſign. III. membranaceus, in folio, ſaeculi VIII. qui diuerſos ſermones in lectiones diſtributos complectitur.
2. *Codex* ſign. B. XI. membranaceus, in folio, ſaeculi XII.
3. *Codex* ſign. B. X. membranaceus, in folio max. ſaeculi XI.

XVII. *Codices Veneti.* Ipſa inclyta Venetiarum reſpublica, ſimulac de Pii VI. conſilio Maximi memoriam ac monumenta inſtaurandi inaudiſſet, quidquid in codd. mss. bibliothecarum ſuae ditionis eidem conducere poſſet, colligi et ſingulari officii teſtificatione Pontifici tradi curauit. Fuerunt autem

α. Bibliothecae S. Marci

1. *Codex* ſign. *num.* CLIII. ſaeculi XI, pars nimirum prima Homiliarii diſtributi in duo ingentia volumina membranacea, in folio, quae iuris olim fuerunt Card. Beſſarionis et poſt ab eodem cum aliis ipſius libris dono reipublicae data. Satis emendate ſcriptus eſt, ex eoque duo *de Quadrageſima* ſermones antea inediti accepti, quorum prior inter

ter homilias col. 109, alter inter ſermones col. 447. ed. Rom. locum occupat.

2. *Codex* ſign. *num.* DVIII. membranaceus item, in folio, ſaeculi XII; pars ſecunda alterius Homiliarii libri, non tam caſtigate ſcripti, quam libri poſtulant, qui publice in Eccleſia legi ſolent. Repertus erat in Aede S. Marci immixtus pauculis voluminibus, quae Petrarcha ei Eccleſiae donarat, indeque in Bibliothecam translatus fuit. Continebat tres ſermones S. Maximi nomine apud Brunum editos col. 631. 633 et 635.

β. *Patauinus* codex *Bibliothecae Canonicorum*, ſaeculi XV. ex quo duo ſermones, quorum alter incipit: *Ad exhibendum veſtrae caritati ſermonem* etc. alter: *Recte, atque ex debito etc. deſcripti.* Poſterior inter genuinos locum occupat col. 623, prior inter dubios in Appendice col. 53.

XVIII. *Codices Veronenſes* ſeu Bibliothecae Capituli Veronenſis.

1. *Codex* ſign. *num.* 75. membranaceus, in folio, ſaeculi VIII.

2. *Codex* ſign. *num.* 431. membranaceus item, eiuſdemque aetatis ac formae. Vterque ſermones aliquot ſuppeditauit, quorum *variantes* lectiones in adnotationibus a Bruno ſunt exhibitae.

3. *Codex* ſign. *num.* 49. eiuſdem aetatis, pergamenae formaeque, vnde proficiſcuntur *Lectiones* ſeu *Expoſitiones Euangeliorum* nullibi adhuc inuentae, quas quidem Brunus non diuerſas putat a libro inſcripto *de Capitulis Euangeliorum*, quem Gennadius, Honorius Auguſtodunenſis, et Trithemius inter Maxi-

mi opera recenſent. Praeterea ex eo exſcripti ſunt duo tractatus, quorum vnus eſt *contra Paganos*, alter *contra Iudaeos;* qui etſi auctoris nomen non praeferant, digni tamen habiti ſunt ab iſto editore propter orationis et ſententiarum cum aliis Maximianis opuſculis concordiam, qui eidem tribuerentur. Ex vetuſtate codicis tamen pluribus lacunis laborant.

Hoſce Veronenſes Codices in nouae editionis commodum conferendos curauit Antiſtes eiuſdem Eccleſiae Ioannes Moroſimus.

XIX. *Codex Brixienſis.* Capitulum Eccleſiae Màioris Brixienſis Lectionarium ſeruat membranaceum, in folio, ſaec. XIII. vnde curante Io. Mannio Brixienſium Antiſtite duo ſermones ſancti Maximi nomine exornati, nempe de *Corpore Chriſti*, in ed. Rom. col. 279. et *de Quadrageſima* col. 447. cum aliquot *variantibus* lectionibus depromti fuerunt. Haec de Italicis Codicibus Brunus. Aderant vero et

B. *Germanici.* Data erat haec prouincia a Pio VI. P. M. Ioſepho Garampio apud Viennenſem Imperialem aulam tunc Apoſtolico legato, vt, ſi quid ex Germanicarum Bibliothecarum codicibus mss. ad ornandum Maximum erui poſſet, id cordi ſibi eſſe ſineret et quantum poſſet, vrgeret. Is igitur cum fruſtra ſuo ipſius labore ac induſtria Bibliothecae Auguſtae libros euoluiſſet, ad Monachos Ordinis S. Benedicti ſe conuertit, Praeſuleſque Monaſteriorum Ratiſponenſis, Gottwicenſis, Lambacenſis Augiaeque diuitis hortatus eſt, vt in vetera Bibliothecarum ſuarum exemplaria inquiri iuberent, ſi quid collectioni Operum S. Maximi profuturum detegi poſſet. Nec defuere illi officio.

cio. Scribit enim Brunus, certatim a Monachis ad id opus curſum eſſe; perfectos indices locupletiſſimos homiliarum et ſermonum Maximi; variantes lectiones haud parui pendendas diligentiſſime tranſſcriptas, indicatam codicum aetatem atque praeſtantiam, in quibus opuſcula extarent S. Maximi nomini inſcripta: atque haec omnia denique Romam a laudato Praeſule tranſmiſſa ſunt. Fuerunt autem Codices ſicut accepit, alii temporis nota inſigniti, alii eadem carentes,

1. *Codices Abbatiae Augiae diuitis octo*, ſignati *num.* 12. 14. 15. 16. 19. 21. 29. 39.
2. *Codex Bibliothecae S. Emmerani Ratiſponae*, membranaceus, in folio, ſign. *lit. E num.* 41. ſaec. IX.
3. *Codex Bibliothecae Lambacenſis*, membranaceus, in folio, ſaeculi XIII.
4. *Codex Bibliothecae Gottwicenſis*, chartaceus, ſign. L. 5. ſaeculi XIV vel XV.

C. *Codices Belgici.* Duo reperti ſunt in Belgii bibliothecis codices mss. quorum curam geſſit, mandante Ignatio Buſca Apoſtolicae ſedis apud Belgas legato, qui in eo negotio Pontificis iuſſui paruit, Can. Vandenvelderus Bibl. Louan. Praefectus et Theologiae Profeſſor. Erant ſcilicet

1. *Codex Bibliothecae* S. Martini Canonicorum Regularium Louan. membranaceus, in folio maximo, ſaeculi XI. duobus voluminibus exhibens homilias de Tempore et de Sanctis, inter quas triginta partim homiliae, partim ſermones S. Maximi.
2. *Codex Bibliothecae Abbatiae Camberonenſis* Ciſtercienſis Ordinis, chartaceus, in 8tauo, nitido charactere exaratus a fratre Ioanne de Waulx a. 1620, aliquot Maximi ſermones conti-

continens praefixo titulo: *Sermones beati Maximi Taurinenſis Epiſcopi* etc. Varietates horum codicum adſcriptae fuerunt editioni Colonienſi a. 1535.

D. *Codices Heluetici.* Haud ſane alius extat liber ms. celebrior

1. *Codice Sangallenſi*, quem primus adiit Mabillonius. Is vero quanti eum fecerit et qualia ex eo eduxerit, ſupra doctum eſt. Commodauerat autem Mabillonio operam ſuam, quod ſilentio praeterire nefas ſit, Hermannus Schenkius, Bibl. Sangallenſis tum Praefectus. Nunc recens de eodem accuratius ad Brunum retulit Bibliothecae iſtius item Praefectus P. Magnus Hungenblykerus (Nonis Ianuariis 1779) „Aſſentiri ſe Ioanni Mabillonio, et Martino Gerberto Principi et Abbati S. Blaſii, Codicem ipſum membranaceum, in folio, literis Longobardicis exaratum ſaec. VIIIuo non recentiorem eſſe aientibus. Falſo autem Auguſtini nomen praeferre. Nihil enim in eo contineri homiliarum aut ſermonum, quod acceptum Auguſtino ſit referendum. Conſtare id ſcilicet ex altero eiuſdem Bibliothecae noni ſaeculi codice, cui haec praefixa epigraphe, *Homiliarium Maximi Epiſcopi per totum annum de diuerſis feſtiuitatibus volumen valde vetus.* Nam cum eaedem prorſus homiliae in hoc atque in vetuſtiore illo Codice contineantur, magni id certe argumenti eſſe oportere, erraſſe vehementer librarium, qui Auguſtinum Maximi opuſculorum conſtituerit auctorem. In eo porro diffidere ſe a Mabillonio, quod ipſe homilias non plus

nona-

nonaginta in vtroque illo Codice numeret, Mabillonius vero ſeptem et nonaginta, hac omnino de cauſa, quod Mabillonius de ſacramentis libros ſeptem, qui Ambroſio adſcribi ſolent, totidem Maximi homilias exiſtimauit." ;

2. *Codex* alter a Hungenblykero modo memoratus, ſcriptus item literis Longobardicis.

Haec ſunt, quae editor Romanus de codicibus adnotauit, qui nouae huic collectioni condendae profuerunt, inter quos tamen tribus illis, quos Mabillonius primum euoluit, nempe *Sangallenſi*, *Nonantulanſi* nunc S. *Crucis in Ieruſalem*, et *Ambroſiano Mediolani* primas et ipſe defert. Parabatur etiam Gallicorum mss. collatio, ſed, quamuis diu expectata, nondum Romam perferri potuerat, cum ſibi diutius expectantium deſideria ſuſpendere non poſſe videretur. Attamen pollicitus eſt, ſe, ſimulac ipſi reddita fuerit, non commiſſurum eſſe, vt in iis numerandis, aeſtimandis atque celebrandis ſtudium ſuum deſideretur. Denique illud ſilentio praeterire nequeo, adiectas eſſe in fine voluminis Romanae editionis ad vberiorem Notitiae huius Codicum illuſtrationem tabulas quatuor eiuſdem ac ipſum volumen moduli, aere inciſas, in quibus XXVII. ſpecimina characterum et formae codicum inſigniorum repraeſentantur, ad quae ſpectat *Declaratio Aetatis* ſupra commemorata.

26.

IOANNES CASSIANVS.

Vulgaris eſt opinio, nixa auctoritate Gennadii, Caſſianum ex Scythia minore, vna ex prouinciis Thraciae, fuiſſe oriundum. Attamen recentiori aeuo fuerunt viri docti, qui argumentis haud contemnendis, §. 1. Vita.

dis, praeſertim ab amoenitate et fertilitate, quam ipſe in patria extollit, itemque linguae latinae quam in ſcriptis prodit elegantia ductis, contenderunt, natales eius ad Galliam et in ſpecie Prouinciam eſſe referendas. Quidquid verum ſit, ab ineunte aetate (natus autem creditur circa annum 350. aut 360.), incertum quo pacto, apud Monachos Palaeſtinae, in Monaſterio quodam, quod Bethlehem audiebat, diverſo illo tamen ab Hieronymiano eiuſdem nominis, quod ſerius fuit exſtructum, educatus ibique primum religionis chriſtianae doctrinis imbutus eſt. Nactus autem ſodalem, quocum familiariſſime viuebat, Germanum nomine, conterraneum eundem, conſilium cum eo iniit Anachoretas in eremo Scythi *) conſtitutos circumeundi. Suſceptum eſt arduum hoc iter anno circiter 390. Penetrabant ad interiora Thebaidis et ſeptem integros annos inter horridos illos ſanctos exigebant. Quid? quod eodem quo in monaſterium reuerſi erant anno (397), denuo ſe profectioni iſti commiſerunt et in triſti illo terrarum angulo ad annum vſque 400. delituerunt. Iudices ergo, an iniuria Eremitae nomen Caſſianus ferat.

Relicto iterum deſerto Caſſianus cum ſodali ſuo Conſtantinopolim proficiſcitur, Ioanni Chryſoſtomo adhaeret ab eoque diaconi munere ornatur. Mox vbi ille a perditorum hominum turba de ſede ſua eſſet deiectus, eius cauſa (a. 405.) cum legatione Cleri Conſtantinopolitani ad Innocentium miſſus eſt. Ex illo vero tempore ad annum ferme 415. memoria

*) Sic ipſe in *Collationibus* ab initio. Alii *Scythiae* legunt. Eremus erat iuxta Maream lacum in Aegypto, quae alias etiam *Scetis*, *Scetica*, *Scetina*, *Scetiaca*, et *Scythica*, *Scytiaca*, *Scythiotica* appellatur.

ria eius in obſcuro eſt. Sunt qui in Orientem reverſum eum dicant eundemque exiſtiment cum Caſſiano Presbytero, qui a. 414. ab Alexandro Antiochiae epiſcopo Romam miſſus fuit ad pacem inter vtramque eccleſiam reconciliandam; alii tamen iam tum Maſſiliam eum conceſſiſſe putant, vbi presbyteri dignitate auctus eſt et ab eo ferme quem modo indicavimus anno tam vitae quam doctrinae exiſtimatione fuit conſpicuus. Inclaruit imprimis fundatis duobus, altero virorum, altero virginum monaſteriis, quorum diſciplinam ad Palaeſtinae et Aegypti regulas compoſitam ipſe moderabatur et tum ſuo tum ſcriptorum ſuorum exemplis egregie confirmabat, licet fama hiſce editis parta non omni labe carere potuit. Quamuis enim Pelagianorum ſtrenuus eſſet aduerſarius, ea tamen ſuper peccato originali et gratia dogmata aluit, quibus ipſe haereſiarchae nomen conſequeretur, quaeque non leues in Gallia aliiſque prouinciis motus et contra auctorem quidem Proſperi calamum excitarent. Nihilominus quidquid in aliis haereſis ſpeciem praeferret quam maxime deteſtabatur coronauitque geſta ſua impugnatione acerrima erroris Neſtoriani. Tempus quo viuere deſierit, non liquet, ſed non multo a vero aberrauerit, qui circa a. 440. obitum eius contigiſſe exiſtimet.

1. *De inſtitutis Coenobiorum libri XII. ad Caſtorem Aptenſem epiſcopum*, cuius hortatu ſunt compoſiti. Gennadius tribuit in tres partes, quarum media ſeu liber *quartus* ſolus *Inſtitutiones* continet, prima *tribus* libris conſtans, *de habitu monachi* et *de canonico orationum atque Pſalmorum modo, qui in monaſteriis Aegypti tenetur; tertia* denique *octo* poſterioribus libris comprehenſa *de origine, qualitate et remediis principalium vitiorum* §. 2. Scripta

rum inſcribitur. Photius duos libros facit, *Inſtitutionum* alterum, alterum *de octo capitalibus vitiis* inſcriptum; eamque diuiſionem ſecutus eſt Cuykius. Caſſianus ipſe non niſi vnum et continuum XII. librorum opus agnoſcit, quod perfectam vitam monaſticam exemplis et praeceptis docet. Tempus, quo ſcripti ſint, accurate definire non licet. Id vnum cenſent *Benedictini Hiſtoriae litterariae Galliae auctores*, ſcriptos eſſe ante Pelagianorum per Innocentium et Zoſimum damnationem, h. e. ante annos 417. aut 418.

2. *Collationes Patrum* XXIV. diuerſis temporibus intra annos 419. et 427. litteris mandatae. Decem priores Leontio epiſcopo Foroiulienſi et Helladio S. Caſtoris Abbati; ſeptem ſequentes Honorato mox epiſcopo Arelatenſi; ſeptem poſteriores Iouiniano et Mineruio aliiſque monachis inſcribuntur.

3. *De Incarnatione Chriſti aduerſus Neſtorium* libri VII. circa annum 430. exarati et Leoni tum Diacono, poſt Epiſcopo Romano inſcripti.

Falſo Caſſiano *adſcribuntur*, *De ſpirituali medicina Monachi* ſeu *Doſis medica ad exinaniendos animi affectus*, quam Godefridus Tilmannus Carthuſianus in Epiſtola quadam ad Ioannem Gropperum Archidiaconum S. Gereonis ad Coloniam Agrippinam, tanquam ex Graeco a ſe conuerſam recitat. Particula eſt breuiſſima, quam totam inſeruit *Io. Bapt. Gueſnay* Caſſiano illuſtrato Lib. I. c. LVIII. p. 188. Eiuſdem farinae ſunt *Theologica Confeſſio* et *de Conflictu vitiorum et virtutum.* Alia commemorare taedet. Tillemontii coniectura fuit *Acta S. Victoris Martyris* apud Ruinartum obuia Caſſianum auctorem habere, cui tamen Auctores Hiſtoriae litt. Galliae non conſentiunt. Condidiſſe praeterea fertur

Caſſia-

Caſſianus quae nunc quidem non extat, *Regulam Monaſticam.* Patere illud aiunt Benedictini modo laudati ex Caſtoris Aptenſis Epiſcopi ad Caſſianum epiſtola. Sed hoc perperam ab ipſis traditum eſſe cognouimus. Contra Benedicti vero Anianenſis teſtimonium iam ab aliis monitum eſt, id haud nouam et peculiarem Caſſiani regulam ſed excerptam quandam ex diuerſis inſtitutionum eius locis concernere.

Creditum a quibuſdam fuit, Caſſianum opera ſua non latino ſed graeco idiomate ſcripſiſſe, eaque poſtea eſſe translata; ſed hi dudum erroris conuicti ſunt. Extant quidem Graeca quaedam Caſſiani apud Photium in Bibliotheca Cod. CXCVII. ſed ex latino conuerſa, nec vero ex ipſis Caſſiani libris, ſed quos in compendium redegerat *Eucherius Lugdunenſis.* Legimus enim apud Gennadium c. LXIII. Eucherium compoſuiſſe Epitomen latinam ex prioribus IV. libris Inſtitutionum et VII. prioribus Collationum. Atque nunc etiam Graeca eiuſmodi MS. ſuperſunt in variis Bibliothecis, veluti in Caeſarea teſte Lambecio Tomo IV. pag. 167. (ed. Kollar. *pag.* 373. ſeqq.) et Tomo V. p. 276. (ed. Kollar. *pag.* 582. ſqq.) item Regia et Ieſuitarum Pariſ. vt Fabricius in Bibl. M. et Inf. Lat. ex Simonii Cenſura ad Dupinii Bibliothecam refert. Similia typis tradita ſunt, quae ſub Athanaſii nomine ferebantur a *Monteſalcone* ad *Athanaſii Opera Tomo* II. Parte I. *pagg.* 366—386.

Ioannes Roſweydus inter Vitas Patrum exhibet librum ordine quartum ex Seuero Sulpicio et Ioanne Caſſiano concinnatum et in MSS. Codicibus, quorum haud paucos ille conſuluit, modo Sulpicio modo Caſſiano inſcriptum. Ambigit ergo Io. Bapt. Guesnay in l. l. Eucherione haec epitome tribui poſſit, an forte ad Victorem quendam Afrum, de quo Caſſiodorus c. XXIX. Inſtitutionum ſcribit, cum *di-*

ſta Caſſiani purgaſſe et quae defuiſſent addidiſſe, referenda ſit. Sed Caſſiodori verba non tam epitomen, quam expurgationem errorum ſignificare videntur.

§. 3. Editiones. *Inſtitutionum libros IV.* et de cauſis et remediis *vitiorum octo* primum, ſi vera tradit Fabricius, protruderunt *officinae Venetorum* a. 1481. Certa eſt editio *Baſileenſis* a. 1485., expreſſa iterum *ibidem apud Amerbachium a.* 1497. et *Lugduni* 1516. Additae ſunt *Collationes* in *Veneta* a. 1491. recuſa *Bononiae* 1521. et *Lugduni* 1525. quae omnia ſimul paraphraſtice reddita a *Dionyſio Carthuſiano* lucem viderunt *Coloniae* 1540. *Libros VII. contra Neſtorium* primus, quantum memini, ſeorſim extulit *Cratander Baſileenſis Typographus* a. 1534. cuius exemplum repetierunt *Pariſienſes*, bibliopolae a. 1545. et 1569. idemque repraeſentauit notulis nonnullis adſperſis a. 1572. *Ioſua Simlerus.* Dehinc prima *operum collectio* in *officina Henric petrina* et vna cum Ioannis Damaſceni operibus a. 1559. iterumque 1569. et tertio 1575. excuſa.

Deſiderabatur iam vir doctus, qui partim vitia, quae crebra non potuerat non admittere in tali auctore librariorum manus, MSS. atque editorum codicum collatione et iudicio ſagaci eximeret, partim obſcura et difficiliora elucidaret et de erroribus auctoris moneret; quamquam ipſa librorum indoles non quemuis criticae artis gnarum capere atque inuitare poterat, ſed magis expectandi erant viri monaſticis ſtudiis innutriti et alacres ad ea promouenda. Talem, credo, reperiſſe ſibi videbatur Cardinalis de eccleſiaſtica litteratura meritiſſimus *Antonius Carafa*, cum *Henrico Cuykio*, Profeſſori Louanienſi, poſtea Epiſcopo Ruremondano, Caſſianum commendaret. Sed eodem tempore ſtimulabat magni nominis

nis criticum et elegantioris doctrinae laude florentiſſimum virum *Petrum Ciacconium* Presbyterum Toletanum, vt eidem expurgando manus admoueret. Vterque etſi poſterior fortaſſe inuitus voluntati eius auctoritatique de ratione, qua partes editoris ab iis adminiſtrari cuperet, obſecuti ſunt et Cuykius nouam Caſſiani editionem ad Codices Belgicos emendatam et notis commodis illuſtratam emiſit *Antverpiae* ex *off. Plantin.* 1578. Ciacconius vero recenſionem, quam ad octo MSS. exemplaria Bibl. Vaticanae parauerat, typis deſcriptam non vidit. Obiit enim diem ſupremum a. 1581. illam vero ex autographo ipſius excudi fecit *Dominicus Baſa Typographus Romanus* a. 1588. niſi forte annus 1580. pro vero huius editionis natali habendus eademque poſtea nouo titulo a. 1588. praeferente ſit ornata. Certe annus 1580. adſcriptus eſt epiſtolae dedicatoriae, quam idem Typographus praefixit ad Gregorium XIII. Illud ſaltem certo inde diſcimus, Ciacconium ipſum huius auctoris edendi curam ſuſcipere noluiſſe, ſed lucubrationes ſuas Cardinali tranſmiſiſſe. Repetita eſt Romana editio *Lugduni* 1606. et *Romae* 1611. Cuykianam ſingulatim repetitam non memini. Ex vtraque vero facili methodo vnam concinnauit *Alardus Gazaeus (Gazet)* Monachus Vedaſtinus Atrebati *(de l'Abbaie de St. Vaaſt de l'ordre de St. Benoit à Arras)*, ſecutus in pleriſque Cuykium, ita tamen vt Ciacconium alioſque prius editos, immo etiam nouos quoſdam MSS. codices non negligeret. Addidit de ſuo Commentarium perpetuum omnium ordinum religioſis, praecipue vero Benedictinis vtilem; atque ſic inſtructa prodiit haec editio *Duaci* a. 1616. III. Tomis. 8. indeque ſaepius variis in locis et nouiſſime Lipſiae 1733. typis deſcribi meruit. Sequuntur *Annales ſingularum editionum.*

Saec. XV.

1485.

Baſileae fol. Caſſianus de inſtitutis cenobiorum, Origine, cauſis et remediis vitiorum Collationibus que patrum. *In fine:* Expliciunt viginti quatuor collationes ſanctorum patrum conſcripte ab iohanne heremita qui et Caſſianus dicitur. Impreſſe Baſileae Anno domini MCCCC. lXXXV.

Textum praecedit *regiſtrum* alphabeticum rerum et ſententiarum memorabilium, in quo ad libros et capita ſingula excitantur. In auerſa tituli pagina legitur: *Auctor quis ac qualis fuerit: quos libros: ad quos: et de quibus ſcripſerit: commendatitia breuiſque expoſitio* in hanc ſententiam deſinens. *Vt igitur praeclari huius viri* (Caſſiani) *Opera tanta commendatione digna ab omnibus legere cupientibus facilius haberi poſſint: nuper in inclyta Baſileenſium vrbe poſt accuratiſſimam eorundem emendationem: artificioſamque et perutilem et antea non viſam diſtinctionem: ſingula cum inſcriptionibus ſuis: in hoc vnum corpus ſunt collecta: elimatiſque literarum characteribus vt liquido cernitur impreſſa: ad frugiferae artis impreſſoriae commendationem: omniumque diligenter in his legentium vtilitatem: Saluatoriſque noſtri jeſu chriſti gloriam et honorem: qui eſt benedictus in ſaecula: anno natiuitatis eiuſdem MCCCC.lXXXV.* De eodem argumento verſus hexametri ſexaginta adiecti ſunt in ſecunda pagina noni ex foliis regiſtri, qui incipiunt: *Caeſaris imperio famuletur rhomulus orbis* etc. et deſinunt: *Sermones abrahae: de carnis lege domandae.* Epigraphen faciunt hi duo: *Quos opus hoc libros teneat cognoſcere ſi vis. Et quid quiſque tenet: ſubſcriptos perlege verſus.*

Impreſ-

Impreſſum eſt volumen typis gothicis grandibus, ſed tenuioribus et acutis, binis columnis abs numeris et cuſtodibus. Plagulae ſignatae ſunt; adſunt etiam librorum tituli maiuſculo charactere exarati in ſumma ora, et literae initiales minutae in capitulis.

Id vnum fere ſingulare in characteribus obſeruavimus, quod ſyllaba *is* in fine vocum per compendium lineae rectae perpendicularis deſuper paululum verſus ſiniſtram inflexae exarata ſit. Eandem ed. ſeruabat olim *Bibl. Ducis de la Valiere.* Ceterum Fabricius in Bibl. M. et I. Lat. laudat editionem *Venetam* a. 1481. quam equidem tamen tantiſper inter fabulas habebo, donec aliud fuero edoctus.

1491.

Venetiis. fol. Io. Caſſianus de inſtitutis Coenobiorum: et eiuſdem collationes patrum. Producit Maettarius *T. I. P.* II. *p.* 538. ex *Bibl. Menarſianae Catalogo p.* 19. *n.* 161. Extabat etiam in *Bibl. Pinell.*

1497.

Baſileae per Io. Amerbach. 4. Ioannes Caſſianus de inſtitutis coenobiorum *etc. vt in prima. In fine:* Expliciunt etc. Impreſſae Baſileae per magiſtrum Ioannem Amerbach: Anno Domini M.CCCC.lXXXXVII. *et ſubter:* Deo gratias.

Prima Baſileenſis ad ſingula verba eſt deſcripta charactere gothico minuto, binis columnis.

Saec. XVI.

1516.

Lugdini. 8. Ioannis Eremitae, qui et Caſſianus dicitur, vita et libri XII. videlicet de Coenobiorum Inſtitutis libri IV, et de VIII. Vitiis Capitalibus libri VIII. *Cat. Bibl. Bodlei.* Auctores *Hiſtoriae Litt.*

Galliae T. II. *p.* 224. apud *Simonem Bevilaquam* Lugdunenſem typographum hanc editionem impreſſam ferunt.

1521.

Bononiae apud Benedict. Hector. 8. Ioannis Eremite, qui et Caſſianus dicitur, opus de inſtitutis coenobiorum, origine, cauſis et remediis vitiorum, collationibuſque Patrum. *Cat. Bibl. Reg. Pariſ. T. I. p.* 382. *n.* 772.

1525.

Lugduni per Iacobum Myt. 8. Iidem libri Sponſoribus Patribus Maurinis in *Hiſt. litt. Galliae* l. l.

1528.

(In fine:) *Haganoae*), per Ioh. Secerium* menſe Martio. 4. D. Caſſiani Conſtantinopolitani Diaconi de Lib. Arbitrio Collatio. Octo plagulae luculento charactere romano, vt Iuſtinus duobus annis ante ibidem excuſus, impreſſae. Extat etiam in *Cat. Bibl. Reg. Pariſ.* Collatio haec in opere integro eſt vigeſima tertia. Reſcidit autem editor, vt Patres Maurini modo laudati monent, caput vltimum, eiuſque loco XVII. alia ex aliis Collationibus conſarcinata ſubſtituit, vt ſi iuſtum velis eſſe titulum, inſcribi debuiſſet, *Tractatus de libero arbitrio ex Caſſiani Collationibus, praeſertim XXIII. deſcriptus.*

1540.

*) Id eſt *Haynae* (Groſsen-Hayn) *in Saxonia Superiori* vt recte Benedictini: *à Hayn dans la Haute Saxe.*

1540.

Coloniae ex officina Melch. Noueſianum. fol. Ioannis Caſſiani libri XII. de iuſtitutis coenobiorum et de vitiis capitalibus, nec non libri duo Collationum XXIV. SS. Patrum paraphraſtice redditi, ſtudio *Dionyſii* Carthuſiani. Adiecta eſt D. Ioannis Climaci ſcala Paradiſi, latine, ex interpretatione Ambroſii Monachi. *Cat. Bibl. Bodlei. Pariſ. Reg.* et *Caſanatenſ.*

1542.

Lugduni apud Iacobum Giunta. 8. Collationes Patrum. Opus Ioannis Eremitae, qui et Caſſianus dicitur, de inſtitutis Coenobiorum, origine, cauſis et remediis vitiorum, collationibuſque Patrum. Addita Auctoris vita. *Cat. Bibl. Caſanat.* it. *Cat. de la Bibl. de St. Iacques à Liege* 1788. p. 190.

1559.

Baſileae ex off. Henric. petrina. fol. Ioannis Caſſiani opera aliquot cum S. Ioannis Damaſceni opp. Iam pridem nempe a. 1548. omnia ex eadem officina prodierant Ioannis Damaſceni opera, quam editionem in hac eſſe recuſam, haud incertum videtur, tametſi illa Caſſianum non complexa fuerit, vt ex titulo illius in *Cat. Bibl. Reg. Pariſ.* obuio *T.* I. *p.* 357. *n.* 382. apparet.

1572.

Tiguri. fol. Iohannis Caſſiani de incarnatione Chriſti contra Neſtorium haereticum ad Leonem Romanae vrbis Epiſcopum, libri VII; inter *Scripta veterum latina de vna perſona* et *duab. nat. Chriſti* edita a Ioſua Simlero. *pag.* 17. Additae ſunt *Vita Caſſiani* et *annotationes* in libros eius a *pag.* 47.

1575.

Baſileae ex off. Henric- petrina, menſe Septembri. fol. ΤΑ ΤΟΥ ΜΑΚ. ΙΩΑΝΝΟΥ ΤΟΥ ΔΑΜΑΣΚΗΝΟΥ ἜΡΓΑ. Ioannis Damaſceni opera omnia, quae quidem extant: maxima parte hactenus non viſa. Item: Ioannis Caſſiani Eremitae non prorſus diſſimilis argumenti libri aliquot, quorum omnium, tam huius, quam illius elenchum verſa pagina, ſingulorum autem argumenta in praefatione reperies. Acceſſit Ioan. Damaſceni operibus: Itemque Caſſiani, Rerum ac verborum memorabilium: nec non locorum ſacrae ſcripturae, quae in his explicantur atque allegantur: trigeminus index quam diligentiſſime conſcriptus.

Inſunt omnia Caſſiani, nempe de Inſt. Coenob. l. IV, a fol. 903, de octo vitiis capitalibus l. VIII. a fol. 932. Collationes PP. XXIV. a fol. 990. et libri VII. contra Neſtorium a fol. 1239. Praefatus eſt *Marcus Hopperus* Baſileenſis, epiſtola ad Thomam a Planta Epiſc. Curienſem ſeu Rhoetiae altae d. *Baſ. Kalend. Auguſt.* 1575. ſed de ratione, qua in tractando auctore vel ipſe vel ſuperiores editores vſi fuerint, altum tenet ſilentium.

1560.

Romae. 8. Io. Caſſiani Vitae Patrum ex eius *Inſtitutionibus Renunciantium* et *Collationibus* excerptae: in *Vitis SS. Aloyſii Lipomani*, tota parte II.

1578.

Antverpiae, ex offic. Chriſtophori Plantini. 8. D. Ioannis Caſſiani Eremitae, *Monaſticarum Inſtitutionum* libri IV. de Vitiis capitalib. lib. VIII. Collationes SS. Patrum XXIV. *de verbi incarnatione* lib. VII. Nunc demum poſt varias editiones ad complurium MS.

MS. fidem a non paucis mendarum milibus incredibili labore expurgati: id quod ex ſubiectis ad calcem caſtigationibus facile cognoſci poterit. Additis etiam ad quaedam loca cenſoriis notationibus, et obſcurarum vocum ac ſententiarum elucidatione, vna cum duobus Indicibus locupletiſſimis. Acceſſerunt quoque Regulae SS. Patrum ex antiquiſſimo Affliginienſis monaſterii Ms. codice deſumtae. Opera et ſtudio *Henrici Cuykii* ſacrae Theologiae Licentiati; (poſtea Epiſcopi Ruremondenſis).

Editor in epiſtola ad Hermannum Comitem a Renneborch Eccleſiae S. Saluatoris apud Vltraiectinos Praepoſitum et Archidiaconum &c, (data Louanii ex Albarum Dominarum monaſterio. Calendis Mart. M. D. LXXVIII.) multa conqueſtus de ſaeculi propter enormem in libris ſcribendis intemperantiam librorumque ſimul proteruiam et corruptelam infelicitate; *eam ob cauſam inter illos, quos Chriſtiana Reſp. Dominicae vineae cultores habet, non contemnendam operam nauare,* cenſet eos, *qui veterum Mſ. codicum fide adiuti, in reſtituendis emaculandiſque SS. Patrum Monumentis, iiſque legendis ac perdiſcendis omne ſuum ſtudium collocent.* Quod ne absque cauſa dixiſſe videretur ad laudes et commendationem Patrum ſe conuertit, ſed mox ad ſe rediens: „*Quoniam autem,* inquit, *partim temporum iniuria et vetuſtate, partim ſcribarum oſcitantia, partim etiam haereticorum inſolenti temeritate horum labores compluribus in locis foedati et multis mendis reſperſi ſunt, et multa paſſim loca in eis occurrunt hiulca, diſtorta, manca, confuſa et veluti ſcopae diſſolutae; idcirco danda eſt opera, vt ex vetuſtiſſimis optimiſque exemplaribus Mſ. ſuo nitori et integritati quam accuratiſſime reſtituantur. Ea igitur res me quoque permouit, mihique perſuaſit operae pretium*

rem-

remque omnibus diuinarum literarum cultoribus, et cum primis monaſticae perfectionis amatoribus neutiquam ingratom me facturum; ſi in repurgando illuſtrandoque Ioanne Caſſiano aliquid operae collocarem. Quod vt facerem, illuſtriſſimi atque ampliſſimi Cardinalis D. Antonii Carafae autoritas, quae maximi apud me momenti eſt, effecit. Is enim, datis ad me ex vrbe literis id ſibi gratum et Chriſtianae Reip. non incommodum fore ſcripſit; et quid in eius auctoris recognitione fieri potiſſimum vellet, expoſuit. Quid vero in ea re a nobis praeſtitum ſit, aliorum eſto iudicium. Illud vnum affirmare audeo; quodſi quis hanc noſtram cum prioribus editionibus, quas tam a Baſilienſibus, tam a Lugdunenſibus paucis abhinc annis accepimus, compararit (omitto *antiquiores impreſſos codices, in quibus omnia paene mutila ſunt et imperfecta*), *nouam huiuſce ſcriptoris faciem, nouam formam, nouumque cultum adhibitum fuiſſe deprehendet: id quod ex praefatione proxime ſubiecta et notis caſtigatoriis ad calcem operis adiunctis manifeſtum euadet.*" Duplex nimirum eſt notarum genus, quibus pro eo, quem ſibi ipſe ſtatuerat ſcopo, Caſſiano opitulatus eſt; aliae, quas *Caſtigatorias* vocat, in quibus Mss. variantes et emendationum cauſas exponit; his inſuper adiecta eſt Elucidatio vocum graeco-latinarum, quae in Caſſiano paſſim occurrunt, quarumque ſignificatio paulo obſcurior videbatur. Aliae *Cenſoriae* dictae, quas veluti antidota et amuleta quaedam contra obſcuriora aliquot loca et errores, tam in tertia decima, quam in aliis Callationibus obuia eſſe voluit, digreſſionum inſtar plenius de ſingulis tractant. Tenendum vero, quod tam in praefatione totius editionis, quam in admonitione ad notas illas Cenſorias profitetur et conſtanter ſe adfirmare dicit, argumentis item adſtruere nititur, *errores*

rores iſtos non tam ipſi Caſſiano, quam Collatoribus, quos ille ita opinatos fuiſſe ſcribat, imputandos eſſe. Quod reliqua attinet, *capitum diſtinctionem* a ſuperioribus editoribus receptam, quamuis Mss. exemplaribus non omnino conformem deprehendiſſet, non temere tamen mutare voluit, libros vero de Incarnatione nondum diſtinctos, in capita digeſſit. Addidit *indices*, vnum explicatarum ab auctore SS. ſententiarum; alterum, inſignium ac memorabilium rerum.

1588.

Romae ex typogr. Vaticana. 8. Ioannis Caſſiani Eremitae de inſtitutis renunciantium libri XII. Collationes ſanctorum Patrum XXIV. Ab innumeris paene mendis auxilio vetuſtiſſimorum codicum expurgatae, et ad ſuam integritatem reſtitutae. Adiectae ſunt quarundam obſcurarum dictionum interpretationes ordine alphabeti diſpoſitae: et obſeruationes in loca ambigua et minus tuta, quae pium lectorem offendere poſſent. Praeterea indices duo teſtimoniorum ſacrae ſcripturae, quae a Caſſiano vel explicantur, vel aliter, quam vulgata editio habet, citantur. Index poſtremo rerum memorabilium. Acceſſit Regula S. Pachomii, quae a S. Hieronymo in Latinum Sermonem conuerſa eſt, multo emendatior, quam antea.

Typographus Dominicus Baſa dedicavit editionem Gregorio XIII. Pontif. Max (†. 1585.) epiſtola data *Romae Kalendis intercalarib.* a. M. D. LXXX. (1580.). Tam in hac dedicatoria vero, quam in praefatione ſua ad lectorem hunc laborem maxime opera Cardinalis Antonii Carafae ſuſceptum ac perfectum eſſe ſignificat. Quam quidem poſteriori in loco declarat apertius, dum *codicis iam editi et Petri Ciacco-*

Ciacconii manuſcriptis marginibus aucti copiam ab eo ſibi factam eſſe praedicat, *ne eius auctoritas deficeret, cuius (C. Ciacconii) opera iſte labor ſuſceptus eſſet. Addit deinde,* Petrum Ciacconium Cardinalis laudati cohortationibus Caſſianum ab innumeris mendis expurgatum in priſtinum ſplendorem reſtituiſſe, notaſque addidiſſe, ſed nomen ex modeſtia profiteri recuſaſſe, ſeque igitur codicis Ciacconiani beneficio adiutum, Caſſianum et emendatiorem et locupletiorem ſimul emittere, quod multa Ciacconii manu denuo adiuncta reperiſſet, quae librum illuſtriorem reddere poſſent. Sed eiusmodi augmenta, quae ſpecioſe quidem ex vtriusque editionis (hoc ſibi vult antiquiorum et novae) comparatione lectores diſcere iubet, praeter regulam S. Pachomii nulla deprehendimus. Sequitur vero hanc praefationem altera ad lectores quoque inſcripta, quam quidem Ciacconii eſſe, ex ſuperioribus non obſcure intelligitur. Igitur ipſa verba, quibus operam ſuam declarat, apponamus. „*Vaticana bibliotheca,* inquit, *octo nobis antiquiſſima exhibuit Caſſiani exemplaria, et ex his quaedam emendatiſſime ſcripta,* ex quorum collatione innumerabilia loca ſunt in hac editione reſtituta: ſed ea notare non fuit conſilium, *in immenſum enim volumen excreſceret; ſatis ſit hoc loco monuiſſe,* lectionem vetuſtorum codicum tanta a nobis fuiſſe religione conſeruatam, vt neque eorum varietatem, ſi quando inciderat, neglexerimus *). *Praeter haec Graecas voces, quibus hic auctor libenter vtitur, et Latinas quasdam rudioribus conſulentes, alphabeti ordine diſpoſitas latius ex pla-*

*) Haec cum verbis antecedentibus rotundo pariter charactere exſcriptis vix commode ab aliquo conciliari poterunt.

planauimus, adductis eorum locis, ex quorum fontibus hauſiſſe Caſſianum exiſtimauimus. Teſtimonia ſacrae ſcripturae omnia diligenter conquiſita in margine notauimus; et quae erant ex LXX. interpretum editione, aut a noſtra vulgata aliquando diuerſa, ne forte vitioſa crederentur, in indicis formam digeſta ſeorſim impreſſimus, quibus et Graeca, vnde ſunt tranſſcripta, coniunximus ex antiquiſſimo Vaticanae bibliothecae libro et aliis venerandae vetuſtatis exemplaribus. Adiecimus et ſecundum indicem, loca in his libris obiter explicata continentem. Porro id quod erat maxime neceſſarium, aduerſus quaſdam minus tritas huius auctoris ſententias, quod antidotum ſit exhibitum, ſuperiore epiſtola diximus. Scripſit quidem Caſſianus hortatu Leonis I. Pont. Max. luculentos libros de incarnatione Domini contra Neſtorium; ſed eos, quod nullum extaret in Vaticana bibliotheca manuſcriptum exemplar, ad cuius fidem emendari poſſent, et ab inſtituto noſtro, quo hominem vere religioſum informare ſtuduimus, multum diſtarent, omiſimus addita regula S. Pachomii &c.“

Haec ille, qui ſi Ciacconius fuerit, dolemus quidem, eum non, vt a praecedenti editore factum eſt, aperte declaraſſe, quidquid muneris critici in Caſſianum a ſe collatum ſit, intelligimus autem, eandem ipſi in tractando Caſſiano rationem ab Antonio Carafae fuiſſe praeſcriptam, quam Cuykio placere ſibi ille ſignificauerat. Cuius ſumma quidem eo tendiſſe videtur, vt lectores de locis Pelagianiſmum redolentibns monerentur. Idem enim, quod Cuykius in *notis cenſoriis* fecit, hic per *obſeruationes*, vltimo loco ante indices exhibitas, praeſtare ſtuduit, *loca omnia, quae Pelagianiſmi ſuſpicionem generare poſſent, vndecim propoſitionibus* complexus, quibus inſuper *paucae aliae ſententiae Caſſiani* pi-

am interpretationem deſiderantes nulla ordinis librorum aut collationum ratione habita adiiciuntur. Has vero *obſeruationes* antecedunt *adnotationum* nomine explicationes vocum Graecarum, quibus Caſſianus vtitur, alphabetico etiam ordine, ſed vberiores ac crebiores, quam apud Cuykium, qui *elucidationes* iſtas caſtigatorias notis ſuis adiunxerat. His acceſſit etiam indiculus locorum ſcripturae ſacrae iuxta LXX. verſionem laudatorum *), additis Graecis, vnde deſumta ſunt, *ex vetuſtiſſimo Vaticanae bibliothecae libro et aliis correctioribus.*

Saec. XVII.

1606.

Lugduni. 8. Ioannis Caſſiani de inſtitutione Renunciantium libri XII. Collationes SS. Patrum XXIIII. Occurrit in *Cat. Bibl. Muſei Britt.* Ex titulo patet, repetitionem Romanae eſſe; id quod Gazaeus etiam in praefatione editionis ſuae confirmat.

1611.

Romae, typis Camerae Apoſtolicae. 8. Ioannis Caſſiani, Eremitae, libri XII. de inſtitutis renunciantium;

*) *Caſſianus,* inquit, *teſtimonia ſacrae ſcripturae fere omnia ex vulgata editione adducit, quam meliorem eſſe interpretationem et ad veritatem Hebraicam expreſſam affirmat. Verum quoniam LXX. interpretes, qui in omnium tunc manibus verſabantur, imbiberat; fit, vt loca quaedam (ſed praecipue ex prouerbiis, quae fortaſſe iam olim in eius memoria inſederant) ſecundum eorum interpretationem citet. Ea nos, maiori ex parte ab aliis non animaduerſa, aut negligentius caſtigata, et ſi qua alia a vulgata noſtra editione aliquantulum diſcrepabant, in indicis formam redegimus &c.*

tium; collationes SS. Patrum XXIV. libri VII. de verbi incarnatione, cum annotationibus et obſeruationibus. Acceſſerunt regula S. Pachomii; regulae SS. Patrum et S. Proſperi Aquitani liber de gratia Dei et libero arbitrio, et obſeruationes in loca ambigua: omnia multo emendatiora quam antea excuſa. *Cat. Bibl. Reg. Pariſ. et Bibl. Caſanatenſ.*

1616.

Duaci ex Typographia Baltazaris Belleri. 8. III. Tomis: Ioannis Caſſiani Presbyteri, quem alii Eremitam, alii Abbatem nuncupant, Opera omnia. Nouiſſime recognita, repurgata et notis ampliſſimis illuſtrata. Quibus acceſſere alia eiuſdem argumenti opuſcula, quorum Elenchum ſequens pagina exhibebit. Studio et opera D. *Alardi Gazaei*, Coenobitae Vedaſtini Ord. Benedicti.

Tomus ſecundus duabus partibus conſtat, quarum altera incipit a praefatione Collationis XVIII. pagina 881. quae eſt tituli ipſius. Vtriusque tomi elenchus poſt titulum ſtatim hic comparet. Inſunt *tomo primo:* de Inſtitutis Coenobiorum libri XII. cum Commentariis et Notationibus, Regula S. Pachomii olim a S. Hieronymo latine translata: nunc etiam Scholiis et notis illuſtrata; Flores Caſſiani ſiue illuſtriores ſententiae ex ipſius operibus collectae. Ioannis Caſſiani de Chriſti Incarnatione lib. VII. *Tomo altero:* Io. Caſſiani Collationum PP. XXIIII. Commentariis et Notis illuſtratae. Dionyſii Carthuſiani Doctrina Catholica Collationi XIII. ſubſtituta. D. Proſperi Aquitanici liber de Gratia Dei et libero arbitrio contra Collatorem. R. D. Henrici Cuykii, Epiſcopi Ruremondenſis, annotationes ſiue *notae Cenſoriae* ad Io. Caſſiani libros. Statuta duarum Congregationum ſiue Capitulorum generalium Ord.

Ord. D. Benedicti. Petri Ciacconii Presbyteri Toletani obſeruationes in Io. Caſſianum. Indices quatuor, quorum *Primus* eſt locorum ſacrae ſcripturae ſecundum vulgatam editionem paſſim in hoc opere explicatorum. *Secundus*, quorundam locorum ſecundum verſionem LXX. interpretum. *Tertius*, rerum et vocum quarundam in textu Caſſiani occurrentium. *Quartus*, in Commentaria et notationes. Praefigitur et tomo ſecundo *D. Anſelmi*, Cantuarienſ. Archiep., Carmen diuinum de vita monachorum et Laus vitae monaſticae incerto auctore. Praeterea, quid in hac poſtrema editione adlaboratum aut curatum fuerit, quod quidem ad ſex momenta refert editor, ipſius verbis cognoſcendum dabimus.

I. „*Primum quidem de Textu Auctoris repurgando, aut reformando non magnopore laborandum exiſtimaui, cum ſatis emendatum, et enucleatum eum nobis reliquerint Cuychius, et Ciacconius viri doctiſſimi et accuratiſſimi, qui hac in re ſtrenuam operam nauarunt. Contuli tamen cum aliquot exemplaribus tum excuſis, tum mss. et ſubinde quaedam loca ab illis praetermiſſa, aut minus expenſa correxi, aut excuſſi, et adhibita etiam Dionyſii Carthuſiani paraphraſi lucem aſciui; quem tamen poraphraſtem (ſalva tanti viri auctoritate) nonnumquam ab auctoris mente, ac ſententia aberraſſe ſubmonui, Lectoris interim iudicio arbitrandum.*

II. *Adnotationes fere perpetuas adieci, quibus non ſolum voces, et dictiones quaſdam Graecas, barbaras, aut minus vulgatas elucidaui; ſed et ſententias quaſque obſcuriores, itidem quaeſtiones Theologicas ad monaſticum inſtitutum ſpectantes, eaſque perutiles, ex occaſione occurrentes, quanta potui facilitate et perſpicuitate pro captu iuniorum examinaui: vnde multi loci communes de rebus monaſticis*

in

in vſus quotidianos, ac familiares depromi queant. Ingenue interim fateor ſubinde adiutum me tum notationibus Cuychii, tum Ciacconii, quas proinde et meis, publico bono conſulens, ita inſerui, vt tamen ſuas cuique auctori acceptas referrem, nihil alienum mihi vindicans. Neque vero mihi excidit illud Plinii, ad Veſpaſianum ſcite ſcriptum: Benignum eſſe, et ingenui plenum pudoris fateri, per quos profecerimus.

III. *Porro antiquos ritus, et inſtituta veterum monachorum tum in officiis diuinis peragendis, tum in aliis exercitationibus aſceticis curioſe obſeruaui, et velut in tabula depicta Lectori diligentius inſpicienda, et contemplanda propoſui: Ex quibus itidem, tanquam locis communibus, antiquitatum monaſticarum ſtudioſus intelligat, quibus auctoribus et obſeruatoribus huiuſmodi ritus et obſeruantiae monaſticae, quibus magna pars regularis diſciplinae continetur, quaſi per manus traditae ad nos peruenerint.*

IV. *Verum illud praecipue ſpectaui, et hoc potiſſimum nomine Caſſiano me addixi, vt in gratiam, et obſequium commilitonum et confratrum meorum, Ordinis, inquam, Benedictini coenobitarum, (cui me Deus ſua gratia inſcriptum voluit) pleraſque, ac praecipuas Regulas ſanctiſſimi Patris noſtri Benedicti, quantum in me eſſet, Deo iuuante, prout ſe dedit occaſio, ex Caſſiano explicarem, et complures eius locos ad Caſſiani ſcripta, velut ad prototypum ſuum referrem, ac reuocarem: Vnde liquido apparet, quanta cura, quam pia et ſolerti aemulatione ſanctiſſimus Pater Benedictus veteres Monachos imitari ſtuduerit, et eorum veſtigiis inſiſtere, ſuoque exemplo et inſtitutione ſuos coenobitas ad eorum imitationem prouocare.*

V. *Ad haec ſententias illuſtriores Caſſiani ſimilibus ſententiis et elogiis SS. Patrum Baſilii, Hieronymi, Auguſtini, Gregorii, aliorumque paſſim illuſtraui, et roboraui, et ex illis nonnullas ſelectiores et breues, velut ſtellulas ſplendidiores, in vnum collectas, et ordine digeſtas ad calcem operis ſepoſui, quo et facilius memoriae mandentur a iunioribus, et tenacius infigantur.*

VI. *Ad extremum, ne quid lectorem in huius operis decurſu remorari, vel offendere, vel quouis modo in errorem inducere poſſet, praeter noſtras adnotationes, etiam alias obſeruationes, et cenſorias notas tum Cuychii, tum Ciacconii adiungendas, et ad calcem itidem ſuo ordine collocandas duxi, quibus antidotis monitus quilibet Caſſianum deinceps inoffenſo pede percurrat, nihilque, quod ad operis perfectionem vel animi ſui ſecuritatem pertineat, amplius deſideret. Quas quidem obſeruationes diligenter iis praelegendas ſuadeo et moneo, qui non vsque adeo in his verſati, libros praeſertim collationum, aliosque vtiliſſimos, et a SS. Patribus, Benedicto Thoma Aquinate, aliisque, vt dictum eſt, teri ſolitos, vtiliter ac ſalubriter verſare voluerint.*" Subiecit igitur notas ſuas ſingulis ſtatim capitulis, doctas vbique et frugi plenas. Praefationem praecedit epiſtola eius dedicatoria ad *Philippum Cauerellium* Coenobii Vedaſtini apud Atrebates tunc Praeſulem, data *ex aede ipſius et Praepoſitura S. Michaelis*, apparitionis feriis CIↃ. IↃ. CXV. Addita eſt etiam Cuykii praefatio. Vtriuſque tomi limen obſitum eſt carminibus gratulatoriis et anagrammaticis ad editorem, inter quae etiam vnum in ſecundo tomo, quod proprio commentario inſtructum eſt. Titulus tabula ex aere ſculpta impreſſus eſt.

1617.

1617.

Lugduni, ſumt. Laur. Durand. fol. Io. Caſſiani Vitae Patrum *ex libris eius de Inſtitutis Renunciantium et Collationibus excerptae:* in *Herib. Rosweydi Vitis* p. 563.

1628.

Coloniae Agripp. ſumt. Ant. Hierat. fol. Io. Caſſiani Presb. Maſſilienſis de inſtitutis coenobiorum libri IV. &c. omnia ex recogn. *Alardi Gazaei;* in *Bibl. PP. T. V. P. II.*

1628.

Atrebati apud Io. Bapt. et Guilielmum Riuerios, ſub ſigno boni Paſtoris. fol.

Noua editio ab eodem denuo recognita, et a mendis, quae irrepſerant in priori, repurgata: Commentariis ipſis tertia parte auctioribus illuſtrior reddita: nouoque inſuper in libros de Incarnatione, qui deſiderabatur, Commentario locupletata.

Praeter ea, quae in titulo promiſſa ſunt, nouo etiam ordine ſingula ſunt diſpoſita. Sic poſt *Inſtitutiones* ſtatim *Collationes* cum Doctrina Dionyſii Carth. et Proſperi libro de gratia ſequuntur. Poſt quae inſerta ſunt *Coeleſtini Papae pro Proſpero et Hilario, de Gratia Dei epiſtola ad quoſdam Galliarum epiſcopos*, item *Canones Concilii ſecundi Arauſicani, circa tempora Leonis Papae primi de libero Arbitrio* &c. et *D. Proſperi Epiſtola ad Auguſtinum.* Mox rurſus poſt Cuykii et Ciacconii obſeruationes legitur *poſtremum de Caſſiani doctrina Annotamentum excerptum ex Didaci Aluarez lib. 1. Diſp. 2. §. 3. de Auxiliis diuinae gratiae et viribus liberi Arbitrii.* Tum demum libri VII. de Incarnatione,

Regula S. Pachomii, Flores ex Caſſiano vſque ad Indices exhibentur excluſis ab hoc corpore, quae ex contentis primae editionis in hoc nouo elencho deſunt. Textus per ſingula capitula vt in prima notis diſtinctus eſt, quae columnis binis impreſſae ſunt. Titulus adeſt duplex, prelo alter, alter aere impreſſus.

1642.

Pariſiis apud Laur. Cottereau. fol. Ioan. Caſſiani opera omnia cum commentariis *Alardi Gazaei &c. Cat. Bibl. Reg. Pariſ. et Bibl. Ios. Renati Imperialis Card.*

1677.

Lugduni apud *Aniſſonios. fol.* Io. Caſſiani opera omnia ex ed. *Alardi Gazaei;* in *Bibl. Max. PP. Tomo VII. p. 17. ſeqq.*

SAEC. XVIII.

1711.

Pariſiis. fol. Ioannis Caſſiani Collatio XIII. de Protectione Dei; cum Operibus *Proſperi Aquit. p.* 283. *ſeqq.*

1722.

Francofurti ſumt. Thomae Fritſchii. fol. Io. Caſſiani opera omnia ex ed. *Alardi Gazaei. Cat. Bibl. Caſanat.*

1733.

Lipſiae apud Wetſtenios et Smitt. fol. Io. Caſſiani Opera omnia cum Commentariis D. Alardi Gazaei Coenob. Vedaſt. Ord. S. Bened. Quae editio ab eodem denuo recognita, commentariis ipſis tertia parte auctioribus

ribus illuſtrior reddita: nouoque inſuper in libros de incarnatione, qui deſiderabatur, commentario locupletata.

Vt titulus oſtendit, altera Gazaei editio accurate expreſſa eſt; quod prelo Amſtelodamenſi factum eſſe ex nitore typorum et inſigni Wetſteniano in titulo impreſſo colligimus. Charta tamen aſpera eſt et cruda.

Versiones.

1563.

Venezia per M. Tramezzino 4. Opera di Caſſiano Eremita delle Coſtitutioni, et Origine de Monachi et de' remedi, e cauſe di tutti i vizi, dove ſi recitano ventiquattro ragionamenti de' noſtri antichi Padri . . . . tradotta per *Fr. Benedetto Buſſi*, Eremita de' Camaldoli di Latino in volgare. *Cat. Bibl. Caſanat.*

1663.

Paris chez *Charles Savreux*. 8. Les conferences de Caſſien traduites en François par *De Saligny*. *Cat. Bibl. Reg. Pariſ.*

Eandem verſionem ab eodem bibliopola a. 1665. II. Tomis emiſſam *Cat. Bibl. Tellerianae*, nec non aliam 1682. *Lugduni* ap. *Io. Matth. Martinum* II. Tomis, *Catal. Bibl. Caſanat.* laudant. Obſervant Benedictini, Collationem XIII. a traductore iuſtis de cauſſis eſſe reſectam.

1667.

Paris chez *Ch. Savreux* 8. Les inſtitutions de Caſſien traduites en François par *De Saligny*.

❧ ❧

Codices. Hic eos ſolummodo notare licet, quos *Cuykius* adhibuit, quippe qui non ſolum non ſibi fas eſſe credidit lectores celare, vbi et quo iure a ſe textus mutatus ſit, quod non niſi omnibus Mss. exemplaribus conſentientibus fecit, ſed etiam vltro varias lectiones, de quibus ipſe ſtatuere non auderet, aliorum iudicii exercendi gratia appoſuit. Sunt autem numero *ſex*, quos deſcribere tamen non ſuſtinuit.

I. Codex *Affliginienſis* Abbatiae in Brabantia.
II. Codex Canonicorum Regul. in *Corſendonck* in Brabantia.
III. Codex *Bethleemitici monaſterii* Canonicor. Reg. *prope Louanium.*
IV. Codex Canonic. Regul. in *Buſco Domini Iſaac prope Niuellam.*
V. Codex *Plantinianus.*

Vtinam vero *Ciacconius* quoque *octo*, quos contuliſſe profeſſus eſt, *Vaticanos* codices hoc ſaltem modo indicaſſet.

❧ ❧

Poſtremo loco nobis commemorandus erit liber, cuius ſeria quidem profeſſio ea fuit, vt Caſſianum poſt omnium ſuperiorum editorum labores, *correctiorem* tandem, *locupletiorem et auctiorem* ſiſteret, ſed cuius auctor nequaquam eam, quam ſibi ſperabat gratiam apud doctos iniit. En titulum: *S. Ioannes Caſſianus illuſtratus, ſiue Chronologia Vitae S. Ioannis Caſſiani Abbatis, et Monaſterii S. Victoris ab eodem Maſſiliae conditi, primariae inter Occidentalia Coenobia antiquitatis ab anno Chriſti* CCCCXX. *Opera* et *ſtudio* P. Ioannis Baptiſtae Guesnay aquen-

aquenſis, Theologi e Societate Ieſu. *Accedit Elenchus ſanctorum, virorumque illuſtrium et Abbatiarum, Prioratuum, Cellarum, Eccleſiarum ab eodem Monaſterio dependentium. Item Onomaſticum Rerum et Verborum difficiliorum in Commentariis S. Caſſiani. Lugduni, Sumpt. Antonii Cellier.* 1652. 4.

Caue vero ne quid ſimile illi operae hic expectes, quam ſub eadem epigraphe Chiffletius nauauit Paulino Nolano. Scilicet quae ad Monaſterium ſpectant, ea quidem ſatis bene ſe habent, vt ab auctore in his rebus diutiſſime verſato et documentis vetuſtis abundante expectari poteſt *). Sed quae de Caſſiani vita diſſerit, ingenii ſe ipſum ludentis figmenta ſunt et dudum ab omnibus exploſa. Quae noua autem ſuper Caſſiani doctrina attulerit, optime ex ipſius verbis intelliges. Fatetur Guesnaius, operam editorum Caſſiani non laudare animi eſſe ingrati: attamen nondum ita dignitati illum eſſe reſtitutum, quin ne perire quidem tacite obſcureque plura in eo genere concederetur, et álios praeterea oculos et manus poſtularet. Nunc ergo ſperare ſe correctiorem multo, locupletiorem et auctiorem quam uſpiam antea eum prodíturum. Nam *id videor poſſe* inquit, *in his controuerſiis haud temere profiteri, ſatis me idoneum cenſeri teſtem debere, quamquam de cetero tenuitatem meam neque ignoro neque inficior, quoniam de re agitur, quae maxime antiquis e codicibus et ſchedis pendeat, in quibus per annos plus duodecim diligentia quam maxima aſſidue verſatus ſum et nactus ſum Tabularia ſane quam luculenta iisque potiſſimum inſtructa monumentis, quibus Monaſterii S. Victoris Maſſilienſis eiuſ-*

*) Idem paulo poſt auctor factus eſt operis, quod titulum fert *Maſſilia Gentilis et Sacra*, et *Lugduni* apud eundem bibliopolam prodiit. 1657. *fol.*

eiuſque Patriarchae et Conditoris S. Caſſiani initia fideliter et copioſe explicata conſeruantur. Quibus item partibus ſit auctior, facile eſt colligere et iudicare ex commentariorum, quos in lucem edere inſtituimus, acceſſione Vitam S. Caſſiani et res praeclare geſtas vix ab hiſtoricis veteribus delibata et maiori ex parte ignoratas ex eius ſcriptis fideliter collectas primo commentario in multa capita deſcripſimus. Tum alterum ſubiecimus, in quo apertiſſime redarguitur inconſideratiſſima quorumdam temeritas, quae ſibi tantum ius cenſendi et iudicandi de antiquorum ſcriptis vſurpauit, vt ex ipſius Caſſiani egregiis lucubrationibus, praeter ea quae S. Proſper iure refellit et erroris coarguit, magnam partem pro libidine aut indigne reſecari voluerint, aut illius, quales nunc ſunt, non eſſe reclamaverint atque ſuis ipſorum cenſuris vaniſque commentis in infimas vilium ſcriptorum claſſes redegerint. Alterum de eius gloria commentarium nouo quodam modo veluti ſummam quandam operis rerum temporumque ordine ſeruato contextum calci huius tomi I. (?) adiecimus, vt palam fiat in ore omnium quantis prae ſanctitate et doctrina virum proſequeretur honoribus ac ſtudiis Eccleſia. Voluimus etiam inuſitatas vias indagare, tritas relinquere interpretandi eius ſententias ex conſuetudine aliorum Doctorum in explanandis ceteris Patribus, nec metiendi eas vt quidam indocti aut longitudine aut contractione orationis, aut ambiguitate, aut inflexione, aut immutatione verborum. Conſtat opus *duobus libris*, quorum *primus* capitibus LXIV. *Effigiem S. Caſſiani*, ſiue *Ideam Vitae Religioſae* proponit, *alter* de *Gloria et Beatitudine* eiusdem XXIX. capitibus agit. Atque his inſcriptionibus librorum ſatis mentem ſuam declaraſſe videri auctor poſſit. Quae frugi in iis ſunt, ea ferme continentur in octo poſterioribus libri primi capiti-

pitibus, quorum titulos hic apponamus. Videlicet Caput LVII. inſcribitur *De Caſſiani ſcriptis. Vera et legitima Caſſiani opera quae extant?* Caput LVIII. *Quae dubia et ſpuria?* Caput LIX. *Quo loco, tempore et idiomate ſcripſerit.* Caput LX. *Illuſtratur Religioſa diſciplina eorundem praeclaris Inſtitutionibus et exemplis, et multum pietas publica promouetur.* Caput LXI. *Collationes publicatae Maſſiliae primum tum alibi diuerſis temporibus ingentes excitant animorum motus.* Caput LXII. *An ille idem qui a ſuo fonte fluxit Caſſianus, doctrinae integer ac liturae purus ad nos vsque peruenerit?* Quod contra Baronium aſſeritur. Caput LXIII. *An aliquos habuerit Caſſianus beneuolos ac benignos interpretes ac defenſores.* Vbi longa ſeries Theologorum recenſetur, quae minus caute a Caſſiano enunciata in meliorem partem interpretari conati ſunt, cuius quidem interpretationis Fraternitatem Ieſu ab omni tempore patronam ſeſe exhibuiſſe conſtat. Caput LXIV. *Errare Doctores Catholici poſſunt citra haereſis labem.* Atque hic finis eſt totius eius diſputationis et dicae, quam in verbis ſupra allatis omnibus, qui non vbique Caſſianum orthodoxa ſapere fateantur, intendit. *Rationabiliter,* inquit, *debemus Catholicorum dicta in benigniorem partem quam poſſumus interpretari; haereticorum vero in odium eorum perfectum iuxta ipſorum haereſim aeſtimare.*

27.

Castor Episc. Aptensis.

Inter plures qui ineunte ſaeculo quinto in Galliis celebres extiterunt vitae monaſticae patronos, nomen ſibi et exiſtimationem imprimis comparauit Caſtor *Aptae Iuliae* in Gallia Narbonenſi epiſcopus. Quem §. 1. Vita.

tamen, vtpote ingenio rudem et omnis liberalis eruditionis expertem in hiſce commentariis commemorare non attineret, niſi cauſſa fuiſſet duorum maxime inſignium Ioannis Caſſiani ſcriptorum. Nam cum recens in dioeceſi ſua condidiſſet monaſterium, nec ipſe, quid in diſciplina ſequeretur, apud ſe inveniret, per literas egit cum Caſſiano, *omnium ſtudiorum Catholicorum diſciplina refecto et orientalium potiſſimum coenobiorum doctrina experto,* vt inſtituta monaſteriorum, quae per Aegyptum ac Palaeſtinam florere ac inſtitui vidiſſet, in vſum rudis ſui monaſterii enarrare aggrederetur. Qui quidem non ſolum in his ſeni optimo morem geſſit, ſed per ipſam operis illius elaborationem in alio de Collationibus Anachoretarum, qui in Eremo Scythica morabantur, tractaturum ſe promiſit. Antequam vero poſterius perficeret, Caſtor, ineunte, vt videtur, anno 420. diem ſupremum obiit; quapropter Caſſianus *Collationes Patrum* fratri eius Leontio dicauit, ſicut *Inſtitutiones* ipſius nomini inſcriptae ſunt.

§. 2. Scripta. Supereſt *Epiſtola ad Caſſianum*, ſtilo incompoſito ac difficili exarata. *Interciderunt* fortaſſe plures eadem de cauſa ad eundem datae.

§. 3. Editiones. Eruit eam ex codice Ms. Monaſterii Elnonenſis ſiue Amandini *Alardus Gazaeus*, eamque ipſis Inſtitutionum libris in ſua Caſſiani editione praefixit. Poſtea emendatiorem dedit ex codice Bibliothecae Regiae Pariſienſis *Stephanus Baluzius* in Appendice Actorum Veterum ad Notas in Saluianum et Vincentium Lirinenſem, in editione *ſecunda* a. 1669. Omiſſa eſt in *tertia.* Sed in *Bremenſi* a. 1688. extat. Neſcio vero, an et alibi ante Baluzium edita fuerit. Certe verba eius, quae ad Gazaeum trahere veremur, illud ſuadere videntur. Scribit enim, ignobili loco

editam

editam fuiſſe hanc epiſtolam et audacia corrigendi nonnullis in locis corruptam; nunc vero ſe eum ſinceram ex MS. Regio proferre.

28.

Coelestinus Episc. Rom.

Patria Campanus, Priſci cuiuſdam filius, proxima ſtatim poſt mortem Bonifacii Dominica, id eſt X. Septembris die a. 423. epiſcopus ordinatus eſt. Durabat adhuc Romanae ſedis in Afrorum iudiciis poteſtas, tam diu ab ipſis Africanis epiſcopis conceſſa, donec conſultis Nicaeni concilii veriſſimis exemplaribus, vtrum in eis reperirentur laudati a Zoſimo canones, certiores facti eſſent. Quo iure a Coeleſtino in ipſis ſtatim muneris noui auſpiciis Antonii Fuſſatenſis epiſcopi et aliquanto poſt Apiarii ob noua flagitia remoti et ad Coeleſtinum prouocantis cauſa ſuſcepta fuit. Sed illius querelas, ſubdolas et iniuſtas, euertit Auguſtinus, ſuaque rei geſtae enarratione apud Coeleſtinum peruicit, vt ſententiam apud Afros in eum latam ratam haberet; hunc propria ſcelerum damnauit confeſſio. Quam dum Coeleſtino nunciant, ſimul omne ius, quod interim de appellationibus Romanae ſedi permiſerant, penitus ſuſtulerunt, deprecantes, ne in poſterum ex Africa venientes ſiue epiſcopi ſiue presbyteri inferioresue clerici, ſiue laici etiam facilius admitterentur, excommunicatiue in communionem praepropere reſtituerentur. Neque enim hoc magis quam illud, quod pridem de iure epiſcopi Romani legatos a latere in Africam mittendi Fauſtinus aſſeruiſſet, in Nicaenis conciliis, quae ex authentico ab Attico Conſtantinopolitano epiſcopo ſibi tranſmiſſa eſſent, ſcriptum reperiri. Quapropter nullum omnino iudicium transmarinum nedum §. 1. Vita.

dum clericos Romanos tanquam exſecutores ad ſe miſſos in poſterum laturos eſſe ſignificabant. Sed quidquid ex hac parte Romanae ſedis poteſtati decedere videbatur, ex altera quodammodo reparavit initum a Coeleſtino cum Cyrillo Alexandrino foedus contra Neſtorium, quo tam callide vſus eſt, vt quaecunque huius cauſa geſta non magis Cyrilli ſtudio, quam Romani epiſcopi vigilantiae deberi viderentur. Nam ſimulac ſatis ſeſe a Cyrillo inſtructum ſenſit, quid pro haereſi habendum eſſet, feſtinauit, vt primus eam anathemate feriret, eiusque auctorem, ni erroribus valedicturus eſſet, communione priuaret; mox ad Synodum ab Imperatore Theodoſio apud Epheſum indictam legatos miſit hac generali praeceptione, vt Neſtorii damnationem *) et a ſede ſua depoſitionem vrgerent: in reliquis vero, quae caſus vel diſceptationis ordo allaturus eſſet, moniti erant, vt quidquid in Cyrilli arbitrio viderent, facerent. Itaque quaecunque ab eo in Synodo iſta geſta eſſent, plene approbauit, eique et omnibus, qui in ea cum eo ſteterant, tanquam de victoria ab hoſtibus Chriſti ipſique adeo imperatori, inuito ſane victori, reportata gratulatus eſt, nec non Maximianum Neſtorio depulſo ſuffectum epiſcopum ſtatim ſalutauit, hoc vnum reſtringens in iſtorum iudicatis, ne aſſeclis Neſtorii qui reſipiſcerent, omnis penitus

*) Hanc in Concilio Rom. in Neſtorium dictam ſententiam per Cyrillum ad Neſtorium primum et niſi ille pariturus eſſet, ad reliquos Orientis epiſcopos mitti curauit. Atque hoc eſt, quod *vice ſua* Cyrillum agere dixit, *quatenus ſtatutum* ſuum *vel* Neſtorio vel vniuerſis fratribus innoteſceret. Ep. *ad Neſtorium* XIII. apud *Couſt. p.* 1130. et iterum in *Epiſt.* ad *Clerum* et *populum Conſtantinopolitanum. Couſtant.* p. 1201.

nitus ſpes veniae et reſtitutionis praecideretur *). Enimuero in his aduerſus Neſtorium geſtis illuſtrior vitae pars Coeleſtini, non tamen omnia eius de catholica fide et eccleſia merita continentur. Idem enim fuit, qui exuberantem in Gallia haereſim, quae Semipelagianae nomine poſthac notata fuit, repreſſit et deferentibus Proſpero Aquitano et Hilario laico homine Galliae epiſcopos grauiter reprehendit, quod tantum presbyteris ſuis indulgerent, vt *indiſciplinatas quaeſtiones vocantes in medium, praedicarent aduerſantia veritati,* et Auguſtino, quem impenſe laudat, obſtrepere auderent **). Praeter haec Proſper modo laudatus praedicat eius ſtudium in Pelagianis non ſolum ex tota Italia, ſed etiam Britannia eliminandis, quo nomine ab eodem miſſus eſt ſanctus Germanus Auguſtodunenſis cum Lupo Trecenſi epiſcopo. Proſperi denique teſtimonio nititur, quod Palladius ab eodem ad Scotos in Chriſtum credentes ordinatus et primus Epiſcopus miſſus ſit. Obiit Coeleſtinus anno 432. menſe Iulio.

Reſtant XVIII. Coeleſtini *epiſtolae*, inſcriptae I. *Epiſcopis Illyrici*. Aſſignatur anno 425. II. *vniverſis epiſcopis per Viennenſem et Narbonenſem provincias conſtitutis.* ſcr. d. 25. Iulii a. 428. III. *vniuerſis epiſcopis per Apuliam et Calabriam conſtitutis.* ſcr. a. 429. IV. *Cyrillo Alexandrino Epiſcopo.* ſcr. d. II. Aug. a. 430. quemadmodum et tres ſequentes. V. §. 2. Scripta.

*) Ep. ad Synodum Epheſ. poſt Neſtorii damnationem apud *Couſt.* XXII. p. 1146.

**) *Ep. XXI. apud Couſt.* cui ob hoc argumentum in plerisque codicibus adiici conſueuerunt *autoritates praeteritorum ſedis Apoſtolicae Epiſcoporum de gratia Dei et libero arbitrio.*

V. *Iohanni, Iuuenali, Rufo et Flauiano epiſcopis per Orientem* a pari. VI. *Neſtorio.* VII. *Clero et populo Conſtantinopolitano.* *Quatuor* has epiſtolas latine ſcriptas eſſe, dubitari nequit, ſed ſtatim in linguam Graecam conuerſas et vna cum verſione Graeca ad Cyrillum transmiſſas eſſe ſuſpicatur Couſtantius; ſimul tamen eundem eſſe primigenium, quem nos habemus textum probauit. VIII. *Cyrillo Alexandrino,* ſcr. d. 7. Maii a. 431. Hanc ex graeco verſam, non latino authentico deſcriptam eſſe diuerſis notis ſibi deprehendiſſe viſus eſt Couſtantius. IX. *Epiſcopis et presbyteris euntibus ad Orientem Commonitorium,* ſcr. d. 8. Maii 431. X. *Sanctae Synodo apud Epheſum congregatae,* ſcr. a. 431. latine et in Epheſino concilio *latine* primum lecta geſtisque inſerta, tum vero etiam in gratiam eorum, qui latine neſciebant, *graece* recitata. XI. *Theodoſio Auguſto,* ſcr. eodem. a. XII. *Epiſcopis Galliarum,* ſcr. eod. a. XIII. *Sanctae Synodo apud Epheſum conſtitutae,* ſcr. vti et ſequentes a. 432. poſt damnationem Neſtorii. XIV. *Theodoſio Aug.* poſt ſynodum. XV. *Maximiano epiſcopo Conſtantinopolitano.* XVI. *Clero et plebi Conſtantinopoli conſiſtentibus.* Praeterea Arnobius in libro II. de conflictu cum Serapione ſeruauit *Fragmentum ſermonis, quem Coeleſtinus in concilio Romano,* menſe Auguſto anni 430. *aduerſus haereſim Neſtorii habuit.* *Auctoritates* autem *praeteritorum Sedis Apoſtolicae Epiſcoporum de Gratia Dei* verius Coeleſtio abiudicantur. Quae porro ipſi falſo tributa fuerunt, aut deperdita ſunt, indicat *Couſtantius.*

§. 3. Editiones. Ex his Coeleſtini epiſtolis IV. V. VI. et VII. in Actis Concilii Epheſini, II. III. et XII. in Collectionibus Dionyſii Exigui, Hadrianea, Hiſpana et Iſidori

dori ſeruatae et cum in iis tum ex iisdem per varias Conciliorum editiones vulgatae ſunt. Augeri coepit numerus primum per *Petrum Crabbium* Fragmento epiſtolae X. quam integram poſtea *Antonius de Aquino* in Collectione Epiſtolarum Pontificiarum Antonii Carafae Cardinalis protulit. Idem vero Antonius plures Coeleſtini epiſtolas erutas ſubinde e ſchedis Vaticanis daturus erat in Auctuario, quod laudatae Collectioni addere decreuerat. Sed citius fato occubuit, nec quidquam ex omnibus, quae indefeſſo ille ſtudio luci parauerat, tenebras euaſit praeter epiſtolas, quas olim *Baronio* conceſſerat. Hinc factum eſt, vt *ſex* nouae Coeleſtini epiſtolae, videlicet VIII. XI. XIII. XIV. XV. XVI. in *Annalibus* ad a. 431. et 432. prodierunt. His *quatuordecim* Epiſtolis, quas iunctim interea exhibent Binius et Collectio Conciliorum Regia, mox que correctiores paſſim repetiit *Ph. Labbeus*, acceſſit tandem I. per *Holſtenium* in Collectione Romana bipartita, et IX. per *Stephanum Baluzium* in Noua Conciliorum Collectione. Tot autem perpoliendas et illuſtrandas accepit *Petrus Couſtantius*, cuius editionem nuper iterum *Andreas Gallandius* expreſſit. Manſius vero Labbei veſtigiis inhaeret.

Saec. XVI.

1525.

Moguntiae. fol. Decreta Coeleſtini Papae numero XXII. i. e. *Epiſtolae tres* 1) *ad Epiſcopos Galliarum*, cui iunguntur *Autoritates praeteritorum ſedis apoſtolicae epiſcoporum de gratia dei*, 2) *ad Epiſcopos per Viennenſem et Narbonenſem prouinciam*, 3) *ad Epiſcopos per Apuliam et Calabriam conſtitutos*; in *Ioannis Wendelſtini* ed. *Collectionis Canon. Dionyſ.*

1530.

1530.

Coloniae. fol. Eadem; in *Coll. Conciliorum Iac. Merlini T.* I. *fol.* CLXXXIII. *a.*—VI. *b.* Editio prima facta eſt a 1523. Tertia prodiit a. 1535. *Pariſiis.* 8. vbi Coeleſtini epiſtolae extant *fol.* CXCVII.—CC.

1536.

Baſileae, fol. Coeleſtini Papae Decreta i. e. Epiſtola ad vniuerſos Galliarum Epiſcopos ſubiectis capitulis ſeu indiculo conſtitutionum ſanctorum Patrum de Gratia Dei; inter *ſelectiſſimas vetuſtiſſimorum Praeſulum Epiſtolas* additas *Clementis Recognitionibus* ex editione *Io. Sichardi pagg.* 302—306.

1538.

Coloniae apud Petrum Quentel. fol. Decreta Coeleſtini Papae, quo nómine comprehenduntur *Epiſtolae tres* laudatae; Decreta ex Gratiano et *fragmentum Epiſtolae* ad Synodum Epheſinam; in *Conciliis Petri Crabbe T.* I. *fol.* CCCIX. *a.*—CCCXIII. *a.*

1570.

Coloniae Agr. apud Io. Brinckmannum. fol. Coeleſtini Decreta ſeu Epiſtola ad vniuerſos Galliarum Epiſcopos etc. inter *Epiſtolas Pontiff. Rom. D. Clementis Operibus* ex ed. *Lamb. Gruteri* ſubiectas *pagg.* 561—563.

1576.

Ingolſtadii ex typogr. Dav. Sartorii. 4. Variae Coeleſtini Epiſtolae occaſione concilii Epheſini ſcriptae; inter *Acta omnia Sacroſ. Magni et Oecum. Concilii Epheſini* ed. opera *Theodori Peltani* Soc. I. *Cap.* XVI. XVII. XVIII. XIX. LXIIII. *pagg.* 248—74. et 388.

Sunt

Sunt Epiſtolae ad *Cyrillum, Neſtorium, Clerum et Pop. CP. Ioannem Antioch.* et *Synodum Epheſinam.*

1591.

Romae. fol. Coeleſtini Papae Epiſtolae; in Tomo I. Collect. *Epiſtolarum Decretalium Pontificum Romanorum*, quam a *Card. Antonio Caroſa* inchoatam abſoluit *Antonius de Aquino.*

Octo ſunt, nempe *quatuor* inter Acta Concilii Epheſini, *tres* per Dionyſium Exiguum nobis transmiſſae. *Vna* vero, cuius fragmentum antea Petrus Crabbe dederat, nunc integra prodit, velut ex Cresconiana collectione excerpta, vt Conſtantius inquit.

1594.

Romae ex Typogr. Vat. fol. Coeleſtini Epiſtolae (XIV.); in *Baronii Annalium Tomo* V. ad a. 430—32. *Sex antea ineditae* ad a. 431. *num.* 6. 19. et 432. *num.* 4. 12. 17. 20. Repetitus eſt hic Tomus *Romae* 1607. Complectitur idem annorum ſpatium *Tomus quintus* ed. *Colonienſis* a. 1624. et *ſeptimus Manſianae Lucae* 1741. Sperabat Baronius Antonium de Aquino, a quo ineditas illas epiſtolas acceperat, in auctario Epiſtolarum Pontificiarum quod meditabatur, fontes, vnde eas hauſiſſet, indicaturum. Verum ſpes irrita fuit.

SAEC. XVII.

1606.

Coloniae Agr. apud Io. Gymnic. et Ant. Hierat. fol. Vita, Epiſtolae et Decreta Coeleſtini Papae I.; in *Conciliis Severini Binii T.* I. *pagg.* 622—632.

Ex quatuordecim, quas Binius partim ex Antonio de Aquino, partim ex Baronio collegit epiſtolis, non

omnes vna ſerie producuntur, ſed nonnullae numeris tantum ſuis indicatae inter Acta Epheſini Concilii locum obtinent. Aliquibus additae ſunt Notae Binianae.

1609.

Lutetiae Pariſiorum. 8. Decreta Coeleſtini Papae I. (Epiſtolae *tres*) in *Codice Vet. Eccl. Rom.* *pagg.* 404—426.

1629.

Pariſiis ſumpt. Seb. Cramoiſy. fol. Coeleſtini Papae I. Epiſtolae *duae* ad Epiſcopos Viennenſis et Narbonenſis Prouinciae et Epiſcopos vniuerſos Galliarum; in *Tomo I. Conciliorum Galliae Iac. Sirmondi.*

1644.

Pariſiis e Typogr. Reg. fol. Vita, Epiſtolae et Decreta Coeleſtini Papae I.; in *T.* IV. *Conciliorum* collectionis Luparenſis *pagg.* 469—510. *Auctoritates de gratia Dei* epiſtolas antecedunt.

1661.

Lutetiae Pariſ. apud Lud. Billaine. fol. Coeleſtini Papae Decreta (Epiſtolae *tres* cum *Authoritatibus*); in codice Dionyſii Exigui apud *Guil. Voëllum* et *Henr. Iuſtellum* in *Bibl. Iuris Canon.* *pagg.* 215—222.

1662.

Romae. 8. Coeleſtini Epiſtola ad Epiſcopos per Illyricum *nunc primum edita* e ſchedis Vaticanis inter Acta Synodi Romanae ſub Bonifacio II. in *Collectione Rom. Bipart. Lucae Holſtenii P.* I. *pagg.* 85—88.

1671.

Lutetiae Pariſiorum. fol. Vita, Epiſtolae et Decreta Coeleſtini Papae I. cum notis *Seu. Binii*, *Iac. Sirmondi* et *Obſſ. Phil. Labbei*; in *Conciliis Phil. Labbei et Gabr. Coſſartii* cura editis *Tomo* II. *pagg.* 1610—1638.

Nonnullae epiſtolae nomen tantum ſuum in hac ſerie profeſſae ſunt. Ipſae extant inter Acta Epheſini Concilii *Tomo* III. *pagg.* 345. *C.* 364. *B.* 353. *A.* 376. *A.* 614. *B.* Preſſius nimirum ſequitur Labbeus Binium et editorem Collectionis Regiae. Quo obſequio adeo factum eſt, vt alias bis exſcribendas dederit. Nam quae in his ſunt IX. *ad Theodoſium.* X. *ad Cyrillum* XI. *ad Synod. Epheſ.* XII. *ad Theodoſium Iun.* XIII. *ad Maximianum* et XIV. ad *Conſtantinopolitanos*, recitantur iterum integrae *Tomo* III. *pagg.* 619. 621. 1069. B. 1072. C. T. IV. *pagg.* 1074. et 1075. Accedunt in *Appendice* huius ſecundi Tomi *pagg.* 1817—19. *Notae poſtumae* Sirmondi in duas ad Galliarum Epiſcopos et *Auctoritates ſedis Apoſtolicae.*

1675.

Lutetiae Pariſiorum apud Io. Bapt. Coignard. 4. Epiſtola Coeleſtini Papae ad Epiſcopos Viennenſes et Narbonenſes. Eiusdemque ad Epiſcopos Apuliae et Calabriae; in *Codice Canonum Eccleſiae Rom.* a *Paſch. Quesnello* in *Tomo II. Opp. Leonis M.* vulgato, *cap.* XXXV. et XXXVI. *pagg.* 133—137. editionis Lugdunenſis (a. 1700.) *pagg.* 71—73.

1682.

Louaniae typis Hieronymi Nempaei. 4. Commonitorium Coeleſtini Papae Epiſcopis et Presbyteris euntibus ad Orientem: nunc primum e Vatica-

nae Bibliothecae Manuſcripto in publicam lucem data per F. CHRISTIANVM LVPVM, *Iprenſem*, in *Epiſtolis variorum Patrum ad Concilium Epheſinum* ex *MS. Caſſin. Bibl.* ab eodem deſumptis et editis, capite CCXXVI. *fol.* 470. Repetitum eſt hoc opus in *Tomo VII. Operum Chriſtiani Lupi (Venetiis apud Io. Bapt. Albritium, Q. Hieron. et Sebaſt. Coleti* a. 1726. *fol.)* inque eo Coeleſtini Commonitorium *pagg.* 385. 86.

1683.

Pariſiis ex off. Typogr. Franc. Muguet. fol. Commonitorium Papae Coeleſtini datum Epiſcopis et Presbyteris euntibus ad orientem. *Eiuſdem* variae Epiſtolae occaſione Concilii Epheſini ſcriptae; in *Steph. Baluzii Noua Coll. Conciliorum T. I. pagg.* 381. 424. 431. 436. 438. 489—93.

Commonitorium reperit primum in vetuſtiſſimo codice Bibliothecae Colbertinae num. 1865. optime exarato. Aliud deinde exemplar in Vaticano recentiore num. 1320. Nicolai V. pontificatu ſcripto ad eum miſit Hieronymus Cardinalis Caſanata. Sed emendatius erat in Colbertino, quam in Vaticano. Ignorauit autem Baluzius idem anno ante iam a Lupo fuiſſe euulgatum. Reliquae Epiſtolae, inter Acta Epheſini Concilii diſtributae, ſunt 1. *Epiſtola ad Neſtorium.* 2. *ad Clerum et populum Conſtantinop.* 3. *ad Cyrillum.* 4. *ad Ioannem Antioch.* 5. *ad Synodum Epheſinam.* 6. *ad Theodoſium Imp.* 7. *ad Cyrillum Alexandrinum.*

1687.

Pariſiis e Typogr. Regia. fol. Decreta Coeleſtini Papae (Epiſt. III.) in *Codice Can. Dionyſii Ex.* ex ed. *Franc. Pithoei* h. a. et l. recuſo *pagg.* 219—228.

SAEC.

SAEC. XVIII.

1715.

Pariſiis e Typogr. Regia. fol. Coeleſtini Papae Decreta (Epiſtolae III.); *item* Epiſtolae per *Acta Epheſini concilii* diſtributae, *ad Neſtorium*, *ad clerum et populum* CP., *ad Cyrillum*, *ad Ioannem Antiochenum*, *Commonitorium ad legatos*, *ad Synodum Epheſinam*, *ad Theodoſium*, *ad Cyrillum* ſecunda, *ad Synodum* poſt damnationem Neſtorii, *ad Theodoſium Iun.*, *ad Maximianum*, *ad clerum et populum CP.* ſecunda; in *Io. Harduini Actis Conciliorum* T. I. *pagg.* 1251—62. 1299. 1311. 1321. 1323. 1347. 1467—74. 1671—82.

1721.

Pariſiis. fol. S. Coeleſtini Papae Epiſtolae et Decreta ad iuſtum temporis ordinem reductae, iuxta vet. codd. fidem recognitae et emendatae, praeuiis Admonitionibus, notis criticis et Diſſertationibus illuſtratae per PETRVM COVSTANT; in *Epiſtolis Pontiff. Rom. T.* I. *pagg.* 1051—1228.

Inſertae ſunt epiſtolae aliorum ad Coeleſtinum, vel ad res ab eo geſtas ſpectantes, ſcilicet ab initio omnium 1) *Auguſtini epiſtola ad Coeleſtinum*, ſcr. circa initium a. 423. inter Auguſtinianas CCIX. 2) *Aurelii et ceterorum qui in vniuerſali Africae Concilio Carthaginis adfuerunt*, ex codice Canonum eccleſiae Africanae, ſcr. iudice Couſtantio vel ſub exitum a. 425. vel ineunte a. 426. Item poſt III. 3. et 4) *duae Neſtorii ad Coeleſtinum litterae gr. lat.* 5) *Epiſtola Cyrilli ad Coeleſtinum*, ſcr. a. 430. *gr. lat.* 6) *Commonitorium Cyrilli Poſidonio cum Romam mitteret datum*, *gr. lat.* Poſt XIV. 7) *Neſtorii ad Coeleſtinum*, ſcr. a. 430. *gr. lat.* Poſt. XIX. 8) *Epi-*

ſtola Synodi Epheſinae ad Coeleſtinum, gr. lat. Decimo loco eſt *fragmentum ſermonis a Coeleſtino habiti.* Subiungitur *Notitia Epiſtolarum, quae ad Coeleſtinum Papam attinent.*

1757.

Venetiis apud Sim. Occhi. fol. Coeleſtini Papae Epiſtola ad Epiſc. Viennenſes et Narbonenſes, item Epiſc. Apuliae et Calabriae cum varietate exemplarium tam editorum quam MSS.; in *Codice Vet. Canon. Conſtitut. S. Sedis Apoſtolicae* Paſch. Queſnelli iterum edito a *Balleriniis Frr. Tomo* III. *Opp. Leonis M. cap.* XXXV. VI. *pagg.* 270—77.

1760.

Florentiae. fol. Vita, Epiſtolae et Decreta S. Coeleſtini Papae I. cum notis Binii et Sirmondi, item *Excerptis* aliquot e cod. MSS. epiſtolarum et titulorum veterum epiſtolarum quarundam Coeleſtini; in *Tomo IV. Collectionis Ampliſſimae Conciliorum Io. Domin. Manſi pagg.* 453—74.

Epiſtolas, quae inter *Acta Epheſini Concilii* hoc ipſo Tomo comprehenſae referuntur, non integras in hac ſerie repraeſentauit, id quod poſt Labbeum etiam Coletus, quem raro alioquin Manſius deſerit, fecerat, ſed Binium ſequi maluit, tituliſque et verbis initialibus recitatis, ad illa lectores ablegat.

1773.

Venetiis ex Typogr. Io. Bapt. Albritii. fol. S. Coeleſtini Papae Epiſtolae et Decreta, quibus nonnulla intexta ad eundem ſanctum Pontificem pertinentia. Ex editione *V. Cl. Petri Couſtantii;* in *Tomo IX. Bibl. PP. et SS. Vet. Eccl. Andreae Gallandii pagg.* 287—346.

Admoni-

Admonitiones Couſtantii epiſtolis aliquibus praemiſſas reſecuit ſententiaſque earum paſſim in notis contraxit. De Coeleſtino diſſerit *Prolegg. cap.* VIII. *pagg.* XIX. XX.

1789.

Pariſiis ſumtib. Petri Didot fil. primog. fol. Coeleſtini Papae epiſtola ad Epiſcopos prouinciae Viennenſis et Narbonenſis. *Item* Epiſtola ad Epiſcopos Galliae, pro S. Auguſtino, additis Decretis et Decretorum titulis nec non Sirmondi, Queſnelli et Couſtantii notis et lectionibus variantibus excerptis; in nouiſſima *Conciliorum Galliae* Collectione a *PP. Maurinis* nuper inchoata, *Tomo I. pag.* 384. et 426.

29.

Lvpvs Trecensis Episc.

Cuius, praeclara in eccleſiam Gallicanam merita §. 1. Vita.
eximiaſque virtutes nullo non laudis titulo commendauit Sidonius Apollinaris, natus eſt Tulli Leucorum in Gallia Belgica patre Epirochio, matre ſorore S. Germani epiſcopi Antiſſiodorenſis. Fratrem habuit Vincentium, quem quia Lirini aliquantiſper egit, eundem nonnulli putant cum inclyto illo ſcriptore, cui Lirinenſis cognomen quaſi proprium adhaeſit. Anno 419. vxorem duxit Pimeniolam ſororem Hilarii Arelatenſis. Sed vitae ſolitariae deſiderio pellectus, quae erat tum probiſſimorum et fortunatiſſimorum hominum in Gallia aemulatio, Lirinum inſulam ingreſſus eſt, vt, quod de vniuerſa iſta monachorum congregatione praedicat Hilarius, totum ſe coeleſtibus ſtudiis manciparet. Hinc ad Trecenſem eccleſiam regendam euocatus fuit anno circiter 427. et vix biennio in epiſcopatu peracto dignus iudicatus eſt a patribus Gallicanis in magno ſynodo

congregatis, qui Germano auunculo in Britanniam ad profligandam haereſim Pelagianam deſtinato comes et ſocius adiungeretur. Subiit hanc legationem anno 429. annoque inſequente in Galliam et ad eccleſiam ſuam reuerſus, quinquaginta duos annos in iſto praeſulatu conſummauit, denique obiit anno 479.

§. 2. Scripta. Duae ſuperſunt huius antiſtitis epiſtolae, *altera* ſuo et Euphronii Auguſtodunenſis Epiſcopi nomine *ad Talaſium Epiſcopum Andegauenſem*, de tribus quibus vtrumque ille conſuluerat momentis, nempe *de vigiliis natalis Domini, epiphaniae et paſchae: de bigamis:* et *de iis, qui coniugati aſſumuntur;* ſcr. poſt a. 443, *altera ad Sidonium Apollinarem*, qua illi epiſcopatum Claromontanum gratulatur, ſcr. a. 471. epiſcopatus anno XLV.

§. 3. Editiones. Priorem edidit *Sirmondus* in *Conciliis Galliae*, vnde in alias deinceps Conciliorum Collectiones tranſiit; poſteriorem euulgauit *Dacherius*. Vtramque iunctim dedit *Gallandius*. Vbi ſingula quaerenda ſint, docebit ſequens indiculus.

SAEC. XVII.

1629.

Pariſiis. fol. Epiſtola Sanctorum Epiſcoporum Lupi Tricaſſini et Euphronii Auguſtodunenſis ad Talaſium Epiſcopum Andegauenſem; in *Iac. Sirmondi Conciliis Galliae T. I. pag.* 122.

Varia editori huius epiſtolae obtigerant exemplaria. Scriptam exiſtimat non multo poſt Concilium Andegauenſe, ad recentem ſcilicet, qui in eodem concilio ordinatus eſſet epiſcopum. Animaduertit praeterea, mentionem eius fieri in antiqua Collectione Canonum Bibliothecae S. Germani Pariſienſis.

Sed

Sed legendae ſunt notae poſtumae eiuſdem Sirmondi et obſeruatio ad Synodum Andegauenſem.

1661.

Pariſiis. 4. Lupi Epiſtola ad Papam Sidonium; in *Spicilegio vet. aliquot. Scriptorum Lucae Dacherii T.* V. in *Appendice ad Miſcellanea Epiſtolarum pagg.* 579. 80. in ſecunda editione a. 1717. *fol. T.* III. *pagg.* 302. 303. Acceperat eam cum quatuor aliis Dacherii a Beniamino Vignerio, Hieronymi fratre, ex ſchedis eiuſdem.

1666.

Lutetiae Pariſiorum. fol. Epiſtola Lupi Trecenſis ad Sidonium Auernorum Epiſcopum; in *Petri Delalande Supplementis Concil. ant. Galliae a Iac. Sirmondo editorum. pagg.* 35. 36. cum nota editoris Supplementorum.

1672.

Lutetiae Pariſiorum. fol. Epiſtola SS. Epiſcoporum Lupi Tricaſſini et Euphronii Auguſtodunenſis ad Talaſium Ep. Andeg. c. nota Sirmondi; in *Phil. Labbei et Gabr. Coſſartii Conciliis T.* IV. *pagg.* 148. 49. in ed. *Coletiana* T. V. *pag.* 71. Notae poſtumae Sirmondi a Labbeo additae ſunt in appendice ad hunc tomum.

Saec. XVIII.

1714.

Pariſiis e Typogr. Regia. fol. Epiſtola SS. Epiſcoporum Lupi Tricaſſini etc. ad Talaſium; in *Harduini Conciliis Tomo* II. *pagg.* 791—93.

1773.

Venetiis. fol. S. Lupi Trecenſis epiſcopi epiſtolae II. nimirum I. ad Talaſium ep. Andeg. II. ad S. Sidonium ep. Auernenſem; in *Bibl. PP. et SS. Vet. Eccl.* ANDREAE GALLANDII *Tomo IX. pagg.* 516—518. In *Prolegomenis* de Lupo diſſeritur *cap.* XVIII.

1789.

Pariſiis ſumtib. Petri Didot fil. primog. fol. Epiſtola Tricaſſini et Euphronii Auguſtodunenſis ad Talaſium epiſc. Andegav; in nouiſſima *Concilior. Galliae collectione T.* I. *pagg.* 575—78.

30.

POSSIDIVS EPISC. CALAMENSIS,

§ 1. Vita. Afer, Auguſtini diſcipulus et familiaris, quo vix cariorem ille aut amantiorem ſui habuit. Quippe ipſe de ſe narrat Poſſidius *annis ferme XL. abſque amara vlla diſſenſione familiariter ac dulciter cum Auguſtino vixiſſe,* nec minus honorificum eſt teſtimonium, quod Hipponenſis epiſcopus de amico iuxta quam diſcipulo tulit in literis ad Memorem Capuanum epiſcopum Iuliani Eclanenſis patrem, dum *nimis* inquit *ingratum ac ferreum fuit, vt te qui nos ſic amas, hic ſanctus Frater et collega noſter Poſſidius, in quo noſtram non paruam praeſentiam reperies, vel non diſceret, vel ſine literis noſtris diſceret. Eſt enim per miniſterium noſtrum non literis illis, quas variarum ſerui libidinum liberales vocant, ſed dominico pane nutritus, quantum ei potuit per noſtras anguſtias diſpenſari.* Quae quidem ſatis manifeſtant, quam arctum, quamue diuturnum inter eos fuerit vinculum. Vnde haud immerito cenſent, conſona etiam amorum nota, adſcriptum fuiſſe Poſſidium

dium ſocietati illi clericorum, quam Auguſtinus presbyter Hippone congregauerat et regulis monaſticis adſtrinxerat. Nec ſane improbabile videtur, illum ex eodem monaſterio ad epiſcopatum Calamae, oppidi Numidiae, non longe ab Hippone Regio diſtantis, eſſe euectum: id quod anno 397. poſt Megalii obitum accidit. In eo vero loco ſpatioſus ipſi aperiebatur campus ad eas dotes explicandas, quas Hipponenſis praeſulis inſtitutio aut conſuetudo in eo effinxerat et formarat, nec pauca ſeſe offerebant, quae communi amici conſilio gerenda eſſent, in quibuſue vel auctoritate vel adiutorio eius indigeret. Talia fere erant quae ſub initium muneris ſui cum ipſe tum eccleſia eius a paganis Calamenſibus patiebatur; mox item quae cum Donatiſtis occepit certamina. Quae cauſa cum non magis vniuerſae Africae eccleſiae communis quam Auguſtini propria eſſet, non poterat a Poſſidio leui ſtudio ſuſcipi. Itaque iam a. 404. Criſpinum Donatiſtarum apud Calamenſes Epiſcopum ad colloquium ſecum ineundum ſollicitauit, inuitumque coëgit et ſolertia ſua ſuperauit. Anno 410. vna cum tribus aliis epiſcopis a patribus Africanis Carthagine congregatis legatus miſſus eſt ad Honorium Aug. pro abrogatione legis in fauorem Donatiſtarum latae et ad obtinendam cum Donatiſtis collationem. Allectus fuit deinde a. 411. in Collatione cum Donatiſtis inter ſeptem actores partis catholicae actiſque eius ſubſcripſit. Interfuit etiam Conciliis Africanis ob Coeleſtii et Pelagii haereſim celebratis, vnaque cum aliis Numidiae epiſcopis ex concilio Mileuitano literas ad Innocentium Epiſcopum Romanum dedit. Ingruente tandem a. 430. Vandalorum ſaeuo per vniuerſas Africae prouincias exercitu et oppreſſa ab iiſdem Calama nutu quaſi diuino impulſus fuit Poſſidius, vt Hipponem ſe conferret.

ferret. Vix enim eodem conceſſerat, cum et haec vrbs obſidione clauderetur atque Auguſtinus febre correptus decumberet et poſt paucos dies adſtante amico obdormiret. Poſt Auguſtini obitum rareſcit etiam Poſſidii memoria, niſi quod Proſper narrat in Chronico ad Conſ. Aetii II. et Sigiſuulti (a. 437.) Poſſidium cum Nouato et Seueriano Catholicis Epiſcopis Genſerico catholicam fidem Ariana impietate ſubuertere cupienti fortiter reſtitiſſe; ſed eodem meruiſſe vt eccleſiis ſuis priuaret et ciuitatibus pelleret. Vnde colligunt eundem capta ab Genſerico a. 439. Carthagine cum ingens Clericorum turba ex omni Africa eiiceretur, proſcriptum naufragioque expoſitum Neapolim perueniſſe atque adeo diem ſupremum in Italia clauſiſſe.

§. 2. Scripta. Duo extant Poſſidii ſcripta, digna amicitiae et amoris eius in Auguſtinum monumenta, *Vita Auguſtini*, et *Indiculus ſcriptorum eius.*

§. 3. Editiones. *Illa* ab inuente arte typographica omnibus fere operum et opuſculorum Auguſtini collectionibus praefigi conſueuit eaque via ad inſignem lectionum MSS. codicum copiam emendata a Maurinis patribus, ſeorſim denique nouo variarum lectionum ſubſidio recognita et notis non indoctis illuſtrata eſt *Ioanne Salinaſio* Theologo Romano a. 1731. *Indiculus* ſcriptorum Auguſtini editus eſt primum a *Ioanne Vlimmerio* a. 1564. Migrauit pariter ab iſto tempore in varias Operum Auguſtini editiones et ex vetuſtis membranis caſtigatus eſt in Benedictinorum editione. Sed longe plenior et emendatior ex MS. Veronenſi prodiit Venetiis a. 1735. — In ſequenti indice nihil omiſſum eſt quod ad accuratiorem inſigniorum editionum notitiam conducit; ſingulorum vero

vero Auguſtini operum recenſionem nemo expectabit.

Saec. XIV.

1564.

Louanii apud Hieron. Wellaeum. 4. Poſſidii Calamenſis Epiſcopi Vita et indiculus Operum D. Auguſtini ex editione et cum ſcholiis marginalibus *Ioannis Vlimmerii;* cum *Sermonibus aliquot Auguſtini* ab eodem recens prolatis. Tota haec Vlimmerii opera translata eſt in editionem Baſileenſem Operum Auguſtini a. 1569.

1573.

Coloniae Agrippinae. fol. Vita Auguſtini epiſcopi — edita a Poſſidio primum eius diſcipulo poſtea Epiſcopo Calamenſi; in *Laur. Surii probatis SS. Vitis* ad diem XXVIII. Aug. *T.* IV. *pagg.* 933—47. In nouiſſima Colonienſi a. 1618. hoc menſe *pagg.* 302—309.

Saec. XVII.

1690.

Pariſiis apud Franc. Muguet. fol. S. Aurelii Auguſtini Hipp. Ep. Vita Auctore Calamenſi Epiſcopo, ipſius diſcipulo. *Item* Indiculus Librorum, Tractatuum et Epiſtolarum S. Auguſtini Hipp. Ep. editus cura Poſſidii E. C. ex variis codicibus MSS. emendata et cum lectionis diuerſitate in *P.* III. *Appendicis Tomi* X. *Opp. Auguſtini* ex ed. Benedictinorum. In ed. *Antverpienſi pagg.* 164—200. Clerici obſeruata in Poſſidium non tanti ſunt, vt aliquem ſollicitare poſſint. Nec vero Salinaſius de victoria ab eo reportata gloriari debet, quippe cuius omnis

omnis defenſio non ſolum ab ipſo, ſed aliis quoque iactata in ſolo conatu defecit.

SAEC. XVIII.

1731.

Romae typis Io. Zempel. 8. S. Aurelii Auguſtini Hipponenſis Epiſcopi Vita auctore S. Poſſidio Calamenſi Epiſcopo ad MSS. Codd. recenſita notiſque illuſtrata opera et ſtudio D. IOANNIS SALINAS *Neapolitani Can. Reg. Lat. ac Sac. Theol. Lect.* ad Reuerendiſſimum P. D. Aſcanium Vareſium Can. Reg. Lat. Abbatem Generalem. 2) *Ibidem eodem.* De Vita et rebus geſtis S. Poſſidii Calamenſis Epiſcopi Diſſertatio ex P. Auguſtini ſcriptis Eccleſiaſticiſque monumentis concinnata opera et ſtudio *D. Ioannis Salinas* etc.

Textum editor iuxta lectiones a PP. Maurinis ex codd. MSS. propoſitas et vetuſta exemplaria Vaticana a nemine ante adhibita recenſuit, varietates diligenter notauit notaſque et obſeruationes addidit, Benedictinorum aliorumque virorum doctorum copiis abunde ditatas. Arduum profecto non erat in tanta Auguſtini et de Auguſtino ſcriptorum copia et poſt tot tamque diuerſa circa res ab eo et per aeuum iſtud geſtas ſtudia, praeſertim vero poſt eruditiſſimum editorum Pariſienſium de vita eius Commentarium, notas non plane ineptas ad Poſſidium fundere. Atque hi ductores procul dubio Ioannem Salinaſium ſuis ipſius viribus alioquin minus alacrem, vt Vincentii Lirinenſis eodem anno ab eo eademque forma editi et Clementi XII. dedicati exemplo oſtendemus, mirifice ſuſtentarunt. Spoſponderat in praefatione, Auguſtini vitae ſe iuncturum eſſe Hugonis de S. Victore opuſculum de inſtitutione Nouitiorum vna cum auctoris hiſtoria; ſed mutauit poſt-

ea

ea conſilium et loco eius, ſeparatim tamen, exſcribi fecit Diſſertationem *de vita et rebus geſtis Poſſidii* amplam ſane et non indoctam; quo magis mirari ſubit, qui tam ſero in eam cogitationem auctor ſit adductus. Cf. *N. Acta Erudit. Lipſ.* a. 1734. *pagg.* 18—21.

1735.

Venetiis ...... Poſſidii — indiculus ſcriptorum S. Auguſtini — vulgato auctior ex vetuſtiſſimo MS. codice Veronenſi; cum *duabus Auguſtini* Epiſtolis in Gottwicenſi Auſtriae Abbatia recens repertis. *Manſius ad Fabric. Bibl. M. et Inf. Lat.* Alibi laudatam non inueni, adeo vt, quae priora ſint, poſterioraue in hac editione prorſus ignorem.

1743.

Antverpiae apud Bern. Alb. van der Plasſche. fol. S. Auguſtini Vitae Pars Secunda, praeſertim ab anno trigeſimo tertio aetatis vſque ad obitum auctore S. Poſſidio Sancti Doctoris diſcipulo eiuſque per annos fere quadraginta Contubernali. Ex editione Romana a. 1731. collata cum vetuſto MS. codice. Accedit Indiculus Scriptorum Auguſtini eodem Auctore; in *Actis Sanctorum Antverpienſibus* menſis Auguſti *Tomo VI. pagg.* 427—460. *Secunda Vitae Pars* audit Poſſidii opera h. l. propterea, quod ei praemittuntur *Confeſſiones Auguſtinianae*, quibus Bollandiſtae titulum *prioris partis* Vitae Auguſtini poſuerunt. Accedunt ſingulis ſectionibus *annotata* docte et ſobrie ſcripta.

1768.

Auguſtae Vindelicorum apud Fratres Veith. 8. S. Aurelii Auguſtini Hipponenſis Epiſcopi Vita auctore S. Poſſidio Calamenſi Epiſcopo ad MSS. codd. recen-

recenſita, notiſque illuſtrata opera et ſtudio *D. Ioannis Salinas* Neap. Can. Reg. Congr. Lat. Acceſſit *Michaëlis* III. ad exemptas Inſulas Wengenſes Cann. Regg. Vlmae Sueuorum Praelati, S. Caeſ. ac Cath. Mai. Conſiliarii et Sacellani perpetui Diſquiſitio Critica de variis Geſtis, Dictis ac Viſionibus S. Auguſtino falſo aut minus ſolide tributis. — In poſteriori diſſertatione multarum de Auguſtino fabularum origo docte ac ſagaciter oſtenditur.

Versiones.

1742.

In Venezia per Pietro Baſſaglia e Franceſco Hertzhauſer. 4. Vita di S. Aurelio Agoſtino — ſcritta da S. Poſſidio Veſcovo di Calama, tradotta in Italiano da un' Autore Anonimo col teſto latino; in limine Operis Auguſtini *de Ciuitate Dei*, *latine* iuxta quam *italice* ex antiqua anonymi auctoris, ſed quem vulgo Iacobum Paſſauantium putant, interpretatione duobus voluminibus h. l. et a. editi.

1764.

In Milano preſſo Antonio. Agnelli. 8. Vita di S. Aurelio Agoſtino Veſcovo d'Ippona Dottore di S. Chieſa ſcritta da S. Poſſidio Veſcovo di Calama, tradotta in Italiano da un' Autore Anonimo; in queſta ſeconda edizione ridotta ſecondo il Teſto Latino de' migliori Codici manoſcritti, accreſciuta di alcune Note, e dedicata all' illuſtriſſimo Signore D. Antonio Fiſſiraga, Dottor di Collegio, Decurione, et Oratore emerito della Città di Lodi.

Editor *F. Romualdus Maria de S. Gaetano* Auguſtinianus Excalceatus Mediolanenſis verſionem ſuperioris editionis, ſed ad nouiſſimae recenſionis textum refictam, ipſo textu latino omiſſo excudi curavit.

vit. Notas, quas adſperſit, ingenue fatetur non ſibi deberi, ſed e *Benedictinorum*, *Salinaſii*, *Caeſaris Bennenuti* et *Laurentii Berti* (Vitae Auguſtinianae ſcriptoris) notis aut Commentariis eſſe ſelectas.

❧ ❧

Codices: I. *Vitae Auguſtini: Benedictinorum;* ſex, nempe *duo Floriacenſes*, *Germanenſis*, *Vedaſtinus*, *Foſſatenſis* ac *Ciſtercienſis*. Ex his larga prouenit variantium lectionum copia. Nec vero pauciores ex *quinque MSS.* quos *Salinaſius* in vſum vocauit, quorum *duo* quidem extabant in *Bibl. Reginae Suecorum* ſub *num.* 541. et 1025., tres vero alios ex *Vaticana* nactus erat, ſignatos 1188. 1190. et 1191. His tandem omnibus accenſeri debet exemplar *MS. Muſei Societatis Ieſu Antverpiae*; quod *Bollandiſtae* notant ſignatum fuiſſe P. MS. 5. et vetuſtiſſimum dicunt.

II. *Indicis Operum Auguſtini:* primae editionis, *MS. Bibliothecae Abbatiae Villarienſis*, ex quo eum primus excudit *Vlimmerius*. *Benedictini* eoſdem adhibuerunt quos in Vita Auguſtini codices. Noviſſima tandem editio *manuſcripto Veronenſi* debetur.

31.

Hilarivs Arelatensis,

Gallus, clarus genere educatuſque liberaliter, iuvenis hortante Honorato Lirinenſium Monachorum Abbate cognationem ſuam ab eaque pendentia ſaeculi commoda deſeruit vitaeque monaſticae eodem duce et auſpice ſe addixit, vnice intentus magiſtri huius exemplum in ſe effingere menteque et animo referre. Itaque quamdiu ille Lirino praeeſſet, ſemper ei adhaeſit eiuſque inſtitutionem ſectabatur, euo- §. I. Vita.

catum deinde anno 426. ad eccleſiae Arelatenſis regimen eodem comitatus eſt, mox tamen ad inſulam ſuam rediit, nec ab ea prius receſſit quam coenobitae otium cum epiſcopali cura ipſi eſſet permutandum. Mortuo enim Honorato, in eius locum ſuffectus eſt Hilarius ineunte anno 429. Arelatenſis autem epiſcopatus vt erat in Eccleſia Gallicana, a Patrocli maxime aetate, cui Romanae ſedis fauore iura metropolitica in Viennenſem etiam et Narbonenſem prouinciam ceſſerant, principale honoris faſtigium, ita non poterat virtutes, ſi quae in eo erant epiſcopo dignae, non conſpicuas reddere et late propagare. Hinc magna apud omnes non intra Gallias modo vitae eius commendatio et poſt mortem etiam culta memoria. At idem locus et magnarum ipſi moleſtiarum et grauis moeroris cauſa fuit. Nam cum anno circiter 444. Chelidonium quendam Veſontionenſem Epiſcopum, a plebe ſua coram eo accuſatum cauſa in Synodo quadam deſultorie vt videtur cognita, communi ſententia depoſuiſſet, is vero Romam expetens, iniuſto ſe rigore condemnatum eſſe apud Leonem epiſcopum eſſet conqueſtus, Hilarius illico quidem ipſe Romam contendit Leonique ſe praeſentauit, ita tamen, vt *ad officia, non ad cauſſam veniſſe* libere ſignificaret. Sed cum totam cauſam ab Epiſcopo Romano retractari, ſeque ipſum tanquam reum iniuſti iudicii habitum cerneret, neque ea quae a Chelidonio pro innocentia ſua prolata eſſent documenta vel ſolus euertere poſſet, vel redarguere, iudicii ordinem indignatus, apud animum ſuſtineret, e contrario vero multa liberius et incautius locutus eſſet quam iam tum Romani Epiſcopi ambitio et non amplius dubia poteſtas ferret, neque adeo anceps eſſe poterat, in quam partem Leonis ſententia inclinatura eſſet: inſcio Leone Roma

ma diſceſſit et Arelatum repetiit. Mox tamen, vt vitae eius auctor ſcribit, *totum ſe ad placandum eius animum inclinata humilitate conuertit, miſſo primitus ſancto Rauennio tunc presbytero, poſtmodum ipſius ſucceſſore, dein Nectario et Conſtantio praecipuis ſacerdotibus.* Sed fruſtra. Lata pridem erat ſententia, abſolutus Romae Chelidonius, remotumque iudicium ab Hilario in hac cauſa prolatum, et ne impune ferret ſuam erga ſedem Apoſtolicam audaciam, non ſolum adempta eſt ei et Viennenſi interim epiſcopo reddita metropolitica in Viennenſem prouinciam poteſtas, ſed omnino huius poteſtatis exercitio ſpoliatus eſt, traducto in conuocandis diuerſarum prouinciarum Synodis iure in antiquiorem epiſcopum Leontium. Atque haec inſuper imperiali auctoritate roborari et executioni mandari Leo curauerat, in quo edicto Imperatorum Theodoſii et Valentiniani III. d. VIII. Iul. Valentiniano A. VI. et Nonio V. V. C. Coſſ. (a. 445.) inter alia praeceptum fuit, *vt Epiſcopis Gallicanis omnibuſque pro lege eſſet, quidquid apoſtolicae ſedis auctoritas ſanxiſſet: ita vt quiſquis Epiſcoporum ad iudicium Romani antiſtitis euocatus venire neglexiſſet per moderatorem eiuſdem prouinciae adeſſe cogeretur.* Obiit Hilarius non multo poſt anno 449.

Diuerſa maxime de Hilario eiuſque cum Romano epiſcopo lite recentiorum ſcriptorum ſunt iudicia, prout magis minuſue ſcilicet Romanae Curiae illi fauerent, aut animis in eam eſſent infenſioribus. Magna ſane Hilarii apud omnes temporum iſtorum aequales fuit exiſtimatio; eximiis eum laudibus condecorat vitae eius ſcriptor ipſeque Leo M. mortuum *ſanctae memoriae papam* vocat. Superſtitioſi itaque Romanae ſedis iurium defenſores negant aliter haec cum iſta eius erga pontificem temeritate conciliari

 poſſe,

poſſe, niſi ſerio poenitentiam egiſſet eaque veniam apud illum impetraſſet. Contra obtrectatores Romanae auctoritatis nihil aliud egiſſe eum exiſtimant, quam quod eccleſiae ſuae iuribus deberet, nec ius cauſae eius defuiſſe, nec prudentiam ipſi in ea defendenda. Quid? quod contendunt, Hilarium nullam plane Epiſcopi Romani in eccleſia Gallicana auctoritatem agnouiſſe, propterea iudicium eius detrectaſſe et ſpreta eius ſententia ad vitae finem vsque metropolitae iura in utraque exercuiſſe prouincia. Hoc fuit quoque *Paſchaſii Queſnelli* conſilium in *apologia*, quam occaſione editionis Operum Leonis M. *pro Hilario* conſcripſit, in qua non minus epiſcopi Romani auctoritatem eleuare, quam Hilarii geſta ac virtutes, fortitudinem ſcilicet in defendendis eccleſiae ſuae iuribus, mitem animum et pacis ſtudioſum, conſtantiam et in officio ſuo perſeuerantiam Leonis minis inconcuſſam extollere ſtudet. Sed quidquid ille diſputet, prudentiam non poſſum in Hilario agnoſcere, nec omnino vllum ex geſtis eius conſtans conſilium elucet. Quin nec ea, quibus epiſcopi Romani tunc temporis in Gallicana eccleſia poteſtatem Queſnellus oppugnat, ita ſunt comparata, vt non in multis aduerſariis eius nouiſſimis Balleriniis, quamvis Romanae curiae deditis, accedere quam cum illo ſapere malis.

Porro Hilarium cum multis aliis Galliae epiſcopis minime probaſſe Auguſtini recentem tunc de Praedeſtinatione et Gratia opinionem, ex Proſpero diſcimus *). Hinc orta eſt de Semipelagianismo eius quaeſtio, leuiuſcula quidem, ſed ſerio a doctis etiam

*) In *Epiſtola ad Auguſtinum*; ſi lectio certa. Fuerunt enim, qui Hilarii nomen in eo loco cenſerent irreptitium. Vid. *Oudinus cap.* I. *pag.* 1224.

etiam viris tractata, et in qua idem Queſnellus grauiter hallucinatus eſt. Cf. *Oudinus* in *Diſſ. de Hilario Arelat. cap.* III. *T.* I. *pagg.* 1227. 28.

Honoratus vel quiſquis fuerit auctor Vitae Hilarii ſequentia recenſet eius ſcripta: *Vitam* ſcilicet *Honorati Antiſtitis*, *Homilias in totius anni feſtiuitates*, *Symboli expoſitionem*, *Epiſtolarum* magnum numerum et *Verſus*. Ex his ſuperſunt hodie certa et *genuina* ſolummodo: 1. *Vita ſancti Honorati Arelatenſis Epiſcopi* et 2) *Epiſtola ad Eucherium Epiſcopum Lugdunenſem.* *Interciderunt* reliqua, niſi forte ex Homiliis quaedam reſtent inter Homilias ſub Euſebii Emeſeni vel Gallicani nomine vulgatas. Oudinus quidem, qui vnius omnes autoris eſſe ſibi perſuaſerat, easdem ad Hilarium ſpectare olim exiſtimabat, praeter alia argumenta ſecutus auctoritates VV. DD. praeſertim Cumdii et Moſani editorum Bibliothecae Concionatoriae, ſed re attentius perpenſa cenſuit, nullatenus eas illi conuenire poſſe; immo auctoris eſſe, qui certo poſt Concilium Chalcedonenſe a. 451. celebratum et damnatum Eutychen vixerit *). §. 2. Scripta

Sed hoc non impedit, quo minus vera ſit, quam Combefiſius et non pauci cum eodem viri docti aluerunt, ſententia, collectionem cenſentes ex diuerſis Arelatenſis praeſertim et Lugdunenſis prouinciarum

*) Multi ſunt de hiſce homiliis, *Baronius*, qui Eucherio vindicare conatus eſt, ad a. 441. *Annalium* et in *Comm. ad Martyrologium* Romanum ad d. XVI. Nouembris, *Combefiſius*, *Labbeus*, *Dupinius*, *Tillemontius*, ſed omnium diligentiſſime quaeſtionem de auctore eorum tractauit *Oudinus* *T.* I. *pagg.* 390—425. Cf. *Fabric. Bibl. M. et Inf. Lat.* v. *Euſebius Emeſenus.*

et ciuitatum Concionatoribus delectam, quae inter multas aliorum Hilarii quoque nonnullas homilias contineret.

Tribuuntur porro Hilario *poëmata* nonnulla verſu hexametro condita, veluti *Poëma de ſeptem fratribus Maccabaeis ab Antiocho Epiphane interfectis*, quod alias ſub *Victorini Afri* nomine circumferri ſolet, *Carmen de prouidentia Dei* et *Carmen in Geneſin ad Leonem Papam*, de quibus eruditorum ſententiae longiſſime inuicem diſtant. Codicum in his nulla eſt auctoritas, quippe in quibus conſtanter tertium ad Leonem Carmen, *Hilario Pictauienſi* tribuitur, cui idem aſſeruerunt PP. Maurini in editione Operum Hilarii iſtius. Oudinus tamen propter eorumdem teſtimonium, nullus dubitat, quin Arelatenſis verus auctor ſit carminis *de Maccabaeis*, ſicut de altero *de prouidentia* arripit ſententiam Noriſii, ex veſtigiis Semipelagianiſmi, quae in eo ſibi deprehendere viſus eſt, Hilario Arelatenſi illud adiudicantis. Quippe exiſtimabat ille Proſperum in poëmate *de ingratis* hocce carmen ſibi refutandum ſumſiſſe. Sed dudum iſtam opinionem diluerunt Antelmius et nouiſſimus editor Proſperi Aquitani Operum. Salinaſius autem ex mentione incurſionis Vandalorum Gothorumque colligit ſcriptum illud eſſe circa annum 416. adeoque ab Hilario vixdum quindecim annos nato proficiſci haud potuiſſe. De reliquis duobus licet definire nihil auſus ſit, veroſimile tamen cenſet, auctorem eorum eſſe Hilarium. Sed rectius fortaſſe ſtatuunt, quibus nullum omnino ad Hilarium noſtrum pertinere videtur, in quorum numero ſunt diligentiſſimi atque acutiſſimi *auctores Hiſtoriae Litterariae Galliae*.

Supereſt denique *narratio de Miraculo* a *B. Geneſio martyre* perpatrato, Hilario Arelatenſi pariter

tam

tam in codicibus nonnullis quam doctorum virorum, Benedictinorum in primis in laudata *Hiſtoria Literaria Galliae*, ſuffragio tributa. Sed hanc quoque plurimi cum Queſnello alienam ab Hilario aeſtimant.

Denique manifeſto non huius, ſed alius Hilarii, Proſperi familiaris, vel duorum etiam, vtriuſque vero Auguſtinianae de Gratia opinionis defenſorum, ſunt *Epiſtolae* duae *ad Auguſtinum* de hoc argumento directae.

Ex genuinis Hilarii ſcriptis primum edita eſt *Vita S. Honorati* a *Genebrardo Pariſiis* 1578., vnde eam ſuſcepit *Surius*. Non multo poſt eandem ex Mss. Lirinenſibus produxit *Vincentius Barralis*, quem ſecutus eſt *Bollandus* ita quidem, vt et ipſe mss. exemplaria conferret. Succeſſit *Queſnelli* recenſio ex Bollandi textu et mss. Aretalenſibus formata, quam in pleriſque deſerit nouiſſimus editor *Ioannes Salinaſius*. *Epiſtola ad Eucherium* prima vice, ni fallor, prodiit in *Chronologia Lirinenſi*; mox inſerta eſt in *Bibl. PP. Colon.* et *Lugdunenſem* et apud *Queſnellum* et in nouiſſima editione a. 1731. recuſa. Quae quidem omnia ob oculos ponet ſequens indiculus, a quo ea, quae dubiae ſunt exiſtimationis aut omnino falſo Hilario adſcribuntur, ſeiunximus, ſatis feciſſe deſiderio lectorum arbitrati, ſi ſuccincte monuerimus, vbi, et quo nomine occurrant. §. 3. Editiones.

Carmen de Macchabaeis editum eſt primum ſub *Victorini Afri* nomine a *Ioh. Sichardo* in *Antidoto contra omnes Haereſes* a. 1528. indeque in *Bibl. PP. Bigneanam* a. 1575. et in omnes ſequentes traductum; inſertum quoque (teſtibus Benedictinis in Hiſt. lit. Galliae) *Syllogae poëtarum Chriſt. Lugd.* a. 1605. *et Bibliothecae Floriacenſi Ioannis a Boſco T.* II. *p.* 198—210. *Carmen de prouidentia* frequen-

ter cum Operibus *Proſperi Aquitani* exſcriptum eſt; Carmen *in Geneſin* ſub Hilarii Pictauienſis nomine emiſſum eſt primum a. *Lud. Miraeo*, cum *Opp. Hilarii Pict.* a. 1544. indeque in omnibus etiam nouiſſimis eorundem editionibus repetitum. Seorſim quoque edidit *Morellus Pariſiis* apud *Guillot.* a. 1559. 4. Mox a. 1560. Pariſiis iterum in 8. prodiit. cum *Claudii Victoris* aliorumque carminibus in Geneſin, et eodem anno *Antverpiae* cum poëmatibus *Paulini Nolani* curante Pulmanno; porro receptum fuit a. *Gt. Fabricio* inter *Poëtas Chriſtianos* et in *Bibliothecas Patrum* et ſingulari commentario illuſtratum a *Io. Weitzio, Francof.* 1625. 8.

Miraculum Geneſii prodiit apud *Surium* et *Bollandiſtas* ad diem XXV. Auguſti.

De *Epiſtolis* duabus *ad Auguſtinum* infra dicetur. *Homilias* denique, quas vniuerſe a nonnullis Hilario tributas, ex parte vero ipſius eſſe innuimus, non ſemel editae fuerunt; ſed poſtquam primum prodierant *Homiliae X ad Monachos*, Coloniae 1531. 12. iunctae illis ſunt *Homiliae XLVI. ad populum Euſebii Emeſeni* nomine a. *Io. Gagneio Pariſiis* 1547. 8. eaedemque poſtea recuſae ſunt *Antverpiae* 1555. et *Pariſiis* 1561. et poſt *Andreae Schotti* recenſionem *in Tomo V. Bibl. PP. Colon. A.* 1618. et T. VI. *Lugdunenſis* 1677. a *Cumdio* et *Moſano* Hilarii nomine, a *Combefiſio* vero tamquam diuerſorum auctorum opera in *Bibliothecam Concionatoriam* traductae.

Saec. XVI.

1578.

Pariſiis apud Aegidium Gorbinum 8. D. Hilarii Arelatenſis Epiſcopi de S. Honorato Oratio funebris et D. Eucherii Lugdunenſis Epiſcopi de Laudibus Eremi, nunc primum e Lirinenſi Bibliotheca pro-

producti. Cf. *Eucherius Cat. Bibl. Reg. Pariſ. T. I. p.* 383. *et* 364. num. 465. addit *Fauſti Regienſis Epiſcopi Inſtructionem ad Monachos*, quae ſane ineſt in hoc libro, non item in titulo ſignificatur, vt docet Sancaſſanus in *Cont. Bibl. Vol. Io. Cinelli.*

1613.

Lugduni 4. Sermo luculentus ſancti Hilarii Archiepiſcopi Arelatenſis de Vita ſancti Honorati eius praedeceſſoris et primi fundatoris ſacri Monaſterii Lerinenſis, item Epiſtola eius ad Eucherium; in *Chronologia Sanctorum Inſulae Lerinenſis* auctore *Vincentio Barrali pagg.* 1—15. et 126.

1618.

Coloniae Agr. ſumt. Ant. Hierati. fol. S. Hilarii Aretalenſis opuſcula, *id eſt* Epiſtola ad Eucherium, epiſtola ad Auguſtinum et Carmen de Geneſi; in *M. Bibl. PP. T. V. P. II.*

✣ ✣

Coloniae Agr. fol. Sermo S. Hilarii Ep. Arelatenſis de Vita et morte beatiſſimi Honorati Patris praecipui monachorum Lirinenſium et Epiſcopi Arelatenſis; in *Vitis SS. Laur. Surii* ed. poſtremae, ad diem XVI. Ianuarii *pagg.* 252—58.

1643.

Antverpiae apud Io. Meurſium. fol. De Vita S. Honorati Sermo S. Hilarii Epiſc. Arelatenſis, in *Actis SS.* Io. *Bollandi menſ. Ianuarii* T. II. *pagg.* 11—24. a. Recenſita eſt ad editiones Surii et Barralis et Mss. S. Mariae de Ripatorio et Preudhomii Canonici Cameracenſis, illuſtrataque marginalibus, locis biblicis et praemonitione.

1673.

Pariſiis apud Seb. Cramoiſy. 12. S. Hilarii Arelatenſis Vita St. Honorati, cum *Eucherii Lugdunenſis* libris *de laude eremi et contemptu mundi*, quibus tribus opuſculis appoſitus eſt titulus *Via ad aeternitatem*; cf. *Eucherius Lugdunenſis.*

1675.

Lutetiae Pariſiorum ſumtibus Io. Bapt. Coignard. 4. S. Hilarii Arelatenſis Epiſcopi Opuſcula, Vita et Apologia, ſeu, vt interior titulus habet, S. *Hilarii Arel. Vita, et quod ſupereſt Opuſculorum eiusdem, cum excuſis Codicibus et Manuſcripto ſanctae Arelatenſis Eccleſiae collata a Paſchaſio Queſnello; ad calcem Operum Leonis M.* ab eo editorum T. I. *pagg.* 729—776.

In hiſce opusculis Queſnellus nihil complexus eſt praeterquam *Vitam Honorati* ad Codicem Arelatenſem et Bollandianam editionem relectam, *Metrum in Geneſin* et *Epiſtolam* ad *Eucherium Lugdunenſem. Narrationem de Miraculis Geneſii*, quae apud Surium Hilarii nomine decorata legitur, ab eius facundia abhorrere ſcribit et potius Honorati Maſſilienſis ſtylum redolere. *Apologia pro S. Hilario* et *Eccleſiae Arelatenſis iuribus antiquis* inter Diſſertationes Leonis Operibus Tomo ſecundo adiunctas eſt *quinta*, ſpectatque ad *Epiſtolam Leonis* X. (al. XXXXIX.) *ad Epiſcopos Viennenſis Provinciae.*

1677.

Lugduni apud Aniſſonios fol. S. Hilarii Arelatenſis Opuſcula, videlicet Epiſtola ad Eucherium, Epiſtola breuis ad Auguſtinum, hiſtoria Geneſeos heroi-

heroico carmine deſcripta; in *Bibl. Max. PP. T.* VII. *pagg.* 1228—30.

1700.

Lugduni apud Ioannem Certe fol. S. Hilarii Arelatenſis Epiſcopi Vita, Opuſcula et Apologia; cum *Leonis M. Operibus* edidit *Paſch. Queſnellus T.* I. *pagg.* 361—86.

SAEC. XVIII.

1731.

Romae typis Io. Zempel 8. S. Hilarii Arelatenſis Epiſcopi Opuſcula ad Mss. cod. inſignioresque editiones recenſita ac notis illuſtrata a D. IO. SALINAS *Neapolitano* etc. cum *Vincentio Lirinenſi.*

Genuina Hilarii ſcripta ab iis, quae fide minus explorata aut falſo illi tribuuntur, ſecreuit. Ad illa *duo* tantum pertinere exiſtimauit, *Honorati Vitam* ſcilicet et *Epiſtolam ad Eucherium;* ex altera claſſe tria exſcribi fecit, *Metrum in Geneſin, Carmen de Fratribus Macchabaeis*, quae duo recte Hilario Arelatenſi adiudicari exiſtimat, et *Geneſii Miraculum.*

Textus Vitae Honorati pro fundamento habet recenſionem Bollandainam; raro lectiones Queſnelli admiſſae ſunt. Conſuluit et ipſe quidem Salinaſius Codices Mss. Bibliothecae Reginae Suecorum n. 645. et 1025. antiquos et optimae notae, ſed magis ad tuendas Bollandianas lectiones quam nouas inuehendas. Teſtatur enim mss. auctoritate aliisque de cauſis parce et verecunde loca quaedam ſe reſtituiſſe feliciter Bollandi ſagacitate correcta, deformataque verius quam emendata in ſequentibus editionibus. Nec voluit capitum numerorumque diſtinctionem a Bollando inuectam turbare, ne citationum varietate lectores

ctores ſcriptoresque inutiliter fatigarentur. Plura etiam ad notas obſeruationesque, quarum quidem ſatis copioſa materia iam a Ioanne Barrali parata fuerat, Bollandus contulit. Quod attinet ad Epiſtolam ad Eucherium, et eam codicis ms. ope recenſuiſſe et emendaſſe profitetur Salinaſius, ſicuti ea, quae ab his ſecreuiſſe eum ſignificauimus, ad optimarum editionum, quales ſunt *Weitzii*, *Queſnelli*, *PP. Maurinorum* et *Rosweydi*, fidem repraeſentauit.

Carmen de Prouidentia, quod ullo ſpecioſo argumento Hilario tribui negat, daturus erat in Appendice ad Diſſertationem, quam meditabatur Apologeticam, in qua praeter alia et huius carminis doctrinam curioſius examinare conſtituerat.

§ 32.

Capreolus Ep. Carthag.,

§. 1. Vita. Afer, vir doctus et latae famae, ſucceſſit Aurelio in epiſcopali ſede Carthaginenſi a. 430. cum omnis paene Africa a Vandalis obſeſſa eſſet et miſere affligeretur. In qua communi prouinciarum et eccleſiae calamitate excepit litteras Theodoſii imperatoris ad Auguſtinum, qui interea ex viuis exceſſerat, Synodi Epheſinae cauſa directas, et ſynodum quidem conuenientem cogere tentauit, a qua legatio Epheſum deſtinaretur; ſed cum omnis conueniendi via epiſcopis per Africae ambitum procul inuicem remotis propter effuſos vndique hoſtes et agros longe lateque deſolatos eſſet praecluſa, contentus eſſe debuit, diaconum ſuum Beſulam cum excuſationis ſeu lamentationis litteris Epheſum mittere, et praeſentes epiſcopos rogare, vt nouas et eccleſiaſticis auribus antea inuſitatas doctrinas profligarent et plane de medio tollerent. Non multum poſt damnatum in Concilio

cilio Epheſino Neſtorium Vitalis quidam et Conſtantius ſeu Tonantius per literas ex vltima Hiſpania miſſas Capreolum conſuluerunt, quae recta teneret fides catholica *de vna Chriſti, veri Dei et hominis perſona aduerſus Neſtorium*, quibus prolixa doctaque epiſtola abunde ſatisfecit. Quando obierit Capreolus, non ſatis liquet. Fortaſſe paulo ante annum 439., quo Vandali Carthaginem expugnarunt *). Succeſſor eius fuit Quoduultdeus.

Superſunt duae *Epiſtolae*, quarum in vita eius mentionem fecimus, nempe vna *ad Synodum Epheſinam*, ſcr. a. 431. quae gr. et lat. exſtat **), altera, *de vna Chriſti veri Dei et hominis perſona contra recens damnatam haereſim Neſtorii* ad *Vitalem et Conſtantuim*, ſcr. non multo poſt Epheſinum concilium. *Fragmentum* porro *Epiſtolae*, qua ſacrae Theodoſianae reſpondit, ſeruatum eſt apud Ferrandum et recitatum a *Gallandio*. Tillemontius ſuſpicabatur, *Sermonem de tempore Barbarico* (Vandalis Africam vaſtantibus), qui exſtat apud Auguſtinum, Tomo ſexto Operum ed. Amſt. *pagg.* 453. ſeqq. Capreolum aut Quoduultdeum, aut quemuis alium de eccleſia Carthaginenſi Presbyterum auctorem habere. § 2. Scripta

Prior epiſtola reperitur inter Acta Concilii Epheſini Actionis I. et cum iisdem diuerſis vicibus edita eſt; *altera* mutila primum a *Baronio* ad a. 431. prolata fuit, mox integram exhibuit *Iacobus Sirmondus* in *Opuſculis quorund. Vet. Theol. Pariſiis* 1631. indeque poſt varias editiones vtraque *ab Andrea Gallandio* § 3. Editiones.

*) *Gallandi* ad *T.* IX. *Bibl. PP. Prolegg. p.* 31.

**) Fragmenta ex hac epiſtola, ſed ex alia latinitate exſtant apud *Ferrandum* in epiſtola ad Pelagium et Anatolium.

dio recepta eſt in *Bibliothecam Patrum* notisque et variis lectionibus illuſtrata. Plura diſcas ex ſequenti indiculo.

Saec. XVI.

1576.

Ingolſtadii 4. Capreoli — epiſtola ad ſacram ſynodum Epheſinam; *inter Acta Concilii Epheſini* edita opera *Theod. Peltani* Soc. Ieſ. *pagg.* 375—77.

1594.

Romae fol. Capreoli — Epiſtola ad Concilium Epheſinum, *Latine;* in *Annalibus C. Baronii Tomo* V. *pagg.* 563. Recuſus eſt hic tomus in *eadem* officina a. 1607. pagina plane conſona. Auctior vero eſt editio a. 1624.

Saec. XVII.

1608.

Romae ex Typogr. Vat. fol. Capreoli — epiſtola ad ſanctam ſynodum per Beſulam diaconum miſſa. gr. et lat.; in *Conciliis general. eccleſiae catholicae Pauli V. P. M. auctoritate*, gr. et lat. *editis* T. I. *pagg.* 364—66.

1624.

Coloniae Agripp. ſumpt. Ant. Hierati fol. Capreoli Epiſcopi Carthag. epiſtola ad Concilium Epheſinum, *latine:* item ad Vitalem et Tonantium in fine manca; in *C. Baronii Annalium* editione, *ab ipſo auctore ante obitum recognita* et *aucta Tom. V.* a. et 431, *num. XXIV.* et XXVIII. *pagg.* 634—38. in editione *Manſiana (Lucae 1741.)* extat Tomo VII. *pagg* 358—62.

1630.

1630.

Pariſiis apud Seb. Cramoiſy 8. Capreoli Epiſcopi Carthag. epiſtola de vna Chriſti veri Dei et hominis perſona, contra recens damnatam haereſin Neſtorii, *integra*, *praeuia* epiſtola Seruorum Dei Vitalis et Conſtantii ad Capreolum, ex *Codice Herivallenſi* edita a Iac. Sirmondo inter *Opuſcula Dogmatica Vet. quinque Scriptorum* num. II. *pagg.* 35—72. et poſtea inter *Varia Opuſcula Sirmondi* (Pariſ. 1675. 4.) *T.* I. *pagg.* 40. et nouiſſime in *Operibus* eiusdem a. 1696. T. I. *pagg.* 363. *ſeqq.*

Conſtantii nomen ex codice laudato intulit Sirmondus, tametſi Tonantii, Baronii lectionem, veriorem putat.

1671.

Lutetiae Pariſiorum fol. Epiſtola Seruorum Dei Vitalis et Conſtantii Spanorum ad S. Capreolum epiſcopum eccleſiae catholicae Carthaginis, et Capreoli reſcriptum; in *Collectione Concilior. Phil. Labbei* et *Gabr. Coſſartii* T. II. *pagg.* 1689—98. item Epiſtola eius ad Concilium Epheſinum Tomo III. pagg. 529—33.

1677.

Lugduni apud Aniſſonios. fol. Capreoli — epiſtola ad Vitalem et Conſtantium etc. in *Max. Bibl. PP. T.* VII. *pag.* 5. *ſqq.*

1683.

Pariſiis ex Typogr. Franc. Muguet. fol. Capreoli Epiſcopi Carth. epiſtola ad Synodum Epheſinam *latine;* in *Noua Collectione Concilior. Steph. Baluzii. T.* I. *pagg.* 477—79.

Saec. XVIII.

1715.

Pariſiis ex Typogr. Reg. fol. Capreoli — epiſtola ad Synodum Epheſinam; *gr. et lat.* in *Conciliis Harduini* T. I. *pagg.* 1419—22.

1728.

Venetiis fol. Capreoli — Epiſtola ad Synodum Epheſinam (per Beſulam Diaconum miſſa) Gr. Lat.; in *Conciliis Labbei* cur. *Coleti.* T. III. col. 1074. ſq.

1760.

Florentiae fol. Capreoli — Epiſtola ad Synodum Epheſinam; Gr. lat.; in *Noua et ampliſſ. Concil. coll. Manſiana*, *Tomo IV. pagg.* 1207—1212.

1773.

Venetiis e Typogr. Io. Bapt. Albritii. fol. Capreoli Epiſcopi Carthaginenſis Epiſtolae II. quarum altera gr. lat. ad Concilium Epheſinum, altera ad Vitalem et Tonantium Hiſpanos — *una* cum epiſtola Vitalis eiusdem et Tonantii ad Capreolum; in *Bibl. PP. Lat. et Vet. SS. Eccl. Andreae Gallandii*, Tomo IX. *pagg.* 490—96. De *Capreolo* huc pertinet *caput XVI. Prolegg. pagg.* XXX. XXXI.

1785.

Madriti apud Ioach. Ibarra 8. Capreoli Epiſcopi Carthaginenſis Reſcriptum (ad Vitalem et Conſtantium); in *Matthiae de Villanuño Summa Conciliorum Hiſpaniae T.* I. *pagg.* 168—182. Omiſſa eſt epiſtola duorum Hiſpanorum magno lectorum incommodo.

33.

URANIUS,

Presbyter, natione Gallus, Nolanae eccleſiae et Paulini Epiſcopi, vt videtur, diſcipulus. Paulino morienti adfuit eiusque Vitam et epiſcopatum hortante Pacato ad poſteros tranſmiſit. §. 1. Vita.

Hac ipſa *de Vita et Obitu Paulini Nolani* narratione locum inter ſcriptores Eccleſiaſticos meruit. §. 2. Scripta.

Protulit eam primus *Surius* ad diem XXII. Iunii; mox ex codice emendatiori edidit *Chiffletius*, ex vtrisque vero textum recognitum dederunt *Lebrunus* in editione *Operum Paulini* et *Bollandiſtae*, vt ſequentia teſtantur. §. 3. Editiones.

SAEC. XVI.

1572.

Coloniae Agripp. fol. Vita S. Paulini Nolani, authore Vranio presbytero, vt habet egregius Ms. codex; in *Vitis probatis SS.* LAUR. SURII *Tom.* III. *ad diem XXII. Iunii pagg.* 133—36. in ed. poſtrema *ibidem* facta a. 1618. *menſe Iun. pagg.* 285—87.

SAEC. XVII.

1672.

Divione 4. Vranii Presbyteri de obitu S. Paulini Nolenſis Epiſcopi ad Pacatum Epiſtola ex ms. codice Trecenſi emendatior ea quam edidit Surius; in *Pet. Franc. Chiffletii Paulino illuſtrato P.* II. *cap.* XXXVI. *pagg.* 222—229.

1685.

Pariſiis apud Ioannem Couterot etc. Vranii Presbyteri Epiſtola ad Pacatum de obitu S. Paulini

epiſcopi Nolani ex ms. codice Trecenſi T. Chiffletii cura et ex edit. Surii cum *operibus S. Paulini* ex ed. *Lebrunii* T. II. *pagg.* 143—48. Adſperſae ſunt aliquot Lebrunii notulae.

SAEC. XVIII.

1736.

Veronae Typis Dionyſ. Ramanzini. fol. Vranii Presbyteri Epiſtola ad Pacatum de obitu S. Paulini Episcopi Nolani; ex ed. Surii et Chiffletii; cum *operibus S. Paulini* cur. *Muratorio* I. *Prolegg. pagg.* CXXVII—XXXII.

34.

XYSTUS ſ. SIXTUS EP. ROM. (h. n. III.),

§. 1. Vita. Ortu Romanus, Coeleſtino ſucceſſit anno 432. ordinatus ſecundum Baronium XXVI. die Aprilis, Pagio iudice die XXIV. menſis Iulii. Hic dum adhuc in presbyterio conſtitutus eſſet, odio in Pelagium et Coeleſtium nomen ſuum inclytum fecit. Nam cum neſcio quo pacto fama aliqua ſuborta eſſet, Xyſtum non ſolum Pelagii doctrinae fauere, ſed ipſorum etiam Pelagianorum amicum ac patronum eſſe: adeo animo incenſus eſt ad hanc calumniam diluendam, vt primus in Concilio Coeleſtii cauſa a. 418. habito anathema in eum pronuntiaret. Mox etiam literis ad Auguſtinum et Alypium ſcriptis doctrinam ſuam de gratia ita explicauit, vt ille ſibi magnopere eam probari atque placere epiſtolis etiamnum ſuperſtitibus ſignificaret. Quae omnia ei non potuerunt non prodeſſe ad conſequendum ſummum eccleſiaſticae dignitatis apicem. Contigit autem, vt in ipſa ordinatione eius adeſſent legati Cyrilli Alexandrini aliorumque epiſcoporum pacis in Oriente componendae cauſa ad praeceſſorem eius miſſi; quapropter eximie laeta-

laetatur in epiſtola ad Cyrillum de ordinatione ſua data. Cyrillo enim et Epheſini concilii placitis Coeleſtini exemplo fortiter adhaeſit fruſtraque ab iisdem eum alienare conati ſunt Eutherius Thyanenſis et Helladius Tarſenſis, epiſcopi, licet vere non minus quam grauiter ipſi ſcripſiſſent, Neſtorium aeque ac alios epiſcopos iniuſte eſſe damnatos, duodecim Cyrilli capitula blasphemam eſſe nouitatem vniuerſae ſcripturae contrariam, legitimasque et antiquas ſanctorum patrum traditiones anathematizantem, geſta illius concilii ſine ratione et legibus et ab ipſo principe reprobata omninoque Cyrilli effrenatam in illis fuiſſe licentiam. Tanto maius ipſi gaudium fuit mutatio Ioannis Antiocheni, qui ipſo Imperatore hortante tandem ſe ſententiae in Neſtorium prolatae aſſentire et Maximianum prô epiſcopo Conſtantionopolitano agnoſcere profeſſus erat. Inter extremas eius laudes referre ſolent, quod a Proſpero accepimus, eum Iuliani artes, quibus iterum in eccleſiae catholicae communionem irrepere conatus ſit, vigilantia ſua eluſiſſe. Obiit ex Baronii calculo die XXVIII Martii, iuxta Pagium die XI. Auguſti, iuxta Couſtantium vero ſub exitum Iulii a. 440.

Epiſtolae eius ſuperſtites ſcriptae ſunt: I. et II. *ad Cyrillum Alexandriae Epiſcopum*, ſcr. medio anno 432. Nonniſi ex interpretatione graeca nobis transmiſſae ſunt, latine Cotelerius vertit, qui etiam obſeruat, priorem, etſi ſoli Cyrillo inſcriptam, reuera encycliam fuiſſe. III. *Ad eundem*, ſcr. a. 433. IV. *ad Ioannem Epiſcopum Antiochenum*, ſcr. eodem anno. V. ad *Perigenem Corinthiorum Epiſcopum*, ſcr. a. 435. VI. *ad Synodum Theſſalonicae congregandam*, ſcr. vt et ſequens a. 435. VII. *ad Proclum Conſtantinopolitanum Epiſcopum*, ſcr. cum ſequenti a. 437. VIII. *ad totius Illyrici Epiſcopos*. 2. Scripta.

Deperditarum, quas tum ante pontificatum, tum eo durante ſcripſit, notitiam praebet Couſtantius. Huic autem Xyſto a Iacobo Salonio primum tributi ſunt, poſt etiam a Ioanne Garnerio adiudicati, *libri tres*, *de diuitiis*, *de malis doctoribus* et *de operibus fidei*, et *de caſtitate*; ſed fatendum eſt, eos coniectura magis, quam vllo probabili argumento niti. Idem vero Ioannes Garnerius admodum prolixa diſſertatione ad Opera Marii Mercatoris id egit, vt libros *Hypomneſticωn* apud Auguſtinum in appendice Tomi X. ed Benedictinorum vulgatos Xyſto huic aſſereret. Sed refellit eum Natalis Alexander ſaec. V. *pagg.* 49. *ſq.* *Geſta de Xyſti purgatione et Polychronii Hieroſolymitani epiſcopi accuſatione*, *ipſius Xyſti iuſſu collecta*, quae Petrus Crabbius in Conciliis a ſe editis primum euulgauit, non ſolum horrido ac barbaro ſermone, ſed innumeris etiam in hiſtoricam veritatem peccatis inficetum impoſtorem produnt. Couſtantius ex eadem officina prodiiſſe ſuſpicatur, qua Sinueſſanae ſynodi ſub Marcellino, Romanae ſub Syluestro et Liberio geſta, de quibus ſuis ille locis acutiſſime et doctiſſime diſſeruit, procuſa fuerint, nempe Symmachi papae temporibus et in gratiam iudicii, quod Romana ſynodus ineunte ſaeculo VI. de cauſa huius pontificis protulit. Itaque haec fraus longe Iſidori Mercatoris impoſturis eſt antiquior, qui tamen ipſe minime otioſus fuit, ſed Xyſto III. affinxit *Epiſtolam ad Orientales*, cui et criminationis Baſſi et purgationis Xyſti fabulam inſeruit, ſed quidquid ibi diſſerit, illud ex vno Anaſtaſio vulgato ſeu pontificali libro mutuatum eſſe monet Couſtantius.

§. 3. Editiones. Ante *Baronium* nihil literarum genuinarum Xyſti proſtabat. Iſidori foetum ediderat Merlinus et iterum

iterum *Crabbius*, fortaſſe in Romanam quoque Epiſtolarum Decretalium collectionem receptus fuit. Qua abſoluta demum *duas* epiſtolas, III. ſcilicet et IV. e mss. exemplaribus Vaticanis nactus eſt *Antonius de Aquino* et cum *Baronio* communicauit, qui in *Annalibus* ad annum 433. eas propoſuit. Poſt longum ſatis interuallum *quatuor* nouas V. VI. VII. VIII. in iisdem Bibliothecae codicibus deprehendit *Lucas Holſtenius* easque luci dedit Card Barberinius in *Collectione Bipartita Romana* ex ſchedis Holſtenii poſt obitum eius edita. Tandem reliquas *duas* inuenit *Cotelerius*, ſed graece tantum. Quocirca de ſuo ille in latinum vertit, et in *Monumentis Eccl. Graecae* imprimi curauit, easdemque repraeſentaruut *Baluzius* et *Harduinus*. Omnibus denique emaculandis et illuſtrandis manum admouit *Couſtantius*, quem ſequitur *Gallandius*.

Saec. XVI.

1523.

Pariſiis. fol. Sixti Papae decreta, i. e. *Epiſtola ad Orientales* ab Iſidoro Mercatore conficta; in *Iac. Merlini Conciliis T.* I.; editionis alterius (*Coloniae* a. 1530. *f.*) *folio* CXXXXVI. *b.* — CLXXXVII. *b.* et tertiae (Pariſiis 1535. 8.) *folio* CC. *b.* — CCI. *b.*

1538.

Coloniae apud Petrum Quentel. fol. Decreta Sixti Papae III. ſeu epiſtola ad orientales; in *Conciliis Petri Crabbe. T.* I. *fol.* CCCXVIII. *b.*—CCCXX. *a.* Item *Collectiones Sixti Papae de Expurgatione ſua, quas collegit impetitus a Mariniano et Baſſo, fol.* CCCXXI. *b.* CCCXXV. *b.*

Haec eſt prima editio *Expurgationis* illius *Xyſti* et Polychronii, quam Petrus Crabbius in duobus vetuſtis,

 admo-

admodum mendoſis ac deprauatis exemplaribus deprehendit. Quae cum horrida quadam barbarie ita inter ſe concordarent, vt diſſiderent maxime verborum ſententiarumque ſingularum varietate, ille non modo non indignum exiſtimauit, vtriusque textum nulla facta mutatione duabus columnis repraeſentare, ſed vtriusque diſcrepantias etiam coniecturae ope componere et ad ſaniorem ſenſum politioremque orationem reducere niſus eſt. Atque haec, quam ipſe conflauit narratio, medium inter vtrasque columnas locum occupat.

1589.

Pariſiis fol. Sixti III. P. M. liber de diuitiis; Eiuſdem epiſtola de malis doctoribus et operibus fide, et de iudicio futuro. Eiuſdem liber de caſtitate ad quendam vere chriſtianum; in *Bibl. PP. Bign.* ſecundae ed. *Tomo* V.

1591.

Romae. fol. Sixti Papae III. epiſtola ad Orientales, in *Collectione Epiſtolar. Decret. Pontif. Rom. Ant. Card. Carafae Tomo* I.

1594.

Romae e Typogr. Vat. fol. Sixti Papae III. Epiſtolae II. videlicet 1) *ad Cyrillum Alexandrinum* de amoto Neſtorio et damnatis eius haereſibus, gratulatoria. 2) *ad Ioannem Antiochenum* eiusdem argumenti; ex Vaticano codice editae in *Baronii Annalibus* ad a. 433. *num.* XII XVII. *Tomo* V, ed. *repetitae* a. 1607, pag. 635 — 37. *ed. Colon. Agr.* 1624. *pagg.* 718. 19. ed. *Manſiane T.* VII. 451—55. *Acta Expurgationis Sixti* iuxta mendoſum exemplar habes ibidem *num.* XXXII. ſeq.

Saec. XVII.

1606.

Coloniae Agripp. fol. Vita, Epiſtolae et Decreta Sixti Papae III. *in Conciliis Seu. Binii. T.* I. *fol.* 922—26. Nempe duae inſunt ex Baronio et *epiſtola ad Orientales. Acta Expurgationis* Sixti iuxta ed. Crabbei edita ſunt *fol.* 928. b.—929. b.

1618.

Coloniae Agr, fol. Sixti Papae III. liber de divitiis, malis doctoribus, et caſtitate; in *M. Bibl. PP. T. V. P. II.*

1644.

Pariſiis e Typogr. Regia. fol. Vita, Epiſtolae et Decreta Sixti Papae III. cum notis *Seu. Binii;* in *Coll. Regia Conciliorum T. VII. pagg.* 1—12.

1662.

Romae typis Iac. Dragondelli. 8. Xyſti Papae III. Epiſtolae IIII. e codd. Vaticanis recens erutae, videlicet. 1) *ad Perigenem Corinthiorum Epiſcopum.* 2) *ad vniuerſos Epiſcopos Synodo apud Theſſalonicam congregandos.* 3) *ad Proclum.* 4) *ad vniuerſos Epiſcopos per Illyricum conſiſtentes;* inter *Acta Synodi Rom.* ſub Bonifacio II. a *Luca Holſtenio* producta in *Collectione Bipart. Rom.* P. I. pag. 90. ſqq.

1644 et 1654.

Pariſiis fol. Sixti III. P. adſcriptus liber de diuitiis et epiſtola de malis doctoribus, operibus fidei et de iuditio futuro; item liber de caſtitate ad quendam vere Chriſtianum; in *Bibl. PP.* T. V.

1671.

Lutetiae Pariſiorum fol. Vita, Epiſtolae et Decreta Sixti Papae II. in *Conciliis Labbei* et *Coſſartii T. III.* videlicet 1) *ad Cyrillum* inter *Acta Conc. Epheſ. P.* III. cap. 41. *pagg.* 1175. E. 2) *ad Ioannem Antiochenum*, ibidem *pagg.* 1178. B. et iterum pagg. 1261. 62. 3) *ad Orientales*, *pagg.* 1263 – 65. Ibidem incipiunt *Acta Expurgationis*, *et accuſationis Polychronii* iuxta tres Crabbei editiones vsque ad *pagg.* 1283.

1677.

Lutetiae Pariſiorum apud Franc. Muguet. 4. Xyſti Papae Romae, ſucceſſoris Coeleſtini, ad Cyrillum epiſtolae duae, ex Codice Ms. Colbertino recens editae graece cum latina verſione editoris *Ioh. Bapt. Cotelerii* in *Monum. Eccl. Gr.* T. I. *pagg.* 42—47. Incipit prior *Laetatus ſum*, alter *Gratiam habentes Deo.*

* *

Lugduni. fol. Sixti III. P. M. liber de diuitiis, liber de caſtitate, et epiſtola de malis doctoribus, quae perperam pridem eidem tribuuntur; in *Max. Bibl. PP. T.* VII.

1683.

Pariſiis apud Franc. Muguet. fol. Xyſti Papae epiſtolae II. ad Cyrillum a Cotelerio gr. et lat. editae; in *noua Conciliorum Collectione Stephani Baluzii* T. I. *pagg.* 657 – 62.

SAEC. XVIII.

1715.

Pariſiis e typogr. Regia fol. Xyſti Papae III. epiſtolae III. *ad Cyrillum Alexandrinum*, quarum duae

duae poſteriores gr. lat. a Cotelerio editae; et vna *ad Ioannem Antiochenum;* in *Harduini Conciliis* T. I. pagg. 1707—1714.

1721.

Pariſiis fol. S. Xyſti III. Papae, Epiſtolae et Decreta, vndiquaque collectae et chronologice ordinatae, inſuper notis criticis et hiſtoricis et admonitionibus illuſtratae a *Petro Couſtantio*, in *Epiſtolis Pontif. Rom.* T. I. *pagg.* 1229—72. Inſertae ſunt 1) poſt ſecundum, *Epiſtola Ioannis Antiocheni ad Xyſtum*, gr. lat. ſcr. circa a. 433. et ibidem 2) *epiſtola Eutherii Thyanenſis epiſcopi et Helladii Tharſenſis ad eundem*, ſcr. eodem anno. Accedit a *pagg.* 1273—80 *Notitia reliquorum ſcriptorum, quae ad Xyſtum attinent*, et in *Appendice* huius Tomi *Geſta Expurgationis Xyſti* cum notis et admonitione *pagg.* 111—124. Atque in his omnis haec praeſtantiſſima *Couſtantii* opera ſubſiſtit. Ex praefatione quidem diſcimus, magnam adhuc partem eius in mss. autographis b. autoris latere, et ſperabamus, ſi non omnem laudati viri lucubrationem aliquis ex Congregatione Maurina foras daturus eſſet, fore tamen, vt in progreſſu operis ſplendidiſſimi, quod nuper Patres iſti inchoauerant, collectionem dico omnium Galliae Conciliorum Sirmondiana longe auctiorem et ornatiorem, ea ſaltem Pontificum Romanorum monumenta, quae ad Gallicanam eccleſiam pertinent, quae ſane nec pauca ſunt, nec minimi momenti, Couſtantii manu perpolita prodirent. Sed fefellerunt, immo abruperunt ſpem iucundiſſimam turbulentiſſima, in quae nunc Gallia incidit tempora.

1761.

Florentiae. fol. Vita, Epiſtolae et Decreta Sixti Papae III. in *Collectione ampliſſ. Concilior.* curante *Manſio* T. V. *pagg.* 1150—1156 Scilicet duae priores epiſtolae non hoc loco, ſed inter *Acta Concilii Epheſini* exſcriptae ſunt. Succedunt hic a *pag.* 1162. *Acta Expurgationis etc.*

1773.

Venetiis fol. S. Xyſti III. Papae Epiſtolae et Decreta, quibus nonnulla intexta ad eundem Sanctum Pontificem pertinentia ex editione V. C. *Petri Couſtantii;* in *Bibl. PP. et SS. Vet. Eccl. Andreae Gallandii T.* IX. *pagg.* 518—532. Additae ſunt notae ex Couſtantio ſelectae acceſſitque capite XIX. *Prolegg.* diſſertatio de Xyſto.

35.
Petrvs Chrysologvs,

§. 1. Vita. Italus, natus apud Forum Cornelii ſeu Imolam circa annum 406. inſtitutuſque diuinis ac humanis literis et mature ſacris admotus a Cornelio oppidi iſtius epiſcopo tam celeriter profecit, vt anno 433. eccleſiae Rauennatenſi praeficeretur, tantamque in eo munere meruit gratiam, vt ob facundiam nomen Chryſologi ei poneretur. Obiit circa a. 450.

§ 2. Scripta. Antiqua eſt collectio *Sermonum* CLXXVI. Petri Chryſologi qui in vulgatis editionibus inſcribi ſolent: I—V. de *duobus filiis, prodigo* et *frugi.* VI. *in Pſalm.* 99. VII. In illud Mathaei, *Cum ieiunatis, nolite fieri ſicut hypocritae triſtes* etc. et de *hypocriſi.* VIII. *de ieiunio et eleemoſyna.* IX. in illud Mathaei, *Attendite ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus*

bus etc. et de eleemoſyna. X. *In Pſalm.* 28. XI—XIII. *de ieiunio et tentationibus Chriſti.* XIV. *in Pſalm.* 40. XV. *de Centurione.* XVI. *de duobus daemoniacis.* XVII. *de daemoniaco.* XVIII. *de ſocru Petri.* XIX. *de ſcriba cui Chriſtus ſequi ſe non permiſit.* XX. XXI. *de ſedata maris tempeſtate.* XXII. *de terrenorum cura deſpicienda, deque ſeruo vigili.* XXIII. et XXV. *de terrenorum cura deſpicienda.* XXIV. *de ſeruo vigili.* XXVI. *de fideli diſpenſatore.* XXVII. *de ſcandalo tollendo.* XXVIII—XXX. *de Mathaeo et Chriſto cum publicanis manducante.* XXXI. *de Phariſaeorum et diſcipulorum Ioannis ieiunio.* XXXII. *de eo, qui habebat manum aridam.* XXXIII, XXXIV et XXXVI. *de filia Archiſynagogi, deque muliere ſanguinis profluuio laborante.* XXXV. *de muliere profluuio ſanguinis laborante.* XXXVII. *de Ionae prophetae ſigno.* XXXVIII. *de iniuria aequo animo toleranda.* XXXIX. *de perſeuerantia orationis.* XL. *de bono paſtore.* XLI. XLII. *de ieiunio et eleemoſyna.* XLIII. *de oratione, ieiunio et eleemoſyna.* XLIV. *in Pſalm.* 1. XLV. *in Pſalm.* 6. XLVI. *in Pſalm.* 46. XLVII. *de parabolis inuentae margaritae et ſagenae miſſae in mare.* XLVIII. in illud Mathaei, *Venit Ieſus in patriam ſuam*, etc. et *de inuidia.* XLIX. *de eiſdem, ſecundum Marcum.* L. *de paralytico* *). LI. et LII. *de daemoniaco ſurdo et muto.* LIII. *de pace.* LIV. *de Zachaeo.* LV. in illud Lucae, *Quis ex vobis patrem petit panem* etc. *deque patrum in filios charitate.* LVI. *de ſymbolo Apoſtolorum.* LVII—LXII. *in ſymbolum Apoſtolorum.* LXIII—LXV. *de Lazaro a mortuis ſuſcitato.* LXVI. *de divite et Lazaro.* LXVII—LXXII. *in orationem dominicam.*

*) Hieronymo et Io. Chryſoſtomo falſo adſcriptus.

minicam. LXXIII. de paſchali ſolemnitate. LXXIV. et LXXV. LXXVII. et LXXIX. *de reſurrectione Chriſti.* LXXVI. et LXXX. *de eadem, deque ſecunda Chriſti manifeſtatione facta mulieribus a monumento regredientibus.* LXXVIII. *de ſeptima Chriſti manifeſtatione facta diſcipulis ad mare Tiberiadis.* LXXXI. *de quinta Chriſti manifeſtatione facta diſcipulis cum Thomas abeſſet.* LXXXII. *de Chriſti reſurrectione et quarta manifeſtatione facta duobus euntibus in caſtellum.* LXXXIII. *de noua Chriſti manifeſtatione facta recumbentibus vndecim diſcipulis.* LXXXIV. *de quinta Chriſti manifeſtatione facta diſcipulis cum Thomas abeſſet, deque ſexta cum abeſſet.* LXXXV. in illud Ioannis, *Iam die feſto mediante.* LXXXVI—XCII. *de annunciatione et conceptione diui Ioannis Baptiſtae.* XCIII—XCV. *de ea, quae vnxit dominum vnguento.* XCVI—VII. *de parabola Zizaniorum.* XCVIII. *de parabola grani ſinapis* *). XCIX. *de parabola fermenti* **). C. *de Syrophoeniſſa ſiue Cananaea.* CI. In illud Lucae, *Nolite timere eos, qui occidunt corpus,* etc. *deque morte contemnenda.* CII. *de Centurione.* CIII. *de filio viduae excitato a mortuis, deque corporum reſurrectione.* CIV. *de Diuite cuius ager ferax.* CV. *de muliere, quae habebat ſpiritum infirmitatis.* CVI. *de ficu, quae fructum non protulit.* CVII. *in diuum Petrum Epiſcopum.* CVIII. CIX. in verba Apoſtoli, *Obſecro vos per miſericordiam Dei.* etc. *Rom.* 12. CX. in verba eiuſdem, *Non eſt autem ſcriptum propter Abraham tantum* etc. *Rom.* 4. CXI. in verba eiuſdem *propterea ſicut per vnum hominem peccatum in mundum intrauit* etc. *Rom.* 5.

CXII.

*) In qua notatur fortaſſe quidpiam deeſſe.
**) In qua deeſt finis.

CXII. in verba eiuſdem, *Si enim vnius delicto mors regnabit, per vnum* etc. *ibidem.* CXIII. in verba eiuſdem, *Quid ergo dicemus? permanebimus in peccato, vt gratia abundet.* etc. CXIV. in verba eiuſdem, *peccauimus, quia non ſumus ſub lege, ſed ſub gratia. Rom.* 6. CXV. in verba eiuſdem, *An ignoratis fratres, ſcientibus enim legem loquor.* etc. *Rom.* 7. CXVI. in verba eiuſdem, *Quid ergo dicemus? Lex peccatum eſt? Abſit etc. ibidem.* CXVII. in verba eiuſdem, *Factus eſt primus homo Adam in animam viuentem* etc. 1 *Cor.* 15. CXVIII. in verba eiuſdem, *Notum autem vobis facio fratres, Euangelium* etc. 1 *Cor.* 15. *de morte.* CXIX. in verba eiuſdem, *Neſcitis, quod hi qui in ſtadio currunt* etc. 1 *Cor.* 9. CXX. in verba eiuſdem, *Nolite conſigurari huic ſaeculo* etc. *Rom.* 12. CXXI—IV. *de Diuite et Lazaro.* CXXV. VI. *de villico iniquo.* CXXVII. *de decollatione diui Ioannis Baptiſtae* *). CXXVIII. *in diuum Apollinarem Epiſcopum et Martyrem.* CXXIX. *in diuum Cyprianum Martyrem.* CXXX. *in conſecratione Epiſcopi.* CXXXI in illud Ioannis, *ſi quis ſermonem meum ſeruauerit* etc. CXXXII. *de vnitate fidelium.* CXXXIII. *in diuum Andream Apoſtolum.* CXXXIV. *in diuam Felicitatem Martyrem.* CXXXV. *in diuum Laurentium.* CXXXVI. *in Adelphum Epiſcopum.* CXXXVII. *de Praedicatione diui Ioannis Baptiſtae.* CXXXVIII. *de pace.* CXXXIX. *de remittendo fratri delicto.* CXL. CXLII. III. IV. *de annunciatione diuae Mariae Virginis.* CXLI. *de incarnatione Chriſti.* CXLV. VI *de generatione Chriſti.* CXLVII. VIII. *de incarnationis ſacramento.* CXLIX. *de natiuitate*

*) Qui falſo D. Chryſoſtomi titulo editus eſt.

te Chriſti *). CL. CLI. *de fuga Chriſti in etc.* CLII. CLIII. *de infantium nece* **). CLIV. *in diuum Stephanum protomartyrem.* CLV. *de Calendis Ianuariis, quae varia gentium ſuperſtitione polluebantur.* CLVI—CLX. *de Epiphania et Magis.* CLXI. *de parabolis ſerui ab agro, deque hominis erga Deum gratitudine.* CLXII. *de eo qui volebat diuidere haereditatem.* CLXIII. *de terrenorum cura deſpicienda.* CLXIV. in illud Lucae, *Ignem veni mittere in terram etc. Luc.* 12. CLXV. *de Conſecratione diui Proiecti Epiſcopi Forocornelienſis.* CLXVI. *de quadrageſimali ieiunio.* CLXVII. *de Diuo Ioanne Baptiſta praedicante, deque poenitentia agenda.* CLXVIII. *de parabola centum ouium.* CLXIX. *de parabola drachmae perditae.* CLXX. *de eo quod Chriſtus miſit Apoſtolos curatum varios morbos.* CLXXI. *de diſcipulis illatis manibus prandentibus.* CLXXII. *de inuidia et hypocriſi.* CLXXIII. *de diuo Ioanne Baptiſta et Herode.* CLXXIV. *de decollatione D. Ioan. Bapt.* CLXXV. *de Marcellino Epiſcopo Vicohauentino et diuae Mariae Virg. partu.* CLXXVI. *de Caeco.* Huius tamen collectionis ſermones non omnes ad Petrum Chryſologum pertinere vniuſue auctoris eſſe, conſtans eſt eruditorum licet argumentis non ſatis firmata opinio. Citantur nimirum nonnulli, veluti *Sermo LXXIV.* et ſequentes *de Chriſti Reſurrectione* a S. Thoma in Catena nomine *Seuer.* quo partim *Seuerianum*, partim *Severum Malacitanum* innui volunt. Idem Sermonem L. *de Paralytico* nomine *Ioannis Epiſcopi* laudat, quo nomine, vt Combefiſius animaduertit, ſaepius in anti-

*) Quem quidam D. Seueriani Epiſcopi putant, ſed falſo.

**) Qui, non recte tamen, D. Seueriani titulo circumfertur.

antiquioribus Catenis Chryſoſtomus denotatur, atque huius nomine vt et Hieronymi alibi hic ſermo inſcribitur. Sed et *Petri Damiani* (qui a. 1006. natus eſt) nomen quidam praeferunt, ſermones *quinque* ſcilicet in *Orationem Dominicam* a Dacherio quaſi noui prolati, qui cum laudata Chryſologi Sermonum collectio a Felice Rauennatum epiſcopo inſtituta ſit, aut ad illius tempora ſaltem propius accedat, exemplo oſtendunt, quantae ſint iſtiusmodi inſcriptiones fidei. Extat praeterea *Epiſtola Chryſologi ad Eutychetem Presb.* ſcr. medio a. 449.

Interciderunt, ſi vera narrat Trithemius c. CLIX. plures aliae eiuſdem epiſtolae.

Dictum eſt, *Sermonum* Petri Chryſologi *collectionem*, qualem modo indicauimus, eſſe antiquiſſimam, vtpote quae a Felice Rauennatenſi et ipſo Epiſcopo numero XLI. ineunte ſaeculo octauo (tenuit enim ſedem epiſcopalem ab anno circiter 707. vſque ad a. 717.) inſtituta et prologo ornata eſt, qui non ſolum in codicibus mss. ſermonibus praefixus conſpicitur, ſed exinde etiam exſcriptus et Vitae Petri a Dominico Mita conſcriptae adiectus eſt *). Eam octingentis et quod excurrit ſaeculis poſt a ſitu primus vindicauit *Agapitus Vicentinus* et *Bononiae typis Io. Bapt. Phaelli* ex vnico codice imprimendam dedit. Inde recuſa eſt *Coloniae Agrippinae* a. 1541. et 1618. *Pariſiis* 1574. 1585. 1612. 1614. 1618. 1631. 1633. *Antuerpiae* 1577. *Venetiis* 1588. et 1636. *Moguntiae* 1607. et 1613. *Lugduni* 1622, 1623. 1627, 1634, 1636. ſed plures vndique ab officinarum negligentia maculas vitiaque contraxit. Nouam §. 3. Editiones.

*) Eundem quoque *Caſim. Oudinus* inſeruit *Commentariis T. I. p.* 1251.

Nouam recenſionem ad manuſcriptos quoſdam codices Romae inuentos exactam parauerat Petrus Rodulphius, Tuſſignanenſis, olim Senogalliae Praeſul, eamque ſcholiis ſuis illuſtratam a. 1594. editionis cauſa obtulerat Senatui Imolenſi. Ac litterae eius quidem in Commentaria Senatus relatae ſunt, ſed quid codici iſti acciderit, ignoratur *). Perfecit tamen nouae editionis conſilium *Dominicus Mita*, textumque ad vetuſtos codices recognitum et ſcholiis ſuis non admodum doctis enucleatum propoſuit *Bononiae* a. 1643. 4. Sed huius editionis fructus ad Gallos

*) Exhibet epiſtolam iſtam Dominicus Mita in Appendice documentorum ad vitam Petri Chryſologi. „Audiuiſſe ſe ſignificat Rodulphius, ſenatum Imolenſem conſilium cepiſſe Ciuis ſui praeclariſſima ingenii monumenta in lucem reuocandi. Se pro viribus labore ſuo et induſtria id adiuuare velle, *Adiumentum autem*, inquit, *nullum afferri poſſe maius a me comperi, quam Auctoris huius Homiliis, quoad fieri poſſit corrigendis et emendandis, vt ab omni, quam adhuc inter ſordes et tineas paſſae ſunt, iniuria vindicentur; ſicque ab earum lectione — nullus poſthac refugiat. Vitam quoque huius ſanctiſſimi Viri, qua potui breuitate ac diligentia deſcripſi. Peruolutaui hac de cauſa antiqua veteraque Tabularia, quae vel ex Vaticana vel ex ampliſſ. Serletana Bibliotheca habere potui; ſicque fideliſſima vetuſtorum codicum collatione adhibita, hunc Petri Chryſologi ſermonum librum quam diligentiſſime emendare, ſanareque laboraui et proprio nitori prope reſtituere. Denique nullo officii pietatiſque genere omiſſo, non antea conquieui, quam Scholia quaedam adiecerim, quibus et emendationum noſtrarum ratio affertur et difficiliora loca quam facillime explicantur. Hoc autem quidquid laboris eſt, quod libentiſſime vobis dedicatum, et grati animi ergo conſecratum volo, alacri vultu accipite, ac ſi probatur, edite, meique memores valete.*"

Gallos quidem et Germanos non peruenerunt, quippe qui non ceſſarunt antiquiora exemplaria iterato deſcribere, licet non deeſſent, qui meliora optarent. Erant enim, quos Chryſologi dictio delectaret, et qui acumen quoddam ſententiarum in eo admirarentur. Fertur quoque doctus aliquis Suecus *Zacharias Lundius* commentarios variarum lectionum et animaduerſionum in Chryſologum condidiſſe, qui lucem quidem non viderunt, ſed Io. Alb. Fabricii tempore mss. ſeruabantur Hafniae apud Roſtgaardum *). Enimuero in Italia ipſa Mitae editio nonniſi poſt integrum fere ſaeculum, iterum typis Venetis anno 1740. exſcripta eſt. Nouae poſtea editionis adornandae conſilium inuaſit *Sebaſtianum Pauli* Sacerdotem Congregationis Matris Dei Lucenſis, qui quidem non vulgares res a multifaria ſua doctrina expectari iuſſit. Prodiit opus Venetiis a. 1750. collaudatum a Manſio, quem nemo iuſtum hac in re arbitrum reputari oportere inficiabitur; tametſi iuſtam editoris diligentiam in quibuſdam, quae idem de eo retulit, deſideres.

Epiſtolae ad Eutychetem duplicem vulgo tradunt extare editionem, *vnam* in S. Leonis M. editionibus Queſnelliana anterioribus, in qua totum caput ſecundum poſt verba *Haec breuiter reſpondi, frater, litteris tuis* deſit; *alteram* integram, quam primus ediderit *Gerardus Voſſius* a. 1604. Qua in re tanto magis fides habenda eſſe videtur Queſnello, cum addit priorem deſcriptam eſſe ex codice ms. Bibliothecae Thuaneae; quem etiam bona fide ſecuti ſunt Ballerinii.

Nihilominus haec falſa ſunt. Quippe nulla eſt Leonis M. ante Queſnellum editio, in qua haec epiſtola

*) *Fabricius in Bibl. M. et Inf. Lat.*

ſtola occurrat. Experientia hoc edocti ſumus, et ne nos ipſi ſefelliſſe credamus faciunt indices ordinem Epiſtolarum in editionibus ſuperioribus repraeſentantes, in Queſnelliana iuxta quam Balleriniorum editione obuii *). Sed nec magis verum eſt alterum, quod idem Queſnellus ſcripſit, integram epiſtolam a Gerardi Voſſii editione demum eſſe profectam. Etenim dudum ante integra latine legebatur in Actis Concilii Chalcedonenſis, quae ipſe Voſſius laudat. Dicendum potius, in quibuſdam mss. codicibus, quorum fontes monſtrarunt Ballerinii, inueniri hanc epiſtolam dimidio breuiorem et capite ſecundo a laudatis verbis carentem; ſed editorum textus ſanior ex actis Concilii Chalcedonenſis profluxit.

Saec. XVI.

1534.

Bononiae ex Typographia Io. Bapt. Phaelli. 4. S. Petri Chryſologi Sermones ......

Editor P. *Agapitus* Vicentinus Canon. Lateran. Ordin. Rector inſcripſit hoſce ſermones Cardinali Herculi Gonzagae, deque ſua in edendo opera haec praefatus eſt. *Cum mihi ſanctiſſimi pariter ac eloquentiſſimi Viri Petri Chryſologi Rauennatis Epiſcopi Sermones quam plurimi, omni certe auro, gemmiſque pretioſiores in manus venerint, non iniuria in auaritiae crimen vocandus iudicarer, ſi aut diutius clariſſimis rebus tenebras obduci permitterem: aut noſtros homines tam excellentis ingenii moni-*

*) Neue aliquis putet Queſnellum editiones Leonis operum cum editionibus Petri Chryſologi vna cum Leone M. euulgatis confudiſſe; etiam in his, quotquot eam repraeſentarent, integrum epiſtolae exemplum non deeſſe monemus.

monimentis non ſine magno eorum incommodo detrimentoque ſpoliatos; atque orbatos aequo animo ſuſtinerem: — cuius tamen in perpurgandis, ac potius inſtaurandis hiſce ſermonibus, incredibile dictu eſt, quantum laboris ſuſceperim: propterea, quod is Codex, quem principio nacti fuimus, proximorum ſaeculorum inſcitia quadam quaſi rubigine ita cum foedatus erat, tum mancus, vt nulla ferme in eo pars integra atque incorrupta reperiretur. Verum nos quantum ex antiquorum exemplarium collatione aſſequi potuimus, opem auxiliumque afferre conati ſumus. Quare effectum eſt, niſi mea me fallit opinio, vt diſertiſſimi huius viri ſcripta in priſtinum iam bene nitorem, nonnullis tamen exceptis, reſtituta ſint. Notatur haec editio, oppido rariſſima, in *Catalogo Bibl. Barberinianae* et *Pinellianae.*

1538.

Coloniae apud Petrum Quentel. fol. Epiſtola *integra* Petri Rauennatis Epiſcopi ad Eutychem abbatem; *in Praeambulis Conc. Chalcedonenſis;* in ed. *Conciliorum Petri Crabbe T.* I. *fol.* CCCXCIV.

1541.

Coloniae Agrippinae. fol. S. Petri Chryſologi — Sermones. Laudat hanc vt ſuperiorem quoque *Dominicus Mita*, et ex eo *Io. Alb. Fabricius* in *Bibl. M.* et *Inf. Lat.* qui voluminis formam adſcripſit. Notatur in *Cat. Bibl. Bodl.* abs voluminis forma.

1544.

Pariſiis. 8. S. Petri Chryſologi — Sermones. Commemorat hanc deſcriptionem Fabricius l. l. additque in *Autographis Rudolphinis T.* I. *p.* 407.

eam praeter rem pro prima venditari. At in *Cod. Bibl. Bodleianae* extat editio Pariſiis 1545. 8. quae eademne ſit, an diuerſa, neſcio.

1574.

Pariſiis apud Hieronym. de Marnef. 8. S. Petri Chryſologi Sermones.

In hanc editionem emendationes ſuas ſcripſit Latinus Latinius. Fabricius *octonis* factam eſſe prodidit. Apud Dom. Mitam laudatur editio Pariſienſis a. 1575.

1577.

Antverpiae .... Petri Chryſologi Sermones. Laudat Mita in Praefatione.

[1579.]

Coloniae Agrippinae apud Io. Carolum Münnich. 4. Editio Sermonum Petri Chryſologi et Maximi Taurinenſis quae hunc annum operarum vitio in titulo gerit, ad ſequens ſaeculum referri debet.

1585.

Pariſiis apud Hieron. de Marnef. 8. D. Petri Chryſologi Archiepiſcopi Rauennatis opus homiliarum *nunc primum editum.* (ſic)

1588.

Venetiis ...... Petri Chryſologi Sermones. Teſte Mita l. l.

Saec. XVII.

1604.

Moguntiae apud Balthaſ. Lippium ſumpt. Ant. Hierat. 4. Petri Rauennatis ſeu Chryſologi epiſtola contra Eutychen, graece et latine cum notis Ge-

rardi

RARDI VOSSII D. et *Praepoſiti Tungrenſis;* in *Miſcellaneis SS. aliquot Patrum Graecorum et Latinorum antehac non editis*; adiectis *Operibus Gregorii Thaumaturgi*, *pagg.* 205—8. Graeca ad Cod. ms. Card. Sirleti, latina ex Codd. Vaticanis num. 2574. 2576. et 2580. edita ſunt. Ac in prioribus duobus non niſi prior pars Epiſtolae extabat.

1606.

Coloniae Agr. ſumtib. Io. Gymnici et Ant. Hierat. fol. Petri Rauennatis Epiſtola ad Eutychen lat. in *Sev. Binii Conciliis.* T. II. ab initio inter Epiſtolas Praeambulares in Conc. Chalced. Oec.

1607.

Moguntiae. 8. S. Petri Chryſologi Sermones. Laudat hanc editionem vſu ſibi cognitam Chriſtianus Daumius.

1609.

Romae ex Typogr. Vatic. fol. Petri Rauennatis Epiſtola ad Eutychen, gr. lat., in Concil. gen. Eccl. Cathol. *T.* II. *p.* 22. Graeca ad Codices mss. Bibl. Vaticanae, Sfortianae, Columnenſis, olim Card. Sirleti et Ant. Auguſtini Archiep. Tarraconenſis deſcripta ſunt.

1612.

Pariſiis apud Hieron. de Marnef. 8. D. Petri Chryſologi opus homiliarum ſiue ſermones CLXXVI. acceſſit eiuſdem epiſtola ad Eutychen Presbyterum Graece et Latine, cum notis et variis lectionibus ex MSS. Vatic. et Cardin. Sirleti, edita. *Cat. Bibl. Reg. Pariſ.* cuius exemplari paſſim additae ſunt emendationes ex ms. codice ſtudio T. Mantelli.

1613.

Moguntiae...... Petri Chryſologi Sermones. *Dom. Mita* in *Praef.*

1614.

Pariſiis apud Claudium Morellum. fol. S. Petri Chryſologi Archiepiſcopi Rauennatis eruditiſſimi et ſanctiſſimi Sermones; cum *Leone Magno* et *Maximo Taurinenſi.*

1618.

Pariſiis ſumpt. Sebaſt. Cramoiſy. fol. S. Petri Chryſologi — Sermones; cum iiſdem repetitae editionis.

✲ ✲

Coloniae apud Ant. Hierat. fol. Petri Chryſologi Epiſcopi Rauennatis homiliae de Dominicis et feſtis aliquot ſolemnioribus totius anni, ex impreſſione Pariſienſi; Eiuſdem epiſtola ad Eutychen cum Notis *Gerardi Voſſii;* in *Bibl. PP. T.* V. *p.* 11.

1623.

Lugduni ſumpt. Claudii Landry. fol. Petri Chryſologi — Sermones; cum *Leone M.* et aliis homiliarum auctoribus. Dominicus Mita Lugdunenſes editiones praeter hanc enumerat annorum 1622. 1627. 1634 et 1636.

1631.

Pariſiis ..... Petri Chryſologi Sermones. Neſcio an cum iiſdem Auctoribus, an ſeorſim. Laudat *Dom. Mita.*

1633.

Lugduni ...... *fol.* S. Petri Chryſologi — Sermones; in *Heptade Praeſulum chriſtiana ſapientia*

tia et facundia clariſſimorum Theoph. Raynaudi.

Acceſſit *Epiſtola ad Eutychem;* item *Vita Chryſologi*, teſtimonium Trithemii et index duplex.

1636.

Venetiis .... Petri Chryſologi Sermones. Teſte Mita.

✢ ✢

Bononiae ..... Iidem. Eodem ſponſore.

1643.

Bononiae per Nicolaum du Solié. 4. D. Petri Chryſologi Forocornelienſis, Rauennatum Archiepiſcopi, homiliae ſacrae, ſiue ſermones aurei, recogniti, emendati, ac *maxima parte* [variis lectionibus, ſcholiis et obſeruationibus] *illuſtrati;* opera et ſtudio Dominici Mitae. *Cat. Bibl. Reg. Pariſ.*

Nobis ad manum eſt exemplar Venetum ad Bononienſe, vt videtur, ſatis accurate expreſſum. Inde diſcimus *Dominicum Mitam* Sacerdotem Parochum Vgutionelli, antea legum ſtudio et forenſibus negotiis vacantem, hominem mediocriter doctum longo correctioris Chryſologi textus deſiderio exercitum, tandem cum mss. aliquot codicum copiam nactus eſſet, adductum eſſe, vt ipſe operam ſuam ei perpurgando illuſtrandoque commodaret; „*Vlterius perquirendo,* inquit, *didici huius operis adhuc quatuor ſupereſſe manuſcripta exemplaria, nempe duo Romae parum ab Impreſſis diſcrepantia: ſed Vrbini vnum in Roueriana, Ceſenae alterum in Franciſcana Bibliotheca, quae inter ſe cunctis paene conueniunt, at in quamplurimis a vulgatis diſcordant.*

dant. Quare aditu ad manuſcripta vix patefacto, ea ipſa partim per amicos, partim per me ipſum peruolutaui et adhibito ſodali ſemel ac a capite vsque ad calcem cum exemplari primum Bononiae impreſſo contuli, atque errata quaecunque, vt licuit, calamo correxi; variaſque nec inutiles lectiones in margine adſcripſi, mendoſis, quibus mss. exuberant, reiectis, et ſi quid ex illis omni ex parte emendari nequiuit, ſtudui id mentis ſpeculatione ſupplere; tametſi hoc raro factum eſt, quod haec ratio maximis difficultatibus obſtructa lubrica ſit et fallax. „Addidit *ſcholia ineruditis ſaltem profutura, aut literatorum mentes ſtimulatura, quo praeſtantiora ſcrutentur.* Sunt partim moralia, partim ſenſum fuſius quam plerumque opus erat, illuſtrant, raro ad dogmata aut hiſtorias deſcendit, et tum fere *Scholia* et *Notationes*, vel *Obſeruationes* inſcripſit; rariſſime de varietate aut emendatione lectionis diſputat. Confecit praeterea *indices* duos, alterum *alphabeticum Sermonum*, in quo tamen non tam ſinguli ſermones, quam *materiae in quolibet* Sermone primario exaratae recenſentur, alterum *rerum et Verborum notabilium.* Hinc vero elenchum iuxta ritum Euangeliorum, quae in ſacro pro tempore leguntur, in ſuperioribus ad concionatorum vſum plerumque addi ſolitum velut ſuperuacaneum omiſit. Tandem et *Vitam Petri Chryſologi ex ipſius homiliis, et variis ſcriptorum monumentis, tum impreſſis, tum manuſcriptis accurate conquiſitam, ſtudioſe collectam et ordinatim digeſtam* addidit, eique pro maiori vt ait aliquorum quae in ea memoraſſet teſtificatione ſequentia ſubiunxit documenta. 1) *Epiſtolam S. Petri Chryſologi ad Eutychem Haereticum.* 2) *Epiſtolam Leonis Papae I. ad Flauianum Conſtantinopolitanum Epiſcopum contra Eutychetis perfidiam et haereſim.* 3) *Epiſtolam*

Mat-

Matthaei Cathedralis Eccleſiae Imolenſis Praepoſiti, tranſſumptam ex Tabella ipſius manuſcripta, qua teſtatur ſe corpus B. Petri Chryſologi attrectaſſe. 4) *Elogium ex Trithemio* 5) *Agapiti Vicentini praefationem ad editionem Bononienſem.* 6) *Praefationem B. Felicis XL. Rauennatum Archiepiſcopi in Sermones aliquot S. Petri Chryſologi ex Mss. codd. Valicellae, Ceſenaeque et alibi.* 7) *Epiſtolam F. Petri Rodulphii Tuſſignanenſis, Epiſcopi Senogalienſis ad Senatores Imolae, qua Sermones Petri Chryſologi a ſe recognitos ipſis edendos offerebat, ex Commentariis ipſius Senatus a. 1595. deſumptam.*

„*Sic elaboratum Opus pellexit* inquit *ad inſcribendum:* Sermones maxima ex parte illuſtrati, *quod eorum Codex, Vitaeque index e tenebris erutus, et a ſordibus vindicatus magis quam antea ſit legentibus enucleatus, ac declaratus: Nitore inſuper atque ſplendore longe omnibus exemplaribus hac opera praeſtet. In quo faciundo,* pergit, *quos ſumptus, labores et pericula ſubierim, quam aegra ſaepius valetudine proſtratus iacuerim; quosque aduerſarios, ac deſertores domi foriſque fuerim perpeſſus, ſcit ipſe, qui tandem e Coelo protexit, Chryſologus ſanctus; ſciunt multi docti probatique Patres, qui me etiam inter ſyluas ad animarum curam longe a ſapientum congreſſu reſidentem, librorum et bonae valetudinis expertem adverſa prope omnia ſuperaſſe, et opus propoſitum aliqua demum ex parte abſoluiſſe, mirantur. Quod adhuc in tenebris deliteſceret, niſi illorum ſincero iudicio nunc edere fuiſſem compulſus.* Poſtremo de ſtilo ſuo excuſationem addit neceſſariam utique et vere facetam. Ait enim iuxta Senecae monita in hoc opere componendo magis ſe quaeſiuiſſe, quid ſcriberet; inde, et quia aliorum ſententias referens propriis ver-

bis transſcribendas cenſuiſſet neceſſe fuiſſe, vt ſtilus multorum et ex multis conſtans non idem ſemper haberetur. Quod ſi tamen tam in componendo, quam in transſcribendo multa excidiſſent, quae vel oſcitanter, vel minus apte poſita eſſent: hoc Dei permiſſu factum lectores arbitrari iubet, vt tandem *Sciant gentes quoniam homines ſunt* (ſecundum Pſalm. 9.) Nuncupauit editionem ſuam *Ferdinando Millino* S. Imolenſis Eccleſiae Epiſcopo et Balneariae Comiti, ep. *d. ex aede ſacra Paroeciae S. Agnetis Ugutionelli. V. Kal. Aprilis h. a.*

1644.

Pariſiis ex Typogr. Regia. fol. Petri Rauennatis Epiſtola ad Eutychem, gr. lat.; in *Concil. Coll. Regia Tomo VIII. p.* 41.

1661.

Pariſiis apud Simeonem Piget. fol. S. Petri Chryſologi — opera; in *Theoph. Raynaudi Heptade* h. a. et l. recuſa.

1662.

Pariſiis ſumpt. Ant Bertier. fol. S Petri Chryſologi Sermones varii iuxta anni totius Euangelia, feſta Dominica et Sanctorum digeſti; in *Franc. Combefiſii Bibliotheca PP. Concionatoria.*

Sequitur Combefiſius Dominicum Mitam, cui in plerisque etiam de vita Petri adſtipulatur. Sed ipſi haud diſplicet ſententia, non omnes huius collectionis ſermones vnius eiusdem que eſſe auctoris, quanquam non ab argumentis ex ſingulis ſermonibus ductis ſic colligit, ſed eo potius, quod in aliis veluti Chryſoſtomo, Bernardo et aliis homiliarum ſcriptoribus fieri conſueuit.

1666.

Pariſiis apud Carolum Savreux. 4. S. Petri Chryſologi Sermones quinque de Oratione Dominica, ſub titulo: *S. Petri Damiani S. R. E. Cardinalis;* in LUCAE DACHERII *Spicilegio Vet. aliquot Scriptorum, qui in Galliae Bibliothecis maxime Benedictinorum latuerant Tomo* VII. *pagg.* 120—137.

Quod ſaepius accidit talium Collectionum auctoribus, non excepto Baluzio, litteratiſſimo viro, vt, dum ſua vnius opera tantam curam ſuſtinere aggreſſi eſſent, aut memoria aut diligentia interdum deficerent et dudum edita pro ineditis venditarent, id *Dacherio* etiam in his ſermonibus accidit, qui in Feliciana collectione num. LXVII. LXVIII. LXX. LXXI. LXXII. et quidem emendatiores leguntur, quam hic ex codice quodam Corbeienſi repraeſentantur. Monitus hac de re, Tomo VII. poſt indicem contentorum haec adſcripſit: „Vt in Tomo VII. Spicilegii Petro Damiano Sermones V. in Orationem Dominicam tribuerem, ſuaſit Codex ante annos ſcriptus quadringentos, qui Petri Damiani nomen diſtincte praeferebat. At poſtquam in publicum prodiit Tomus ille, monuit me ſuis literis doctiſſimus Theologus noſter *Steph. de Marcés*, Sermones hoſce Petri Ravennatis ſiue Chryſologi eſſe genuinos, *ob varias et minime ſpernendas rationes;* queis lubens calculum adicio meum, Eruditis tamen relinquo iudicium.“ Sic ille; non allatis quas ipſe doctus ille ſuppeditaverat rationibus, quarum grauior nulla tamen eſſe poterat, quam quod iam dudum in antiquiſſima, certe Petro Damiano antiquiore Sermonum Chryſologi collectione extarent et cum ea excuſi eſſent. Sed haec fateri illum fortaſſe puduit. Attamen et in Indice

dice Generali Tomo XIII. Spicilegii ſubiecto Petri Chryſologi eſſe notauit, eiusque nomen etiam praeferunt in ſecunda huius operis editione, licet curator eius *Ludouicus Franciſcus Ioſeph de la Barre* prorſus neſciret, quo iure poſterius priori eſſet praeferendum. Reprehendit potius Dacherium quod rationes, quae ipſum, vt ſuo codici minus fideret impuliſſent, non ediderit, additque, ſi quis malo exemplo ab eo factum eſſe contenderet, ſe minime aduerſaturum. Qui ſi editum aliquem Chryſologi Sermonum codicem inſpexiſſet, non modo rationes illas facile ipſe deprehendiſſet, ſed caruiſſet etiam multis quas ibidem protulit, non ineptis ſane ſed minus neceſſariis emendationibus, quippe quae plerumque omnes iam in antiquioribus editionibus Chryſologi diſtincte leguntur *). Eius vero et Dacherii exemplum fraudi fuit aliis, veluti Fabricio et Manſio, immo et nouiſſimo editori in tantum, vt V. iſtos Sermones caeteris ſuperaddendos curaret.

1670.

Cygneae typis et ſumpt. Sam. Ebelii. 8. D. Petri Chryſologi de Incarnatione Chriſti Sermo CXLI. et

*) *Tot mendis*, inquit la Barre in annotatione prima ad Serm. II. *tot mendis ſcatent hae Homiliae, quot ne perſpicaciſſimus quidem vnus ex coniectura tollere poteſt; quamobrem nihil hic niſi omnino caſtigatum lector exſpectet, nolim; haud pauca quidem loca foede corrupta reſtituimus, ſed de omnibus reſtituendis ne cogitauimus quidem; ſunt enim nonnulla, quae niſi ope Ms. codicis emendari non poſſunt.* Interdum tamen correctiones eius in locis corruptiſſimis adeo cum impreſſis Chryſologi codicibus concordant, vt dubitare poſſis, an tantum ſola coniectura hominis aſſequi valeat. Scilicet non ſemel, ſed vbique ferme veram lectionem deprehendit.

et CXLIX. et de Infantum Nece CLII et CLIII.; in *Diu. Patrum Homiliis in Feſtum Natiuitatis Ieſu Chriſti* editis a CHRISTIANO DAUMIO, *pagg.* 81—91.

Expreſſi ſunt ex edd. Moguntina 1607. Lugdunenſi 1623. et quae in Colonienſi PP. Bibliotheca eſt. At Mitae editio Daumio non innotuiſſe videtur, ſiquidem in praefatione ſcripſit, illas editiones nouam recenſionem deſiderare, eandemque flagitare lectionum varietatem, quae ex iis, quae Thomas Hibernicus et hinc Allegoriarum Collector in Collectanea ſua tranſtulerint animaduerti poſſit. Idem Caſparis Barthii in Chryſologum laudes ibidem profert.

1671.

Lutetiae Pariſiorum impenſis Soc. Typogr. fol. Petri Rauennatis Epiſtola ad Eutychen, gr. lat; in *Conciliis Labbei et Coſſartii Tomo* IV. *p.* 35.

* *

Pariſiis ſumpt. Petri Variquet. fol. Petri Chryſologi — Sermones CLXXVI. cum *Leonis M. et aliorum Opp.* collectis a *Raynaudo.*

1672.

Pariſiis apud Viduam Caroli Savreux. 4. Petri Chryſologi Sermo de Natali Domini contra Neſtorium, edidit ex codice vetuſto tanquam auctoris incerti foetum *Lucas Dacherius* in *Tomo* XI. *pagg.* 279—281.

Acceperat a Chiffletio. In vulgatis editionibus auctior et emendatior extat *num.* CXLV. quod primus monuit *Paulus Colomeſius* in *Paralipom.* de *SS. Eccleſ.* p. 263. et *Obſſ. Sacris* p. 133. cf. *Fabricius*

in

in *Bibl. M. et Inf. Lat.* Minime igitur latere debuiſſet editorem nouiſſimum.

1675.

Lut. Pariſ. ſumtib. Io. Bapt. Coignard. 4. Petri Chryſologi Epiſcopi Rauennenſis ad Eutychen presbyterum epiſtola; latine cum notis *Paſchaſii Queſnelli*; cum *Leonis M. Operibus*, poſt Epiſtolam XXII. *T.* I. *pagg.* 477. Notae extant *Tomo* II. *pagg.* 839—41. (in ed. *Lugdunenſi* 1700. *fol. T.* I. *pagg.* 241. 42. *Tomo* II. *pagg.* 456—58.)

„Triplicem inquit Quesnellus huius Epiſtolae editionem inuenio; vnam, quam habent *poſteriores ſancti Leonis editiones*, vbi ex Ms. Cod. Thuaneae Bibliothecae deſcripta legitur Epiſtola; alteram, quam ex Mss. Codicibus Vaticanis num. 2574 et 2580. et Cardinalis Sirleti procurauit Gerardus Voſſius doctor catholicus: tertia denique ea eſt, quae in prima parte Actorum Chalcedonenſis Concilii legitur cum graeca verſione. Prima editio primum tantummodo caput continet, alterum integrum deſiderat: reliquae duae vtrumque caput complectuntur*). Vnde iſta diuerſitas fluxerit, certo aſſerere non auſim: veriſimile tamen eſt, vel editorem illum incidiſſe in mutilum Codicem, vel ipſum Codicem ab editore fuiſſe mutilatum.“ Inquirit porro quae mutilationis iſtius cauſae eſſe potuerint, et an integra etiam pro genuino Epiſcopi Rauennenſis foetu haberi poſſit. Quod quidem aſſerit, et deinde ſic pergit: „Vnde quo facto decurtata habeatur in vulgatis ſancti Leonis editionibus, non aſſequor. Codicem quidem Thuaneum commemorant, ex quo depromta fuerit

*) Adeoque non *tres* ſed *duae* tantum numerandae fuiſſent, vt rectius a Fabricio et Balleriniis factum eſt.

fuerit ab editore. An hoc ita ſit, neſcio. Hoc ſcio, vnicum in Catalogo Thuaneorum Mss. Codicem a me repertum, qui Epiſtolam Sancti Petri Chryſologi contineat, cum aliis nonnullis ad Synodum Chalcedonenſem pertinentibus: in hoc vero Codice integram haberi Epiſtolam. Cui ſi Mss. Vaticanos et Card. Sirleti Codices, antiquaſque ac recentiores Baronii et Conciliorum editiones adiunxeris, vix reſtat dubitandi locus, quin vel in editoris illius, ſi non malam fidem, ſaltem oſcitantiam, vel in Codicis vitium refundenda ſit Epiſtolae diminutio.“ Vtinam vero Quesnello indicare placuiſſet editionum Leonis M. folium paginamue, in qua Petri haec epiſtola extet, quam a ſe lectam fuiſſe tam diſerte ſignificat.

1676.

Lugduni ſumptibus FFr. Aniſſoniorum et Ioan. Poysnel. fol. Diui Petri Chryſologi Archiepiſcopi Rauennatis Sermones Aurei ad Exemplar Seraphicae Ceſenae Bibliothecae correcti, Scholiis, ac locupletiſſimis moralium Conceptuum varietate Commentariis illuſtrati. Nunc recens in gratiam diuini verbi Concionatorum, addita Sanctiſſimi Doctoris Vita, nec non et eiuſdem ad Eutychetem Epiſtola Notis pariter elucidata, prodeunt in lucem opera et labore *R. P. Fr.* Martini del Castillo *Burgenſis Minoritae de Obſeruantia: in S. Euangelii Mexicana Prouincia Lectoris Iubilati, Theologiae honor. Alex. VII. Reſcripto decorati Magiſtri. Olim in eadem Prouincia Miniſtri Prouincialis: et in magno S. Bonauent. Collegio Rectoris, atque ſtudiorum Regentis.* Acceſſit his Index quadruplex, I. ſcilicet Sermonum, II. Locorum ſcripturae ſacrae: III. Euangeliorum ad Conciones per Annum: IV. Rerum denique notabilium.

Bel-

Bellus hic artifex nouem et quod excurrit alphabeta commentariis ſuis in *XXII. Chryſologi Sermones et Epiſtolam ad Eutychetem* impleuit. Illud cum ſuperiori editore Dominico Mita commune habet, quod, licet ingens titulorum ſyrma poſt nomen trahat, tamen de iniquitate fortunae conqueritur, nec propitiorem habuit Facundiam deam. „Appoſui *in corde meo*, inquit, *uniuerſos CLXXVI. ſermones D. Petri Chryſologi meis illuſtrare commentis: idcirco* breui omnium completo marginali ſcholio *ad depromendum rimandumque ſenſum eius ſubtiliſſimum me contuli*, latiori ſermone (*nec enim periculoſum eſt, ne ſit nimium; quod eſſe maximum debet: iunior aiebat Plinius*) inchoaui *et viginti duos ſermones*, *vna cum eius epiſtola ad Eutychetem Haereticum*, *quos compleui, exhibeo. Sed proh dolor! ophthalmia* prolixe admodum *lumina torſit; et quod* magis *eſt*, nouem et plus annis, *lippientem me limis oculis fortuna proſpexit, retrahens inuida*, qua laborioſa a penſo, *laborare cupientem. Pluries repetii cum Diogene Cynico: „Euge o fortuna quod viriliter me tractaſti!“ Me Peccatorem, me ſceleſtum, flagellis felicem Deus Op. Ma. fecit, tenuit me ſemper idiographum, cum amanuenſe nusquam; bibliotheca orbatum et cella fere exulem.“* Idem quoque teſtatur, ſe *quaeſiſſe magis quid ſcriberet, quam quaemadmodum, non curaſſe ſe ſollicitam, comptam perpolitamque orationem, ſed remiſſius loqui voluiſſe, vt loqueretur ſecurius.* Vnum quod in toto opere non prorſus ineptum iudices, eſt *vita Petri Chryſologi*, in qua Scripta etiam editionesque eorum attingit. Nuncupatum eſt *Petro Principi Portocarero Folch de Arragon et Corduba* etc. epiſtola, quae omnibus ingenii auctoris ſui luminibus radiat.

1677.

1677.

Romae ſumptib. Pontii Bernardon. fol. Latini Latinii Viterbienſis Variae Lectiones et Obſeruationes in Petrum Chryſologum; in *Bibliotheca* eius *Sacra et Profana* T. I. *pagg.* 98—103.

Pertinent hae obſeruationes, quae commendatione alia praeter auctoris nomen non egent, ad ſaeculum ſuperius. Obiit enim Latinius a. 1593. Vſus eſt editione Pariſienſi a. 1574.

* *

Lugduni apud Aniſſonios. fol. S. Petri Chryſologi Sermones (CLXXVI.) et Epiſtola ad Eutychen cum notis *Ger. Voſſii;* in *Max. Bibl. PP. Tomo VII. pagg.* 803—979.

1679.

Coloniae Agrippinae apud Io. Carolum Munich et Petrum Ketteler. 4. D. Petri Chryſologi Archiepiſcopi Rauennatis viri eruditiſſimi atque ſanctiſſimi Sermones in Euangelia de Dominicis et feſtis aliquot ſolemnioribus totius anni inſignes cum triplici indice, Euangeliorum et Epiſtolarum, Locorum S. Scripturae rerumque et verborum in lucem editi. (Acceſſerunt Sermones Maximi Taurinenſis.) *Editio prima in Germania* (ſic).

Typothetae incuria annus in titulo exſcriptus eſt MDLXXIX. Etiamſi vero ſatis typis et tota Deſcriptione ſaeculum ſe proderet, non tamen meo vnius arbitrio ſtatuere auſus ſum, antequam aliunde mihi hac de re conſtaret. Sed iam certus ſum et lectores monitos volo, vt Maximi Taurinenſis editionem a. 1579, ad ſequens ſaeculum transſcribant. In *Cat. Bibl. Reg. Pariſ.* laudatur haec editio *anni* 1678.

1684.

Pariſiis apud Franc. Muguet. fol. Petri Chryſologi Sermones duo, *vnus* de pace in illud Matthaei 5. *Felices pacifici* etc. (LIII.) *alter* de Natali Ioannis Baptiſtae; inter Auguſtinianos, quos Benedictini ſecreuerunt per *Appendicem Tomi* V. *Claſſe* I. *num.* LXI. et *Claſſe* III. *num.* CXCIX.

Prior olim inter Sermones *de Tempore* erat num. CLXIX. poſtea in App. LVII.; poſterior inter Sermones *de Sanctis* XXII. poſt in App. LXXVII. Sed ille paſſim interpolatus eſt et multis ſententiis auctior, quas proinde Maurini anſulis commonſtrarunt; hic ab initio decurtatus. Erat ergo ratio, cur nouiſſimus editor eosdem editioni ſuae inſuper adiiceret, vt a Manſio diſcimus. Alii duo inſuper inter Auguſtinianos Sermones occurrunt nempe *num.* CXXI *de Natali Domini* V. quem in quibusdam Mss. Petri Rauennatis nomen praeferre notant, et Sermo XCVII. de verbis Euang. Ioh. 14. *Pacem meam do vobis* etc. quem cum LXI. Chryſologi ſtilo conuenire monent iidem.

Saec. XVIII.

1714.

Pariſiis ex typogr. Reg. fol. Petri Rauennatis Epiſtola ad Eutychen; in *Conciliis Harduini*, *Tomo* II. *pagg.* 22.

1723.

Pariſiis apud Montalant. fol. Petri Chryſologi Sermo de Natali Domini et Sermones V. in Orationem Dominicam; in noua editione *Spicilegii Lucae D'Achery*, quam curauit *Ludouicus Franc. Ioſeph de La Barre Tomo* I. *pagg.* 41. 215—221.

Vide

Vide quae dicta ſunt occaſione editionis primae a. 1666. et 1672.

1742.

Venetiis apud Auguſtinum Savioli. fol. Sancti Petri Chryſologi Forocornelienſis Rauennatum Archiepiſcopi Opera omnia cum obſeruationibus et indice rerum locupletiſſimo *Dominici Mitae.* Acceſſere praeterea in hac noſtra Editione S. Valeriani Cemelienſis Epiſcopi Homiliae quotquot extant.

Bibliopolae inſtituto Bononienſis a. 1643. editio accurate recuſa et cultu non honeſto modo ſed etiam magnifico dotata eſt.

1750.

Venetiis . . . . f. Sancti Petri Chryſologi Opera omnia ad codices Mss. recenſita a P. SEBASTIANO PAULI *Clerico Reg. Congregationis Matris Dei Lucenſis.*

De hac editione non niſi ex iis conſtat, quae Cl. *Manſius* in Bibliotheca Fabriciana Mediae et Infimae Latinitatis T. V. pag. 253. ad ſupplendam de Chryſologo notitiam recitauit. „Non eſt, cur hic praeteream, inquit, quam ſub ipſo anno ſuo emortuali euulgauit vir Cl. P. Sebaſtianus Pauli Congregat. Matris Dei Lucenſis, Sodalis meus dilectiſſimus et amicus dum viueret in primis chariſſimus. Prodiit illa typis Venetis a. 1750. T. I. (quod interpretor *Volumine vno*) fol. Praeter ea, quae in praecedentibus editionibus patuerunt, adiecit ſermones ſeptem de oratione Domini deſumptos ex Dacherii ſpicilegio Tom. VII. pag. 120. veteris editionis; geminos etiam alios ex appendice Sermonum S. Auguſtini editionis Maurinianorum. Recenſuit totum opus ad veteres Mss. Codices; notas a Dominico Mita olim adorna-

tas retinuit, quibus et ſuas adiecit, nec paucas, nec, vt vera fatear, indoctas. Quamquam vero laborem hunc viri eximii probo, multum tamen abeſſe credo, vt editio Operum Chryſologi ſic tandem omnibus numeris abſoluta reputetur. Admonet vir eximius ex orationibus hiſce nonnullas Seueriano cuidam in vetuſtis Codicibus adſcribi, qua ego praemonitione edoctus nactusque in veteri homiliario codice, reperto in Bibliotheca Canonicorum Maioris Eccleſiae Lucenſis, nec meo iudicio ſaeculo XII. recentiore, homilias quasdam Seueriani nomine praefixas, vnam aliquam ex illis conferendam aſſumpſi cum homilia Chryſologi, quae inter editas eſt CII. Vtramque conſentientem reperi; ſimul tamen agnoui, hiulca quaedam eſſe in edito, quae egregie ſupplebantur a codice illo." Profert ibidem variantis lectionis aliquot exempla. Sed non huius demum editoris fuit illa admonitio, nonnullas homilias Seueriano in codicibus vetuſtis adſcribi, ſed dudum in Bononienſi prima ab Agapito illud obſeruatum eſt. Nec admodum diligentiam eius commendat, quod bis eosdem *Sermones V. in Orationem dominicam* exſcribendos dederit.

1753.

Venetiis apud Simonem Occhi. fol. Petri Chryſologi Epiſcopi Rauennatis ad Eutychem presbyterum Epiſtola, gr. lat. cum admonitione et notis *Balleriniorum;* in *Operibus Leonis M. T.* I. *Epiſtola* XXV. *pagg.* 775—78.

Ballerinii docent *decurtatam Epiſtolam*, de qua Quesnellus primum monuit, proficiſci ex collectione Canonum Hiſpana, ex eaque in *Iſidorianam*, indeque in reliquas Collectiones fluxiſſe. Simul tamen oſtendunt *integrae* originem potioris eſſe et antiqui-

tiquitatis et auctoritatis, quippe quae inueniatur in Collectione Epiſtolarum in cauſa Eutychetis, quae Actionibus Concilii Chalcedonenſis praemitti ſolet, ante medium ſextum ſaeculum Latine compacta. Suſpicantur autem priorem partem epiſtolae, quam etiam Hiſpanica collectio profert, originalem eſſe, poſteriorem ex Graeco verſam.

1761.

Florentiae expenſis Ant. Zattae, Veneti, fol. Petri Rauennatis Epiſtola ad Eutychem gr. lat. cum praemonitione et notis *Balleriniorum*; in *Collectione Ampliſſ. Concilior. Tomo* V. *pagg.* 1347—1350.

De *Codicibus mſſ. Agapiti Vicentini* et *Dominici Mitae* ſuo loco dictum eſt.

36.

EUCHERIUS,

Gallus, orſus ex ſenatorio ſanguine, patre Vale- §. 1. Vita.
riano, quem plerique eundem putant cum Priſco Valeriano, qui circa idem tempus praefecturam Galliae obtinuit et cognatus Auiti imperatoris fuit. Gallam vxorem duxit, pari nobilitate foeminam, ex eaque duos ſuſcepit filios, quorum alter Salonius poſtmodum Geneuenſi eccleſiae praefuit, alter Veranius ipſi patri in epiſcopatu Lugdunenſi ſucceſſit. Circa annum 409. aut 410. vegeta ac florente adhuc aetate Lirinum conceſſerat indeque cum vxore et filiis in inſulam propinquam Leronem, quae hodie Sanctae Margarethae eſt, ſe contulit et Anachoretam egit, ita tamen, vt potiſſimam curam liberorum ſuorum educationi impenderet, ex quibus Salonium quo-

que aliquantiſper Lirinenſibus magiſtris Honorato Saluiano ac Vincentio formandum dedit. Vix autem alius quisquam ex clarioribus eccleſiae Gallicanae membris apud optimum quemque et doctiſſimum ſaeculi virum tantam comparauit exiſtimationem quam Eucherius: nam cum multis familiariter vixit et cum plerisque litterarum habuit commercium et ab omnibus immenſis laudibus ornatus eſt. Euenit hac fama tandem, vt anno circiter 434. ad epiſcopatum Lugdunenſem eueheretur, quod munus vsque ad annum 450. obtinuiſſe eum exiſtimant *).

§. 2. Scripta. Circumferuntur hodie ſequentia Eucherii Lugdunenſis ſcripta:

1. *De laude Eremi ad Hilarium Arelatenſem epiſtola*, ſcr. a. 428.
2. *Epiſtola paraenetica ad Valerianum cognatum de contemtu mundi et ſaecularis philoſophiae*, ſcr. a. 432.
3. *Liber formularum ſpiritalis intelligentiae ad Veranium filium.* Inſcribitur alias etiam *de forma ſpiritalis intellectus.*
4. *Inſtructionum libri II. ad Salonium filium*, quorum alter *quaeſtiones* de difficilioribus V. et N. T. locis tractat, alter *Explicationes nominum Hebraicorum* continet et ſic inſcribitur.

5. *Hiſto-*

*) Alius ab hoc fuit Eucherius Galliae Epiſcopus, qui ſexto ſaeculo vixit et variis Conciliis Gallicanis veluti Arelatenſi IV. a. 425. Carpectoratenſi 527. Arauſicano et Vaſenſi 529. ſubſcripſit. Sed nec Lugdunenſis quidem epiſcopus ille fuit, vt quidam falſo ſibi perſuaſerant, quos docte et ſagaciter refellit IOSEPHUS ANTELMIUS *in Aſſertione pro vnico S. Eucherico Lugdunenſi epiſcopo*, quam poſt obitum eius edidit frater *Carolus Antelmius Pariſiis, apud Claud. Briaſſon.* 1726. 4.

5. *Hiſtoria Paſſionis S. Mauritii et ſociorum Martyrum Legionis Felicis Thebaeae Agaunenſium*, a quibusdam huic Eucherio abiudicata, iuniori alicui tributa.
6. *Homiliae*, illae ſcilicet, quas primus vulgauit Ioannes Liuineius, quae pro genuinis ab omnibus agnoſcuntur.
7. *Exhortatio ad Monachos* ex *tribus*, quas ſub eius nomine Holſtenius in Codice Regularum protulit, *prima*.
8. *Epitome Operum Caſſiani.*

Deperditae ſunt *plures* Eucherii *homiliae*, niſi aliae fortaſſe ſuperſint in *Collectione homiliarum*, quae nomen Euſebii Emeſeni ſeu Gallicani nomine in Bibliothecis Patrum praefert. *Tribuuntur* Eucherio, et quidem falſo: 1) *Commentarius in Geneſim* et 2) *Libri IV. Commentariorum in libros Regum* a Io. Alex Braſſicano primum euulgati. 3) *Epiſtola ad Fauſtinum* a Labbeo edita. 4) *Epiſtola ad Philonem quendam*, quam Baluzius ad calcem Agobardi protulit. 5) *Regula duplex ad Monachos* in codice Regularum Holſtenii. 6) *Tota* illa *Homiliarum collectio*, quae ſub nomine *Euſebii Emeſeni* circumfertur.

Integra omnium Eucherii opuſculorum collectio nondum extat. Primum opuſculum, quod obſtetricante typographia lucem vidit, fuit *Paſſio S. Mauricii et ſociorum*, ſed interpolata et ſine nomine eius in *Vitis Sanctorum Mombritii*. Haud exiguo vero interuallo poſt, a. 1516. exiit nomen auctoris in fronte gerens *epiſtola ad Valerianum, Baſileae* ex recognitione *B. Rhenani*, citoque *ibidem* a. 1520. cum Eraſmi ſcholiis, et *Pariſiis* a. 1525. repetita eſt. Acceſſerunt paulo poſt *Baſileae* apud *Cratandrum* a. §. 3. Editiones.

 1530.

1530. aut aliquanto citius *Pariſiis* apud *Claudium Chevallonium* ſine anno *Formulae intelligentiae ſpiritalis* et *libri* duo *Inſtructionum,* quibus anno ſequenti ex reliquiis Bibliothecae Budenſis addidit ſpuria duo, *Commentaria in Geneſim* et *libros Regum, Ioannes Alexander Braſſicanus,* ſimulque *Formularum librum* ex codice ms. ſedulo caſtigauit. Haec omnia iunctim recuſa ſunt *Romae apud Paulum Manutium* a. 1564. curante *Petro Galeſinio* et *Andreae Schotti* cura a. 1618. in *Tomo* V. *Bibl. PP. Colonienſis.* Interea reperta eſt et a *Gilberto Genebrardo* ſeu potius *Dionyſio Faucherio Pariſiis* a. 1578. edita *Epiſtola de laude Eremi ad Hilarium,* itemque tenebris ereptae editaeque ſunt *Homiliae* genuinae per *Io. Liuineium* cum *Theodoro Studita Antuerpiae* a. 1602. indeque omiſſis Homiliis genuina Eucherii opuſcula, nempe *Formulae intelligentiae ſpiritalis, Inſtructionum libri duo* et Epiſtolae *ad Valerianum et Hilarium* vna exhibita *Lugduni* 1613. in *Chronologia Lirinenſi Vincentii Barralis* tandemque additis *Paſſione S. Mauricii* et *Commentariis* illis ſpuriis in *Geneſim et libros Regum* recuſa ſunt in *Bibl. PP. Max. Lugduni* a. 1677. Poſt haec ſingula tantum, imprimis aſcetica illa ſiue ſeorſim ſiue cum aliis operibus typis ſunt reddita, quae, ne ſequens omnium editionum recenſus chronologicus negotium alicui faceſſat, paucis hic complecti iuuat. Videlicet *Paſſio S. Mauricii* poſt *Mombriti, Surii et Steuartii* editiones ſincerior edita eſt a *Chiffletio* in *Paulino illuſtrato* a. 1662. indeque in *Bibl. Max. Patrum Lugduni* 1677. Tomo XXVII. et apud *Ruinartum* et in *Actis Bollandianis* repetita. *Epiſtola ad Valerianum* recuſa fuit *Lugduni* 1541 et 1627. et cum *Herib. Rosweydi* ſcholiis *Antuerpiae* a. 1621. *Monachii* 1635. *Genuae* 1644. (*Pariſiis* 1646. cur. *Phil. Labbei*)

Labbei) itemque cum *epiſtola ad Hilarium* aliisque opuſculis aſceticis *Viennae Auſtriae* 1670. *Bruxellis* 1671. *Pariſiis* 1673. *Venetiis* 1726. eademque haud raro in recentiorum populorum idiomata conuerſa. *Formulae intelligentiae ſpiritalis* a *Flacio Illyrico* inſertae ſunt *Claui Scripturae Sacrae Baſileae* 1580. et cum hoc opere ſaepius diuerſis in locis recuſae. *Epiſtola ad Hilarium* cum ſcholiis *Herib. Rosweydi* prodiit *Antverpiae* 1621, indeque translata in *Bibl. PP. Colon.* 1618. *T.* XV. et cum *epiſtola ad Valerianum* Lugduni 1627. Genuae 1644. et Pariſiis 1673. exſcripta eſt. *Homiliae* a *Liuineio* editae inſertae ſunt *Bibl. Patrum* Pariſ. 1624. 1644. 1654. T. II. et in *Bibliothecam Concionatoriam Combefiſii* migrarunt. Porro a. 1657. in *Bibliotheca MSS.* ſub *Eucherii* nomine edidit *epiſtolam ad Fauſtum ſ. Fauſtinum;* anno 1661. *Triplicem* Eucherii *regulam ad Monachos*, veram vnam, duas autem nomen eius mentientes produxit *Lucas Holſtenius* in *Codice Regularum; Epiſtola ad Philonem Presbyterum* falſo nomen Eucherii praeferens reperta fuit a *Baluzio* et ad calcem Operum *Agobardi Pariſiis* a. 1665. ab eo prolata eſt. Denique *Epitomes Caſſiani* graece conuerſae ſpecimen dedit *Monteſalco* in editione Operum *Athanaſii*, de quo nos in Caſſiano dicere memini. Sequitur *Index chronologicus.*

SAEC. XVI.

Sine anno

loco et typographo (Mediolani) fol. Paſſio S. Mauritii et eius commilitonum; in *Bonini Mombritii* Vitis Sanctorum *Vol. II.* fol. CLIII — CLV.

Prima haec editio eſt huius opuſculi, ſed vt antea monitum, non ſincera.

Saec. XVI.

1516.

Baſileae. 4. D. Eucherii—Epiſtola Paraenetica ad Valerianum cognatum ſuum de contemptu mundi (ex recognitione *Beati Rhenani) Cat. Bibl. Bunau.*

1520.

Baſileae apud Andream Cratandrum. 4. Clari iuxta ac diſerti viri Eucherii Lugdunenſis Epiſcopi ad Valerianum cognatum ſuum Epiſtola Paraenetica, ab amore mundi ſtudioque prophanae philoſophiae ad pietatis veraeque ſapientiae ſtudium prouocans, cum ſcholiis *Deſ Eraſmi.*

Ad hanc editionem pertinet haud dubie *epiſtola Eraſmi*, quae libello huic in editione Baſileenſi a. 1531. praefixa eſt, *ad Alardum Amſtelredamum liberalium artium profeſſorem*, a quo ms. eius exemplar abs auctoris nomine accepiſſe videtur. „*Libellus*, inquit, *quem miſiſti, cum ſuis dotibus vndique mirum in modum placuerit, tum hoc placuit impenſius, quod olim puero mihi et lectitatum eſſe et placuiſſe memini. Si quid meo ſuffragio tribuis, nihil video profectum a noſtrae religionis hominibus, qui eloquentiae quoque gloria floruerint, quod cum huius phraſi ſit conferendum. Vt nusquam non praeſtat egregium artificem, ſiue ſpectes ordinem, ſiue tranſitus ſubinde nouos, ſiue non vulgare ingreſſum, veluti limen argumentationis. Nullam ſuaſorii generis partem non tractat. Nusquam deſidet in locis communibus. Magis vrget et inflat argumentis, mire pungit epiphonematis, delectat iuxta et mouet ſententiis. Quodque magis etiam mirandum eſt, ſic Iſocratis ſchematibus modulata, ſtructa, picturataque eſt oratio, vt nuſquam frigeat, aut ineptiat. Sic arguta, vt in-*

terim

terim neruoſa: ſic elaborata, vt tamen dilucida: ſic noua, ſed vt taedio careat affectationis: ſic feſtiua, vt nihilo ſecius grauis ac ſeria: ſic rhetorica, vt γνησίως tamen Chriſtiana. Denique ſic acris ac vehemens, vt ſui tamen vbique ſimilis, pari intentione ad extremum vſque calcem properans, ſani videlicet vegetique ingenii argumentum. Gennadius dum huic ſtylum tribuit ſcholaſticum, ni fallor, pluſculum in eo deſiderauit arcanarum litterarum. Caeterum libellum hunc a Rodolpho Agricola verſum non eſſe, vel ſtilus ipſe ſatis arguit, praeſertim cum quaedam ſint ſchemata, quae ne poſſint quidem ad Graecam orationem reſpondere. Gennadius indicat Eucherii eſſe Lugdunenſis Eccleſiae epiſcopi. Moxque huius meminit epiſtolae, quam ſcripſerat ad Valerianum propinquum ſuum, de contemptu mundi, deque relinquendo ſtudio prophanae philoſophiae. Atque vtinam reliqua huius extarent, vel is liber, quo carptim obſcura quaeque diuinorum voluminum capitula explanauit, vel is, quo prolixa Caſſiani opuſcula contraxit in compendium."

1525.

Pariſiis apud Iodocum Badium. 8. Eucherii— Epiſtola ad Valerianum — Item diſticha veteris cuiusdam philoſophi etc. *Benedd. in Hiſt. lit. Galliae.*

Sine anno.

Pariſiis per Claudium Chevallonium. 8. ſ. 12. Eucherii Lugdunenſis Archiepiſcopi, formulae intelligentiae ſpiritalis; libri duo inſtructionum nunc primum editi; epiſtola paraenetica ad Valerianum cognatum ſuum cum ſcholiis *Deſiderii Eraſmi* S. Baſilii epiſcopi, epiſtola conſolatoria aduerſus mundi incommoda, nunc primum edita: nonnihil de carnis reſurrectione ex epiſtola D. Hieronymi ad Pammachium aduerſus errores Ioannis Hieroſolymitani: omnia edita ſtudio *Petri*

Petri Gerardi. Cat. Bibl. Reg. Pariſ. et Baluz. T. II. *p.* 641.

Tametſi haec editio anni nota careat, tamen, cum propter Typographum aut Bibliopolam aetas eius incerta eſſe non poſſit, et ne ſeries harum editionum, quae plura Eucherii opuſcula iunctim exhibent, intercipiatur, huc reponere eam viſum eſt. Praefatus eſt *Petrus Gerardus* Epiſtola data *Pariſiis* XVIII. *Calend. Nouembr.* ſine anno, ad Gulielmum Paruum Trecenſem Epiſcopum et Regiae confeſſionis auditorem, cuius beneficio cum Eucherii haec opuſcula alioqui, vt ait, rara conſecutus ſit, ingrati atque impudentis ingenii fore ait, niſi eius nomini conſecraret. „Accedit, inquit, quod in publicum mittitur induſtria excuſus et informatus Claudii Chevallonii hominis T. D. addictiſſimi, quique vehementer annixus eſt, vt quoad fieri poſſet, id exemplar, quod vnum ſua liberalitate nactus erat, repurgaretur tot mendis, quibus propemodum labefactatum erat: adhibitis etiam ad hunc vſum vetuſtiſſimis LXX. interpretibus, et aliorum codicum, quibus illa aetas aſſueuerat, translationibus: quas nihil grauate aſciuit, vt hac ratione ſuam diligentiam tibi approbaret, et bonis ſtudiis hac quoque in parte prodeſſet.“ Exemplum huius epiſtolae nobis praebet Editio Lugdunenſis a. 1613. Notari autem debet, Caſimirum Oudinum *), qui huius editionis natales circa annum 1520. collocat, contuliſſe primum eius opuſculum *Formularum ſpiritualis intelligentiae* cum MSS. codicibus Bibliothecarum Pariſienſium, Regiae 5795. Colbertinae 1893. et ſancti Germani 250. atque primam hanc vt recte exiſtimauit illius editionem ſolam germanam et hiſce 600. vel 700. annorum codicibus conformem deprehendiſſe. Obſeruat

*) *Comm. de SS. Eccl. T.* I. *p.* 1220.

ſeruat autem ſequentes editiones, veluti Baſileenſem a. 1531. (quam *ſecundam* vocat), Romanam a. 1564. et Lugdunenſem a. 1677. duplo eſſe auctiores et innumera habere admixta ex auctoribus S. Eucherio poſterioribus et maxime ex S. Gregorio Papa; adeo vt genuinum illud opus Eucherii vix mediam partem contineat eorum, quae in vltimis huius libri editionibus impreſſa ſint.

1530.

Baſileae apud Andr. Cratandrum. 4. D. Eucherii Epiſcopi Lugdunenſis, Liber formularum intelligentiae ſpiritualis; eiusdem liber de quaeſtionibus difficilioribus Veteris et Noui Teſtamenti, interpretatio Nominum Hebraicorum, et aliorum ſacris literis contentorum, et epiſtola ad Valerianum de contemptu mundi: ex editione et cum ſcholiis *Deſiderii Eraſmi. Cat. Bibl. Reg. Par.*

1531.

Baſileae in officina Frobeniana. fol. D. Eucherii Lugdunenſis Epiſcopi Doctiſſ. Lucubrationes non minus piae quam eruditae cura ac beneficio *Ioannis Alexandri Braſſicani* iureconſulti recens editae, quarum haec eſt ſumma. In Geneſim Commentariorum Libri III. In libros Regum Commentariorum libri IIII. Formularum Spiritalium Liber I. accurate recognitus, adiectis iis omnibus, quae in ſuperiore editione quam plurima deſiderabantur. Quaeſtiones in Vetus et Nouum Teſtamentum. Nominum Hebraicorum ac aliorum etiam, quae in ſacris literis habentur, Interpretatio. Epiſtola Paraenetica ad Valerianum cognatum ſuum, de contemptu mundi, cum Scholiis D. Eraſmi Roterodami. *In fine:* Baſ. in off. Frob. per Hieronymum Frobenium et Nico-

Nicolaum Epiſcopium, menſe Auguſto (*in titulo* menſe Septembri) M.D. XXXI.

De editore *Ioanne Alexandro Braſſicano* vide quae infra ad Saluianum diſputamus. Inſcripſit ille *primum opus* eidem, cui Saluianum nuncupauit Epiſcopo Auguſtenſi Chriſtophoro a Stadion. Plena eſt epiſtola (data Viennae Auſtriae ex regio collegio a. 1530. menſis Decembris die XX.) laudibus Eucherii, ſed ad rem praeſentem parum facit. *Alterum opus* quod peculiari titulo gaudet, et *tertium* epiſtolis ibidem eodemque anno et menſe exaratis, dicata ſunt D. Iano a Siuolla; Equiti et Iuriſconſulto. In his iucunda ſunt et memoratu non indigna quae de vario librorum vetuſtorum intra et extra vrbem Viennam, dum a Turcis obſeſſa eſſet, fato adſperſit. Depraedicans ſcilicet diuinam curam atque prouidentiam quanta ſit in conſeruandis veterum auctorum praeſertim iis, quae ſacra enarrent ſcriptis, de Eucherio exemplum capit. „*Nam anno ſuperiore*, inquit, *quum immaniſſimi Turcae Viennam inaudita obſidione premerent, et omnia circumiecta, nimirum vrbes, arces, coenobia, villas, pagos, agros, vineas, ferro et igne vaſtarent, excuſſerant etiam regium hoc, inſtituti Diui Bernardi Coenobium, quod ad S. Crucem Diuo Leopoldo Archiduci Auſtriae appellare placuit: et quum hoc ita miſeris modis accepiſſent, vt iam coenobium quaereretur in coenobio, libros tamen omnes et veteres, et adhuc minime vulgatos, incorruptos, et ex nulla parte deminutos reliquerunt, Ita vt ignis iis non aliter pepercisse videatur, quam Aeneae Anchiſem patrem humeris efferenti, nec flammarum vis, nec hoſtium infelix occurſus obeſſe potuit, aut Aetnae incendium pios illos adoleſcentes parentum ſuorum latera claudentes, ſaluos ac incolumes abire permiſit. Pepercit igitur incendium hoc atrociſſi-*

ciſſimum Eucherio, et ab eo libris iſtic omnibus omne ius belli Turcae abſtinuerunt. Cum interea noſtri milites, intra moenia, libros omnes diſcerperent, omnia volumina corrumperent. Ita vt vix a publicis etiam bibliothecis diripiendis aut vi prohibiti, aut auctoritate ſubmoti fuerint. Vides, optime vir, quam vnico nomine tantum non etiam moribus a Turcis hae belluae differunt. Certe non minus periculi fuit ab impoſito praeſidio, quam ab externo et eo quidem pernicioſiſſimo hoſte." Atque haec priora duo opuſcula ipſe primus Braſſicanus ex laudati monaſterii membranis chartiſue produxit; tertium, provt fert ipſe titulus, denuo ad manuſcriptum exemplar eiuſdem Monaſterii recognouit. Qua de opera ſua ad eundem Ianum a Siuolla ita loquitur: „*Oculatus ipſe mihi teſtis es, mi Iane, quantum mihi laboris exhauriendum, immo vt verius dicam, quantum taedii exſorbendum fuerit in reſtituendis ac repurgandis Eucherii ſpiritalibus illis formulis. Nam exemplum recens editum non tantum mutilum, verum etiam eximie mendoſum fuit. Cuius rei culpam, tantum abeſt, vt illi imputem, qui primum nobis hoc dedit, vt etiam benignitatem hominis eruditi ac candorem laudibus vehendum exiſtimem, qui ſtudioſis exhibere maluit, id quod commodum acquiſierat, quam vt pateretur hoc intercidere. Nos autem exemplo et integro et egregie ſincero vſi, quod nobis cum pleriſque aliis aeque bonis autoribus Reuerendus pater, Dominus Ioannes Hartmannus abbas ſanctae Crucis in Auſtria vir et ſtudiorum et ſtudioſorum vnicus patronus, meum autem praecipuum decus et praeſidium, libenter et ex animo communicauit; primum id quod deerat, adiecimus, et quae deprauata fuerant religioſe caſtigauimus; quod vt ſtudioſi planius cognoſcant, ſubiiciam duo tantum exempla,*

empla, ex quibus reliqua facile, tanquam leonem ex vnguibus aeſtimare poſſint. Primum caput de diuinis nominibus, quod totum deſiderabatur, iam ex veteri neque minus ſincero exemplo repoſitum eſt. Iam enim conſulta opera praetermitto quanta facta ſit in omnibus capitibus acceſſio. In praefatione Eucherii ſic legitur; atqui ſecundum allegoriam Baptiſmus, ſecundum anagogen angeli: *cum ſit legendum:* Aquae ſecundum allegoriam Baptiſmus, ſecundum anagogen angeli; vnde eſt illud, et aquae quae ſuper coelos ſunt, laudent nomen domini *et caetera. Non equidem inuideo, ſi quis veteres ſcriptores in lucem proferat, miror autem magis, ſi quis in iis caſtigate depromendis omnem operam ſuam collocet.*" *Sextum* opuſculum, *Epiſtola* ſcilicet *paraenetica ad* Valerianum, ex Eraſmi editione deſcriptum eſt, additis ſcholiis eius et epiſtola ad Alardum. Ceterum Frobenii operam dederunt, vt tam commode, quam luculenter, typis hoc volumen exararetur.

1541.

Lugduni apud Sebaſt. Gryphium. 8. Eucherii Epiſtola ad Valerianum cognatum de contemtu mundi. *Benedd.* in *Hiſt. lit. Galliae.*

1564.

Romae apud Paulum Manutium. fol. D. Eucherii Epiſcopi Lugdunenſis opera, ſeu Commentarii in Geneſim et in libros Regum etc. ex editione *Petri Galeſinii. Cat. Bibl. Reg. Pariſ. et Pinell.* Vtinam vero titulum integrum proferrent.

1574.

Coloniae Agr. apud Geruinum Calenum et haeredes Quentelios. fol. Martyrium fortiſſimorum Martyrum Mauricii et ſociorum eius ab Eucherio Lugdunenſi

dunenſi conſcriptum, praemiſſa eius Epiſtola ad Sylvium *(ſic)* Epiſcopum; in *Tomo* V. *Vitarum SS. Laurentii Surii pagg.* 325—330.

1578.

Pariſiis apud Aegidium Gorbinum ſub ſigno ſpei. 8. S. Eucherius Epiſcopus Lugdunenſis ad Hilarium Arelatenſem de laude Eremi, e Lirinenſi Bibliotheca nunc primum productus; cum *Hilarii Arelatenſis Oratione Funebri de S. Honorato. Cinelli Bibl. Volante T.* II. *p.* 265.

Dicitur haec editio plerumque *Gilberti Genebrardi*, ſed Genebrardus quidem dedicationem praefixit, praefationem autem ſcripſit *Dionyſius Faucherius*, ac memini eandem recuſam eſſe in Chronographia Lirinenſi, de exemplari tamen, vnde edatur hic libellus, altum in ea eſt ſilentium. De aliis, quae hoc volumen complectitur, vide ad Hilarium Arelatenſem.

1580.

Baſileae ex offic. Heruag. per Euſeb. Epiſcopium. fol. Eucherii Epiſcopi Lugdunenſis Liber Formularum Spiritualis Intelligentiae; ad calcem *Clauis Scripturae Sacrae Matthiae Flacii.*

Nimirum Flacius Appendicis loco eum adiecit *Expoſitioni* ſuae *Singulorum Vocabulorum ac Nominum* eo conſilio, vt lectores veterum hac in re ſententiam agnoſcerent. Ceterum non dubito primam eſſe hanc quam indicauimus huius Operis editionem. Repetita eſt ſaepius diuerſis in locis, e. c. *Baſileae* 1609. *Francof.* 1659 *Hafniae* 1695. In poſtrema Eucherii liber extat pagg. 1345—1372.

Saec. XVII.

1602.

Antverpiae. 8. Eucherii Lugdunenſis Epiſcopi Homiliae, ex editione Ioannis Livineii *Antverpienſis Canonici;* ad calcem *Sermonum Catecheticorum Theodori Studitae*, a *pag.* 372.

Haec eſt prima vt antea docuimus ſermonum, quos vere Eucherii putant, et ab illis, qui ſub *Euſebii Emiſeni* aut *Gallicani* nomine circumferuntur, diuerſi ſunt, editio.

1613.

Lugduni ſumptibus Petri Rigaud. 4. Eucherii Lugdunenſis Eccleſiae quondam archiepiſcopi, Theologi doctiſſimi, Intelligentiae ſpiritualis formulae, Inſtructionum libri duo, Eiuſdem epiſtola paraenetica ad Valerianum [ex editione *Petri Gerardi;* accedit Eiuſdem epiſtola ad Hilarium cum praefatione *Dionyſii Faucherii* Monachi Lerinenſis, et annotationibus Vincentii Salerni]; in *Chronologia Sanctorum et aliorum Virorum illuſtrium ac Abbatum Sacrae Inſulae Lerinenſis per* D. Vincentivm Barralim *Salernum, Monachum Lerinenſem, in vnum compilata.*

Gerardi praefationem hic deſcriptam eſſe, antea monuimus.

1617.

Ingolſtadii ex typographia Ederiana. 4. D. Mauricius Thebeae legionis Dux, ſeu S. Mauricii Martyrium, a S. Eucherio, Epiſcopo Lugdunenſi, conſcriptum, nunc iterum editum, cum notis et notationibus, ſtudio et labore *Petri Stevartii.* Acceſſit etiam officium S. Mauricii. *Cat. Bibl. Reg. Pariſ.*

1618.

Coloniae Agr. ſumptibus Ant. Hierat. fol. Beati Eucherii Lugdunenſis Epiſcopi quae extant omnia pia ad S. Scripturam Opuſcula. I. Formulae ſeu Phraſes S. Scripturae. II. Quaeſtiones Veteris ac Noui Teſtamenti. III. Hebraicorum nominum interpretatio. IV. De Vita Solitaria ad Valerianum. Illuſtrata, recenſita atque emendata ſtudio *Andreae Schotti* Soc. Ieſu. Accedunt et Eucherio adſcripti Commentarii in Geneſim et Libros Regum; in *M. Bibl. Patrum Tomo* V. *Parte* I. *pagg.* 739—918. Adiuncta eſt praefatio Alex. Braſſicani.

In praefatione diſſerit A. Schottus de ſcriptis Eucherii tam genuinis quam ſuppoſititiis. *Ibidem*, a *pag.* 543 ad 738. inſertae ſunt *Homiliae Euſebii Gallicani* poſt editionem *Io. Gaigneii* ab Andrea Schotto denuo recenſitae et ſermonibus locupletatae.

* *

Coloniae Agr. ſumpt. Io. Kreps et Herm. Mylii. fol. SS. Mauricii et ſociorum Martyrum Agaunenſium martyrium ab Eucherio Ep. Lugd. conſcriptum; in *Vitis SS. Surii* ed. *ſecundae* Volumine ſecundo ad d. XXII. Sept. *pagg.* 220—223.

1621.

Antverpiae ex off. Plantin. apud Balthaſ. Moretum, et Viduam Io. Moreti, et Io. Meurſium. 8. D. Eucherii Epiſcopi Lugdunenſis de Contemptu Mundi Epiſtola paraenetica ad Valerianum cognatum. Accedit Vita D. Paulini Nolani veri Mundi Contemptoris.

Editor eſt *Heribertus Rosweydus*, qui notatiunculas aliquot adſperſit et inſcripſit, vti et ſequens

opuſculum, Henrico Van der Heyden Villariae Abbati.

* *

Ibidem apud eoſdem bibliopolas. 8. D. Eucherii Epiſcopi Lugdunenſis de laude Eremi ad Hilarium Lerinenſem monachum libellus [cum *Heriberti Rosweydi* notatiunculis].

1622.

Coloniae Agr. ſumpt. Ant. Hierat. fol. D. Eucherii Lugdunenſis Epiſcopi de laude Eremi libellus cum *Heriberti Rosweydi* notatiunculis; in *Tomo XV. ſeu Supplemento, ſeu Appendice ad M. Bibl. Colonienſem.*

1624.

Pariſiis.... fol. Eucherii Epiſcopi Lugd. Homiliae cum *Theodori Studitae ſermonibus Catecheticis* iuxta editionem *Io. Liuineii* expreſſae; in *Bibl. PP. Bign.* ed. *quartae* (Paris) *Tomo* II. a *col.* 767.

1626.

Lugduni ſumpt. Lud. Proſt haeredis Rouillii. fol. S. Eucherii difficiliores quaeſtiones in vetus et nouum Teſtamentum. Eiuſdem Interpretatio nominum hebraicorum; in *Ludouici de la Cerda Adverſariis Sacris capite* CXV. *pagg.* 204—219. et *cap.* CLXIV. *pagg.* 423—426. Errat autem Fabricius dum iiſdem accenſet Caput CLIX. quod haud quaquam ad Eucherium pertinet, ſed ipſius eſt Lacerdae.

1627.

Lugduni apud Franc. de la Bottiere. 12. S. Eucherii Opuſcula aſcetica, Dorothei doctrinae *aliaque*

que opuſcula curante *Turriano* Sacerdote I. *Benedd. in Hiſt. lit. Galliae* diſertius non laudant, ſed ineſſe monent duas Eucherii epiſtolas ad Hilarium et Valerianum.

1635.

Monachii [24]. De vera Sapientia, vera Virtute et Tranquillitate Animi SS. *Eucherii Lugdunenſis* Martini Bracarenſis, et Magni Wigonis, Antiſtitum. Vide ed. Bruxellenſem a. 1671.

1644.

Genuae apud Io. Mariam Pauonium. 8. Epiſtolae Genuinae Diui Eucherii Lugdunenſis Epiſcopi, quas cum eximii Concionatoris hortatu multi cuperent, habere vix pauci poſſent, ſodales Ieſu Crucifixi in Collegio Genuenſi Soc. Ieſu auctorati nouiſſime imprimendas curarunt. *Cinelli Bibl. Volante cont. da Sancaſſani. T.* II. *p.* 265. *Bibl. Baluz. T.* II. *p.* 1002.

❋ ❋

Pariſiis apud tres bibliopolas. fol. Eucherii Lugdunenſis Epiſcopi Homiliae; in *Bibl. PP. Bign. Tomo* II. loco vltimo poſt *Theodori Studitae ſermones.* Eiuſdem editionis exemplaria ſunt, quae annum 1654. praeferunt.

1646.

[Pariſiis. 12.] S. Eucherii — Epiſtola paraenetica ad Valerianum cognatum curante *Philippo Labbeo. Fabric. in Bibl. M. et I. Lat.* ed. Patau. *T.* II. *p.* 116.

1657.

Pariſiis apud Sebaſtianum et Gabrielem Cramoiſy. fol. Epiſtola Eucherii Epiſcopi ad Fauſtum ſeu

Fauſtinum Presbyterum Inſulanum de ſitu vrbis Hieroſolymitanae atque ipſius Iudaeae; in PHILIPPI LABBEI *noua Bibl. MSS. librorum Tomo* I. *pag.* 665 ſq.

1661.

Romae exc. Vitale Maſcardo. 4. S. Eucherii Exhortatio ad Monachos. Eiuſdem ſententia ad Monachos. Eiuſdem Admonitio ad Virgines, ex duobus MSS. codicibus Floriacenſibus Reginae Suecorum edidit *Lucas Holſtenius* in *Appendice Codicis Regularum pag.* 89. ſqq. in ed. *Pariſienſi pagg.* 55—62.

1662.

Pariſiis ſumpt. Ant. Bertier. fol. S. Eucherii Lugd. Ep. homiliae aliquot; in *Bibliotheca Patrum concionatoria* (octo voluminibus diſtributa) *Franciſci Combefiſii.* Editio nouiſſima eſt *Veneta* a. 1749. *VII. Voll.* Editor quaſcunque huic collectioni inſeruit Eucherii nomine Homilias, a Liuineio deſumſit.

* *

Diuione. 4. Paſſio Agaunenſium Martyrum, auctore S. Eucherio Lugdunenſi Epiſcopo; in *Pet. Franc. Chiffletii Paulino illuſtrato. P.* I. *pagg.* 86—92.

1665.

Pariſiis apud Franc. Muguet. 8. Epiſtola ſancti Eucherii Lugdunenſis Epiſcopi ad Philonem Presbyterum, ex veteri codice MS. Petri Marnaeſii Senatoris Gratianopolitani edidit *Steph. Baluzius;* in NOTIS ad S. *Agobardi Opera*, Tomo II. *pagg.* 155. 156.

1670.

1670.

Cygneae. 8. B. Eucherii Homiliae de B. Virginis conceptione Fragmentum; in *Chriſtiani Daumii Homiliis PP. in Natiu. I. Chr.* p. 213 — 255. Ex Liuineio.

* *

Viennae Auſtriae typis Matthaei Coſmerouii. 8. Diui Eucherii Lugdunenſis Epiſcopi Epiſtola Paraenetica, ad D. Valerianum Cognatum ſuum, ab amore profanae philoſophiae ad ſtudium verae ſapientiae prouocans. Item B. Franciſci Borgiae olim Gandiae Ducis, poſtea Societatis Ieſu Generalis Epiſtola practica — pro Xenio an. M.DC.LXXI. oblatae illuſtriſſimae Sodalitati Dominorum ſub titulo Aſſumptae Deiparae in Domo Profeſſa Societatis Ieſu Viennae erectae.

1671.

Bruxellis apud Franciſc. Foppens. 24. De Vera Sapientia, vera Virtute et Tranquillitate Animi SS. Eucherii Lugdunenſis, Martini Bracarenſis, et Magni Wigonis, Antiſtitum. Editio noua iuxta exemplar Monachii impreſſum anno 1635.

Ineſt Eucherii epiſtola paraenetica ad Valerianum. Sacerdos quidam Societatis Ieſu Sodalitatis Latinae ſub Titulo B. M. V. Viſitantis erectae in Collegio Societatis Ieſu Bruxellis Director, qui ſub litteris G. H. latere voluit, editionem horum libellorum Monachii a. 1635. factam et, vt ait, illico diſtractam recudi curauit.

1673.

Pariſiis apud Seb. Cramoiſy. 12. Via ad aeternitatem, ſiue tria Opuſcula SS. Eucherii Lugdunenſis

et Hilarii Arelatenſis 1) de laude Eremi, 2) de contemptu mundi, 3) de vita S. Honorati. *Cat. Bibl Teller. pag.* 34. a.

1677.

Lugduni apud Aniſſonios. fol. Beati Eucherii Lugdunenſis Epiſcopi quae extant omnia pia ad Sanctam Scripturam Opuſcula — illuſtrata, recenſita atque emendata ſtudio *A. Schotti* Societ. Ieſu; in *Tomo VI. Bibl. Max. PP. pagg.* 822—1014. Expreſſa iuxta editionem Colonienſem; ſed poſt *quartum* opus inſerta ſunt, *Epiſtola ad Hilarium de laude Eremi* et *Acta Sanctorum Martyrum Agaunenſium* (ex *Chifletio*) ſubiecta *Epiſtola ad Saluium Epiſcopum.* Ibidem *Tomo* XXVII. *pag.* 180 ſqq. legitur: *Eucherii exhortatio ad Monachos et ſententia ad eoſdem, ex editione Lucae Holſtenii.*

1689.

Pariſiis. 4. Paſſio SS. Mauricii et Sociorum eius Martyrum auctore Eucherio Ep. Lugd. Ex Paulino illuſtrato Chiffletii et variis codd. MSS. Bibl. Reg. aliarumque cum Praemonitione *Theod. Ruinarti;* in *Actis Martyrum* eius *pag.* 289 ſqq.; in ed. ſecunda, ab ipſo auctore recognita, quae *Amſtelodami ex off. Wetſteniana* prodiit a. 1713. *fol. pag.* 271; in *Veronenſi* (ex *Typogr. Tumermanniana)* 1731. *fol.* pagg. 237—43.

SAEC. XVIII.

1726.

Venetiis apud Bartholomaeum Giauarinam, in vico S. Ioannis Chryſoſtomi. 16. De vera Sapientia, vera Virtute, et Tranquillitate Animi SS. Eucherii Lugdunenſis, Martini Bracarenſis, et Magni Wigonis

nis Antiſtitum Opuſcula, Illuſtriſſimo ac Reuerendiſſimo D. D. Marco Gradonico, Patriarchae Venetiarum, Dalmatiaeque Primati etc. dicata. *Cinelli Bibl. Volante* I. ſupra laudata.

1747.

Venetiis .... fol. Eucherii Lugdunenſis Epiſcopi Epiſtola ad Fauſtum Presbyterum Inſulanum de ſitu Vrbis Hieroſolymitanae atque ipſius Iudaeae (*falſo ipſi tributa*); in *Blaſii Vgolini Theſauro Antiquit. Sacrar. Tomo* VII. a *col.* 1201.

1757.

Antverpiae apud Bernhard. Alb. van der Plasſche. fol. Paſſio SS. Mauritii aliorumque Legionis Thebaeae Martyrum auctore S. Eucherio Lugdunenſi Epiſcopo edita a Petr. Franciſco Chiffletio S. I. et a Ruinartio cum aliis Mss. collata. *Item* Paſſio interpolata ex Ms. S. Maximini Treuirenſis, collata cum editis a Surio et Mss. Fuldenſi, S. Saluatoris Vltraiectenſis, et Marchianenſi; cum annotatis *Io. Stiltingii* etc. in *Actis SS. Bollandiſt.* menſe *Septembre* T. VI. *pagg.* 342—349.

Acceſſit *Commentarius praeuius*, in quo omnia, quae tam hiſtoriae ipſius, quam actorum ſinceritatem reſpiciunt, non vulgari eruditione et ſolertia illuſtrantur. Inſperſa ſunt et alia monumenta ad eadem acta facientia.

* *

VERSIONES. Ex omnibus Eucherii lucubrationibus ſola fere *Epiſtola ad Valerianum* in recens aliquod idioma translata eſt. Primum huius rei inſtitutum ni fallor *Gallis* debemus. Neque Itali id neglexerunt et laudari etiam vides *Hiſpanicas* et *Anglicas* verſiones. Nobis ſequentia colligere licuit.

 1) *Epi-*

1) *Epiſtola ad Valerianum.*

1552.

Lyon chez Mace Bonhomme. 4. S. Euchier à Valerian, exhortation rationale, retirant de mondanité et de la philoſophie prophane à Dieu et à l'etude des ſainctes lettres, traduicte en vers François, avec annotations, par BARPTOLEMY ANEAU. *Cat, Bibl. Reg. Par.*

1659.

Lyon. 8. Eadem et Epiſtola ad Hilarium de laudibus Eremi anonymo interprete *) in libro gallico, cui titulus: la Solitude Chretienne. *T.* I. *pag.* 137. ſq. Tertia huius operis editio a. 1662. notatur a *Benedd.* in *Hiſt. l. Galliae.*

1672.

Pariſ. chez Pierre le Petit. 12. S. Eucher, du mepris du monde, traduit en François par ROBERT ARNOULD *d'Andilly*, avec le Latin enſuite. Extat eadem in *Operibus* eius *Tomo* I. *Pariſ.* 1675. *pag.* 24. ſqq.

1609.

In Venetia. Lettera di Eucherio Santo Veſcovo di Lione etc. tradotta dallo Spagnolo (*Ludouici Granatenſis*) **) in Italiano da *Gio. Giolito.* Ext. cum *Libro della SpiritualGratia* etc. di *Giv. Lanspergio. pag.* 210. *ſqq.*

1715.

*) Fabricius *I. Canagium* et *Ant. Godellum* inter interpretes Gallos numerat.

**) Laudatur haec verſio hiſpanica in *Cat. Bibl. Barberinianae T. I. p.* 382. ſed omiſſa loci annique mentione.

1715.

In Milano per Giuſ. Pandolfo Malateſta. 8. Eadem *tranſportata dal Latino* da D. *Carolo Giacinto Gariboldi*, vna cum *textu Latino.*

2) *Paſſio SS. Martyrum Agaunenſium.*

1705.

Amſterdam. 12. Diſſertation hiſtorique et critique ſur le Martyre de la Legion Thebéene avec *hiſtoire du Martyre de cette Legion attribuée à St. Eucher.* Archetypum huius diſſertationis *Ioannis Dubordiaei (Dubourdieu)* Sacerdotis Caluiniani coetus Saubadicae Londini, anglico idiomate in lucem exiit, anno circiter 1696. *). Sed magis obuia eſt verſio gallica. Studioſe nec ſine acrimonia refutare eum nituntur Antuerpienſes Actorum SS. editores.

1778.

In Roma nella Stamperia di S. Michele a Ripa. 4. Paſſione de' Santi Maurizio, e compagni Martiri ſcritta da S. Eucherio Veſcovo di Lione; in *Atti ſinceri de primi martiri della chieſa Cat. racc. dal P. Ruinart e trad. da* Franc. Maria Luchini *Tomo* II. *pagg.* 457—467. Praemiſſa eſt non Ruinarti, ſed ab ipſo interprete ſcripta introductio.

37.

Vincentius Lirinensis.

§. 1. Vita.

Lirinenſis cognomen ipſi inditum fuit, vt ab aliis eiusdem nominis atque aetatis ſcriptoribus diſcerneretur, ab inſula, in qua maximam vitae ſuae partem monaſticis

*) *Chriſtoph. Saxii* Onom. lit. *T.* V. *Anal.* p. 652.

ſticis ſtudiis impendit. Pauca et non ſatis certa de ortu eius atque conditione memoriae tradita ſunt. Natus fuit in Gallia Celtica vel Belgica, et ſi vere germanus illius fuit Lupus ille Trecenſis, quod tamen doctiſſimi rerum vtriusque ſcriptores negant *), Tullum Leucorum patriam habuit. Quo tempore primum ſaeculo nuntium remiſerit et in inſulam ſeceſſerit, quandoque et vbi presbyteri dignitatem ſit adeptus, ignoramus: ſed mature factum eſſe debet, ſi quidem Eucherius de eo praedicat, eum filium ſuum Salonium, qui ab Honorato abbate inſtitui coeperat, cum Saluiano conſummaſſe, obitumque eius a. 450. aſſignant.

§.2. Scripta. „Compoſuit ad euertenda Haereticorum collegia nitido et aperto ſermone validiſſimam diſputationem, quam *abſconſo nomine ſuo* attitulauit *Peregrini, aduerſus Haereticos:* cuius operis quia ſecundi libri maximam in ſchedulis partem a quibusdam furatam perdidit, recapitulato eius paucis ſermonibus ſenſu, primo compegit et in vnum librum edidit.“ Haec Gannadius c. LXIV. Supereſt hocce opuſculum, inſcriptum *Commonitorium*, ſeu *Commonitoria duo pro catholicae fidei antiquitate et vniuerſitate aduerſus profanas omnium Haereticorum nouitates.* Sed certum eſt neque Peregrini nomen neque *Commonitorii* titulum ab ipſo auctore profecta ſed ex praefatione libri petita eſſe. Multa diſputata ſunt a recentioribus, praeeuntibus Voſſio et Noriſio, de Semipelagianiſmo Vincentii ſtudioque eius Auguſtinianam doctrinam de gratia tanquam haereticam traducendi. Quin proprium in eo operis huius conſilium nonnulli agnoſcere ſibi viſi ſunt et loca omnia Semipelagianiſmo conſona diligenter enotarunt, de quibus itemque iis

*) *Hiſt. Litt. de la France T.* II. *p.* 305.

iis, quae ab aliis oppoſita ſunt Oudinum adire praeſtat *). Eadem fere de cauſa a quibusdam Vincentio tribui coeptae ſunt *Obiectiones* illae *Vincentianae contra Auguſtini doctrinam*, quas ſingulari ſtudio oppugnauit Proſper in libro *Reſponſionis ad capitula obiectionum Vincentianarum*, et opus *Praedeſtinati* quod a. 1643. Pariſiis exire fecit Iac. Sirmondus. Sed praeter leuem nominis in altero et doctrinae in vtroque cum illa Semipelagianiſmi in Vincentio ſuſpicione ſimilitudinem omnia alia argumenta ceſſant *).

Vincentii Commonitorium, vt primum e manibus autoris ſui exiit, plures ſtatim, et frequentes deinceps per omne aeuum lectores et ex lectoribus amatores inuenit. Non immerito quidem. Eſt enim huic auctori proprium acumen quoddam, etſi falſum interdum et ineptiens, et dicendi genus conciſum crebrisque interrogationibus et reſpondendi docendique quadam fiducia viuidum, quod facile multos, quorum quisque ſuam opinionem ad lectionem afferebat, detinere poterat. Quae cauſa etiam fuit haud dubie, cur recentioribus temporibus inter vtriusque eccleſiae ſummi ac infimi ordinis eruditos admiratores ac laudatores inuenerit et ab vtraque parte ad alteram erroris conuincendam adhibitum fuerit. Ex quo autem primum a. 1528. a *Io. Sichardo* in *Antidoto contra omnes haereſes*, incertum vnde, foras datum eſt, tam crebro per iſtud ſaeculum et ſequentis pene dimidium typis exſcriptum eſt, vt legendi §. 3. Editiones.

*) *Diſſertat.* de Vincentio *cap.* II. III. ſeqq. *T.* I. *p.* 1234—45. cf. *Hiſt. litt. Galliae autores T.* II. p. 309. qui minime Pelagianiſmi odoratoribus aſſentiunt.

**) Adeundus etiam de his *Oudinus. cap.* IV. et V.

gendi contentio fregiſſe videatur, quod non poterat non multis ſuboriri paulo doctioribus deſiderium emendate illud legendi. Quippe ex immenſa editionum grege *Baſileae* imprimis, *Pariſiis*, *Coloniae*, *Louanii* aliisque locis ac terris per ſingulos paene annos procuſarum ad annum uſque 1663. paucae tantummodo critico alioue editorum munere ſunt memorabiles: nempe a textu emendatiori duae, altera *Petri Pithoei*, facta *Pariſiis* a. 1586. 4., altera *Bartholomaei Petri* emiſſa *Duaci* a. 1611. 16. cum notis eiusdem; praeter has *Coſteriana*, quae prodiit *Louanii* a. 1552. 4. propter commentariolum, et *Io. Fileſaci Pariſ.* 1619. 4. et *Calixtina Helmeſtadii* a. 1629, et 1655. ob conſilium editoris multis nominibus celeberrimi. *Memorabiles* autem dico, in honorem editorum ſcilicet, quorum culpa profecto non fuit, quod ſequiores editiones ex iis non profecerint. Neque enim vllam ex his peculiari conſilio recuſam eſſe nouimus, ſolaque Coſteriana vel Coſterii commentarius potius decies et amplius eſt repetitus. Tanto luculentior vero apparuit opera STEPHANI BALUZII, qui Vincentium ad codices Regiae Bibl. Pariſienſis recognitum et notulis doctiſſimis illuſtratum vna cum Saluiano orbi literato impertiit a. 1663. iterumque a. 1669. et tertio a. 1684. recognouit et auxit. Repetita eſt Baluziana *Cantabrigae* 1687. *Bremae* 1688. *Romae* 1709. et nuper demum a *Gallandio.* Nec *Salinaſii* editio a. 1731. praeter Baluzianum textum laudabile quidquam habet. Teſtimonia accipe ex ſequenti *indice* editionum *chronologico.*

SAEC. XVI.

1528.

Baſileae exc. Henr. Petro. fol. Vincentii Lirinenſis Galli pro Catholicae fidei antiquitate et Vniver-

verſitate; aduerſus prophanas omnium haereſeon novationes; in *Io. Sichardi Antidoto contra diuerſas omnium fere ſec. haereſes. fol.* 202. *b.* — 214. *a.*

1543.

Lugduni apud Iacob. Gazellum. 8. Idem liber *Bened. in Hiſt. litt. Galliae.*

1544.

Pariſiis apud eund. bibliopolam. 8. Vincentii Lirinenſis Galli liber pro catholicae fidei antiquitate et vniuerſitate, aduerſus prophanas omnium haereſeon nouationes; item *Q. Sept. Florent. Tertulliani* liber vnus de praeſcriptionibus aduerſus Haereticos. ſecunda editio. *Cat. Bibl. Reg. Pariſ.*

1547.

Ibid. apud eund. 8. Vincentii Lir. pro Catholicae fidei — liber. Sic Benedictini l. l. *Catalogus Bibl. Tellerianae* p. 35. 1. impreſſam tradit *Venetiis apud Iac. Gazellum.* Vbi in alterutro ſiue loco, ſiue bibliopolae nomine, error eſſe debet. Idem vero Catalogus cum addit ſiue de ſuo, ſeu, quod probabilius, ex titulo libri *primum editus*, fefellit Benedictinos, vt principem Vincentii editionem anno incerto Venetiis factam comminiſcerentur.

1552.

Venetiis ad ſignum Spei. 8. Vincentii — libellus pro catholicae fidei veritate et antiquitate etc. *Cat. Bibl. Reg. Pariſ.* Huic acceſſiſſe aiunt Benedictini, *Io. Cochlaei diſſertationem de votis.*

* *

Louanii apud Anthon. Maria Bergagne. 4. Vincentii Lirinenſis Galli pro catholicae fidei antiquitate

quitate et veritate aduerſus prophanas omnium haereſeωn nouationes liber elegantiſſimus, ante annos mille ab authore conſcriptus. Additum eſt breue commentariolum, per *Ioannem Coſterium*, in eorum potiſſimum gratiam, qui in diuinis literis minus exercitati ſunt.

Effigies Leopardi in titulo procul dubio eſt inſigne Typographi.

1554.

Rhemis apud Nic. Bacnetium. 4. Idem liber. *Cat. Bibl. Tell.* ibid.

* *

Coloniae . . . . . . 24. Idem liber cum eodem comm. *Cat. Bibl. Baluz. T. II. p.* 1001.

1556.

Baſileae apud Henr. Petrum. fol. Vincentii — pro cath. fidei antiquitate et vniuerſitate etc. in *Io. Heroldi Haereſiologia pagg.* 643 — 663.

1560.

Pariſiis apud Io. Foucherium, via Iacobaea, ſub ſcuto Florentiae. 16. Vincentii pro Catholicae Fidei Antiquitate et Veritate, aduerſus prophanas omnium haereſeωn nouationes, liber elegantiſſimus ante annos mille ab authore conſcriptus. Cum breui commentariolo in fine addito, per *Ioannem Coſterium.* In *Cat. Bibl. Barberin.* laudatur *huius anni* editio facta *Coloniae.* 12.

1561.

Paris apud . . . . Buon. 12. Vincentii — pro Cath. Fidei antiquitate etc. cum *Staniſl. Hoſii* Cardinalis dialogo de communione Euchariſtiae ſub

vtra-

vtraque ſpecie; Coniugio Sacerdotum; et Sacro in vulgari lingua celebrando. Laudant Benedictini, neſcio quam vere. Certe error aliquis ex ſequentis editionis confuſione profluxit.

1562.

Pariſiis apud Ioannem Foucherium. 12. Vincentii — liber pro Cath. Fidei Antiquitate etc. Repetita ed. a. 1560. Ibidem eodemque anno et forma eadem, ſed non vna cum Vincentio excuſus eſt Staniſl. Hoſii de expreſſo Dei Verbo libellus recens auctus et recognitus cum libellis paulo ante nominatis.

* *

Louanii. 12. Idem liber cum eodem Commentario. *Cat. Bibl. Baluz. T. II. p.* 1000.

1568.

Louanii apud Ioannem Bogardum. 12. Idem liber, neſcio an et Commentarius. *Benedd.* et *Ceillier. T.* XIII. *p.* 582.

1569.

Coloniae apud Matern. Cholinum. 12. Idem liber cum Commentario *Coſterii. Poſſeuin. app. T.* III. *p.* 353.

* *

Pariſiis apud Mich. Iulianum. 8. Idem liber haud dubie cum eodem Commentario. *Cat. Bibl. Bodlei.*

1575.

Pariſiis apud Mich. Sonnium. fol. Vincentii — Commonitorium pro fide catholica contra haereſes;

reſes; in *Bibl. PP. Bign. Tomo* V. Titulum ex Ittigio laudo.

1585.

Lugduni apud Guil. Rouillium. 16. Vincentii — liber pro Cath. fide; cum *Dionyſii Areopagitae operibus, et Epiſtolis S. Ignatii, Polycarpi et Martialis.* BENEDD.

1586.

Pariſiis apud Sebaſtian. Niuellium 4. Peregrini pro catholicae fidei antiquitate et vniuerſitate adverſus profanas omnium haereticorum nouitates Commonitoria duo; in *Veterum aliquot Galliae Theologorum Scriptis* a *Pithoeo* editis *pagg.* 1 — 76. Titulus addit, *ex opuſculis in hoc volumine contentis nonnulla ex veteribus libris emendatius, aliqua nunc primum edi;* quae quoniam nullus in eo praefationi aliive declarationi locus eſt, cum auctoris nomine pro commendatione eſſe debent.

1589.

Coloniae apud ..... Herſtium. 16. Vincentii — liber pro Cath. fidei antiquitate etc. *Benedd. ex Poſſeuino.*

✣ ✣

Pariſiis. fol. Vincentii Lirinenſis de haereſibus liber; in *Tomo* IV. ſecundae ed. *Bibl. PP. Bign.*

1591.

Londini. 8. Vincentii — liber pro Cath. fidei antiquitate etc. *Cat. Bibl. Bodlei.*

✣ ✣

Pragae typis Michaelis Petreli. 12. Vincentii libellus pro catholicae fidei antiquitate et veritate, ad-

aduerſus profanas omnium haereſeon nouationes cum notis *Io. Langii* marginalibus. *Cat. Bibl. Bunau.*

1594.

Coloniae. 12. Vincentii — liber pro Cath. Fidei Antiquitate *cum Variis Doctorum Virorum Notis. Cat. Bibl. Barberin.*

1600.

Coloniae in officina Birkmanniana. 12. S. Vincentii Lirinenſis libellus aduerſus prophanas haereſeon nouationes, cum ſcholiis et commentariis *Io. Coſterii* et *B.* item *Edmundi Campiani* S. I. in Anglia pro religione catholica occiſi, rationes decem oblati certaminis in cauſa fidei redditae Academicis Angliae. *Cat. Bibl. Reg. Pariſ.*

SAEC. XVII.

1605.

Cracouiae. 16. Vincentii Lirinenſis Galli aduerſus prophanas haereſeon nouationes libellus vere aureus diſtributus in capita et notis breuibus ex *Ioannis Coſterii* Commentariis illuſtratus.

1611.

Duaci apud Marcum Wyon. 16. Vincentii — aduerſus prophanas haereſeon nouationes cum commentariolo *Io. Coſterii* et *Bartholomaei Petri* notis breuiculis et diſſertatione apologetica de Vincentio eiusque ſcriptis. *Caueus T.* I. *p.* 425. *ed. nou. Ox.*

Benedictini monent, Barth. Petrum textum Vincentii iuxta duos vetuſtos codices MSS. recognitum dediſſe deſcribendum.

1613.

Coloniae. 16. Idem liber cum commentariis *Io Coſterii.* *Caueus.*

Lugduni .... Vincentii Lirinenſis de catholicae fidei antiquitate aduerſus haereſium nouationes, cum notis *Io. Coſterii;* in *Chronologia Sanctorum et aliorum virorum illuſtrium ac Abbatum ſacrae inſulae Lirinenſis,* a Domino Vincentio Barrali *Salerno Monacho Lirinenſi in vnum volumen compilata.*

1618.

Coloniae apud Ant. Hierat. fol. Vincentii Lirinenſis de profanis vocum nouitatibus liber; in *Magna Bibl. PP. T.* V. *P.* II.

1619.

Pariſiis apud Dionyſ. Langlois. 4. Vincentii Lirinenſis, Monachi, ſeu Peregrini, commonitoria duo, cum Commentariis *Ioannis Fileſaci.* *Cat. Bibl. Reg. Pariſ.*

1622.

Lugduni ſumptibus Claudii Landry. 12. Vincentii — pro Cath. fidei antiquitate et Vniuerſitate etc. *pagg.* 65 — 131. in libro cui titulus: *Sandapila Silicernio* quinti ac ſexti Euangelii efferendo humeris ac niſu Valentiſſimorum quatuor Succollatorum. Quorum anteriores duo, Tertullianus *libro de Praeſcriptionibus,* Vincentius *Lyrinenſis Commonitorio aduerſus haereſes.* Poſteriores item duo, Edmundus *Campianus* de Societate Ieſu, Glorioſiſſimus Chriſti Martyr, libro rationum Academicis Oxonienſibus oblatarum, Leonar-

dus

DUS *Leſſius* ex eadem Societate, Conſultatione de Religione.

Praefatio huius opuſculi latius acumina tituli explicat et facile prodit ex qua ſchola editor bellas iſtas elegantias hauſerit.

1624.

Pariſiis. fol. Idem liber Vincentii; in *Bibl. PP. Tomo* IV.

1629.

Helmaeſtadii in acad. Iulia, typogr. Calixtino, exc. Henningo Mullero. 8. Vincentii Lerinenſis Commonitorium. GEORGIUS CALIXTUS recenſuit et edidit; *cum* Auguſtini libris IV. de Doctrina Chriſtiana et de fide et Symbolo. Peculiaris titulus eſt: *Peregrini ſiue Vincentii Lerinenſis pro Catholicae fidei antiquitate et vniuerſitate aduerſus profanas omnium haereſeon nouationes Commonitoria duo, quorum tamen poſterius maximam partem intercidit.*

Proëmii ad Lectorem maxima pars ad Vincentii librum refertur, cuius ſententias et regulam accurate explicat et imprimis oſtendere ſtudet, quid haereſis nomine venire debeat et quae ſit conſenſionis eccleſiarum in vnam doctrinam ratio. Hinc calamum contra Catholicorum de traditione itemque de poteſtate et infallibilitate praecepta dirigit, et quemadmodum iis in reipublicae omniumque poteſtatum detrimentum Loyolitae tum abuti coeperint perorat.

1631.

Oxoniae. 24. Peregrini, id eſt, vt vulgo perhibetur, Vincentii Lirinenſis commonitoria duo adverſus prophanas haereſes; adiicitur D. Auguſtini

liber de haereſibus, editio repurgata, ceteris emendatior. *Cat. Bibl. Reg. Pariſ.*

1644.

Pariſiis. fol. Vincentii Lirinenſis de haereſibus liber; in *Bibl. PP. Tomi* IV. *P.* I. Haec editio, vt ſaepe a nobis monitum eſt, ab illa a. 1654. non niſi titulo diuerſa eſt.

1655.

Helmeſtadii ex Typographeo Calixtino opera Henningi Muelleri. 4. Vincentii Lerinenſis Commonitorium. Georgius Calixtus recenſuit et edidit. Editio altera.

Huic editioni ad calcem acceſſit noua diſputatio editoris, *Admonitionis ad Lectorem* nomine. In ea ab initio declarat, vnde ſibi ante annos XXVI. prima Vincentii edendi occaſio enata fuerit. „Cum enim tunc temporis pontificii, *inquit*, in hac et vicinis prouinciis monaſteria et beneficia eccleſiaſtica occuparent, noſtros eiicerent, et noua ſua dogmata mentibus nonnullorum, qui aures praeberent, inſerere conarentur, venit mihi in mentem Commonitorium a Vincentio ſub nomine Peregrini editum, quo nouitatem omnem, quod attinet dogmata ad ſalutem neceſſaria, ſerio et ſeuere reiicit, et id ſolum admittendum cenſet, quod teſtimonio antiquitatis nitatur, ſiue quod, vt loquitur, vniuerſaliter antiquitus receptum fuerit: venit quoque in mentem, ſcriptores Pontificios recentiores, quos praecipuos legere meminiſſem, doctrinam Vincentii ſummopere laudare et approbare, et proinde recte me facturum, ſi hanc ipſam, antiquitatis adeo tenacem et aduerſariis tantopere gratam, Pontificiis nouitatibus opponerem.“ Quod quemadmodum fecerit, antea monitum eſt.

1663.

1663.

Pariſiis apud Franc. Muguet. 8. Vincentii Lirinenſis Commonitorium, STEPHANUS BALUZIUS ad fidem codicum MSS. emendauit notisque illuſtrauit; cum *Saluiano* eiusdem.

Adhibuit duos codices Regiae Bibl. Pariſ. et pauculas notas addidit, de quibus vide ad Saluianum.

1664.

Raceburgi per Nicolaum Niſſen. 12. Vincentii Lirinenſis pro cath. fidei antiquitate etc. *Cat. Bibl. Bunau.*

1669.

Pariſiis apud Franc. Muguet. 8. Vincentii Lirinenſis Commonitorium ex *ſecunda* BALUZII editione.

1677.

Lugduni apud Aniſſonios. fol. Vincentii Commonitorium aduerſus haereſes; in *Bibl. Max. PP. T.* VII. *pagg.* 249 — 263.

1684.

Pariſiis apud Franc. Muguet. 8. Vincentii Lirinenſis Commonitorium ex tertia editione STEPH. BALUZII; cum *Saluiano.*

Retractauit et paſſim mutauit priorum editionum textum, notaſque auctiores addidit.

1687.

Cantabrigiae ex off. Ioh. Hayes, impenſis Guil. Graues. 12. Vincentii Lirinenſis aduerſus profanas omnium nouitates haereticorum Commonitorium, cum notis V. C. *Steph. Baluzii.* Adiicitur S. Auguſtini liber de Haereſibus.

Praecedit immenſa praefatio. Notis additus eſt *Appendix Actorum aduerſus Pelagium et Coeleſtinum.* Vid. SALVIANUS.

1688.

Bremae ſumptib. Hermanni Braueri. 4. Vincentii Lirinenſis Commonitorium a *Baluzio Tutelenſi* ad fidem veterum codicum MSS. emendatum et illuſtratum. Praemiſſa Diſſertatione G. Calixti in Vincentium etc.; cum *Saluiani Operibus.*

Calixti diſſertatio ex Prooemio eius deſumta eſt.

SAEC. XVIII.

1709.

Romae ex typographia ſacrae Congr. de Propag. fide. 8. Vincentii Lirinenſis commonitorium in *Ioſephi Tommaſii Inſtitutionum Theologicarum Antiquorum Patrum Tomo* I. *pagg.* 193 — 275. Recuſae ſunt eaedem ibidem, a. 1746. totidem tomis.

Exemplari Bibliothecae noſtrae nonnulla adſcripſit b. *C. A. Heumannus*, ex quibus haec notaſſe iuuabit: *Hoc libello*, inquit, *Vincentius ſtabilire conatur ſummis viribus praeiudicium auctoritatis, contra hominibus eripere ſtudet omnem vſum rationis in ſacris, commendans prorſus λατϱείαν ἄλογον. Agit igitur hic non veritatis patronum, ſed erroris. Erroris eſt, quaerere, vt ſub vmbra auctoritatis et antiquitatis lateat. Veritas ſua luce radiat et omnibus omni tempore ſe praebet inſpiciendam atque examinandam. Bonum aurum, ſi vel ſexcenties examinaueris, ſemper reperies bonum aurum. Sic et veritas poſt mille examina manet veritas, et quemadmodum arithmeticus computationis ſuae veritatem nunquam probat per conſenſum aliorum arithmeticorum, ſed exclamat.*

Proba,

Proba, examina; *ſic et veritas.*" Notauit idem, quantopere hoc opus contemſerit *Dan. Whitby* in Praef. ad librum de Patrum in Scripturam S. commentariis.

1731.

Romae typis Io. Zempel prope Montem Iordanum. 8. Sanctorum Vincentii Lirinenſis et Hilarii Arelatenſis Opera ad MSS. Cod. inſignioreſque editiones recognita ac notis obſeruationibuſque illuſtrata a *D. Ioanne* SALINAS *Neapolitano Can. Reg. Lat. ac S. Theol. Lect.* ad Sanctiſſ. Patrem Clementem XII. Pont. Max.

Scilicet non ſua denuo opera recognitum dedit Vincentium, ſed Baluzianam editionem a. 1669: nam tertiam haud nouit, ſicut nec ceterarum editionum praeterquam ex Labbeo et Caueo notitiam habuit; immo non vnam laudat diſerte editionem in cuius anno non error ſit. *Notas vero obſeruationeſque,* inquit, *tales adiecimus, quae laborem diligentiamque deſiderarunt* (ſic): *vtrum poſtea alicuius ſint vtilitatis, dicere non audeo, et libens illas aequi lectoris iudicio ſubmitto. Capitum diſtinctionem licet a Baluzio ſublatam, cum editoribus aliis retinere iuſtum ac rationi conſentaneum apparuit,* (ſic) *et meo quidem iudicio non prorſus inutiliter. De doctrina S. Viri,* pergit, *circa Traditiones alibi diſſeremus contra Ioannem Dallaeum ac Georgium Calixtum, Lutheranae familiae hominem,* QUI HELMOSTADII PERIIT! Eodem ſtilo et ingenio notas ſuas pertexuit textui ſtatim ſubiectas.

1774.

Venetiis apud Io. Bapt. Albritium. fol. Vincentii Lirinenſis Commonitorium iuxta tertiam Steph. Baluzii editionem cum notis eiusdem expreſ-

ſum; in *Andreae Gallandii Bibl. PP. et SS. Vet. Eccleſ. T.* X. *pagg.* 103 — 121.

Pauculas de ſuo obſeruationes ad oram paginae inferiorem appoſuit, diſſertationemque de Vincentio praemiſit in *Prolegg. Cap.* II. *pagg.* IV — VI.

* *

Versiones. Haud ſegniori, quam quo ſuperioribus duobus ſaeculis docti indoctique viri contenderunt ad Vincentii Textum typis multiplicandum ſtudio, ab aliis allaboratum eſt, vt recentiori aliquo idiomate loqui eum docerent. Primum quantum ſcio exemplum *Anglorum* fuit, ſed *Francogalli* plurimas et optimas verſiones dederunt, vt ſequentia docebunt.

1) *Anglicae.*

1554.

London by Robert Caly. 8. The waye home to Chriſt and truth leading from Anthichriſt and errour, made and ſet forth in the Latine tongue, by that famous and great Clearke *Vincent.* Ou, Le retour à Chriſt, compoſé par le docteur *Vincent de Lerins,* François de Nation, et traduit en Anglois. *Cat. Bibl. Reg. Par.* vnde et ſequentia decerpſimus.

2) *Gallicae.*

1560.

Paris chez M. Vaſcoſan. 8. Traité de Vincent Lirinenſe, pour la verité et antiquité de la foy catholique contre les prophanes nouveautez de toutes hereſies, traduit de Latin en François par *G. Ruzé.*

1580.

1580.

Paris chez Feder. Morel. 8. Eadem verſio.

1615.

Paris chez Jean de Heuqueville. 8. Vincent de Lerins, contre les hereſies avec deux epiſtres, l'une de S. Cyprien, l'autre de S. Hieroſme; le tout traduit en François par le *Sr. de la Broſſe.*

1684.

Paris chez Chriſtoph Journel. 12. Avertiſſemens de Vincent de Lerins, touchant l'antiquité et l'univerſité de la foy catholique contre les nouveautez profanes de tous les heretiques, traduits en François avec des remarques par *de Frontignieres.*

3) *Italicae.*

1565.

In Monte Regale preſſo Lionardo Torrentino. 8. Libro de Vincentio Lirenenſe contra le prophane innovationi di tutte le hereſie; tradotto in lingua Italiana per *Hieronimo Mutio,* Iuſtinopolitano. *Argelati Bibl. degli Volgarizz. T. IV. pag.* 109.

* *

Codices. Ex iis, quae in antecedentibus monita ſunt, patebit, quatuor tantum Vincentii editores conſuluiſſe mss. exemplaria, nempe *Io. Sichardum, Petrum Pithoeum, Bartholomaeum Petri,* de quibus quod dicamus haud ſuppetit. Poſtremus fuit *Baluzius,* qui duos habuit, alterum *Colbertinum,* eundem qui Pithoei fuerat, alterum *monaſterii Corbeienſis.*

38.

Valerianus Episc. Cemeliensis.

§. 1. Vita. Ita quidem nomen et conditionem auctoris ſermonis *de bono pudicitiae* vnicus ms. codex prodidit; nam neque Gennadius neque Iſidorus aliiue ſcriptorum eccleſiaſticorum nomenclatores eius meminerunt. Fuit autem *Cemelium* oppidum in Gallia, ad Alpes maritimas, cuius epiſcopatus ad Metropolim *Embrodunum* pertinebat. Hodie priſca tantum ruderum veſtigia nomenque ſuperſunt haud procul Nicaea in colle, quem *Cemelam* vocant. Leonis M. temporibus et ipſius adeo decreto Cemelienſis ciuitatis epiſcopatus cum epiſcopatu Nicaeenſis caſtelli coniunctus eſt, iidemque poſtea ſemper fuerunt Cemelienſes epiſcopi et Nicaeenſes. Exinde vero tempus, quo Valerianus Cemelienſis epiſcopi munere functus ſit, definiri quodam modo poterit. Quippe cum Cemelienſis tantum epiſcopus nuncupetur, ante Leonis decretum eccleſiam illam eum rexiſſe neceſſe eſt. Atque totius huius diſquiſitionis auctor Sirmondus, omnino Valerianum hunc illum eſſe coniicit, ad quem et alios vicinarum Galliae prouinciarum epiſcopos ſcripta extat Leonis eiusdem epiſtola de Vaſenſis epiſcopi ordinatione, confirmarique ſe in iſta ſententia ſcribit, quod in illo epiſcoporum numero etiam Ingenui Ebrodunenſis id eſt Valeriani Cemelienſis Metropolitani antiſtitis nomen compareat et in aliis duabus epiſtolis, Leonis vna ad XLIV. epiſcopos Galliae, altera epiſcoporum eorundem ad Valerianum, Ingenuus et Valerianus pariter coniungantur. Alia quaedam de Valeriani huius in epiſcopatu geſtis congeſ-

ſit

ſit Sammarthanus *), quae deficiente certiori memoria verbis ipſius hic apponere praeſtat. „Anno 439. *inquit,* Valerianus adfuit Reienſi concilio, in quo de negotio Armentarii actum eſt. Accepta ſancti Leonis epiſtola ad Flauianum (anno 451.) cum aliis plurimis ad ipſum ſcripſit, illam ſummis laudibus extollens, eique ſeſe in omnibus aſſentiri profeſſus eſt. Fuit etiam vnus ex iis, quibus reſpondit ſanctus pontifex (anno 452.) gratulatus ipſorum orthodoxam fidem et Eutychem ac Dioſcurum in Concilio Chalcedonenſi damnatos ſignificans. Orta graui controuerſia Theodorum Foroiulienſem epiſcopum inter et Fauſtum abbatem Lerinae, quae tunc ab ea dioeceſi pendebat, cum Valerianus noſter et Maximus Reienſis, epiſcopi, partes in eo iurgio, et quidem Lerinenſium, amplexi fuiſſent; Rauennius Arelatenſis epiſcopus, tanto malo remedium allaturus, in ſua vrbe concilium coegit ad XXX. Decembris. Adfuere cum eo et Ruſtico Narbonenſi vndecim antiſtites: conuenerunt quoque cum Lerinenſibus monachis Maximus et Valerianus: non nominantur tamen inter iudices, forte quia vt partes aderant. Lis tamen amice compoſita fuit. Quo praeciſe anno habitum fuerit concilium iſtud, incompertum: certe inter annum 449. quo ad epiſcopatum euectus eſt Rauennius, et 461. quo ad immortalem vitam migrauit. Annum aſſignat 455. Sirmondus, antea Tillemontius. Riuierius Carthuſianus notat mentionem fieri a. 451. Valeriani Nicaeenſis epiſcopi.“ Hactenus Sammarthanus. Benedictini autem ob hanc Lirinenſem cauſam vna cum Maximo Reienſi a Valeriano

*) *Gallia Chriſtiana nou. T.* III. *p.* 1270. *ſeqq.*

no ſuſceptam, non dubitant quin idem ille fuerit cum Valerio Lirinenſi monacho, qui pro epiſcopo apud Nicaeam cultus fuit ad diem XXIV. Iulii *). Quando obierit, incertum eſt.

§. 2. Scripta. Tribuuntur Valeriano huic *Sermones* XX. et *Epiſtola ad Monachos, de virtutibus et ordine doctrinae Apoſtolicae.* Sermones inſcribuntur: I. *De bono diſciplinae.* II. III. *De arcta et anguſta via.* IV. *De promiſſis et non redditis.* V. *De oris inſolentia.* VI. *De otioſis verbis.* VII. VIII. IX. *De miſericordia.* X. *De paraſitis.* XI. *Qui gloriatur, in Domino glorietur.* XII. XIII. *De bono pacis conſeruandae.* XIV. *De bono humilitatis* XV. XVI. XVII. *De bono Martyrii.* XVIII. *De Macchabaeis.* XIX. *De Quadrageſima.* XX. *De auaritia.*

§. 3. Editiones. Valeriani nomen reparauit *Melchior Goldaſtus ab Haiminsfeld,* aſſerto ei ex MSS. exemplarium fide *Sermone de bono Diſciplinae,* qui antea incerto nomine inter Auguſtini opera ferebatur, ab eo vero cum notis et emendationibus peculiari volumine editus eſt a. 1601. Huic decem annos poſt alias *vndeuiginti homilias* cum *epiſtola* in codice quodam Corbeienſi non admodum caſtigate ſcripto a ſe repertas adiecit *Iacobus Sirmondus,* non quod nomen Valeriani in MSS. praeferrent, ſed ob ſtili ſimilitudinem et facundiam in vtrisque parem. Ac huic quidem iudicio quamuis lubrico continuo ab omnibus

*) *Hiſtoire lit. de la France T.* II. *p.* 329. De Valerio iſto adeundus *Vicentius Barralis* in Chronologia Lirinenſi *P.* I. *p.* 203. vbi ex monacho Lirinenſi ad epiſcopatum Nicienſem in prouincia aſſumptus dicitur. Sed de epiſtola eius, quam appellant *Hiſtoriae litterariae Galliae* auctores altum cum apud Barralim, tum alios, ſilentium.

bus aſſenſum eſt, indeque tam in Bibliothecis Patrum, quam cum Leonis M. Operibus aliquoties, itemque cum acceſſione aliqua in Operum Sirmondianorum collectione et poſtremo a *Gallandio* haec *Valeriani Opera* recuſa ſunt. Vixdum autem lucem adſpexerant Valeriani homiliae, cum orthodoxia earum in dubium vocari coepit et Romae apud ſacrum tribunal delatae fuerunt tanquam haereſi Pelagianae affines. Simul Sirmondo quoque de Sancti praenomine, quod Valeriano indidiſſet, lis intendebatur. At ille ad vtramque accuſationem brevi ſcripto ad Sacrum Officium tranſmiſſo reſpondit. Quo lecto ac probato nihil aliud decernendum cenſuerunt, quam vt notas in nouam editionem compararet, in quibus de vtroque accuſationis capite ſatiſfieret. Suſcepit autem ſeu rogatu Sirmondi ſiue ſponte ſua vberiorem hanc defenſionem *Theophilus Raynaudus* eiuſdem Societatis Theologus. Certe Sirmondus cum iterum Valeriani famam in diſcrimen vocari audiret, in literis hac de cauſa ad Franciſcum Cardinalem Barberinum ſcriptis ad Raynaudum prouocat eumque adeo copioſe et accurate vtrumque praeſtitiſſe ait, vt praeclare ad cauſam actum putet, quod operam hac in re ſuam, a qua expectari tale nihil potuerit, ſtudio ſuo diligentiaque praeuertiſſet, et ſi nihil noui poſtea prolatum fuerit, quod ſeueriorem ſententiam requireret, poſtulat, vt immotum maneat Sacri Officii decretum. Num vero Raynaudianum illud ſcriptum ſeorſim primum, an cum ipſius Valeriani quadam editione Lugduni proditum fuerit, non ſatis mihi liquere fateor. *) Attamen inſertum eſt editioni Lugdunenſi

*) Eiusmodi editio, niſi prius locum habet, facta eſſe debet intra annos 1626 et 1632. Nam Epiſtola Sirmon-

nenſi a. 1633. et ſequentibus vſque ad a. 1671. nec non in Veneta a. 1742. a bibliopola eſt additum. Sed iam de *ſingulis* videamus *Valeriani editionibus*.

Saec. XVII.

1601.

(Genevae) Excudebat Petrus de la Rouiere. 8. S. Valeriani Cimelenſis Epiſcopi de Bono Diſciplinae Sermo. S. Iſidori Hiſpalenſis Epiſcopi de Praelatis Fragmentum. *Melchior Hamenuelto Goldaſtus* dedit cum collectaneis, in queis multa pariter multorum auctorum, Patrum quam maxime, loca vel ante edita explicantur, vel nouiter eduntur.

In duobus praefationibus ad lectorem, tum ea quae textum antecedit, tum collectaneis praemiſſa Goldaſtus de momento horum librorum, diſciplina nempe eccleſiaſtica differit, partim veteris diſciplinae rationem declarans, partim ſeruandae aut amiſſae recuperandae praecepta tradens. Idem argumentum eſt epiſtolae collectaneis pariter praefixae ad Theodorum Bezam (datae *in aedibus Lectii a. d.* IV. *id. Quinctil. a.* ∞ . IO. C. *ſtilo Iuliano).* In principio vero Collectaneorum ea exponit, quae ipſum impulerint, vt Valeriani nomen huic Sermoni praefigeret. Scilicet iam Eraſmus intellexit, Auguſti-

Sirmondi ad Card. Barberinum data eſt *Pariſiis* XVI. *Auguſti.* M. DC. XXXII. In ea vero ſcribit, delatum eſſe Valerianum apud iudices Romanos *ante annos ſex.* Certe in editione a. 1623. non ineſt, et ipſe Sirmondus in ſubiectis laudatae epiſtolae defenſionis ſuae gratia breuibus capitulis *non ſemel Lugduni ab annis XX.* (i. e. ab a. 1612. quo primum excuſae fuere Pariſiis iſtae homiliae, ad a. 1632.) *Valerianum eſſe typis deſcriptum* affirmat.

guſtinum auctorem eius non eſſe. Sed Goldaſtus demum hanc ſententiam explanauit et argumentis roborauit. Probat quippe orationem vtriusque auctoris longiſſime inter ſe diſcrepare. Nec vero ingenio doctrinaeue Auguſtini aptum eſſe contendit, nec veriſimile arbitratur, eum de vna re vnoque argumento variis et diuerſis libris (extat enim opus eiusdem vberius *de Diſciplina Chriſtiana*) tractaturum fuiſſe. Denique nec veteres agnouiſſe hunc partum, nec expoſitum ſuſtuliſſe clarere ac manifeſtari ait vel ex vno Poſſidonii vel Poſſidii indiculo, in quo nulla de eo mentio, et quod nuſquam in Sententiis a Proſpero collectis, aut in Excerptis Eugyppii, aut P. Lombardi Sententiis, nuſquam denique in Confeſſione Auguſtiniana Hieronymi Tortenſis acerrimi operum Auguſtini et conſpicui propugnatoris laudetur. Quibus expoſitis ſic ille pergit: „*Itaque mea virtute nunc et comitate ſatis factum arbitror, vt auctorem ad Auguſtinum Sermonem iſtum attinere numquam porro ſis dicturus, de cuius vero patre et legitimo facile queas ad coniecturam euadere; ſi quinctum admittas* γνώρισμα, *quo veluti gnomone quodam libros veros et natiuos a ſuppoſititiis decernamus. Hoc enim nec vtile, nec tutum minus, vt ego quidem rationem capio, quam mihi ita dixere viri complures doctiſſimi*, Si codicum ſcriptorum fides bona, eorumque auctoritas digna. *Nactus ſum huius Sermonis vetuſtiſſimum et antiquiſſimum exemplar in ſcrinio nobiliſſimi viri, Barptolomaei Schobingeri IC. feſtiue parato cum a ſcriptis, tum a cuſis libris. Eius haec eſt inſcriptio.* INCIP. LIB. S. VALERIANI CIMELENSIS EPI. DE BONO DISCIPLINAE. *Simul ac primum legi titulum nomenque libelli, adeo ad Bibliothecas Cunradi Geſneri, Ioſiae Simleri, Iacobi Friſii, Di-*

cas Neptuni pecudes, ita mutent. In archiuio monaſterii S. Galli, e cuius peculio hic olim codex, vetuſtiſſimi ſunt librorum Indices, qui de hoc ſcriptore meminere. Catalogus S. Othmari primi ſub Pipino Karoli M. patre Abbatis: S. Valerij Cymelenſis Epiſcopi, *etc. In Concilio Conſtantienſi optimam et praeclariſſimam librorum ſcriptorum partem Poggius Florentinus Romam et Florentiam, Aeneas Siluius, qui Pontifex poſt illa deſtinatus, Baſiliam vi fraudibus diſtraxerant. Eo facinore commoniti et commoti Fratres, reliquos a direptione codices ſigno monaſterii obſignarunt, et Catalogo recenſuerunt. In eo legitur:* S. Valerij liber de bono diſciplinae *etc. Eandem ſimul epigrapham cernas in cortice ipſius libri. Error aut fallor, aut natus ex adfinitate nominum. Fuit Valerius Epiſcopus Hipponenſis, Auguſtini praedeceſſor, cuius hodieque exſtat liber* De vita Monachorum, *Volaterrano teſte. Fuerunt et alii eodem nomine, quos nihil attinet recenſere.*" Significat deinceps, de Valeriani huius aetate deque Cimelienſi epiſcopatu eiuſue ſitu haud quidquam ſe habere explorati. Vſus eſt in contendendo hoc ſermone Goldaſtus editione poſteriori Baſileenſi Operum Auguſtini. Sed principio ſtatim auctoritate manuſcripti codicis ſuſtulit diſtinctiones capitum, veluti inconcinnas et ſenſum ſcriptoris ſaepiuſcule perturbantes. Quod quidem iam Eraſmus viderat, et reiectis eorum indicibus, notas numerorum ſatis habuit margini adieciſſe. Sed Lugdunenſis ſiue Geneuenſis potius editio poſtea recepit. Emendaſſe deinde ſe fatetur plurima in ipſa orationis ſerie atque contextu, quae vel certiſſima ipſi viderentur, vel leuiora magisque friuola, quam vt notarentur. Attamen plerarumque rationem expoſuit. Notae eius ſunt lectiſſimae et rara eruditione refertae.

1604.

1604.

Inſulae ad Lacum Acronium ex off. Iohannis Ludouici Brem. 4. S. Valeriani Cimelienſis Epiſcopi de bono diſciplinae ſermo; inter *Paraeneticos Veteres* cum notis *Melchioris Haiminſfeldii Goldaſti*; ex bibliotheca et ſumtibus Bartholomaei Schobingeri I. C. *pagg.* 7 — 39.

1612.

Lutetiae Pariſiorum ex officina Niuelliana. 8. Sancti Valeriani Epiſcopi Cemelienſis Homiliae XX. Item Epiſtola ad Monachos, de virtutibus et ordine doctrinae Apoſtolicae. Omnia primum, praeter vnicam Homiliam, poſt annos plus minus mille ducentos in lucem edita a *Iacobo Sirmondo* Societatis Ieſu Persbytero anno M. DC XII.

„*Valeriani Epiſcopi praeter Homiliam de bono diſciplinae*, inquit Sirmondus, *quae incerto antea nomine iactabatur, pauciſque abhinc annis auctori ſuo reſtituta eſt, nihil hactenus in lucem prolatum accepimus. Quas nunc damus reliquas vndeuiginti, celeberrimo antiquae Corbeiae monaſterio debemus. Cuius vnicum quo vſi ſummus, peruetuſtae, ſed parum caſtigatae manus exemplar, etſi Homiliam de bono diſciplinae non habebat; et Ciuitatis nomen, in qua Valerianus Epiſcopus ſedit, non indicabat: facilis tamen ex ſtyli argumentique ſimilitudine coniectura fuit, has illius germanas ſorores eſſe, omneſque ab vno et eodem Valeriano editas, Epiſcopo Cemelenenſi. Neque hac in re quisquam ni fallor repugnabit. — Stylus quippe, optimus iudicandi magiſter, characterque dictionis Valerianae; grauis, inquam, ac ſplendida, et dignitatis ſuccique plena facundia, quae in his Homiliis elucet, ſatis hanc eius quam dixi, aetatem prodit; illam ſcilicet, qua Eucherius Lugdunen-*

ſis, Hilarius Arelatenſis Epiſcopi, Vincentius Lirinenſis, Proſper et Saluianus presbyteri, Galliam noſtram non diſſimili eloquentiae laude et gloria decorabant. Vellem modo emendatiores nobis, et quales diſertiſſimus Epiſcopus pronunciarat, edere licuiſſet. Sed in tanta deprauati codices labe optandum id mage fuit, quam ſperandum. Fortaſſe autem quod prima haec editio non potuit, altera praeſtabit." Ceterum de Cemelienſi epiſcopatu accuratiſſime, deque Valeriani perſona, quantum licuit, diſſeruit. Inſcripſit Henrico Ludouico Caſtaneo Rupipoſaeo Pictauorum Epiſcopo.

1618.

Coloniae Agr. apud Anton Hierat. fol. Valeriani Cemelienſis Epiſcopi homiliae XX. ex editione *Iac. Sirmondi;* Eiusdem epiſtola ad Monachos; in *M. Bibl. PP. Tomi* V. *P.* III.

1623.

Lugduni ſumptibus Claudii Landry. fol. Sancti Valeriani Epiſcopi Cemelienſis (ad Nicaeam Galliae) Homiliae XX. cum Epiſtola ad Monachos, de virtutibus et ordine doctrinae Apoſtolicae; cum *Leone M., Maximo Taurinenſi, Petro Chryſologo, Fulgentio* et *Aſterio Epiſcopo Amaſeae.*

Praemittitur praefatio Sirmondi, ſed absque nomine eius. Perperam autem Fabricius tradit, hanc editionem ipſum Sirmondum curaſſe.

1633.

Lugduni . . . . . . fol. Valeriani — Homiliae XX. cum Epiſtola ad Monachos etc. *Theophilus Raynaudus* Valerianum accurata defenſione texit aduerſus *Parcum Charitatis* criminatorem; in

Hep-

Heptade Praeſulum Chriſtiana Sapientia et Facundia Clariſſimorum. Cf. *Leonis M. Opera.*

1661.

Pariſiis apud Simeonem Piget. fol. Valeriani — Homiliae XX. etc. cum Raynaudi defenſione; in *eadem Collectione.*

1671.

Pariſiis ſumpt. Petri Variguet. fol. Eaedem; inter *eosdem Scriptores.*

1677.

Lugduni apud Aniſſonios. fol. S. Valeriani — Homiliae XX. ex ed. Iac. Sirmondi; Eiusdem Epiſtola ad Monachos; in *Bibl. Max. PP. Tomo* VIII. *pagg.* 498 — 523.

1685.

Pariſiis apud Franc. Muguet. fol. S. Valeriani — Sermo de bono diſciplinae; in *App. Tomi VI. Opp. S. Auguſtini* ed. *Benedd.* in exemplari *Antuerp. col.* 775 — 777.

1696.

Pariſiis ex Typographia Regia. fol. S. Valeriani — Homiliae XX. etc., inter *Opera Iac. Sirmondi Tomo* I. *pagg.* 604 — 702.

Addita ſunt ex ſchedis defuncti: *Epiſtola* eius *ad Card. Barberinum* cum notationibus quibusdam ad duo illa obiectionum capita, item *Teſtimonia* quaedam *Patrum* ad calcem exemplaris ſui ab eodem deſcripta, *quibus palam fieri vellet, Valerianum in Homilia XI. vbi cum Semipelagianis ſentire viſus eſt quibusdam, haud aliter tamen locutum eſſe, quam Sanctos illos Patres haud dubie Catholicos.*

Saec. XVIII.

1742.

Venetiis apud Auguſtinum Sauioli. fol. Sancti Valeriani Cemelienſis Epiſcopi Scriptoris digniſſimi Homiliae quotquot exſtant.

Accedit *Epiſtola ad Monachos* et Defenſio *Theophili Raynaudi;* cum *Operibus Petri Chryſologi* iuxta editionem *Dominici Mitae* ab hoc bibliopola recuſis, *pagg.* 213 — 291.

Abeſt tamen Raynaudi nomen, non fraude aliqua ſed ignorantia forte bibliopolae. Quippe nonniſi in titulo generali editionum Lugdunenſium et Pariſienſium a Raynaudo eſſe ſcriptum fuit, quem aduertere ille, ſiue is, cui deſcribendi operam mandarat, non operae ſuae eſſe duxit. Fefellit tamen hoc Oelrichſium, vt editori Veneto a. 1742. illam tribueret.

1774.

Venetiis ex typogr. Io. Bapt. Albritii. fol. Sancti Valeriani Epiſcopi Cemelienſis Homiliae XX. Item Epiſtola ad Monachos de virtutibus et ordine doctrinae apoſtolicae. Ex praeclara editione Sirmondiana recenſita et aliquot in locis emendata; in *Bibl. PP. et SS. Eccl. Vet. Andreae Gallandii Tomo* X. *pagg.* 123 — 158.

Expreſſa eſt editio a. 1696. Acceſſere igitur Epiſtola *Sirmondi ad Barberinum Card.* et alia, et inſperſae ſunt Baunaei (de la Baune) emendationes cum nonnullis *Caſp. Barthii* ex Aduerſariis et *Cotelerii* ex Monumentis Eccl. gr. et Conſtitutionibus Apoſtolicis, nec non aliquot Gallandii coniecturis. In *Prolegomenis Caput* III. Valeriano dicatum eſt.

39.

SALVIANUS.

Grauiſſimi huius atque elegantiſſimi ſcriptoris patria Gallia fuit, quique Coloniae Agrippinae natum exiſtimant, argumentis ſane haud improbabilibus nituntur. Certe Treuirenſis non erat, ſed propinquae ciuitatis, quae non vt Treuiri excidium a barbaris paſſa erat, ſed tantum vectigalis reddita fuerat. Ac propius quodammodo ad eam ſententiam, quae Agrippinenſem eum ſtatuit, facere videntur verba ipſius in epiſtola prima, qua adoleſcentem quendam Agrippinae ortum et propinquum ſuum commendat. Tametſi vero Treuiris non ortum debuerit, fortaſſe tamen, quod magis eſt, ingenii cultum et optimarum rerum cognitionem ab ea vrbe repetebat. Adeo enim Treuiros nouit, moresque ciuium omniaque eorum ſtudia tenet, vt haudquaquam a veritate abſonum ſit, ſi aliquantiſper ſtudiorum cauſa in ea ciuitate, qua nulla magis tunc temporis in Gallia literarum ſtudiis floruit, egiſſe ſtatuamus. Num ab initio Chriſtianus fuerit Saluianus, haud liquet. Fuiſſe quidem volunt tum, cum ex eadem prouincia, cuius metropolis erat Colonia Agrippina, vxorem duceret Palladiam Hypatii cuiusdam ac Quietae paganorum filiam, quam ipſe poſtea non ſolum ad fidem chriſtianam amplectendam pellexit, ſed etiam vnica tantum ſuſcepta filia, Auſpiciola nomine, adduxit, vt continentiae vota ſe cum ipſo adſtringeret et vitam coelibem in matrimonio ageret. Grauiter hoc tulit ſocer eius Hypatius, qui maſculam ſibi ex ea filia prolem ſperauerat, adeoque Saluiano et filiae ſuccenſuit, vt per ſeptem integros annos, ex quo ab eo ille diſceſſiſſet, nec videret eos, nec literas ad eos ſcribe- §. 1. Vita.

 ret.

ret. Quibus elapſis cum ipſe quoque Chriſto nomen dediſſet, Saluianus, qui iam cauſas odii apud ſocerum ceſſaſſe videret, denuo per literas non conſcientia culpae ſed ratione et officio caritatis et vt nullum penitus offenſae locum relinqueret, veniam orauit et haud dubie impetrauit. Habitabat autem cum iſtas literas ſcriberet, procul a ſocero, et niſi forte in inſula Lerino, certe in prouincia Vienneuſi, in qua presbyteri etiam dignitatem, nempe in Eccleſia Maſſilienſi ſuſcepit, probatiſſimorum iſtius regionis virorum, veluti Honorati, qui poſtea Arelatenſis epiſcopus fuit, Eucherii, Agroecii Antipolitani, Salonii et Verani filiorum Eucherii, quos iuuenes in diſciplina habuit, amicitia et gratia ſubleuatus. Epiſcopatum nunquam adeptus eſt. De obitu eius non conſtat; nouimus autem viuendo eum attigiſſe Gelaſii Romani tempora.

§. 2 Scripta. Superſunt hodie ex pluribus quae Gennadius recenſet Saluiani ſcriptis

1) *aduerſus auaritiam libri quatuor ad eccleſiam catholicam*, quos ſub Timothei nomine euulgauit circa annum 440.
2) *de gubernatione Dei et de iuſto Dei praeſentique iudicio libri*, qui etiam inſcribuntur *de prouidentia.* Opus primarium, ſcr. tempore incurſionis barbarorum in imperium Romanum. a. 451. aut 452. aut vt Benedictini malunt a. 455.
3) *Epiſtolae* nouem familiares.

Deperdita ſunt: *de Virginitatis bono ad Marcellum libri III*, de *eorum praemio ſatis faciendo**) ad

*) Sunt haec ex Gennadio c. LXVII. quod totum eſt corruptiſſimum. Alii legunt *de eorum merito ſatisfactionis*; vitio obſoleto. Trithemius c. CLXXV, haud

ad Salonium Epiſcopum liber I, Expoſitionis extremae partis libri Eccleſiaſtis ad Claudianum Epiſcopum Viennenſem liber I, *de principio Geneſis vſque ad conditionem hominis* liber I. verſibus compoſitus quaſi *Hexaëmeron* Graecorum more. *Homiliae* plures. De *Sacramentis* liber I *)).

Sixtus Senenſis per incuriam Saluiano tribuit opus *Anticimenων* incerti Auctoris, quod cum Saluiano primus edidit Io. Al. Braſſicanus Baſileae 1530.

Librorum Saluiani quos modo enumerauimus, a renatis litteris et inuenta arte typographica alteri quaſi parentes extiterunt eoſque in lucem primi vindicarunt *Io. Sichardus*, *Io. Alex. Braſſicanus* et *Petrus Pithoeus.* Prior ſcilicet libros IV. *de auaritia* in lucem extulit Baſileae a. 1528. Alter *duobus annis poſt* libros VIII. *de gubernatione Dei ibidem ex officina Frobeniana* emiſit, quibus poſt longius interuallum tertium denique addidit opuſculum, *epiſtolarum* librum, Pithoeus. Quaecunque exinde Saluianus doctorum virorum ingeniis debuit, eorum gratia ad *Pithoeum eundem*, *Conradum Ritterhuſium* et *Stephanum Baluzium* redit. Pithoeus quippe non ſolum epiſtolarum libro opuſculorum Saluiani nume- §. 3. Editiones.

 rum

haud dubie quia non intelligeret, laudat ſimpliciter *ad Salonium Epiſcopum librum vnum;* mox in duos diſtraxit *expoſitionem in Eccleſiaſten* et *librum ad Claudianum.*

*) Sic Trithemius. Gennadius recitat, *homilias epiſcopis factas multas, ſacramentorum vero quantas nec recordor;* quorum loco laudat Trithemius *Homilias ad Epiſcopos factas* lib. I. *de Sacramentis* lib. I. *Homilias plures ad populum* lib. I. Ceterum quae de verſibus in Geneſin refert Gennadius, ſic intelligi debent, vt nos expoſuimus.

rum auxit, ſed omnes ſimul eius lucubrationes ex fide mss. expreſſas dedit, et quamuis non multos ſectatores nactus eſt, meruit tamen, vt Baluzius, qui centum aliis potior eſt, eum probaret, et, ni iuſtae rationes ſuperarent, ſequeretur. *Rittershuſii* opera, docta quidem et vtilis, haud diu viguit, nec Germaniam egreſſa eſt. Poſt *Baluzium* denique aut nihil amplius in Saluiano deſideratum fuit, aut nemo ſaltem cum eo doctrinam ſuam ingeniumue componere auſus eſt. Tres igitur commode editionum Saluiani aetates deſcribi poſſunt, *prima* ab anno 1528. ad annum vſque 1580. per quam libri de auaritia cum libris de gubernatione Dei coniuncti ſunt et vbique Braſſicani notae addi conſueuerunt. Neque vero poſt Pithoeanam recenſionem priſcus textus deſcribi ceſſauit. *Altera* aetas ab editione Pithoei facta *Pariſ. apud Seb. Niuellium* 1580. porrigitur vſque 1663. eamque quaſi ex aequo poſſident Pithoeus et Rittershuſius. Sed Pithoeanae repetitiones longe archetypo ſuo deteriores factae ſunt. *Rittershuſii* editio prodiit primum a. 1611. cum immenſo commentario et textu in quibuſdam locis ex ingenio feliciter emendato, et recuſa eſt a. 1623. cum prolixa acceſſione. In *tertia* ſolus regnat *Baluzius*, qui non ſemel quidem ſed primo a. 1663. et iterum 1669. tertioque a. 1684. textum Pithoei cum pluribus iiſque optimis mss. exemplaribus contulit nouumque ita conſtituit, vt ſola iubente mss. auctoritate immutaret, emendationeſque ſuas notis egregiis muniuit. Haec Baluziana recenſio quoties ab eo tempore repetita fuerit, docebunt ſequentes *Annales*.

Saec. XVI.

1528.

Baſileae apud Henric-petri. fol. Timothei Epiſcopi ad eccleſiam catholicam toto orbe diffuſam

et

et Saluiani Epiſcopi Maſſilienſis in librum Timothei ad Salonium Epiſcopum Praefatio; in *Antidoto contra diuerſas haereſes Io. Sichardi.* 181. 202.

1530.

Baſileae in officina Frobeniana. fol. D. Saluiani Maſſylienſis epiſcopi, de vero iudicio et prouidentia Dei, ad S. Salonium Epiſcopum Viennenſem Libri VIII. cura Io. Alexandri Braſſicani Iureconſulti editi ac eruditis et cum primis vtilibus Scholiis illuſtrati. Anticimenon libri III. in quibus quaeſtiones veteris ac noui Teſtamenti, de locis in ſpeciem pugnantibus, incerto autore. *In fine.* Baſileae, in officina Frobeniana per Ioannem Heruagium, Hieronymum Frobenium et Nicolaum Epiſcopium, menſe Auguſto, anno M. D. XXX.

Ioannes Alexander Braſſicanus IC; et Linguarum Profeſſor primum Tubingenſis poſt Vindobonenſis, vir de bonis literis ſua aetate meritiſſimus, praeter alios multos antea non excuſos Graecos Latinoſque auctores, etiam hoc Saluiani opus primus in publicum extulit et Chriſtophoro a Stadion Auguſtenſi Epiſcopo nuncupauit *). Triſte tum orbi prae-

*) Accuratius quam plerumque ſolet, de hoc Braſſicano commentatus eſt *Hendreich in Pand. Brandenb.* Diuerſus, vt ibidem diſcimus, ab eo fuit *Io. Ludouicus Braſſicanus*, non aetate quidem et patria, ſed ſtudiis quodammodo et conditione. Nam *I. U. Doctorem* appellat et *Tubingenſem* fuiſſe ſuſpicatur. Quod ſi verum eſt, vide an germanus Alexandri fuerit et ambo patrem habuerint Ioannem Braſſicanum, quem Alexander in fine praefationis ad Saluianum ſcribit iiſdem quondam ſtudiorum ſacris cum Chriſtophoro Stadione initiatum et ab eo ſinceriter amatum et benignitate perpetua ſubleuatum fuiſſe. Ioannis autem Braſſicani eiuſ-

praebebat ſpectaculum Hungaria a Turcis deuaſtata. Inter innumera vero publica priuataque bona, quae furor eorum abſumſerat, fuit etiam celebris illa et libris ex omni ſcriptorum genere confertiſſima Bibliotheca Budenſis, a Matthia rege ſumptibus non aeſtimandis inſtructa. Sed cum nemo non paulo doctior graui hac iactura commouebatur, acerbiſſimum tamen eo dolorem Braſſicanus ſenſit. Viderat enim iſtos theſauros praeſens Budae in comitatu legati Caeſarei et non tantum viderat, ſed totum ſeſe in eos abdiderat. Ipſe quoque regis Ludouici munificentia auctores quoſdam graecos conſecutus erat et aliorum fortaſſe cum graecorum tum latinorum apographa ſumſerat. Inter hos neſcio an Saluianus fuerit. Certe in praefatione ad Epiſcopum Auguſtanum (ſignata *Viennae Auſtriae, Martii die I. Anno* 1530.) non tam de Saluiano, eiuſue ms. aliquo vnde ederet exemplari, aut de ſua ipſius in edendo opera diſſeruit, quam literarum ex amiſſa illa bibliotheca calamitatem deplorat et vt ſenſim ad hoc argumentum lectores quaſi praepararet, e longinquo de bibliophilia et tam literatis quam principibus viris librorum colligendorum ſtudio inſignibus ſermonem inſtituit, ſub finem vero complures, qui ſibi in bibliotheca ſua reſtarent et quos aliquando editurus eſſet libros veteres, maxime graecos, denominat, ex quibus aliqua, veluti libros Geoponicorum lucem poſt-

eiuſdem Paedotribae Tubingenſis meminit *Morhoff* in *Polyhiſt.* p. 247. qui fortaſſe non alius fuit ab eo, quem inter Tubingenſis Academiae Doctores recenſet *Böck* in *Hiſt. Acad.* illius §. 85. p. 45. quemque non recte cum Io. Alexandro Braſſicano confundit *Celeb. Saxius* in *Onom.* Litt. III. 82. Obſerua tamen, quod et noſter ſe ipſum *Iuriſconſultum* appellet.

poſtea vidiſſe nouimus. Praefationi ſubiungitur carmen hendecaſyllabum non minus ac illa prolixum nec cultiſſimum ſane, quo eidem viro Saluianum inſcribere ſe ac dedicare profitetur. Annotationes eius, quae proxime poſt Saluiani libros ſubiiciuntur, verba maxime et formulas loquendi, imprimis quae noue dicta ſunt illuſtrant ac multiplici et egregia in vtriuſque linguae auctoribus lectione commendantur.

Ceterum non omitti debet, *αντικειμενων* libros incerti auctoris, quos vna cum Saluiani opere hic euulgandos dedit Braſſicanus, nonnullos parum attentos feſelliſſe, vt ipſius Saluiani crederent.

1556.

Baſileae apud Hencic-petri. fol. Timothei Epiſcopi ad eccleſiam Catholicam toto orbe diffuſam L. IV. et Saluiani praefatio in eundem; in *Ioannis Heroldi Haereſiologia pagg.* 579—613.

1564.

Romae, apud Paulum Manutium Aldi F. in aedib. Pop. Rom. fol. Saluiani Epiſcopi Maſſilienſis de vero iudicio et prouidentia Dei libri VIII. *cum Maximo, Paciano, Sulpicio, Dorotheo Tyrio et Haymone Halberſtattenſi*, adiunctis in tres poſteriores *Petri Galeſinii* notationibus.

Huius editionis iam aliquoties incidit mentio. Saluiani libri pertingunt ad *paginam* vſque 81. Appictae ſunt in marginibus variantes aliquot lectiones.

1575.

Pariſiis apud Mich. Sonnium. fol. Saluiani — de vero iudicio, prouidentia et gubernatione Dei libri VIII. it. Libri IV. ad Eccleſiam Catholicam Timothei nomine; *in Bibl. PP. Bigneana* T. III. p. 240 ſeqq.

Pariſiis

Pariſiis apud Hieron. Marnef et Guil. Cauelat. 12. Saluiani — de vero iudicio et prouidentia Dei libri VIII. [*it.* libri IV. ad eccleſiam Catholicam] cum praef. et ſcholiis Braſſicani. *Cat. Bibl. Bodlej.* Neſcio equidem ſolane Braſſicani editio ſit recuſa, an et libri IV. *contra auaritiam* additi ſint. Vtrum verum ſit, perperam tamen a Benedictinis inter Operum editiones recenſetur.

1580.

Pariſiis apud Sebaſt. Niuellium, ſub Ciconiis, via Iacobaea. 8. Saluiani Maſſilienſis presbyteri de gubernatione Dei et de iuſto praeſentique eius iudicio libri VIII, ad S. Salonium Epiſcopum. *Eiuſdem Epiſtolarum lib. I. nunc primum editus.* Timothei nomine ad Eccleſiam Catholicam lib. IIII. *Ex bibliotheca P. Pithoei I. C.*

Rarae in marginibus comparent lectiones a textu impreſſo variantes; ad calcem vero ſubiectae ſunt *variae lectiones partim ex Veteri Codice, quae tamen certo iudicio in textum receptae non ſunt, quaedam etiam operarum negligentia omiſſae, partim ex vulgatis editionibus, quae et ipſae ferri poſſunt.* Summa quatuor foliorum eſt, in his pauciſſimae Epiſtolas, plurimae vltimum opus reſpiciunt. In iisdem etiam affirmat, nihil in his libris coniecturis datum, totum ex fide vetuſtiſſimi et emendatiſſimi codicis transſumptum eſſe. Accedit index rerum et verborum ſcitu dignorum. In praefatione Pithoei ad *Nicolaum Fabrum* Regis conſiliarium (data *Lut. Pariſ. Non. Octob.* feriis *vindemialib. a.* CIↃ. IↃ. LXXIX) de maturo religionis chriſtianae in Galliis cultu atque vbere ſcriptorum chriſtianorum in iisdem prouentu diſputat.

Priui-

Priuilegium regium ſignatum eſt d. 24. Mart. a. 1579. Obſeruari autem meretur, quod de prima hac Pithoei editione iam Baluzius commemorat, eam ob raritatem ſuam manuſcripto codice comparari poſſe ac nuſpiam proſtare venalem.

1589.

Pariſiis. fol. Saluiani Maſſilienſis Epiſcopi de vero iudicio et prouidentia Dei libri 8. Eiusd. ad eccleſiam catholicam toto orbe diffuſam libri 4. in *ſecunda Bibl. PP. Bign. ed. Tomo* V. *p.* 161. *ſeqq.*

1594.

Pariſiis apud Hieronymum de Marnef, et Viduam Guilielmi Cauellat, ſub pelicano, monte D. Hilarii. 12. D. Saluiani Maſſylienſis Epiſcopi de vero iudicio et prouidentia Dei ad S. Salonium Epiſcopum Viennenſem Libri VIII. Cura Io. Alexandri Braſſicani I C. editi ac eruditis ſcholiis illuſtrati. Acceſſit eiuſdem Epiſtolarum lib. I. nunc primum editus. Eiusdemque ad eccleſiam Catholicam ſub Timothei nomine lib. IIII. Cum indice rerum ac verborum locupletiſſimo.

Braſſicani editio tota eſt recuſa, eique additus index recens confectus, reliqua alterum quaſi volumen conſtituunt, non titulo quidem nouo, ſed noua paginarum ſeri a priori ſecreta. Atque haec indice carent. Verba *nunc primum editus* ad epiſtolarum librum in titulo adiecta, absque dolo a Pithoei editione tranſſcripta videntur.

Saec. XVII.

1608.

Pariſiis. 12. Saluiani Epiſcopi Maſſilienſis de Gubernatione Dei lib. VIII. et Epiſtolae; cum Annotatio-

tationibus Ioannis Braſſicani ex Bibliotheca Pithoei. *Bibl. Barberin.* T. II. p. 339. Si Pithoeana editio hic repraeſentatur, non deeſſe poteſt opus tertium contra auaritiam.

1609.

Treuiris. 4. Saluiani — Epiſtolares libri IV. ad Eccleſiam Catholicam, aduerſus Auaritiam, cum Annot. *Io. Macherentii.* Soc. I.

Contulit Baluzius ad editionem tertiam, ſed non admodum magnum exinde fructum percepiſſe ſe teſtatur. Nullum enim vetuſtum codicem habuit, cum quo libros iſtos conferret Macherentius et pleraque correxit propria auctoritate.

1610.

Pariſiis. fol. Saluiani epiſcopi Maſſ. de vero iudicio etc. in *Bibl. PP. Bign. repetitae Editionis. Tomo* V. *pag.* 123. ſq.

1611.

Altorfii in Academia Reip. Norimbergenſis apud Cunradum Agricolam. 8. Saluiani Maſſilienſis opera: ad Ludouicum XIII. Franc. et Nauarr. Regem chriſtianiſſimum. Curante *Cunrado Rittershuſio I. C.* qui et Librum Commentarium adiecit.

Saluiani Operum Tomus alter, in quo ſunt libri quatuor aduerſus Auaritiam. Ad Illuſtriſſ. Principem Philippum II. Stetini Pomeraniae Ducem etc. Recenſente et impreſſionem procurante *Cunrado Rittershuſio.*

Cunradi Rittershuſii I. C. Liber Commentarius in Saluianum Maſſilienſem: Ad Vniuerſitates atque Academias Germaniae.

Clarum quam maxime ab eruditione ſaeculo XVI. fuit nomen Rittershuſii, atque nunc etiam pretio ſuo

ſuo non carent doctae eius, quas in varios tam graecos quam latinos auctores ſcripſit, annotationes. Sed aptiores vix vllas, quam in Saluianum condidit, quippe qui ſcriptor, dum mores et ingenia ſuorum temporum deſcribit, ex iis maxime auctoribus, quibus legendis ſe cum aliis ſaeculi ſui doctis hominibus per legum ſtudium penitius dederat Rittershuſius, atque ex ipſis adeo legibus per illam aetatem ſcriptis frequenter lucem haurit et eodem refundit. Manuſcripta exemplaria non habuit, ſed ingenii felicitate, ſermonisque latini, qualis ſaeculo V. fuit, peritia et lectionis copia non raro hanc penuriam compenſavit. Certe Steph. Baluzius in praefatione editionis ſuae affirmat, Rittershuſium aliquot in locis Saluianum ſatis feliciter emendaſſe, et in notis ſaepius coniecturas eius codicum vetuſtorum auctoritate firmari monet, eiusque interpretationes haud raro adoptat. Videamus ergo, qui editionis ipſius ordo ſit ac diſtributio.

Primo tomo inſunt *de Prouidentia* libri et *Epiſtolae*, quibus proximo loco ſubiicitur *index rerum et verborum*, mox *Iohannis Trithemii tractatus de Prouidentia Dei ad Diuum Maximilianum. I. Imperatorem*, poſtremo *Admonitio* Conr. Rittershuſii *de confuſione foeda et perturbatione aliquot locorum Saluiani lib. VII. et VIII. a librariis commiſſa* cum *Catalogo aliquorum auctorum, qui de Prouidentia ſcripſerunt*. Praecedit diſſertatio *de Vita Saluiani, ſimulque generali argumento librorum VIII. de Prouidentia, Gubernatione ac Iudicio Dei; et demonſtratio*, quod *libri IV. ſub nomine Timothei editi, ipſius ſint Saluiani.* Per occaſionem etiam de ſuperioribus editoribus fit iudicium. Sequuntur *Teſtimonia et Elogia de Saluiano*, nimirum *Gennadii* (cum adnotatione Rittershuſii), *Chronologiae Antiſſiodorenſis*, *Addo-*

nis Viennenſis, *Hilarii Arelatenſis*, *Io. Iov. Pontani*, *Ioannis Trithemii*, *Io. Alex. Braſſicani*, *Ioſ. Scaligeri*, *Petri Pithoei*, quibus Braſſicani verſus et praefatio, item praefatio Pithoei interſeruntur. Succedunt gratulationes in proſa ac verſibus, pro more illorum temporum ad editorem ſcriptae. Alter tomus complectitur poſt *quatuor libros de auaritia*, *Elenchum capitum*, in *quae hoſce quatuor libros ſatis commode diſtinxit auctor editionis Treuirenſis*, cui complendae paginae cauſa *Phaedri aliquot verſiculi de auaris* ſubiecti ſunt, *indicem* porro non minus ac in priori tomo copioſum, nec non *Catalogum ſcriptorum qui vel de auaritia vel eleemoſyna vel diuitiis et paupertate commentati ſunt cum epigrammatibus eius argumenti ex Anthologia graeca*, itidem paginae complendae cauſa adſcriptis. Denique *commentario* in tertio tomo comprehenſo additae ſunt *variae* aliquot *Lectiones* et *Emendationes ex Pithoei codice et Braſſicani editione* cum paucis Rittershuſii coniecturis et *index* in eundem ampliſſimus. Taceo *epiſtolas dedicatorias*, quas vix ſummus quiſpiam Rittershuſii admirator legerit, nedum principes aut amici principum illorum, ad quos ſpectant. Tertia ex his eſt *ad omnes Academiarum Germaniae Profeſſores* eique adiungitur catalogus earundem Academiarum ſecundum fundationis et temporis ordinem inſtitutus. Denique ad Calcem totius operis (extremum tamen locum occupat *Odarium ad Chriſtum O. M.*) ſignificat editor, in animo ſibi fuiſſe ſubiicere Ioannis Weitzii, Tobiae Adami et Theodori Sitzmanni in Saluianum notas ipſi inſcriptas donatasque, nec non Braſſicani aliorumque Annotationes. Sed quia prelum imprimendis vacare non potuiſſet, per aliam occaſionem iſta ſe daturum promittit.

Franco-

✠ ✠

Francofurti apud Nic. Rothium. 8. Eadem editio recuſa. *Benedictini in Hiſt. Galliae Litt.* ſponſore *Boloiano in Bibl. Hiſp. p.* 52. cuius tamen teſtimonium parum fidum arguit Fabricius et proinde inter fabulas hanc editionem reponit. Sed fortaſſe non tam Rittershuſiana, quam Pithoeana editio hic recuſa eſt.

1618.

Coloniae Agripp. apud Ant. Hierat. fol. Salviani Presbyteri, et poſtea Epiſcopi Maſſilienſis libri 8.; de gubernatione Dei; Item epiſtolae ad diuerſos; Et Timotheus ſiue libri 4. ad Eccleſiam; in *Bibl. PP. Tomi V. P. III. pag.* 323. ſeqq.

1623.

Noribergae apud Simonem Halbmeyerum. 8. Salviani Maſſilienſis opera ex editione et cum Commentario *Cunradi Rittershuſii*, editio ſecunda, cui praefixa eſt eiusdem Rittershuſii vita, deſcripta per *Georgium* F. C. R. Rittershuſii. *Cat. Bibl. Reg. Pariſ.*

In *Cat. Bibl. Bodlei*, ſicuti in *Bibl. Barberiniana* laudatur huius loci et anni editio cum *Commentario Rittershuſii et aliorum.* Vnde colligo, duobus voluminibus conſtare hanc editionem, quorum prius Saluiani textum cum Rittershuſii commentario, poſterius Variorum, puto Weitzii, Adami, Sitzmanni et Braſſicani notas, vti in Bremenſi mox indicanda repraeſentantur, exhibent. Indeque enatum putem Fabricii errorem, confidenter affirmantis, *Norimbergenſem* Saluiani a. 1623. editionem eſſe nullam. Scilicet ſeorſim illi (fortaſſe etiam Bremenſibus) obtigerat volumen poſterius, ſicuti in *Bibl. Reg. Pariſienſi* non niſi prius occurrit. Ceterum piget me operae impenſae ad inueſtigandam peculiarem notarum illarum,

quam ſibi inſcriptam donatamque faſſus eſt Rittershuſius, editionem: praeſertim cum per ſe leuioris momenti ſint et a nemine facile deſiderentur. Certe Weitzii notulae meram locorum ſimilinmque vndique decerptorum farraginem praebent.

1624.

Pariſiis. fol. Saluiani de Gubernatione Dei l. VIII. etc. in *Bibl. PP. Tomo V.*

1627.

Rotomagi apud Ioannem Oſmont. 12. Saluiani Epiſcopi Maſſilienſis de vero iudicio et prouidentia Dei ad Salonium Epiſcopum libri VIII. cum ſcholiis Braſſicani; Epiſtolae et libri IV. ad Eccleſiam Catholicam.

Laudant hanc editionem *Auctores Hiſtoriae Litt. Galliae.* Videtur ad ed. Pariſienſem a. 1594. eſſe deſcripta.

1633.

Oxoniae. 8. Saluiani — de vero iudicio et prouidentia Dei libri VIII.; Epiſtolae et Libri IV. ad Eccleſiam Catholicam. *Cat. Bibl. Bodlei.*

1635.

Coloniae Agripp. 4. Saluiani de gubernatione Dei l. VIII. . . . . . in *Iacobi Merlonis* Horſtii (i. e. ex Horſt oriundi) *ſeptem Tubis orbis Chriſtiani* loco ſeptimo.

Integer libri titulus eſt: *Septem Tubae Orbis Chriſtiani ad reformationem Eccleſiaſticae diſciplinae toto orbe praeſertim in Germania ad praeſentium et grauiorum malorum remedium neceſſario inſtituendam excitantes.* Continet autem, teſte Harzhemio in Bibliotheca Colonienſi, ſeptem pia opuſcula ex

St.

St. Bernardo, Gregorio, M. Chryſoſtomo, Proſpero, Petro Damiani, Bleſenſi, Saluiano, nouis ſectionibus, prooemiis et adnotationibus illuſtrata, cum appendice quaeſtionum variarum. Fabricius quaſi totum Saluianum in eo recuſum ſignificat. Sed in *Cat. Bibl. Barberin.* l. l. tantum libri VIII. de *gubernatione* ex eo laudantur.

1644.

Pariſiis. fol. Saluiani Maſſilienſis Epiſcopi de gubernatione Dei libri 8. Eiuſdem ad Eccleſiam Catholicam toto orbe diffuſam libri 4.; in *Bibl. PP. Tomo V.* quae editio poſt nouo titulo ornata eſt a. 1654. *apud tres bibliopolas.*

1645.

Pariſiis apud Edmund Pepingue. 8. Saluiani Maſſilienſis presbyteri de prouidentia et gubernatione Dei, et de iuſto praeſentique eius iudicio libri VIII. Item Epiſtolarum liber vnus et Timothei ad Eccleſiam Catholicam libri IV. cum notis Ioannis Alexandri. Sic. *Cat. Bibl. Chig.*

Textus ex editione Pithoeana eſt recuſus, ſed adeo infelici euentu, Baluzio iudice, vt innumeris propemodum mendis haec editio ſcateat.

1647.

Lugduni. 4. Saluiani — de gubernatione Dei libri VIII. ſub hoc titulo: *Cenſoria de praeſentibus Europae Calamitatibus, eorumque cauſis Praeloquia ab Oſiandro Stuano in lucem edita.*

Certe refertur hic titulus inter Saluiani opera in *Cat. Bibl. Barberin. T.* II. *p.* 340. indeque eundem recitant *Galliae Litterariae Auctores.* Sed mihi ex ipſa Catalogi iſtius inſpectione non magis liquere fateor, vtrum libros *de gubernatione Dei*, an illos

contra Auaritiam, quorum editio proximo loco ante proponitur, in eo contineri ſignificare voluerit.

1648.

Pariſiis apud Edm. Pepingue. 8. Iteratio Pithoeanae. *Benedd. in Hiſt. Litt. Galliae.*

1663.

Pariſiis apud Franciſcum Muguet. 8. Sanctorum Presbyterorum Saluiani Maſſilienſis et Vincentii Lirinenſis Opera. STEPHANVS BALVZIVS *Tutelenſis* ad fidem codicum mss. emendauit, notiſque illuſtrauit.

Pithoeanam editionem, quamquam in multis illa laboraret, optimam tamen ex ſuperioribus cenſere ſolebat Baluzius eamque nouae huius recenſionis fundamentum eſſe voluit, ita vt vbicunque haec ab illa diſcrepet, id totum quod mutatum ſit, ex fide codicum manuſcriptorum, quorum aliquot vetuſtiſſimos librorum *de prouidentia* et *ad eccleſiam Catholicam* acceperat, factum eſſe exiſtimari iubeat. Quippe nihil coniecturis datum eſſe affirmat, niſi in epiſtolis vno et altero loco. Nullius enim epiſtolae vetuſtum exemplar nactus erat, praeterquam duarum poſtremarum, in quibus emendandis omnino ſecutus eſt codices manuſcriptos. *Notarum* ſuarum praecipuum ſcopum eſſe profitetur, indicare variantes lectiones. „Quodſi quando, *inquit*, hos limites egredior, affirmare poſſum, id non omnino fruſtra contigiſſe. Quanquam id raro accidit. Has enim Notas, vt hoc quoque dicam, feſtinanter ſcripſi, et quaſi aliud agens. Quod ideo viſum eſt admonere, ne quis heic ſyllabas ad viuum excutiat, aut Notas illas ad Polycleti normam directas non eſſe pronuntiet.“ Accedit huic editioni miro characterum chartarum.

rumque nitore ac elegantia praeſtanti *Stephani Baluzii Diſſertatio de Epiſcopatu Egarenſi ad Philippum Labbeum* in formam epiſtolae *(d. Lutetiae XIV Kal. Auguſti:* M. DC. LXIII.) ſcripta.

1669.

Pariſiis apud Franc. Muguet. 8. Sanctorum Presbyterorum Saluiani Maſſilienſis et Vincentii Lirinenſis Opera. Steph. Baluzius Tutelenſis ad fidem veterum Codicum mss. emendauit Notiſque illuſtravit. Editio ſecunda.

Non ſolum textus huius editionis a ſuperiore in nonnullis diſcrepat, ſed acceſſit ei etiam non exiguus notarum doctiſſimarum cumulus. Nam primum editor variantes lectiones, quas in margine editionis Pithoeanae deſcripſerat, rurſus diligenter excuſſit. Tum libros de gubernatione Dei contulit cum editione Braſſicani a. 1530. et Galeſinii 1564, et ſi quid melius in illis eſſet, quam in Pithoeana, aut in Codice Corbeienſi, quocum Pithoeanam antea contenderat, in textum tranſtulit. Si quid vero dubium eſſet, aut quod admonitione indigeret, id affirmat ſe in Notis repoſuiſſe, nec quidquam diſſimulaſſe, aut propria auctoritate mutaſſe, de quo non admonuerit. *Addidit praeterea Appendicem actorum veterum, quorum in Notis facta eſt mentio,* quo continentur: I. *Caſtoris Aptenſis Epiſcopi epiſtola ad Ioannem Caſſianum* ex veteri codice ms. *Bibliothecae Regiae.* II. *Acta Imperatorum aduerſus Pelagium et Coeleſtium* itidem ex codd. mss. nempe 1) *Reſcriptum Honorii et Theodoſii Impp. ad Palladium Praef. Praetorio.* 2) *Edictum Palladii.* 3) *Reſcriptum Honorii ad Aurelium Epiſc. Carthag.* 4) *Aurelii Epiſtola ad Epiſcopos Byzacenae et Argizitanae* (ſic) *prouinciae.* 5) *Sacra epiſtola Con-*

ſtantii Imperatoris patris Valentiniani Auguſti iunioris, ad Voluſianum Praefectum Vrbi, aduerſus Coeleſtium. 6) *Edictum Voluſiani pro publicatione ſuperioris Reſcripti.* III. *Traditio Petri de Sancto* (qui traditur) *ad Canonicam Cadurcenſem.* IV. *Traditio Guillelmi de Carbonarias ad monaſterium Tutelenſe.* V. *Traditio Eliae de Nauis* ad idem monaſterium ex Chartulariis iſtarum eccleſiarum et Monaſteriorum.

1677.

Lugduni apud Aniſſonios. fol. Saluiani Maſſilienſis Libri VIII. de gubernatione Dei; Eiuſdem Epiſtolae ad diuerſos; Item Timotheus, ſiue libri IV. ad eccleſiam, omnia ad emendationem *Steph. Baluzii;* in *Bibl. Max. Patrum T.* VIII. *pagg.* 339—401.

1684.

Pariſiis apud Franciſcum Muguet. 8. Sanctorum Presbyterorum Saluiani Maſſil. et Vincentii Lir. Opera. Stephanus Baluzius Tutelenſis ad fidem veterum codicum mss. emendauit et Notis illuſtrauit. Editio tertia.

„Cum et ſecunda quoque editio, inquit Baluzius, diſtracta fuiſſet, typographus autem eoſdem libros ſub incudem, vt ita dicam, reuocare vellet, et interim nactus eſſem exemplar manuſcriptum, quo Pithoeus vſus eſt in emendandis libris de gubernatione Dei, tum etiam illud, cum quo idem contulit libros quatuor aduerſus auaritiam, quae nunc extant in Bibliotheca Colbertina, putaui debere me hanc curam elegantiſſimo huic ſcriptori, vt lucubrationes eius conferrem cum iiſdem codicibus antiquis: quod puto me feciſſe cum aliqua vtilitate horum ſtudiorum.“

Ex

Ex *actis* per *appendicem* in ſuperiore adiectis reſecta ſunt in hac tertia num. I. et II. Ceterum quamuis et ipſa ſatis ſit nitida haec impreſſio, primae tamen elegantia longiſſime cedit. Inſcripta eſt Iacobo Nicolao Colberto Archiep. Carthaginenſi et Coadiutori Rotomagenſi (*Lut. Pariſ. Kal. April.* h. a.) Abeſt diſſertatio de epiſcopatu Egarenſi.

1688.

Bremae ſumtibus Hermanni Braueri. 4. S. Presbyterorum Saluiani Maſſilienſis — Opera. Cum libro Commentario Conradi Rittershuſii, ac notis integris, Iohannis Weitzii, Tobiae Adami, Theodori Sitzmanni, Iohannis Alexandri Braſſicani, Stephani Baluzii, et Vincentii Lirinenſis Commonitorium ab eodem Baluzio Tutelenſi ad fidem veterum Codicum mss. emendatum et illuſtratum, Praemiſſa Diſſertatione G. Calixti in Vincent. Lir. Cum Indicibus copioſiſſimis, tam ad Authores, quam ad Notas. Iuxta Noribergenſium partim ann. MDCXXIII. et Pariſienſium ann. M.D.CLXIX. exemplaria.

Quae ex Norimbergenſi editione in hanc tranſſumpta fuerint ex ſuperioribus intelligitur. De Vincentio Lir. ſuo loco dictum eſt. Series virorum doctorum, quorum notae hic exhibentur, alia eſt in ipſo volumine, alia in titulo, neutra curioſe inſtituta. Nimirum Baluziana editio tota eſt recuſa, adeoque proximae poſt textum vtriuſque auctoris notae ſunt Baluzianae cum indice eiuſdem editionis. Dein ſuccedunt, *Rittershuſii commentarius*, *Weitzii*, *Adami*, *Sitzmanni* et poſtremo loco *Braſſicani* notae, cum indice in eoſdem peculiariter concinnato. Mirum vero cur editionem *ſecundam* Baluzii potius, quam *tertiam*, exſcribendam typis dederit bibliopola, qui

minime ſolius quaeſtus gratia hanc curam ſuſcepiſſe videri voluit.

Saec. XVIII.

1728.

Venetiis. 8. Saluiani Maſſilienſis Presbyteri Opera emendata cum notis a *Steph. Baluzio. Cat. Bibl. Firm. T.* I. *p.* 53.

1729.

Piſauri e typographia Gauellia. 4 *mai.* Saluiani Maſſilienſis *Epiſcopi* Concordantiae Operibus eius annexae [i. e. *Opera Saluiani cum Concordantiis*] alphabetice diſpoſitae ſtudio ac labore *Patris Demetrii Barbulii Soc. Ieſu*, et Eminentiſſ. ac Reuerendiſſ. Principi Cardinali Fabio de Abbatibus Oliuerio humillime dicatae: Opus omnibus Sacrarum Diſciplinarum ſtudioſis, ſed potiſſimum Aſceticis Magiſtris, atque Concionatoribus Verbi Dei ſummopere proficuum.

Immo opus ineptum et in chartarum, vtinam minus nitidarum, iacturam impreſſum. Vnum forte eſt, quod in hunc cenſum non veniat, *Vita ſeu potius Elogium Saluiani a Larino Amatio nouiſſime edita*, ab eiuſdem Saluiani Epiſtolis potiſſimum enucleata.

1774.

Venetiis ex Typogr. Io. Bapt. Albritii, Hieron. fil. fol. Saluiani Presbyteri Maſſilienſis Opera quae exſtant omnia. Acceſſit Vincentii Lirinenſis Commonitorium. Ex tertia editione *Stephani Baluzii* V. C. in *Bibl. PP. et SS. Vet. Eccl.* Andreae Gallandii *Tomo X.*, *pagg.* 1—102.

Notae

Notae Baluzianae, non vt alias ſolet hic editor, textui ſtatim, ſed ad calcem ſubiectae ſunt, adeo vt in omnibus tertiae editionis Baluzianae forma conſtet, niſi quod de ſuo loca biblica in inferiori margine adiecerit. De *Saluiano* diſſerit in *Prolegg. Cap.* I. *pag.* III. IV.

❧ ❧

Versiones. Omnia Saluiani opera haud ſemel in linguam *Gallicam* traducta ſunt a *Gorſeo*, *Bonneto* et aliis. Praeter ea *de prouidentia libri* non ſolum a *Gallis* ſed *Italis* etiam conuerſi extant, vt ſequentia teſtantur.

Gallicae.

1575.

Lyon chez Guil. Rouille. 8. S. Salvian Eveque de Marſeille du vray jugement et providence de Dieu, traduit en François par B. B. D. S.

1655.

Paris chez Caſpar Meturas 4. Les oeuvres de Salvian, Evêque de Marſeille contenant les huit livres de providence, les quatre livres contre l'avarice avec pluſieurs epiſtres traduites avec des notes par *Pierre Gorſe.*

1700.

Paris chez Guill. Valleyre 12. *II. Tomis.* Les oeuvres de Salvien et le traité de Vincent de Lerins contre les hereſies, traduits en François par *le P. Bonnet*, Preſtre de l'Oratoire.

1701.

Pariſ. chez Louis Guerin. 8. Salvien, de la providence, traduit en François par *Jean Drouet de Maupertuis.*

1734.

Paris chez Jean Bapt. Deleſpine. 12. Les oeuvres de Salvien, Preſtre de Marſeille, contenant ſes lettres et ſes traitez ſur l'esprit d'intereſt, et ſur la providence, traduites en François par un P. Jeſuite.

ITALICAE.

1579.

In Milano appreſſo Michel Tini. 12. Libro di Salviano Veſcovo di Marſiglia *contra gli Spettacoli* e altre vanità del Mondo, tradotto da S. *Carlo Borromeo*, una cum *Memoriale di Monſignor Illuſtriſſimo, e Reverendiſſimo Cardinale di S. Praſede Arciveſcovo, al ſuo diletto popolo della Città, e Dioceſe di Milano. Argelati Bibl. degli Volgarizz. T.* III. (*Milano* 1767. 4.) p. 329. Neſcio tamen, vnus, an omnes *de Gubernatione Dei* libri hoc titulo comprehendantur.

1703.

In Avignone, appreſſo Gio. Robby. 4. Trattato di Salviano Marſilienſe della Providenza, in Latino, in Italiano, ed in Franceſe. *Argelati* l. l. Verſio Gallica eſt *Malpertuiſiana*, Italicae auctor fuit *Guido Ronſartus* Sacerdos.

CODICES. I. *Librorum de auaritia:* 1. *Codex*, vnde primum editi fuerunt, *Io. Sichardi*, de quo non

non conſtat. 2. Exemplar, ex quo eos caſtigauit *Pithoeus*, migrauerat in Bibliothecam Colbertinam, vbi illud nactus eſt Baluzius et in tertiis curis adhibuit. Sed deſcribere non ſuſtinuit. 3. *Codices Baluzii*, quos in prima ſtatim editione adhibuit et cum Pithoeana contulit, *duo Regii*, a Nic. Colberto, Lucionenſi ac dein Antiſſiodorenſi Epiſcopo ac Bibliothecae Regiae praefecto, a. 1660. ipſi communicati, *alter* peruetuſtus, modo Corbeienſi librorum *de gubernatione Dei*, quem ſtatim commemorabimus, poſterior; *alter* quadringentorum ferme annorum. Ac in priori illo erat epiſtola Saluiani ad Salonium, quae praefigi ſolet libris aduerſus auaritiam, quam tamen in vetuſto ſuo exemplari defeciſſe monuerat Pithoeus. Eandem vero etiam in recentiori Regio deprehenſurus fuiſſet Baluzius, ni priora eius folia periiſſent.

II. *Librorum de gubernatione Dei:* 1. *Codex princeps*, i. e. ex quo libros illos extulit *Io. Alex. Braſſicanus*, fuit olim Bibliothecae Regiae Budenſis in Hungaria et ante eius excidium Ludouici Regis munificentia ad Braſſicanum peruenit. Satis emendate ſcriptus fuit, vt ex collatione textus cum ſequentibus editionibus comparet. 2. *Pithoei exemplar* vetuſtiſſimum, quod ille accuratiſſime exſcribi curauit. Idem poſtea in Bibliotheca Colbertina reperit Baluzius et ad curas tertias adhibuit. 3. *Baluzii codex*, monaſterii Coebeienſis fuit, vetuſtiſſimus et optimae notae. Quippe a ſexcentis inde annis ſcriptum exiſtimabat et exaratum dicit ab erudita manu, quae diligentiam et induſtriam inter alia eo argumento probauerit, quod interpunctiones fere vbique prorſus bene collocatae eſſent. Non integros tamen octo libros continebat. Subminiſtrauerat eum ex Bibl.

Bibl. S. Germani de Pratis Lucas Dacherius Maurinae congregationis ſocius.

III. *Epiſtolarum:* 1. De *Pithoei codice* non conſtat. 2. *Baluzii exemplaria* non niſi duas priores et duas poſteriores continebant.

40.

§. 1. Vita.

PATRICIUS

natione Britannus, nomine patrio *Succat*, natus in oppido *Nemthur*, hodie *Kirkpatrick* inter fretum Dumbrittonae et vrbem Glaſguenſem ſito, circa annum 371. patre Calpurnio, Diacono, Potiti, presbyteri cuiusdam filio. Licet autem a parentibus chriſtianis ortum duxiſſet, religio tamen neque ad animi neque ad ingenii cultum magnopere ipſi profuit; ſed agreſtis inter agreſtes natus educatusque ſenſum aliquem atque timorem Dei aduerſarum maxime rerum occurſu alere coepit. Quod quidem puero adhuc contigit, cum a praedonibus Hibernis aliquoties in captiuitatem abduceretur et identidem liberaretur. Ex quo tempore tamen non odium ſed amor potius ac beneuolentia in Hibernos animum eius inſedit, et cum poſtea, incertum quo pacto, in Gallias delatus atque a Germano Autiſſiodorenſi epiſcopo a 432. Romam miſſus Coeleſtino papae deſiderium ſuum Hibernos ad fidem chriſtianam conuertendi ſignificaſſet: Hibernorum ab eo apoſtolus atque archiepiſcopus conſtitutus eſſe fertur. Quo facto redux in patriam, a. 447. incunctanter Hiberniam transfretauit praedicandoque et baptizando breui longe lateque religionem chriſtianam propagauit, regulos fere omnes iſtius inſulae conuertit, eccleſias condidit, ſedes epiſcopales inſtituit, ſynodos celebrauit, multisque aliis ad eccleſiam in hac regione con-

confirmandam bene fortiterque perpetratis anno aerae Chriſtianae 493. aetatis CXXII. e vita migrauit *).

Scripta *genuina* Patricii facile ſtilo barbaro ac ſcabra oratione ex neglectu ſermonis latini, quem nusquam ad ſcribendum adhibiturum ſe exiſtimauerat **), oriunda ſeſe manifeſtant. Sunt autem ſequentia. §.2. Scripta.

1. Con-

*) Quae hactenus de Patricii rebus commemorauimus ſi non penitus certa, veris ſaltem proxima ſunt. Certe Confeſſionem ipſius potiſſimum ante oculos habuimus, quae ardorem eius in conuerſionis negotio teſtatur et de triplici, quam iuuenis expertus eſt, captiuitate tantum exponit, quantum ad cetera, quae de eo memoriae prodita ſunt et quae ipſe non attigit, inter ſe connectenda valeat. Probi et Iocelini, Britannorum medii aeui ſcriptorum, fabulae dudum ab omnibus exploſae ſunt. At illi praecipitatius iudicant, qui propter eas totam rerum Patricii memoriam atque ipſius adeo exiſtentiam in dubium vocarunt, meram fabulam a nugiuendulis contextam autumantes. Reſtant quidem, demtis etiam fabulis, multa in vitae eius narratione, quorum fidem argumentis firmis probari deſideres, quo tota eius ad transmarinas prouincias peregrinatio et Coeleſtini hac in re partes referri debent. Sed caue, ne arbitrario nimis traditionum domeſticarum fidem eleves. Legenda ſunt inprimis, quae Bollandiani T. III. Menſis Martii p. 519. de primis et antiquioribus S. Patricii actis (e quibus Probus, Iocelinus aliique hauſerunt) eorumque auctoribus conſcripſerunt.

**) *Olim cogitaui ſcribere* inquit in laudata Confeſſione, *ſed vſque nunc haeſitaui. Timui enim, ne inciderem in linguam hominum; et quia non legi, ſicut ceteri, qui optime itaque iure et ſacras litteras vtroque pari modo combiberunt, et ſermonem illorum*

1. *Confeſſio* in Epiſtola ad Hibernos explicata, in qua non de fide ſed vitae atque praedicationis ſuae ratione exponit. Fragmenta plurima ex ea lucubrationi ſuae intexuit *Probus*, vitae Patricii ſcriptor ſaeculi X.
2. *Epiſtola ad Coroticum* regulum Cambro-Britannicum ſeu potius *ad Chriſtianos Corotici tyranni ſubditos*. Huius epiſtolae diſerte meminit Iocelinus monachus Ciſtercienſis coenobii Furneſſenſis apud Lancaſtrienſes, qui ſaec. XII. vixit et vitam Patricii exarauit. Ceterum Waraeus pro huius et ſuperioris opuſculi antiquitate obſeruat, loca ſacrae ſcripturae ex verſione LXX., non ex tunc recenti Hieronymi, quae Patricii aeuo nondum publicitus fuit recepta, in iis laudari.
3. *Synodus S. Patricii* complectens canones XXXI.
4. Alii *IX Canones S. Patricio adſcripti*. Ex his V. et VI. iam Uſſerius ediderat; reliquos Waraeus adinuenit.
5. *Synodus Patricii, Auxilii, et Iſſernini epiſcoporum XXXIV. Canonibus conſtans*. Waraeus adiecit *alios tres canones*, antea iam a Speelmanno editos, et *Prouerbia* aliqua eiuſdem.

Incerta ſunt, aut verius *non ipſius*, *Charta* ſeu *Epiſtola de antiquitate Aualonica*, quam propter ſtylum, temporum notationem aliaque id genus momenta v. c. nomina mere Anglo-Saxonica in ea adſcripta, recentioris auctoris eſſe ſuſpicatur Waraeus; porro

illorum ex infantia nunquam mutauerunt, ſed magis ad perfectum ſemper addiderunt. Nam ſermo et loquela noſtra translata eſt in linguam alienam, ſicut facile poteſt probari ex ſaliua ſcripturae meae, qualiter ſum ego in ſermonibus inſtructus atque eruditus.

porro *liber de tribus habitaculis*, apud alios *de gaudiis electorum* et *poenis damnatorum* inſcriptus, et Auguſtino etiam tributus; et liber *de Abuſionibus Saeculi* inter Cypriani et Auguſtini opera vulgatus; de quo poſteriori tamen non eſt praetermittenda Waraei ſuſpicio. Quippe cum excerpta quaedam ex hoc libro ab auctoribus admodum antiquis, licet tacito libelli titulo, S. Patricio adſcribantur, non poſſe ſe non ſuſpicari ait, eundem eſſe cum Prouerbiorum eo libello, quem *aedificatione plurima plenum* Iocelinus Patricium hibernice ſcripſiſſe dixerit, quemque fortaſſe Hibernus aliquis poſt obitum Patricii in linguam latinam conuerterit. Vtrinque enim, in Prouerbiis et Sententiis appoſitis, *Saeculi Abuſiones* aperiri, nec ſtylum ſcripturasue e verſione Hieronymi citatas obſtare, quo minus liber ille partus ſit ingenii Patriciani, licet ab alio translatus.

Denique *Sermo*, qui Patricii nomen gerit, confictus fuit a *Rich. Stanihurſtio* et in *Vita Patricii* l. II. *Antuerpiae* a. 1587. ab eo editus, recuſus etiam monente Caueo, a *Meſingamo* ad finem *Florilegii Hibernici Pariſ.* 1624.

§. 3. Editiones.

Ex his Patricii opuſculis *num.* III. et V. cum particula *Epiſtolae de antiquitate gentis Aualonicae* et poſtrema duo falſo ipſi adſcripta, edita fuerunt antequam *Iacobus Waraeus* reliqua ex mss. codicibus erueret et de vniuerſis edendis curam agitaret. Poſt cuius praeclaram operam, *Bollandiani* quaedam denuo ad codices mss. recognita dederunt, Waraeanam autem totam reſcribendam curauit *Andreas Gallandius*. Sed ſingula diligentius luſtrabimus.

Saec. XVII.

1604.

Moguntiae apud Balthaſ. Lippium ſumpt. Ant. Hierat. 4. S. Patritii Legatio, a Coeleſtino primo papa ad conuerſionem Hiberniae directi, ſiue Epiſtola S. Patritii Apoſtoli Hiberniae ex Bibl. Monaſterii Glaſtoniae, in quo ipſe Abbas fuit, antequam eſſet epiſcopus Hiberniae; in *Gerardi Voſſii* Praep. Tungr. *Miſcellaneis* SS. *aliquot Patrum Gr. et Lat.* (quae quaſi alter tomus ab eo Operibus Gregorii Thaumaturgi adiecta ſunt) *p.* 239.

Non niſi fragmentum eſt Epiſtolae de antiquitate Aualonica, quod inter collectanea mss. Mariani Victorii Epiſcopi Reatini (editoris Ambroſii) reperit Voſſius; Victorius autem, dum Reginaldo Polo Cardinali Legato in Anglia adeſſet, ex vetuſtiſſimo ms. exemplari Bibliothecae Monaſterii Glaſtoniae transſcriptum acceperat. Eadem, vt Waraeus obſeruat, iam habentur in *Iohannis Tinmuthenſis Sanctilogio*, in vita Patricii, et in exſcriptoris eius *Iohannis Capgrauii noua Legenda Angliae, Londini* a. 1516. typis excuſa.

1639.

Londini. fol. Synodus S. Patricii, *item* Synodus Patricii, Auxilii et Iſſernini et *tres* praeterea *Canones* eiusdem; in *Conciliis Britanniae Henrici Speelmanni T. I. pagg.* 51. 54. 55 *ſqq.*

Priores Canones deſumti ſunt ex antiquo ms. codice Andegauenſi, cuius apographum ad Vſſerium e Gallia miſerat Sirmondus.

1656.

Londini apud Iohannem Crook, ſub ſigno nauis in coemeterio Paulino. 8. S. Patricio, qui Hibernos

nos ad fidem Chriſti conuertit, adſcripta opuſcula: quorum aliqua nunc primum ex antiquis mss. codicibus in lucem emiſſa ſunt, reliqua recognita; Omnia notis, ad rem Hiſtoricam et Antiquariam ſpectantibus, illuſtrata, opera et ſtudio IACOBI WARAEI *Equ. Aurati.*

Ordo contentorum idem eſt, quem in recenſendis ſcriptis ſeruauimus, niſi quod *Charta de Origine Aualonica* medium inter Opuſcula *de tribus habitaculis* et *de Abuſionibus Saeculi* locum occupat. Ipſe primum editor num. I. II. et IV. (ex maiori parte) item *Prouerbia* et *integram* Epiſtolam *de gentis Aualonicae origine* adiecit, reliqua cum mss. denuo contulit, librum *de tribus habitaculis* ex Auguſtini operibus, opuſculum *de Abuſionibus ſaeculi* ex Cypriano Pamelii reſcribi fecit, praefationemque, notas, in quibus partim de ſinceritate, aetatis ratione aliisque, quae auctorem concernunt momentis, diſſeritur, partim ſingula loca illuſtrantur, et indicem addidit. Ad calcem etiam appoſuit *Secundini* Epiſcopi, S. Patricii e Dauera ſorore nepotis, *hymnum alphabeticum in laudem S. Patricii* tunc viuentis.

1668.

Antuerpiae apud Iac. Meurſium. fol. Confeſſio S. Patricii de Vita et Conuerſatione ſua, quam (vna cum *Epiſtola ad Chriſtianos Corotici tyranni ſubditos*, ita enim rectius hic inſcribitur) ex vetuſtiſſimo Nobiliacenſis S. Vedaſti monaſterii codice eruit *Andreas Denis* Atrebas, e Societate Ieſu; in *Actis Sanctorum Tomo* III. *menſis Martii*, ad diem XVII. *pagg.* 533—540.

Waraei editio Bollandianis haud innotuit, vt iam obſeruauit Gallandius. *Epiſtola ad Coroticum*, vt vulgo dicitur, in laudato ms. Confeſſioni Patricianae

nullo tituli diſcrimine ſubnectebatur, Diuiſerunt autem editores vtramque epiſtolam in ſectiones aliquot minores, priorem etiam in capita V. Notae variantes aut emendationes ſuppeditant. Sequitur Vita S. Patricii auctore Iocelino, praemittitur autem amplus de eiusdem rebus Bollandianorum commentarius, in quo ſingula illius momenta accurate expenduntur.

Saec. XVIII.

1726.

Oxonii. 8. Charta S. Patricii de antiquitate Aualonica; in *Ioannis Glaſtonienſis Hiſtoria de rebus Glaſtonienſibus* ex ed. *Th. Hearnii T. I. pagg.* 63—66.

1737.

Londini. fol. Synodus et Canones S. Patricio adſcripti; in *Dav. Wilkins Concil. M. Britanniae et Hiberniae T. I. pagg.* 2—7. Subiectae ſunt textui notae et variae lectiones.

1748.

Lucae. Fol. Canones S. Patricio adſcripti ex Waraeo in *Io. Dom. Manſi Concil. Suppl. T. I. p.* 338.

1761.

Florentiae. fol. Synodus S. Patricii, Auxilii et Iſſernini, cum additione; Canones S. Patricio adſcripti, Synodus alia S. Patricii; in *Io. Dom. Manſi Collectione ampliſſ. Concil. T. VI. pagg.* 514—528. *Canones Patricio adſcripti,* quaſi omiſſi fuiſſent, iterum exſcripti ſunt ad calcem *Tomi VII. pag.* 1187.

1774.

1774.

Venetiis ex typogr. Io. Bapt. Albritii. fol. Opuſcula Patricio adſcripta; in *Bibl. PP. et SS. Vet. Eccl. Andreae Gallandii T. X. pagg.* 159—182. vna cum Hymno Secundini *pagg.* 183. 84.

Gallandius opuſcula omnia genuina et dubia, aut omnino falſa, ſine peculiari quidem titulo iuxta Waraei inſtitutum deſcripſit; contulit tamen Bollandianorum editionem et in extremis duobus libellis Auguſtini et Cypriani editores nouiſſimos ſecutus eſt, ſicuti in Hymno Secundini Muratorium in Anecd. Lat. T. IV. pag. 136. vbi in Antiphonario monaſterii Benchorenſis extat. Hinc larga prouenit variarum lectionum et emendationum copia, quae cum notulis ex Waraeo et Vſſerio potiſſimum decerptis textui ſubiiciuntur. Diligens praeterea de ſcriptis Patricii diſſertatio inſerta eſt *prolegomenis Cap.* IV. *p.* VII. IX.

* *

Codices. Partim apud Britannos et Hibernos domeſtici ſunt, partim Gallicani. Prioribus potiſſimum vſus eſt *Waraeus*, videlicet I. *vno Eccleſiae Armachanae* in Hibernia, qui praeter Confeſſionem S. Patricii, Biblia ſacra e verſione Hieronymi, et antiquiſſimum exemplar Sulpitii Seueri de vita S. Martini Epiſcopi Turonenſis continebat. Tanto olim in pretio habitum fuiſſe hunc codicem obſeruat Waraeus, vt familia Mac - Moyeriana tenuerit terras a ſede Armachana, ob ſaluam illius codicis cuſtodiam: nempe magnam huic libro venerationem conciliavit vulgaris opinio, eum manu ipſius Patricii fuiſſe exaratum. Quae quodammodo adiuuatur his verbis ad calcem codicis adſcriptis: *Huc vsque volumen, quod* Patricius *manu conſcripſit ſua:* et deinde; *ſep-*

tima decima Martii die translatus eſt Patricius ad Coelos. At ex characteris genere ſatis liquere monet Waraeus, non Autographum eſſe, ſed longe poſteriori aeuo tranſſcriptum.

II. *vno* ex Bibliotheca *D. Thom. Cottoni* Baronetti, circa annum Chriſti milleſimum exarato, qui praeter hanc *Confeſſionem* et *Epiſtolam ad Coroticum*, varia antiquitatis ad Hiberniam ſpectantia monumenta et vitam S. Furſei Hiberni auctore ſaec. VII. et vitam S. Brigidae Virginis auctore Cogitoſo continebat.

III. IV. *Binis* Eccleſiae *Sarisburienſis* in Anglia, qui vtramque *Confeſſionem* et *Epiſtolam ad Coroticum* complectebantur.

V. *Altero* Bibliothecae *Cottonianae* Weſtmonaſterii, in quo ſparſim IX. *Canones* Patricio attribuuntur. Vetuſtus liber erat, deſcriptus Anglo - Saxonicis temporibus et pertinuit olim ad coenobium S. Auguſtini Cantuariae.

VI. *Vno* Bibliothecae *ſecretioris Collegii S. Benedicti Cantabrigiae* num. 221. ſcripto litteris maiuſculis, ſed adeo aegris aliquot in locis, vt ſine critica licentia non ſanabiles eſſe fateatur Waraeus. Continebat *Synodum Patricii, Auxilii et Iſſernini* a Speelmanno antea (neſcio ex quo exemplari) editum et alios Canones S. Patricio adſcriptos. Ex vtriusque comparatione paulo emendatiora dedit laudatus editor.

VII. Libro ms. *Guilielmi Malmesburienſis* de Antiquitate Eccleſiae Glaſtonienſis, ſeruato in Bibliotheca *Cottoniana;* ex quo integrum exemplar Chartae de origine Aualonica deſcriptum.

Hisce Britannicis ac Hibernis codicibus a Waraeo vſurpatis annumerabimus loco

VIII.

VIII. ms. *Collegii Corporis Chriſti* Cantabrigiae ſign. o. 20. ex quo *Synodus Patricii* apud *Wilkinſium* edita eſt.

Ad *Gallicanos* autem pertinent:

I. Ms. liber *Andegauenſis*, ex quo *Synodum Patricii* a Iac. Sirmondo deſcriptam edidit *Henr. Speelmannus*. Huius etiam Synodi in codice Andegauenſi et alius Hibernicae in codice quodam Floriacenſi reperiundae meminit Phil. *Labbeus* in *Bibl. noua Mss.* monente Waraeo.

II. Ms. liber *Nobiliacenſis S. Vedaſti monaſterii Atrebati*, ex quo *Confeſſionem et Epiſtolam ad Coroticum* ediderunt *Bollandiani*.

41.

BACHIARIUS.

De *Bachiario* veteres ſcriptores pauca et incerta, recentiores, praeprimis Angli, multa falſa protulerunt*). Reſtat igitur, vt veriora, ſaltem veroſimilia, potiſſimum ex ſcriptis eius, quae certo hodie noſcuntur, coniectura eliciamus. Atque ex Gennadio quodammodo apparet, monachi vitam ei placuiſſe, eumque ad conſeruandum illud vitae propoſitum ad peregrinandum ſe dediſſe. Ex *fide* autem eius patet patriam haereſi aliqua ita fuiſſe infectam, vt illius ſuſpicio in omnes fere eiusdem regionis incolas caderet ipſeque adeo Bachiarius epiſcopo, neſcio cui, aut ipſius potius inſtituti viro fidei ſuae confeſſione purgare ſe neceſſe haberet. Circumſpicientibus vero, §. 1. Vita

Hhh 4 quaenam

*) Parens omnium fabularum fuit *Io. Baleus* in *Cent.* 1. *de SS. Britanniae*, quem multi deinceps bona fide ſecuti ſunt. Rationem quandam primi huius et potiſſimi erroris de hac patria eius deprehendere ſtuduit *Franc. Florius* in *Diſſ.* §. 1. *pag.* II.

quaenam maxime Occidentis regio ſaeculo quinto tam ſiniſtra fama laborauerit, prima omnium ſe offert Britannia Pelagii erroribus infamata. Sed cum ne verbo quidem Bachiarius quaeſtionem ad Pelagii doctrinam pertinentem tangat, eiusue labis calumniam a ſe amouere ſtudeat, ſed alto hoc ſilentio potius, plane hancce haereſim ſe ignoraſſe atque ante eius ortum confeſſionem ſuam ſcripſiſſe, prodat *): vlterius progredientibus occurrit Hiſpania a Priſcillianiſtis vexata, ac ſane quae in libello ſuo profitetur Bachiarius dogmata, non alia fere ſunt, quam huic Hiſpanae haereſi e regione oppoſita **). Licet itaque colligere Bachiarium in peregrinatione ſua de patria haereſi ſuſpectum, aut quae probabilior fortaſſe ſententia, in ipſa Hiſpania in erroris iſtius ſuſpicionem adductum antequam peregrinationem ſubiret, maculam exiſtimationi ſuae adſperſam eluere voluiſſe ***). Facta autem videtur haec peregrinatio ineunte ſaeculo V. eadem fere tempeſtate, cum Oroſius quoque ob Priſcillianiſtarum et Origeniſtarum errores Hiſpania deſerta in Africam confugeret, Eutropiusque et Paulus epiſcopi eodem tranſuecti *Commonitorium* iam *de aliquantis haereſibus* Auguſtino traderent.

§. 2. Scripta. Duo iamiam ſuperſunt opuſcula, quae certiſſime Bachiarium auctorem agnoſcunt, *Fides* alterum, alterum

*) Hoc extra omnem dubitationem poſuit *Lud. Ant. Muratorius* in *Anecd. T.* II.

**) Hoc demum euicit laudatus *Franc. Florius.*

***) *Gallandius* in *prolegg.* ad *T.* IX. *c.* V. §. 1. Attamen non ſatis diſerte hanc ſententiam enunciat. Exiſtimat quidem *Praeſidentes* illos, quorum ſententia ſeſe iudicari dicit, fuiſſe eosdem, quos modo nominamus epiſcopos, Eutropium et Paulum.

rum *Epiſtola ad Ianuarium de recipiendis lapſis*, vt in editis inſcribitur, aut vt rectius in quibusdam mss. notatur *de reparatione lapſi* *).

Plures olim eius extitiſſe lucubrationes ex Gennadii verbis colligunt, a quo *grata* dicitur *edidiſſe opuſcula.* Quod quamuis leue ſit argumentum, nequaquam tamen ſperni debet viri doctiſſimi *Franciſci Florii* acumen, quo alia duo opuſcula eidem Bachiario aſſerere conatus eſt, videlicet *Obiurgationem in Euagrium, quod Leuitam lapſum non conſolatus ſit*, quae olim in epiſtolarum Hieronymi cenſum irrepſit, ſed iam ab Eraſmo obelo confodi meruit, et *libros II. de Deitate et Incarnatione Verbi ad Ianuarium*, quibus idem Eraſmus Auguſtini nomen, quod falſo praeferebant, primus detraxit. Poſterius ex Origenis libris Periarchων iuxta Rufini verſionem collectum eſſe iam pridem PP. Maurini docuerant, a cuius doctrina non alienum fuiſſe Bachiarium pluribus Florius oſtendit, eique idem, quod aliis Origenis ac Rufini praeſertim patronis, accidiſſe ſuſpicatur, vt abraſo veri auctoris nomine et in hoc fortaſſe etiam demta ad Ianuarium praefatione, pro Auguſtini foetu venditaretur.

Qui apud alios, veluti Poſſeuinum, Pitſeum et Baleum occurrunt ſcriptorum Bachiarii tituli, cuiusmodi ſunt *de fide Salomonis*, *de Fide perſeuerante*, *de Prognoſticis natiuitatum*, ex incuria legentium ferme orti eſſe videntur, aut plane ſunt confictitii.

Epiſtola ad Ianuarium diu vnicum opus fuit ex quo Bachiarii ingenium noſcebatur, edita primum a *Grynaeo* a. 1569. ſaepiusque deinde in *Bibliothecis* *Patrum* §. 3. Editiones.

*) In aliis titulus eſt de *poenitentia* aut de *fructu poenitentiae.* cf. *Florius Diſſ.* II. *p.* LXVIII.

Patrum repetita, antequam a *Muratorio* adderetur *Fides* ex Ambroſiano Codice Mediolani eruta.

Dehinc vtrumque ad codices mſs. denuo excuſſit notisque et diſſertationibus doctiſſimis illuſtratum edidit *Romae* a. 1748. *Franciſcus Florius*, quam praeclaram editionem nuper in *Bibliotheca ſua PP.* reddidit *Gallandius.* Sequitur *Series editionum.*

SAEC. XVI.

1569.

Baſileae ex off. Henric. Petrina. fol. Bachiarii epiſtola de recipiendis Lapſis; in *Io. Heroldi Orthodoxographis T.* I. *P.* II. *p.* 485.

1575.

Pariſiis apud Mich. Sonnium. fol. Eadem in *Bibl. PP. Bigneana* T. I, et ſecundae editionis a. 1589. *T.* III. *p.* 560. *ſeqq.*

SAEC. XVII.

1618.

Coloniae Agr. fol. Bachiarii epiſtola de recipiendis lapſis ad Ianuarium; in *T. V. P. I. M. Bibl. PP.*

1644 et 54.

Pariſiis apud tres Bibliopolas. fol. Eadem; in *Bibl. PP. T.* III.

1677.

Lugduni apud Aniſſonios. fol. Eadem; in *Max. Bibl. PP. T. VI. p.* 1174. *ſq.*

1698.

Mediolani typis Ioſ. Pandulſi Malateſtae. 4. Bachiarii antiquiſſimi ſcriptoris Apologia, ſeu Catholicae fidei formula; in *T. II. Anecdotorum Lud. Ant. Muratorii pagg.* 1—26.

Depromſit editor hocce opuſculum ex antiquiſſimo Bibliothecae Ambroſianae Codice, ante annos minimum mille, vt ex characterum forma colligit, conſcripto, qui olim celebris monaſterii Bobienſis fuit, et ex eo in Ambroſianam Bibliothecam a Card. Feder. Borromaeo erat traductus. Praeter copioſas et doctas notas textui ſtatim ſubiectas addidit *prolegomena de Patria, aetate, Scriptis et dignitate* Bachiarii, in quibus, diſcuſſis quae eo vsque de hoc ſcriptore ferebantur fabulis, nouam memoriae et ſcripto huic eius lucem accendit.

Saec. XVIII.

1748.

Romae typis Antonii de Rubaeis. 4. Bachiarii Monachi Opuſcula de fide et de reparatione lapſi, ad codices Bibliothecae Ambroſianae, nec non ad priores editiones caſtigauit, Diſſertationibus et notis auxit Franciscus Florius *Canonicus Theologus Sanctae Patriarchalis Eccleſiae Aquileienſis.*

Primo loco eſt *fides*, ſecundum obtinet *epiſtola ad Ianuarium.* Textui ſubiectae ſunt notulae criticae, vberiores animaduerſiones et illuſtrationes vero compegit omnes in duas Diſſertationes, in quibus de Bachiario et ſcriptis eius tam ſuperſtitibus, quam deperditis, item denuo eidem vindicandis non magis acute quam docte diſputauit. Inſcriptae ſunt prima de *Haereſi Priſcilliana*, altera de *ſcriptis et doctrina Bachiarii.* Poſt eas etiam *Muratorii Prolegomena*

et

et *Notae* adiecta ſunt; *index* rerum grauiorum in Bachiarii opuſculis editorumque diſſertationibus et notis tractatarum volumen claudit. Emendauit autem priorem libellum ad ſuperiores editiones, quas diligenter inſpexit, et codicem Ambroſianum, ex quo illum pridem eduxerat Muratorius; neque enim alius liber ms. ſuppetebat; alterum ad editiones pariter et codicem Ambroſianum a Ioſ. Ant. Saxio Ambroſianae Bibl. Praefecto ipſi communicatum, cui, abſoluto paene opere, Vaticanus acceſſit, ex quo paucas variantes ſeu emendationes in fine ſecundae diſſertationis appoſuit. Inſcripta eſt praeclara et ſpecie externa etiam nitida editio Cardinali *Ioachimo Portocarrero* Regnorum Hiſpaniae Protectori.

1759.

En Madrid, en la Oficina de Antonio Marin. 4. Bachiarii opuſcula ex editionum Collatione caſtigatiora; in Henrique Florez *Eſpaña Sagrada Tomo* XV. *append. vlt. pagg.* 470—508. cum variis lectionibus ex Florio decerptis. De ipſo Bachiario et *ſcriptis* eius ſermo fit *pagg.* 357—360.

1773.

Venetiis ex typogr. Io. Bapt. Albritii. fol. Bachiarii Monachi opuſcula — ad codices bibliothecae Ambroſianae nec non ad priores editiones exacta cura et ſtudio *Franc. Florii* etc. in *Andreae Gallandii Bibl. PP. T. IX. pagg.* 183—198. additis Muratorii notis pagg. 199—202. De *Bachiario* diſſeritur *cap. V. Prolegomenorum pagg.* XII—XIV. in quo praeter alia quoque animaduerſiones quaedam *Petri Weſſelingii* ex *epiſtola* ad H. Venemam de *Aquilae in ſcriptis Philonis Iudaei fragmentis Trai. ad Rhenum* a. 1748. edita producuntur.

Codi-

✥ ✥

Codices. 1. Libelli *Fidei* nonniſi vnicus hucusque *mſ. codex* repertus eſt, nempe *Ambroſianus*, ex quo illam edidit *Muratorius*. Saeculi VIII. eſt, membranaceus et a *Montefalcone* etiam in *Biblioth. Bibliothecarum mſ. p.* 530. notatur.

2. *Epiſtolae ad Ianuarium.* De *Grynaei* codice non conſtat. *Ambroſianus*, qui nuper a Saxio cum Florio communicatus fuit, eſt membranacaeus, in 4to, notatus H. 61. Titulus rubeis apicibus deſcriptus titulum repraeſentabat, quem dedit Muratorius. Magno ſibi adiumento fuiſſe fatetur Muratorius in reſtituenda vetere lectione, de quibus omnibus in notis diligenter monuit, rariſſime tacitus emendauit. *Vaticanus*, quem cum primo eius maxime viſendi gratia Romae adeſſet nulla vel fautorum vel amicorum ſollicitatione impetrare potuit, poſtea abſoluto iam volumine per Io. *Bottarium* accepit Florius, ſaeculi IX. eſt notatus *num.* 3834.

42.

Leo I. Episc. Rom.

cognomento *Magnus*, patria Romanus fuit. De §. 1. Vita. anno natali eius in antiquis eccleſiae monumentis nihil traditum accepimus, nec ex iis, quae de vita eius nobis ſuperſunt, nec ex aetate, qua deceſſit, certi quidquam coniicere licet. Patrem habuit Quintianum nomine, incertae, ſed procul dubio haud infimae conditionis, quippe a quo filius tam maturae indolis non vulgari ratione educari debuit; niſi mavis, eum inter Sacerdotes demum, a quibus iuuenis veteris eccleſiae more ad eccleſiae munia obeunda formatus eſt, et ſuimet ingenii felicitate id adeptum

eſſe,

eſſe, quo poſtea tantopere excelluit et inter Pontifices Romanos *Magni* nomine meruit diſtingui, paratiſſimum ſcilicet ad quaeuis non ſolum eccleſiae, ſed et alia, quae nec cum fide nec cum diſciplina quidquam coniunctum habebant, negotia apte et decore adminiſtranda ingenium. Certe iam mature virtutis a natura inſitae et ſtudii in officio documenta dediſſe eum oportet, ſiquidem Acolythus adhuc ſub Zoſimo Papa a. 418. Carthaginem ad Pontificis de Coeleſtio ſententiam Aurelio ceterisque Africae epiſcopis perferendam adhibitus fuit *). Coeleſtini papae temporibus diaconum egit. Sed quae de adminiſtratione rerum eccleſiaſticarum ab eodem Coeleſtino ei concredita Quesnellus diſputat, alia deſiderant, quam quibus ille nititur, argumenta **). Attamen qua aeſtimatione Leo tunc Romae fuerit, teſtatur luculentiſſime Caſſiani epiſtola, qua a. 431. libros de *Incarnatione* contra *Neſtorium* hortatu ipſius Leonis ſcriptos ei obtulit. Sed et alia adſunt hoc non inferiora documenta auctoritatis et gratiae, qua non Romae ſolum apud Pontificem, ſed in principum aula etiam valeret. Nam ſi Proſpero credimus, Leonis maxime vigilantia et hortatu factum eſt, vt Sixtus Papa Iuliani Eclanenſis artibus, quibus in communionem Eccleſiae

*) Conſtant haec teſtimonio *Epiſtolae* CIV. *Auguſtini ad Sixtum* Romanae eccleſiae tunc presbyterum, poſtea Coeleſtini in Epiſcopatu ſucceſſorem, qui eadem occaſione vſus fuerat, ad Auguſtinum epiſtolas mittere. Nec alium ab hoc Leone fuiſſe memoratum Acolythum, ex temporum congruentia maxime ſit probabile.

**) *Quesnellus* in vita Leonis ad a. 430—32. *num.* III. apud *Ballerinios T. II. p.* 406. Sed confer horum notata ad *Epiſtolam* Leonis *ad Maximum Anſtiochenum* CXIX. *T.* I. *p.* 1216. *n.* 24.

ſiae irrepere moliebatur, reſiſteret; legatio autem, quam anno 440. iuſſu imperatoris ad conciliandos Aetii et Albini exercitus Romani in Gallia ducum, odio toti imperio timendo diſſidentium, animos ſuſcepit, ipſa eius ad Epiſcopatum Romanum electione notior eſt reddita. Dum enim Leo adhuc in negotio iſto diſtinebatur, Sixtus Papa diem obiit, cunctaque ſtatim cleri ac populi Romani ſuffragia Diaconum Leonem epiſcopum nominarunt. Accitus igitur legatione honorifica atque ordinatus, nouum munus ſolemni gratiarum actione auſpicatus eſt, eundemque ordinationis ſuae diem quotannis ſermone celebrauit.

Incidit quidem epiſcopatus eius in funeſta imperii Romani in Occidente tempora. Quippe in extrema principum ſocordia et ſtupore, vndique Barbarorum cohortes aut imperii finibus ingruebant, aut prouincias incurſionibus inundabant, easque aut deuaſtabant ac depopulabantur, aut pulſis ſubactisue incolis ſibi ipſis ſedes faciebant. Calamitatem, quam eccleſia vniuerſa ex ſingularum prouinciarum afflictione neceſſe ſentiebat, intueri non licebat, quin metus, ne ſimilis Italiam ipſamque Romam fortuna maneret, ſuboriretur, a cuius oppreſſione, ſi duratura eſſet, grauiſſimum ſedis Apoſtolicae dignitati, quae nunc erat damnum portendebatur. Quo accedebat Barbarorum Arianiſmo imbutorum in eccleſiae catholicae aſſeclas odium et graues paſſim perſecutiones. Inter haas ergo ſuborientis tem peſtatis nubes animi ſane robore opus erat epiſcopo eccleſiae gubernaculum ſuſcipienti. Ceterum non item deſperatus erat internus eccleſiae ſtatus; quin immo non carebat laetis auguriis, ſiquidem ex Pontificis Romani commodis aeſtimandus erat. Haereticorum enim qui tam crebri erant per iſta ſaecula motus

tus non poterant ſollicitare nouum epiſcopum aucto-ritatis ſedis ſuae promouendae et exemplorum priſcorum non penitus ignarum, vtpote qui noſſe debebat, quanta incrementa ex ſingulis fere eiusmodi diſceptationibus etiam per minus doctos et parum firmati animi epiſcopos Romanae ſedis auctoritas poteſtasque cepiſſet, quantisque amplificationibus per nuperas Orientis contentiones locus factus eſſet *). Quanto vero maiora Leo ſperare debebat, qui praeter ceteras animi ingeniique dotes eruditionis et eloquii auctoritatem ad hanc dignitatem afferebat, et in grauiſſimis ac ſubtiliſſimis de fide quaeſtionibus definiendis Graecis nedum par, ſed etiam ſuperior ſibi videri poterat. Atque haec taliaue Leonem ſenſiſſe euentus comprobauit. Vtut enim ſincerum erat et ſtrenuum eius diſciplinae eccleſiaſticae regendae fideique antiquitus acceptae tuendae ſtudium, quod a primordiis muneris ſtatim et nunquam non deinceps per omne epiſcopatus ſui tempus declarauit, et ſane propria ipſi animi alacritate et firmitate plurimum adiuuabatur: non minus tamen eodem ad augendam ſedis ſuae dignitatem et auctoritatem vſus eſt, et in hiſce conaminibus inſita ingenii vis in arrogantiam et pertinaciam intolerabilem ſaepe et inſanam degenerauit. Teſtis eſt concertatio eius cum Hilario Arelatenſi, plena ſuperbiae et affectuum tanto epiſcopo indignorum; tametſi minime Quesnello in excuſando et

*) Quesnellus quo magis arduum deſcriberet epiſcopatus Leonis initium, praeter calamitoſum imperii ſtatum etiam eccleſiam internis hoſtibus, haereticis ſcilicet paſſim propullulantibus, miſere vexatam ac quaſi diſcerptam fingit: recte ſane, ſi vniuerſe res aeſtimanda erit; non item, ſi ex Romani epiſcopi, et Leonis imprimis perſona, meo iudicio.

et defendendo Hilario aſſentiamur. Alia eiusdem animi documenta ſuppeditat hiſtoria cauſae Eutychianae, et quidem talia, vt, ſi lubenter concedamus, anteceſſores eius in ſede Romana nonniſi pro re nata auctoritati poteſtatique ſuae promouendae ſtuduiſſe, nunc primum meditato conſilio omnes ceteros epiſcopos ſuo imperio ſubiicere conatum eſſe, et vero hoc conſilium non in ipſo epiſcopatu demum fouere coepiſſe, ſed ad eundem attuliſſe exiſtimem. Referenda mihi huc imprimis videtur illa eius ſollicitudo, qua doctrinam de dignitate poteſtateque Romanae ſedis in Petro fundata et ab eo in ſucceſſores tranſmiſſa ſtabilire et cunctorum per Occidentem et Orientem animis inſerere ſtuduit.

Coepit haec doctrina in Innocentio, à cuius deinde ſucceſſoribus nunquam ea neglecta fuit, a Leone autem ita explicata et firmata eſt, vt non ipſi ſolum, ſed omnibus deinceps Romanis epiſcopis pro fundamento machinationum euehendae et amplificandae dominationis eſſet, nec vlla monſtris opinionum eidem fauentium inueniretur feracior. Neque ſolum ea vtebatur ſi quid auctoritate ſua efficere vellet, ſed coram populo peculiari ſtudio tum alias ſaepe, tum in anniuerſario ordinationis ſuae tractare ſolebat. Ac primum quidem quae Petro prae ceteris Apoſtolis a Chriſto conceſſa fuerint dona atque priuilegia adeo extollit, atque exornat, vt iam profiteri auſus ſit, huic viro *conſortium ſuae potentiae tribuiſſe diuinam dignationem*, *et ſi quid cum eo commune ceteris voluerit eſſe principibus*, *nunquam niſi per ipſum dediſſe quidquid aliis non negauerit* *). Mox dum eiusdem Petri

*) *Sermo* IV. apud *Ballerin. p.* 16. n. 12. quem ſi ab initio luſtraueris, intelliges, verbum *principes* non carere dolo.

Petri vices ſuſtinere ſe affirmat, eo omnem operam ſuam confert, vt perſuadeat audientibus, *Soliditatem illam quam e Petra Chriſto etiam ipſe Petra factus acceperit, in ſuos quoque ſe transfudiſſe haeredes:* eundemque *ſedi ſuae praeeſſe non deſinere, ipſum ſalubribus conſiliis aequis iudiciis praeſidere, ſeque non tam ſedi eius praeſidere quam ſeruire,* adeo, vt ſi quid iam a Romano pontifice *recte agatur* et *diſponatur, illius operibus, illius ſit gubernaculis deputandum.* Porro ex eiuſdem Petri firmitate conſurgere debuiſſe ſtatuit ſublimitatem eccleſiae, eaque de cauſa ſpecialem a Domino Petri curam ſuſceptam et pro fide Petri proprie ſupplicatum fuiſſe: *tanquam aliorum ſtatus certior eſſet futurus, ſi mens Principis victa non fuiſſet.* Hac mente atque hoc ingenio Leo cauſam Eutychis tractare coepit. Hic Archimandrita Conſtantinopolitanus, dum nimis ſtrenue Neſtorianiſmi reliquias perſequeretur et quosdam Epiſcopos orientales iniuſta haereſis ſuſpicione premeret, in alium eidem oppoſitum errorem incidit, atque *duas in Chriſto naturas poſt adunationem in vnam coaluiſſe* ſtatuere non eſt veritus. Diligens erat tam Sacrarum Scripturarum quam expoſitionum ſanctorum patrum ſcrutator, quique aperte fatebatur, ſe illas potiores habere et ſolas certas firmasque exiſtimare. Sed ex eodem ſolitario ſtudio et Neſtorianismi metu religioſius verba curabat, nimiaque ancipitum locutionum fuga potius, quam vlla alia de cauſſa in errorem incidiſſe videtur *). Nec vero pertinax erat ſapientiorumque et doctiorum reſpuebat correctiones: ſed in ipſa Synodo Conſtantinopolitana (ἐνδη-

*) S. V. *Griesbach* in *Locis Theologicis ex Leone M. collectis Sect.* III. §. 18. *p.* 40. 41.

(ἐνδημουσῃ), in qua primum a. 448. cauſſa eius coram Flauiano agitata eſt, ſententiam eius lubens amplectebatur, modo aliter ſentientes exſecrari, vt iuſſus erat, verebatur et aperte renuebat. Atque hac ſolum de cauſſa ipſe a Synodo anathema tulit et ab officio ſimul et communione eccleſiae remotus eſt. Tum vero Eutyches acri ſuo contra Neſtorianiſmum ſtudio ſe peſſumdatum ſentiens Imperatorem adire aliorumque epiſcoporum, imprimis autem Alexandrinae et Romanae ſedis antiſtitum auxilium implorare coepit. Nec fruſtra. Imperator enim, qui Neſtorianam haereſim peſte quauis capitaliorem aeſtimabat et ſuopte ingenio, et fortaſſe etiam amicorum quorumdam (Chryſaphium Eunuchum indigitant acta huius rei), qui vel ipſi minus Flauiano fauebant, vel vere iniuriam ab eo Eutychi illatam dolebant, ſtudiis patrocinium eius ſuſcepit. Alexandrino autem epiſcopo, niſi perenne in Conſtantinopolitanos praeſules odium fuiſſet, vel ob vnius Cyrilli memoriam vir huius animi praeſidio ſuo dignus videri debebat, et vero Dioſcuro nulla gratior animum in riuali explendi occaſio obtingere potuiſſet. Tandem Leonis etiam pro cauſſa eius deplorata non obſcura iam voluntas erat. Quippe cum Eutyches dudum ei ſtudio ſuo contra Neſtorianos per literas olim ad eum directas commendatus, iam non ipſe ſolum de iniuria ſibi facta apud eum queſtus eſſet, ſed Theodoſius etiam magnum perturbationis ſtrepitum a Flauiano excitatum ſcripſiſſet, et vt laboranti Eutychi ſuccurreret rogaſſet: vehementer cum Flauiano expoſtulare coepit — mirari ſe ſignificans, qui ſcandalum illud ipſi ſilere potuerit, nec potius procurarit, vt primitus inſinuatione relationis eius inſtrueretur, et poſcens, vt quam primum iudicii eius ratio omniaque quae geſta eſſent, pleniſſime et lucide ad noti-

tiam ſuam peruenirent. Mox autem cum de Eutychis haereſi per Flauiani epiſtolam edoctus eſſet, tam deteſtanda ipſi eius opinionis viſa eſt prauitas, tam late patens et multiplex errorum ex ea pullulantium propago, tantum periculum, quod ex ea fidei puriori immineret, vt extemplo quidem aſſenſum ſuum breui epiſtola Flauiano declararet, ſimul autem pleniorem epiſtolam polliceretur, in qua Flauianum epiſcopum, quid de tota cauſſa conſtitui deberet, inſtructurus eſſet. Haec vero fuit celebris illa *ad Flauianum* epiſtola, qua totam de Incarnatione ſententiam diſcuſſit atque definiuit, Neſtoriique et Eutychis erroribus proſcriptis catholicam doctrinam adeo accurate tum ſententiis, tum ſermone declarare ſtuduit, vt *quidquid in ea ſcriptum eſt ex apoſtolica et euangelica probaretur ſumtum eſſe, doctrina.* Conſtantinopolim mittere decreuerat per eundem, qui priores Flauiani literas apportauerat, clericum. Sed cum interea ab Imperatore Synodus generalis Epheſum in Kalendas Auguſti a. 449. indicta eſſet, legatis eodem deſtinatis dedit, vt in Synodo publice recitarent. At de Synodi iſtius exitu conſtat. Latrocinalis nomine infamis eſt; ſolus imperitabat Dioſcurus; prohibiti legati Romani a lectione literarum Leonis ad Flauianum, et poſtquam factionis furor omnia miſcuiſſet, in cuſtodiam dati, ſolo Hilario per fugam elapſo. Vani erant oppreſſorum clamores, vana omnium bonorum indignatio, vanae Leonis apud Theodoſium et Pulcheriam, ad Clerum plebem et Archimandritas Conſtantipolitanos querelae. Fruſtra geſta eius Synodus Romana reprobauit; fruſtra per Valentinianum et Placidiam Pulcheriamque Auguſtas Concilium in partibus Occidentis a Theodoſio impetrare nitebatur: cum ſubito morte Theodoſii (die XXVIII. Iulii a. 450.) triſtis rerum facies in laetiorem et quidem

dem Romani pontificis auctoritati auſpicatiſſimam conuerſa eſt. Etenim nouus imperator Marcianus Pulcheria eius vxore adiuuante ab initio imperii ſui eo omnem curam atque cogitationem conferebat, vt damnum ab Eutyche fidei illatum reſarciretur ſtudiumque ſuum de Concilio quam citius cogendo Leoni per epiſtolam declarauit *). Interim Eutyches ex vrbe egredi iuſſus et Synodus Conſtantinopoli praeſentibus Romanis legatis coacta eſt ibique lecta dogmatica Leonis epiſtola ad Flauianum, cui nouus Conſtantinopolis epiſcopus Anatolius cum ceteris Epiſcopis, Archimandritis, Presbyteris et Diaconis ſubſcripſerunt**), eandemque omnibus qui vbique eſſent Metropolitis ſubſcribendam miſerunt***). Huc igitur rebus vergentibus, Leo, occaſionem eſſe ratus judicii ſui auctoritatem latius proferendi, nouos ſpiritus ſumere et, quaſi ad ſe vnum definitio tota pertineret, arrogantia ſua aliorum moderationi illudere audet. Huius faſtidii plena eſt epiſtola modo laudata ad Anatolium, qua laetari ſe ſignificat, quod epiſtolae ſuae ad Flauianum aſſenſum praebuerit, ſeu, vt ipſius verbis vtamur, gloriatur, *quod ſequacem ſe euangelicae eruditionis oſtendatet de confirmata apud ſe pace Sedis apoſtolicae* ei gratulatur. Sed plura et luculentiora documenta per legatos ſuos in concilio Chalcedonenſi dedit. Ac primo quidem quam enixe poterat, ſtuduit efficere, vt tota Synodus differretur, praetexens, aptius tempus eſſe expectandum, quo plurimi etiam de longinquioribus prouinciis epiſcopi euocari poſſent: ſed fortaſſe non aliam ob cauſſam,

Iii 3 quam

*) *Ep.* LXXIII. apud *Ballerin.*

**) Vid. *Ep.* Leonis *ad Anatolium* LXXX. apud *Baller.*

***) *Conc. Chalced. Act.* IV.

quam quia ſperaret, fore, vt ſua vnius epiſtola, cui omnes totius vrbis epiſcopi nomina ſua cum anathematizatione Neſtorii et Eutychis errorumque eorum ſubſignauerant, et porro erant ſubſignaturi, haereſis confecta exiſtimaretur, praeſertim cum de reſtituendis epiſcopis in Synodo Epheſina iniuſte a ſedibus ſuis depulſis et Dioſcuro cum aſſeclis a communione prohibendo iam in Conſtantinopolitana Synodo ex ſuorum quoque legatorum praeceptis *) actum eſſet. Accedit, quod haud difficulter intelligitur, eum veritum eſſe, ne Conſtantinopolitanus epiſcopus, cuius in Flauiano ſedes per Dioſcurum graui ignominia affecta erat, repentina Alexandrini aduerſarii depreſſione elatus hac occaſione et animorum affectione vteretur ad ſedis ſuae praerogatiuas augendas. Nec vero vanus iſte metus fuit, vt ex ſequentibus patebit. Enimvero cum nec hoc, nec vt in Italia haberetur impetrare potuiſſet, Paſchaſinum Lilybetanum epiſcopum et Bonifacium presbyterum Nicaeam, quo primum indicta erat vndeque poſt Chalcedonem traducta fuit Synodus, legatos miſit. Incepit Synodus Chalcedone octauo Idus Octobris, abſolutaque eſt Kalendis Nouembribus XVI. actionibus **), in quibus nihil plane a legatis Romani epiſcopi omiſſum eſt, quo auctoritatem eius ſupra illam Synodi tollerent. Tam parum etiam ab iisdem ſiue epiſcopis praeſentibus, ſiue magiſtratibus qui cum poteſtate aderant, reverentiae habitum fuit, vt non ſemel clamarent, *ſic velle, ſic iubere Leonem, id eſſe in mandatis ſuis*, et minitarentur adeo, *ſe diſceſſuros, ni ita fieret.* Ac in

*) *Ep.* L XXX. *ad Anatolium.*

**) Totidem ſcilicet in actis reperiuntur. Alias XXIII. ab aliis item XV. numerantur.

in plerisque quidem pacis ſtudio cauſſarumque diſceptandarum vrgente neceſſitate et erga imperatorem obſeruantia ita iis Synodus obſecuta eſt, vt a Leonis nutu et moderamine pependiſſe videri poſſit. De ipſa autem, quae prima tanti diſſidii cauſſa fuerat, Eutychis haereſi, quemadmodum et illa Neſtorii, tantum abeſt, vt noui aliquid congregati Patres decreuerint, vt potius in tribus, quibus quaeſtio haec partim legatorum Romanorum, partim aliorum epiſcoporum ſtudio agitata fuit Actionibus *), eadem iterum iterumque ad Flauianum epiſtola, tanquam firmiſſimum contra iſtas prauitates praeſidium inculcata vnaque cum Symbolo Nicaeno, Conſtantinopolitano et duabus Cyrilli ad Neſtorium epiſtolis (ex Concilio Epheſino) pro vnica et perpetua fidei norma ab omnibus ſit approbata. Itaque nunc primum Epiſcopi Romani definitio vniuerſae eccleſiae fidei regulam conſtituit, ab eoque vniuerſae quaſi eccleſiae dictata eſt. Quo triumpho ille tamen non tanquam nouo potitus eſſe videri voluit, ſed vultu et ſermone ad grauitatem compoſito nihil, niſi quod ex ordine et conſuetudine Romanae ſedis eſſet, geſſiſſe ſe ſimulauit. Sed quo laetior hic rerum ſucceſſus fuit, tanto maiorem ipſi attulit aegritudinem Anatolii epiſcopi, quam ipſe vocare ſolebat, ambitio, ſeu, vt ille prae ſe tulit, cleri eius, citra ipſius culpam, in ſedem Conſtantinopolitanam ſtudium. Scilicet peractis omnibus, quae ad primariam Synodi curam pertinere viſa erant, Actione XVI. a clero Conſtantinopolitano et Epiſcopis flagitari coeptum, vt in honorem ſedis Conſtantinopolitanae Synodus aliquid ſtatueret. Leoni id nequaquam improuiſum atque inexſpectatum fuit. Dederat enim legatis ſuis in mandatis: *vt ſi qui*

*) In II. IV. et V.

forte epiſcopi ciuitatum ſuarum ſplendore confiſi tentaturi eſſent ſibi vſurpare: id qua dignum eſſet conſtantia retunderent. Quapropter ſumma illi animi contentione hiſce nouationibus obnituntur, nec tamen impedire potuerunt, quo minus decerneretur, vt Conſtantinopolitanus tanquam nouae Romae epiſcopus primo poſt Romanum honore frueretur et ius poteſtatemque in Thraciae, Ponti et Aſiae dioeceſes earumque Metropolitanos haberet, et Barbarorum epiſcopos ordinaret. Exierant de Synodo legati Romani cum de Canonibus hac in re condendis agi coepiſſet, ſed vbi nihilo ſecius conditos acceperant, poſtridie redierunt, ac grauiter et ſubdole de actis ſeſe abſentibus conqueſti, tandem, vt mandato ſuo ex parte ſaltem ſatis facerent, ſolemniter iis contradixerunt, aliaque a humanitate ac ſobrietate aliena egerunt, de quibus in Epiſtola ad Leonem moderate dolet Anatolius *). At multo impotentior animi Leo fuit. Spreta Imperatorum humaniſſima voluntatis ſignificatione, ſpretis Epiſcoporum Orientalium precibus, continuo ille ſaeuire in Anatolium, obiurgare eum, quod legatis ſuis parere detrectauerit, ambitum prauum et cupiditatem vniuerſae eccleſiae pernicioſam obiicere, nihil probi, nihil fidi in eo exiſtimare, quin ordinationis eius initia culpare et iam communionis priuationem minari. Ac tamdiu ipſi aliqua in Pulcheria et facillimi animi imperatore Marciano ſpes ſupererat, nihil artis ac verborum intentatum reliquit, quo eos ſibi conciliaret et impelleret, vt Anatolio aſſenſum cohiberent et canones ſibi inuiſi reſcinderentur. Non ſolum enim Nicaenae Synodi decreta iſtis violari contendebat, ſed et Alexandrinae et Antiochenae ſedis praerogatiuis offici et multorum Metro-

*) *Ep.* CI. apud *Baller. p.* 1134.

Metropolitanorum iura imminui querebatur, maioraque eccleſiae ex importuno epiſcopi huius honorum appetitu mala praeſagiebat *). Interin ad literas Epiſcoporum ex Synodo Chalcedonenſi ad eum directas, quibus quaecunque acta fuerant ſignificauerant, nihil reſcripſit; vnde apud nonnullos decreta illius in ſuſpicionem adducta ſunt, et de orthodoxia eorum, vtpote quibus epiſcopus Romanus refragaretur, ambigi coepit. Sed vbi irrita hac ex parte ſua ſtudia vidit et Imperatores potius vrgerent, ne vltro decreta Chalcedonenſia confirmare differret; in tantum illorum auctoritati ceſſit, vt ipſum obſequii ſui non poeniteret eoque omnia, quae fidei negotium concernerent, aſſenſu ſuo confirmauit, illos autem de

 honore

*) Singulare Balleriniorum acumen eſt, contendentium, non id circo a legatis Romanis Canoni XXVIII. contradictum eundemque a Leone improbatum eſſe, quod proximus Conſtantinopolitano epiſcopo poſt Romanum honor (*τα ισα πρεσβεια της τιμης μετα τον Ρωμης επισκοπον*) decretus, aut illi ius in tres nouas Ponti, Aſiae, et Thraciae dioeceſes datum eſſet: quippe quo vtroque nihil neque dignitatis, neque iurisdictionis primatui Romani pontificis derogatum ſit: ſed ſolummodo propterea, quod priuilegia Romanae eccleſiae a patribus *propter Imperium conceſſa* dixiſſet atque epiſcopo CP. *ob nouae Romae dignitatem* paria conferre praeſumſiſſet; cum tamen ſedes Romana non a patribus nec ob Imperii dignitatem vrbi annexam, ſed ab ipſo Deo per Petrum Apoſtolum primatum ſuum acceperit, adeoque ſedes Conſtantinopolitana neque inſtitutione diuina neque iurisdictione cum ea comparari potuerit. Vid. *Notae* ad *Diſſ. Quesn.* de Vita Leonis *T.* II. *p.* 514. 15. Sed huius offenſionis, quae facile quidem tolli potuiſſet, ne verbo quidem mentio ab iracundo Leone iniecta eſt.

honore ſedis Conſtantinopolitanae canones penitus reprobauit. Quid! quod ab omni cum Anatolio literarum commercio abſtinuit, ac nouo prorſus exemplo tanquam minus fidei catholicae intento cuſtodem ex ſuis addidit et geſtorum eius ſpeculatorem Iulianum epiſcopum Coënſem *). Et licet poſtea inſtante

*) Vulgaris ea eſt opinio, in hoc Iuliani Coënſis officio primum Apocriſiarii Apoſtolici in aula Principum exemplum extitiſſe. Sed qui vbique ſumma cum religione honori ſedis Romanae ſtudent Ballerinii monuerunt, Leonem dum Iuliano vicem ſuam in Imperatoris comitatu committeret, non eo conſilio commiſiſſe, vt Alexandrini Epiſcopi aut aliorum orientalium inſigniorum exemplum ſequeretur: *ſed hac ſolum de cauſſa, vt is fidei integritati apoſtolico zelo proſpiciens caueret, ne quid a Neſtorianis, vel Eutychianis catholica fides detrimenti caperet; et vt in hanc rem, vbi opus eſſet, Imperatoris patrocinium et opem poſceret.* Neque enim tunc Romanam vrbem, aeque ac Orientales, Imperatori Orientis ſubiectam fuiſſe obſeruant, vt pro variis cauſſis ac negotiis agendis aliquo miniſtro indigeret; totamque Reſponſalium et Apocriſiariorum Romanae eccleſiae inſtitutionem ſub Iuſtiniano demum, qui non minus Italiae quam Orienti imperabat, incepiſſe. Ad hoc autem Leonem commotum fuiſſe, quia in Anatolio non eum vigorem catholicum, quem circumſtantiae poſtularent, perſpexiſſet. Atque haec ſane tum hiſtoriae tum Leonis dictis conſona ſunt. Ad *Marcianum* enim ſcripſit (*Ep.* CXI.): *Illud quoque Clementiae veſtrae beneuolentiam peto, vt veneratorem veſtrum fratrem meum Iulianum epiſcopum, in veſtro, ſicut facere dignamini, habeatis affectu: cuius obſequiis praeſentiae meae vobis imago reddatur. Nam et de fidei eius ſinceritate confidens, vicem ipſi meam contra temporis noſtri haereticos delegaui: atque propter Eccleſiarum paciſque cuſtodiam, vt a comitatu veſtro non abeſſet, exegi: Cuius ſuggeſtiones, pro concor-*

ſtante Marciano, et Anatolio quoque flagitante, in gratiam cum eo redire ſe ſimularet, ipſa tamen eius pacis declaratio adeo in opprobrium et iniuriam Conſtantinopolitani epiſcopi ſpectabat, adeo captioſa erat et anceps, vt mirum non ſit, ab hoc inde tempore eccleſiae Orientalis epiſcopum primarium a Romana ſede fuiſſe alienatum. Poſt partam de Eutyche victoriam ſuaeque formulae triumphum non alia re geſta clarior extitit Leo, quam legatione ad Attilam eodem anno, quo Chalcedonenſe concilium peractum

concordia catholicae vnitatis, tanquam meas audire dignemini, placentes Deo qui vobis praeter regiam Coronam etiam ſacerdotalem conferat palmam. Iuliano autem mandat: *(Ep. CXIII.) ſtudeat dilectio tua, frater cariſſime, piam et neceſſariam curam ſollicitudini apoſtolicae ſedis impendere, quae tibi apud ſe nutrito catholicam contra Neſtorianos et Eutychianos haereticos actionem materno iure commendat, vt diuino fultus auxilio, ſpeculari de Conſtantinopolitanae vrbis opportunitate non deſinas; ne praedictorum dogmatum impius vſquam turbo conſurgat. Et quia tanta eſt glorioſorum Principum fides, vt confidenter eis poſſis quae ſunt inſinuanda ſuggerere, pietate ipſorum ad vtilitatem Eccleſiae vniuerſalis vtaris. Conſulente autem dilectione tua de his, in quibus putaueris ambigendum, non deerit relationibus tuis meae reſponſionis inſtructio: vt ſequeſtrata eorum actione cauſſarum, quae in quibuſque Eccleſiis praeſulum ſuorum debent cognitione firmari, hanc ſpecialem curam vice mea functus aſſumas, ne haereſis vel Neſtoriana vel Eutychiana in aliqua parte reuireſcat: quia in Epiſcopo Conſtantinopolitano catholicus vigor non eſt, nec multum aut pro ſacramento ſalutis humanae, aut pro ſua aeſtimatione ſollicitus: cum ſiquid illi ineſſet ſpiritualis induſtriae, ita et a quibus ordinatus ſit et cui viro ſucceſſerit, cogitare deberet, vt magis beatum Flauianum, quam ſui honoris ſequeretur auctores.*

ctum eſt, ſuſcepta. Nimirum Attila, redintegratis poſt acceptam in campis Catalaunicis cladem viribus, per Pannonias Italiam inuaſerat, ſumma Imperatoris et Aetii ducis ſocordia ne leuiſſimo quidem praeſidio munitam. Quin tanta vtriusque ignauia fuit, vt ipſi ex omni potius Italia diſcedere mallent, quam ad defendendam aliquid moliri. Patuere igitur nobiliſſimae prouinciae omni hoſtilis rapacitatis ac libidinis furori, et primo velut impetu regiae ciuitates, Aquileia, Ticinum, et Mediolanum captae ac direptae ſunt, iamque Hunnus inopinato rerum ſucceſſu ſuperbus Romam properabat. Tum in extrema omnium trepidatione nullum ſalubrius principi ſenatui ac populo Romano conſilium viſum eſt, quam vt per Legatos pax a truculentiſſimo rege expeteretur. Concreditum fuit paciſcendi negotium Leoni, additis duobus viris conſularis et praefectoriae dignitatis, Auieno et Trigetio. Sed de partibus horum, ſicut et de conditionibus, quas offerre debebant, ſilet hiſtoria, vnius paene Leonis memoriae celebrandae hac in re curioſa. Quid egerint et quomodo pariter ignoramus; ſed ſolus effeciſſe dicitur, vt a hoſtili animo Attila abſtineret et ſubito diſceſſum pararet. *Tota legatione dignanter accepta, ita ſummi Sacerdotis praeſentia rex gauiſus eſt, vt bello abſtineret, et vltra Danubium diſcederet*, Proſper narrat, innuens quaſi, ab oris atque corporis Leonis auguſtiori ſpecie id profectum eſſe, quod Attilae animum frangeret. Alii eloquentiae eius hanc vim aſſerere maluerunt; et licet haud difficulter animaduerti poſſit, ad Hunni animum mouendum fortiores exiſtere debuiſſe cauſſas, nec deſint etiam in hiſtoria expeditionis eius, quae ſat probabiles dici queant *): fuere tamen, quibus

*) Vid. Ill. *Heyne* d. de *Leone M. Attilae et Genſerico ſup-*

quibus tota res a miraculo non aliena videretur, iidemque commentis ſuis effecerunt, vt et apud eos, quibus tum ob longinquitatem, tum ob aciem hebetiorem virtutes eius occulerentur, nomen illuſtre eſſet. E contrario alia eius ad Genſericum Vandalum occurſio, multo licet vtilior, parum inclaruit. Nam cum a. 455. Valentiniano imperatore peremto Maximus imperium Occidentis inuaſiſſet, Eudoxiamque vxorem eius parricidii neſciam matrimonio ſibi iunxiſſet, illa mox ſceleris Maximi in marito perpetrati certior facta necem vlciſci ſtatuit atque irae nimio ſtudio totam vrbem excidio deuouit, Genſerico Vandalorum rege ex Africa arceſſito. Illico enim Vandalus ingenti cum exercitu in Italiam traiecit vrbemque ab omni praeſidio vacuam aggreſſus occupauit iamque totus ad caedes atque incendia ſe dediſſet, niſi Leo extra portas ei obuiam factus ſupplicatione ſua impetraſſet, vt direptione contentus a caede atque incendio abſtineret. Certe hoc quidquid fuit miſerae opis, totum Leonis erat. Neque enim hic Attila erat ſuperſtitioſis terriculamentis vexatus inter eundum et redeundum fluctuans, aut attritis lue atque inopia copiis hoſtilem occurſum metuens; ſed hoſtis cuncta iam in poteſtate tenens, cui praeter inſitam ferociam ipſa religio irae ſtimulos adderet, cuiusque ſaeuitiam adeo nulla niſi orationis vis frangere aut flectere potuit. Poſtremam ipſi ſollicitudinem attulerunt turbae in Alexandrina Eccleſia a Timotheo Aeluro a. 457. excitatae, per quas Concilii Chalcedonenſis auctoritas haud leue in diſcrimen adduci videbatur. Res omnis ſub nouo imperatore Orientis Leone et per Conſtantinopolitanum epiſcopum tranſacta, epiſcopi autem Romani ſtudiis et prudentia plurimum adiuta

ſupplice facto in *T.* III. *Opuſculor. Academicor. p.* 127. *ſqq.*

iuta eſt, qui poſtquam denuo cauſſae ſuae victoriam et expulſo Timotheo Aeluro alium Timotheum (Solophaciolum) rite ſedem Alexandrinam occupare viderat, non diu inter mortales verſatus, vltimum curae ſuae pro eccleſia monumentum, literas ad nouum epiſcopum, eiusque ordinatores et clericos Alexandrinos gratulatorias reliquit, nec integro anno poſt, die X. Nouembris 461. ad ſuperos migrauit.

§.2. Scripta. *Scripta* Leonis M. *Sermonibus* et *Epiſtolis* conſtant. Vtrumque genus iuxta *Balleriniorum* editionem enumerabimus, addito Queſnelli et anteriorum editionum ordine.

I. Sermones.

I—V. De *Natali ipſius*, habiti in die ordinationis ſuae et anniuerſario eiuſdem. Apud *Queſn.* I—IV. nam primus a Balleriniis in duos eſt diuiſus, quorum prior capite 1. poſterior capitibus 2 et 3. conſtat.

VI—XI. *De Collectis* apud *Quesn.* V—X.

XII—XX. *De ieiunio decimi menſis* apud *Queſn.* XI—XIX.

XXI—XXX. *De Natiuitate Domini* apud *Queſn.* XX—XXXVII.

XXXI—XXXVIII. *In Epiphania Domini* apud *Queſn.* XXX—XXXVII.

XXXIX—L. *De Quadrageſima* apud *Queſn.* XXXVIII—XLIX.

LI. Homilia habita ante ſecundam Dominicam Quadrageſimae de Euangelio ſecundum Mathaeum: *In illo temporis aſſumſit Ieſus Petrum* etc. Apud *Quesn.* XCIV. inſcr. *de Transfiguratione Domini.*

LII—LXX. *De Paſſione Domini* apud *Queſn.* L—LXVIII.

LXXI—

LXXI—LXXII. *De Reſurrectione Domini* apud *Queſn.* LXIX—LXX.

LXXIII—LXXIV. *De Aſcenſione Domini* apud *Queſn.* LXXI—II.

LXXV—LXXVII. *De Pentecoſte* apud *Queſn.* LXXIII—V.

LXXVIII—LXXXI. *De ieiunio Pentecoſtes* apud *Queſn.* LXXVI—IX.

LXXXII. *In Natali Apoſtolorum Petri et Pauli* apud *Queſn.* LXXX.

LXXXIII. *In Natali S. Petri Apoſtoli.* In Appendice *Queſn.* ſermo IV.

LXXXIV. *In Octauis Apoſtolorum Petri et Pauli* apud *Queſn.* LXXXI.

LXXXV. *In Natali S. Laurentii Martyris* apud *Queſn.* LXXXIII.

LXXXVI—XCIV. *De ieiunio ſeptimi menſis* apud *Queſn.* LXXXIV—XCII.

XCV. *De gradibus aſcenſionis ad beatitudinem* apud *Queſn.* XCV.

XCVI. *Tractatus contra haereſim Eutychis* apud *Quesn.* XCIII.

Ab his ſegregati ſunt et in *Appendicem* reiecti tanquam *falſo* Leoni tributi.

I. *Tractatus aduerſus Errores Eutychetis et aliorum haereticorum,* in appendice *Queſnelliana* V.

II. *In Natiuitate Domini* in *eadem Appendice* II.

III. IV. *De Quadrageſima.*

V. VI. *De Paſſione Domini.*

VII. *In Dominica Palmarum.*

VIII—X. *De Reſurrectione Domini.*

XI. *In Aſcenſione Domini* in *eadem Append.* III.

XII. *De Sanctiſſima Trinitate.*

XIII.

XIII. *In Natali S. Vincentii Martyris* in *eadem Append.* I.

XIV. *In Cathedra S. Petri* a Queſnello primum editus inter genuinos *num.* XCVI. ſed ipſius poſtea iudicio remotus. Suppletus eſt a Balleriniis ex Vatt. codd.

XV. *In Annunciatione B. Virginis Mariae.*

XVI. *In Natali SS. Apoſtolorum Petri et Pauli.*

XVII. *In Natali B. Pauli Apoſtoli.*

XVIII. *De S. Petro, quomodo de carcere eductus eſt.*

XIX. *In Natali SS. ſeptem Fratrum Macchabaeorum*, nunc primum in Appendice collocatus et S. *Auguſtino* reſtitutus. Apud *Queſn.* Sermo LXXXII.

XX. *De Transfiguratione Domini.*

II. Epistolae *).

I. *Ad Aquileienſem Epiſcopum* (Q. 6. A. 86.). II. *Ad Septimum Altini Ep.* (Q. 7. A. 85.) **). IV. *Ad epiſcopos per Campaniam, Picenum et Tuſciam prouincias conſtitutos.* (Q. 3. A. 1.). V. *Ad Metropolitanos per Illyricum* (Q. 5.). VI. *Ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem.* (Q. 4.). VII. *Ad vniuerſos per Italiam epiſcopos* (Q. 8. A. 2.) ***). IX. *Ad Dioſcurum Alexandrinum Epiſcopum* (Q. 11. A. 81.).

X. *Ad*

*) In numeris per parentheſim epiſtolarum titulis adſcriptis littera Q. ſignificat ordinem Queſnellianum, A. ordinem editionum anteriorum.

**) III. *eſt Paſchaſini Lilyb. Ep. ad Leonem* (Q. poſt. *Ep.* 2. A. poſt. *Ep.* 63.).

***) VIII. *Nouella Valentiniani Auguſti contra Manicheos.* (Q. poſt. *Ep.* 8.).

X. *Ad Viennenſis prouinciae epiſcopos* (Q. 10. A. 89.) *). XII. *Ad Epiſcopos Mauritaniae Caeſareae* (Q. 1. A. 87.). XIII. *Ad Metropolitanos Illyrici* (Q. 13.). XIV. *Ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem* (Q. 12. A. 84.). XV. *Ad Turribium Aſturicenſem de Priſcillianiſtis* (Q. 15. A. 93.). XVI. *Ad Epiſcopos Siciliae* (Q. 16. A. 4.). XVII. *Ad eosdem Siculos* (Q. 17. A. 104.). XVIII. *Ad Ianuarium Aquileienſem* (Q. 14. A. 13.). XIX. *Ad Dorum Beneuentanum* (Q. 18. A. 5.). XX. *Ad Eutychem CP. Abbatem* (Q. 19. A. 6.) **). XXIII. *Ad Flauianum CP.* (Q. 20. A. 8.). XXIV. *Ad Theodoſium Aug.* (Q 21. A. 7.) ***). XXVII. *Ad Flauianum CP.* (Q. 22.). XXVIII. *Ad eundem* (Q. 24. A. 10.). XXIX. *Ad Theodoſium Aug.* (Q. 26. A. 12.). XXX. *Ad Pulcheriam Auguſtam* (Q. 30. A. 18.). XXXI. *Ad eandem Pulcheriam* (Q. 27. A. 13.). XXXII. *Ad Fauſtum, Martinum et alios Archimandritas CP.* (Q. 28. A. 14.) XXXIII. *Ad Synodum Epheſinam* (Q. 29. A. 15.). XXXIIII. *Ad Iulianum Coënſem Epiſcopum* (Q. 31. A. 19.). XXXV. *Ad eundem* (Q 25. A. 11.). XXXVI. *Ad Flauianum CP.* (Q. 32. A. 16.). XXXVII. *Ad Theodoſium Aug.* (Q. 33. A. 17.). XXXVIII. *Ad Flauianum CP.* (Q. 34. A. 20.). XXXIX. *Ad eundem* (Q. 35. A. 21.). XL. *Ad Epiſcopos Arelatenſis*

*) XI. *Nouella Valentiniani Aug. aduerſus S. Hilarium* (Q. poſt *Ep.* 10.).

**) XXI. *Eutychis ad S. Leonem epiſtola*, a Balleriniis primum inſerta. XXII. *Flauiani Ep. CP. ad S. Leonem* (Q. poſt *Ep.* 33. A. poſt *Ep.* 8.).

***) XXV. *Petri Chryſologi Ep. Rauennatis ad Eutychem* (Q. poſt *Ep.* 23.). XXVI. *Flauiani Ep. CP. ad Leonem* (Q. poſt *Ep.* 21. A. poſt *Ep.* 6.).

ſis prouinciae (Q. 36. A. 106.). XLI. *Ad Rauennium Arelatenſem* (Q. 37. A. 90.). XLII. *Ad eundem* (Q. 38. A. 107.). XLIII. *Ad Theodoſium Aug.* (Q. 39. A. 24.). XLIV. *Ad eundem* (Q. 40. A. 25.). XLV. *Ad Pulcheriam Auguſtam* (Q. 41. A. 26.) *). XLVII. *Ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem* (Q. 43. A. 29.). XLVIII. *Ad Iulianum Coënſem* (Q. 44. A. 30.). XLIX. *Ad Flauianum CP.* (Q. 42. A. 27.). L. *Ad Clerum et plebem CP.* (Q. 45. A. 22.). LI. *Ad Fauſtum et ceteros Archimandritas CP.* (Q. 47. A. 28.) **). LIV. *Ad Theodoſium Aug.* (Q. 23. A. 9.) ***). LIX. *Ad Clerum et plebem Conſtantinopolitanam* (Q. 46. A. 23.). LX. *Ad Pulcheriam Auguſtam* (Q. 48. A. 31.). LXI. *Ad Martinum et Fauſtum preſbyteros* (Q. 49. A. 32.) †). LXVI. *Ad Gallicanos Epiſcopos ſedi Arelatenſi fauentes reſponſio* (Q. 50. A. 109.). LXVII. *Ad*

*) XLVI. *Hilarii Diaconi* poſtea Pontificis *Epiſtola* ad *Pulcheriam* (Q. poſt Ep. 47.).

**) LII. *Theodoreti Epiſc. Cyri ad Leonem epiſtola* (Q. poſt *Ep.* 47.). LIII. *Anatolii Ep. CP. fragmentum epiſtolae ad Leonem de ordinatione ſua* (Q. poſt *Ep.* 57.).

***) LV. *Valentiniani Aug. ad Theodoſium Aug.* (Q. poſt *Ep.* 47.). LVI. *Placidiae Auguſtae ad eundem Theodoſium* (Q. ib.). LVII. *Eudoxiae Aug. ad eundem Theodoſium* (Q. ib.). LVIII. *Placidiae Aug. ad Pulcheriam Auguſtam* (Q. ib.).

†) LXII. *Theodoſii Aug. ad Valentinianum Aug.* LXIII. *Ei ad Placidiam Auguſtam.* LXIIII. *Ei ad Eudoxiam Auguſtam* (Q. poſt *Ep.* 47.). LXV. *Epiſcoporum Arelatenſi ſedi fauentium ad S. Leonem Papam libellus ſeu preces* (Q. poſt *Ep.* 49. A. 108.).

Ad Rauennium Arelatenſem (Q. 57. A. 110.) *). LXIX. *Ad Theodoſium Auguſtum* (Q. 52. A. 33.). LXX. *Ad Pulcheriam Auguſtam* (Q. 54. A. 35.). LXXI. *Ad Archimandritas CP.* (Q. 53. A. 34.). LXXII. *Ad Fauſtum preſbyterum* (Q. 57. A. 98.) **). LXXIV. *Ad Martinum preſbyterum* (Q. 55. A. 36.) LXXV. *Ad Martinum et Fauſtum preſbyteros* (Q. 56.) ***). LXXVIII. *Ad Marcianum Auguſtum* (Q. 58. A. 38.). LXXIX. *Ad Pulcheriam Auguſtam* Q. 59. A. 39.). LXXX. *Ad Anatolium CP.* (Q. 60. A. 40.). LXXXI. *Ad Iulianum Coënſem* (Q. 61. A. 41.). LXXXII. *Ad Marcianum Auguſtum* (Q. 62. A. 42.). LXXXIII. *Ad eundem* (Q. 63. A. 44.). LXXXIV. *Ad Pulcheriam Auguſtam* (Q. 64. A. 45.). LXXXV. *Ad Anatolium CP.* (Q. 67. A. 48.). LXXXVIII. *Ad Paſchaſinum Lilybetanum* (Q. 68.). LXXXIX. *Ad Marcianum Aug.* (Q. 69. A. 49.). XC. *Ad eundem* (Q. 73. A. 43.). XCI. *Ad Anatolium CP.* (Q. 70.). XCII. *Ad Iulianum Coënſem* (Q. 71.). XCIII. *Ad Synodum Nicaenam, poſtea Calchedonem translatam* (Q. 72. A. 47.). XCIV. *Ad Marcianum Aug.* (Q. 74. A. 50.). XCV. *Ad Pulcheriam Auguſtam* (Q. 75. A. 51.). XCVI. *Ad Rauennium Arelatenſem* (Q. 76. A. 111.) †).

*) LXVIII. *Ceretii, Salonii et Verani Gallicanorum Epiſcoporum ad S. Leonem epiſtola* (Q. poſt *Ep.* 76. A. poſt *Ep.* 98.).

**) LXXIII. *Marciani ad S. Leonem* (Q. poſt *Ep.* 57.).

***) LXXVI. *Marciani Aug. ad S. Leonem* (Q. poſt *Ep.* 61.). LXXVII. *Pulcheriae Auguſtae ad S. Leonem* (Q. poſt *Ep.* 58.).

†) XCVII. *Epiſtola Euſebii et Synodi Mediolanenſis ad Leonem* (Q. poſt *Ep.* 77. A. poſt *Ep.* 52.). XCVIII. *Synodi Calchedonenſis relatio ad S. Leonem* *Grae-*

CII. *Ad Rauennium Arelatenſem alioſque Epiſcopos Gallicanos* (Q. 77. A. 52.). CIII. *Ad Ruſticum alioſque epiſcopos Galliarum* (Q. 82. A. 94.). CIV. *Ad Marcianum Aug.* (Q. 78. A. 54.). CV. *Ad Pulcheriam Auguſtam* (Q. 79. A. 55.). CVI. *Ad Anatolium CP.* (Q. 80. A. 53.). CVII. *Ad Iulianum Coënſem* (Q. 81. A. 105.). CVIII. *Ad Theodorum Foroiulienſem* (Q. 83. A. 91.). CIX. *Ad Iulianum Coënſem* antea inedita *). CXI. *Ad Marcianum Aug.* (Q. 84. A. 57.). CXII. *Ad Pulcheriam Auguſtam* (Q. 85. A. 58.). CXIII. *Ad Iulianum Coënſem* (Q. 86. A. 56.). CXVI. *Ad Epiſcopos, qui in Synodo Calchedonenſi fuerant congregati.* CXVII. *Ad Iulianum Coënſem* (Q. 88.). CXVIII. *Ad eundem* (Q. 91. A. 82.). CXIX. *Ad Maximum Antiochenum* (Q. 92. A. 62.). CXX. *Ad Theodoretum Cyri Epiſcopum* (Q. 93. A. 63.). CXXI. *Ad Marcianum Auguſtum* (Q. 94. A. 64.). CXXII. *Ad Iulianum Coënſem* (Q. 95. A. 65.). CXXIII. *Ad Eudociam Auguſtam* (Q. 96. A. 66.). CXXIV. *Ad Monachos Palaeſtinos* (Q. 97. A. 83.). CXXV. *Ad Iulianum Coënſem* (Q. 98. A. 67.). CXXVI. *Ad Marcianum Auguſt.* (Q. 99.). CXXVII. *Ad Iulianum Coënſem* (Q. 100. A. 68.). CXXVIII. *Ad Marcianum Aug.* (Q. 101.). CXXIX. *Ad Proterium*

Graeca, cum Verſione Ruſtici item *Alia verſio antiquior cum ſubſcriptionibus* (Q. poſt *Ep.* 77.). XCIX. *Rauennii Arelatenſis et aliorum 43. Epiſcoporum Galliarum ad S. Leonem* (Q. poſt *Ep.* 76. A. poſt *Ep.* 57.). C. *Marciani Aug. ad S. Leonem.* Eadem *epiſtola graece cum noua verſione* (Q. poſt *Ep.* 77.). CI. *Anatolii CP. ad S. Leonem* antea inedita.

*) CX. *Marciani Aug. ad S. Leonem* (Q. poſt *Ep.* 88.).

terium Alexandrinum (Q. 103.). CXXX. *Ad Marcianum Auguſtum* (Q. 104. A. 69. CXXXI. *Ad Iulianum Coënſem* (Q. 102.)*). CXXXIV. *Ad Marcianum Aug.* (Q. 105. A. 70.). CXXXV. *Ad Anatolium CP.* (Q. 106. A. 71.). CXXXVI. *Ad Marcianum Auguſtum* (Q. 107.). CXXXVII. *Ad eundem* (Q. 108.). CXXXVIII. *Ad Epiſcopos Galliarum et Hiſpaniarum* (Q. 109. A. 95.). CXXXIX. *Ad Iuuenalem Hieroſolymitanum* (Q. 110. A. 72.). CXL. *Ad Iulianum Coënſem* (Q. 111.). CXLI. *Ad eundem* (Q. 113.). CXLII. *Ad Marcianum Aug.* (Q. 112.). CXLIII. *Ad Anatolium CP.* (Q. 114.). CXLIV. *Ad Iulianum Coënſem* antea inedita. CXLV. *Ad Leonem Aug.* (Q. 115. A. 73.). CXLVI. *Ad Anatolium CP.* (Q. 116.). CXLVII. *Ad Iulianum Coënſem* (Q. 117.). CXLVIII. *Ad Leonem Aug.* (Q. 122. A. 74.). CXLIX. *Ad Baſilium Antiochenum* (Q. 118.). CL. *Ad Euxitheum Theſſalonicenſem, Iuuenalem Hieroſolymitanum, Petrum Corinthium et Lucam Dyrrachenum* (Q. 119.). CLI. *Ad Anatolium CP.* antea inedita. CLII. *Ad Iulianum Coënſem* (Q. 120.). CLIII. *Ad Aëtium preſbyterum* (Q. 21.). CLIV. *Ad Aegyptios Epiſcopos apud Conſtantinopolim conſtitutos* (Q. 123.). CLV. *Ad Anatolium CP.* (Q. 124. A. 76.). CLVI. *Ad Leonem Aug.* (Q. 125. A. 75.). CLVII. *Ad Anatolium CP.* (Q. 126.). CLVIII. *Ad epiſcopos catholicos ex Aegypto conſtitutos apud Conſtantinopolim* (Q. 127.). CLIX. *Ad Nicetam Aquileienſem* (Q. 129. A. 79.). CLX. *Ad epiſcopos Aegyptios apud Conſtantinopolim conſtitutos* (Q. 130.). CLXI. *Ad preſbyteros, diaconos et clericos eccleſiae Con-*

*) CXXXII. *Anatolii CP. ad S. Leonem* (Q. poſt *Ep.* 105.). CXXXIII. *Proterii Alexandrini ad S. Leonem* (Q. poſt *Ep.* 103.).

ſtantinopolitanae (Q. 131.). CLXII. *Ad Leonem Aug.* (Q. 133.). CLXIII. *Ad Anatolium CP.* (Q. 128. A. 77.). CLXIV. *Ad Leonem Aug.* (Q. 133.). CLXV. *Ad eundem* (Q. 134. A. 97.). CLXVI. *Ad Neonem Rauennatem* (Q. 135. A. 37.). CLXVII. *Ad Ruſticum Narbonenſem* (Q. 2. A. 92.). CLXVIII. *Ad Epiſcopos per Campaniam, Samnium et Tuſciam conſtitutos.* (Q. 136. A. 80.). CLXIX. *Ad Leonem Aug.* (Q. 137. A. 99.). CLXX. *Ad Gennadium CP.* (Q. 138. A. 100.). CLXXI. *Ad Timotheum Alexandrinum* (Q. 139. A. 101.). CLXXII. *Ad preſbyteros et diaconos Alexandrinos* (Q. 140. A. 102.). CLXXIII. *Ad Theophilum et alios Epiſcopos Aegyptios* (Q. 141. A. 103.).

De *deperditis* tam *Sermonibus* quam *Epiſtolis* Leonis adeundi vtique ſunt Ballerinii. Nouo exemplo *libros IV. de vocatione omnium gentium*, item *Epiſtolam ad Demetriadem*, et *Auctoritates praeteritorum Apoſtolicae ſedis Epiſcoporum de gratia*, quae etiam Proſpero, vt alios taceam, tribui ſolent, ad eum referre auſus eſt Queſnellus; ſed paucos in hac ſententia ſibi adſtipulantes inuenit. De *Antelmii* opinione vide quae ad Proſperum traduntur.

§. 3. Editiones. Inter celeberrimi nominis Pontifices Romanos nullus eſt, cuius ſcripta, quamuis clara, tanta celebritate gauiſa ſint, tantaque ab omni inde aeuo veneratione et ſtudio fuerint excepta, quam Leonis. Id non ſolum teſtatur multitudo impreſſorum exemplarium, quae per tria abhinc ſaecula per varias regiones prouenerunt, ſed multo magis declarat immenſa mss. librorum copia ac varietas, per quos ab initio tot illius Sermones et Epiſtolae ad nos deductae ſunt. Ac horum quidem mss. accurata exploratione et diſtinctione tantum iam per nouiſſimos editores

effectum

effectum eſt, vt hiſtoria operum Leonis ab ipſo paene auctore abs intercapedine repeti poſſit. Cumque haec antiquior ſcriptorum hiſtoria tanto maioris momenti, immo apprime neceſſaria ſit ad impreſſorum rationes perſpiciendas editorumque merita ponderanda, in eo ſcilicet auctore, qui ſplendorem ſuum non tam ingenio quam ſubſidiis eorum, qui in eo perpoliendo occupantur, expectat: nos equidem lubenter de manuſcriptorum Sermonum ac Epiſtolarum Leonis viciſſitudinibus, in quantum ad editionum notitiam colluſtrandam facerent, ex Balleriniis delibata hoc loco inſeruiſſemus, ſi quam illi diuturno labore et indefeſſo ſtudio pararunt doctrinam tam facili negotio et paucis verbis ſine totius diſpendio complecti licuiſſet, neque conſultius videretur, vniuerſa illorum hac in re obſeruata ſummatim et ſtilo quantum licet contractiori huic de Leonis ſcriptis et editionibus commentario appendere: id quod aptius tamen in ſequentibus fiet, vbi de codicibus ab editoribus praecipuis conſultis ſermo inſtitui debet. Ablegatis itaque eodem qui inſtrui cupiunt lectoribus, ad Operum Pontificis huius, ex quo typis mandari coeperunt, fortunam more noſtro enarrandam progrediamur.

Prima itaque edendorum ſcriptorum Leonis auſpicia dedit *Ioannes Andreas* Epiſcopus *Alerienſis* in *Sermonibus Romae per Conr. Sweynheim et Ant. Pannartz* a. 1470. impreſſis, quos eodem aut ſequenti anno ibidem, ſed ſine loci atque anni mentione recudit *Vlricus Han*, paulo poſt *Veneti* typographi 1482. 1485 et 1505. et *Ioannes Paruus Pariſiis* 1515. aliique, qui latere, quam nomen profiteri maluerunt, quamquam ex innominatis editionibus illae, quas in ſequenti indice a. 1475. et numero II. praenotauimus, paulisper ab archetypo Alerienſis recedant, vna au-

tem num. III. (IV.) inſignita plane diuerſa eſſe videatur. Per idem tempus varii Leonis ſermones in diverſis *Homiliarii Doctorum* editionibns euulgari conſueuerunt. Sed *Epiſtolas* primus *Iacobus Merlinus* Doctor Theologiae Pariſienſis protulit in *Collectione Conciliorum* et *Epiſtolarum Pontificiarum* : *Pariſiis* a. 1524. repetita ibidem a. 1530 et 1535. Quem mox ſecutus eſt *Sichardus* edita alia *quinquaginta Epiſtolarum* collectione ad calcem *Clementis Romani* a. 1536., recuſa *Pariſiis* 1568. Iam vero *Petrus Crabbeus* Mechlinienſis de ordinandis epiſtolis ſollicitus fuit, Epiſtolasque a Merlino editas *ad Conſulum ac menſium debitum ordinem conſtitutas* inſeruit *Collectioni Conciliorum Coloniae* a. 1538. paratae et recuſae a. 1551. *Petrus* autem *Caniſius* Nouiomagenſis, Clericus tunc Colonienſis Dioeceſis, qui poſtea Societati Ieſu nomen dedit, primum in coniungendo vtroque ſcriptorum genere experimentum cepit, *Epiſtolasque et Sermones* duobus Tomis *Coloniae* a. 1546 et 47. imprimi curauit. Hunc exceperunt *Laurentius Surius* Vitarum Sanctorum editione poſt celebrior, qui eadem *Leonis Opera* ad mss. exemplaria correcta et caſtigata edidit *Coloniae* a. 1561. iterumque a. 1569 nec non Epiſtolas Leonis Conciliis a ſe editis inſeruit, ſicuti Sermones aliquot cum *Homiliario Doctorum* a ſe aucto denuo repraeſentavit; quibuscum pari greſſu incedit *Canonicorum Reg. S. Martinii Louanienſis* editio e mss. itidem codicibus emendata, *Louanii* a. 1575—77. et iterum *Antwerpiae* 1583. Interea Epiſtolae Leonis aliquod incrementum ceperunt ex *Collectione Epiſtolarum decretalium* Card. *Antonii Carafae*, quae *Romae* a. 1591. curante *Antonio de Aquino* magna cum pompa prodiit, nec non *Caeſaris Baronii Annalibus* a. 1566., et *Gerardi Voſſii*, Tungrenſis praepoſiti,

Miſcel-

Miſcellaneis Patrum, Operibus Gregorii Thaumaturgi *Moguntiae* a. 1604. adiectis: quae omnia fere complectitur ordine iuſto diſpoſita *Collectio Conciliorum Seuerini Binii* a. 1606. iterumque et tertio deinde *Coloniae* et *Pariſiis* emiſſa. Epiſtolas etiam ad Eccleſiam Gallicanam pertinentes ad mss. codices emendatas et vnius acceſſione auctas dedit *Iac. Sirmondus* in *Conciliis Galliae* a. 1629. At Voſſius ille, qui loco laudato epiſtolas e codd. mss. Vaticanis et Card. Sirleti propoſuit, integram Operum Leonis editionem e mss. eductam et illuſtratam meditabatur apud *Michaelem Sonnium* Pariſienſem bibliopolam prodituram, de qua non ſemel in aliis lucubrationibus mentionem et promiſſa fecit *). Sed

 haec

*) Ad calcem *Operum S. Ephrem*, nec non in notis ad tr. *Leonis contra Eutychem* in laudatis Miſcellaneis vulgatum, vbi *obſeruata* ſua in *recognitione Leonina* et *ad marginem Epiſtolarum adnotata* excitat. Adde Nic. Fabrum in epiſtola ad eundem (in *Opuſculis* Fabri *p.* 113. 14.), qua ſe audiſſe teſtatur *Michaelem Sonnium Pariſienſem typographum expectare quam citius ipſius Operum S. Leonis editionem.* Ac ſane *Ioannes Baptiſta Marus* nactus erat editionem Sermonum Leonis, in cuius marginibus Gerardus Voſſius variantes lectiones notauerat, quibus ipſe quoque vſus eſt: et Ballerinii (in *praef. ad Sermones Leonis pag.* LXXXI.) ſuſpicantur, *codicem Operum S. Leonis collatum a Franciſco Pegna cum Romanarum bibliothecarum mss. codicibus*, quem Quesnellus (in fine *Praef. gen.*) olim poſt Pegnae mortem apud *Marium Sancti Angeli Canonicum* vidiſſe ſcribit Emericum Bigotium, Voſſianum fuiſſe. Oſtendunt enim, laudatum *Marium* nullum alium eſſe quam *Ioannem Baptiſtam Marum*, quem alibi Quesnellus diſerte *S. Angeli in foro piſcium Canonicum* appellat, quemque codicem Leonis a Voſſio variis mss. librorum lectio-

haec expectatio morte viri (a. 1609.) irrita facta Leonis ſtudioſos aliam ſpem inchoare iuſſit, quae iterato tamen concidit. Nam cum Pariſienſes quidam bibliopolae inſtituiſſent *Leonis M.* Opera vna cum *Maximo Taurinenſi*, *Petro Chryſologo* aliisque, imprimis Homiliarum auctoribus, quorum numerus ſenſim auctus eſt, priuato conſilio excudere, poſt plures eorum editiones a. 1614. 1618. 1623. in quibus Louanienſis tantum non ſimpliciter recuſa, ſed tribus Sermonibus ex veteri ms. Nicolai Fabri codice aucta fuit, tandem cura haec ad *Theophilum Raynaudum* magni nominis Theologum peruenit, qui *Heptadem* horum ſcriptorum compleuit, in eaque Leonis imprimis opera ad germanam ſententiam reuocare ſtuduit. Prodiit haec eius editio *Pariſiis* a. 1633. denuoque praelo ſubiecta eſt annis (1651.) 1661 et 1671. Sed cum non tam varietate codicum typis editorum et mss. antiquorum fide quam ingenio ſuo et doctrina niteretur, prouinciam ab eo inchoatam ſuſcepit *Ioannes Baptiſta Marus* Canonicus Romanus, editis a. 1644. quibusdam Auguſtini ſermonibus ex mss. Vaticanis et Barberinis, iterumque ex Vat. codice Deſiderii Caſinenſis Abbatis, poſtea Victoris III. Dialogis, et a. 1633. Petri Diaconi de viris illuſtribus Caſinenſibus opuſculo, notus. Et *Sermones* quidem, codicibus mss. Vaticanis et Baſilicae S. Petri, item aliis et Voſſii variantibus ſuffultus, abſoluit, ſed mors repentina totum opus e manibus excuſſit *Sermonumque ad plurium mss. fidem reſtitutorum* volumen per fratrem eius Cardinali *Michaeli Angelo*

lectionibus notatum penes ſe habuiſſe dictum eſt. Errore itaque Bigotii factum eſſe volunt, vt, quod Voſſio eſſet adiudicandum, Pegnae tribueretur, eo quod Voſſii codex in huius manus veniſſet, antequam in Mari bibliothecam tranſiret.

gelo Riccio traditum, totum, praeter praefationem, obliuione eſt ſepultum.

Hactenus igitur virorum doctorum in Leone M. reſtituendo ſtudium proceſſerat. Nihil enim refert in hoc generali editionum cenſu commemorare varias impreſſiones *Epiſtolae ad Flauianum* per plura diuerſi conſilii opera hoc et ſuperiori ſaeculo factas, aut *Sermones* in *Bibliothecis Patrum* et *Concionatoria* inſertos, aut *Epiſtolas* in *Conciliorum collectionibus* ex ſuperioribus editionibus iterum deſcriptas. Illa autem reſpicientes fateri cogimur, magnas quidem a prima inde Sermonum editione variis occaſionibus Operum Leonis acceſſiones factas eſſe, ſed quod textus emendationem atque explicationem attinet, virorum eruditorum ſtudia atque ingenium, non quidem culpa omnium, vt vidimus, admodum deſiderari. Sed quod per duo integra ſaecula fruſtra expectatum fuerat, dum modo ingenia copiis, quibus Leonis editor neceſſe inſtructus eſſe debebat, modo copiae ingeniis defuerant, id vnus ſubito, absque ſpecioſa ſignificatione, praeſtitit PASCHASIUS QUESNELLUS, a quo tota editionum Leonis hiſtoria noua quaſi auſpicia capit.

Queſnellus enim inſigni copia codicum mss., maxime Gallicanorum, qui, paucis exceptis, a nemine antea adhibiti fuerant, tam Sermones, quam Epiſtolas innumeris in locis caſtigauit, nouis auxit, noua ratione digeſſit ac diſpoſuit, varietatisque lectione vbere, notis, amplioribus obſeruationibus, diſſertationibus doctiſſimis, variarumque et cum Leonis geſtis remotius ſubinde coniunctarum rerum tractatione abundantibus adeo nobilitauit, vt qui modo tam ieiune habitus fuerat, auctor iam ac cauſa nouae eruditionis, multarumque ac ſane tum grauiſſimarum quaeſtionum atque diſputationum fieret. Prodiit Queſnel-

Queſnelliana editio 1675. *Pariſiis*, quaternis, duobus ſplendidis voluminibus; ſed non citius omnium admirationem atque acclamationes, quam ſeueram pontificis Romani animaduerſionem in ſe excitauit. Nam cum nouus editor liberius de nonnullis tam fidei, quam diſciplinae veteris eccleſiae capitibus diſſeruiſſet, praecipueque Pontificis Romani auctoritatem in multis vſurpatam oſtendere atque teſtimoniis conſenſuque tum Leonis ſententiarum, tum aliorum ſcriptorum demonſtrare auſus eſſet: ſacrae inquiſitionis vindictam effugere non potuit, ſed anathemate percuſſus fuit in decreto anno 1676. tertio Kalendas Maias propoſito, omnibusque Eccleſiae Catholicae filiis, *ne nouas, peregrinas atque venenatas doctrinas imbiberent* *), ſub eadem anathematum poena deprauatorum a Quesnello operum Leonis lectione interdictum, omniaque eius in Leonem annotata diſputataque in prohibitorum Indicem **) relata ſunt. Sed cum bene eſſet perſpectum in Romana Curia, omnem humanam naturam pronam eſſe in vetitum, facileque ſentiebant, hac ſua obuallatione non poſſe ab

*) *Cacciarii* verba ſunt, ex *praef. T.* I. *pagg.* III. vbi *Apoſtolicam* ſedem diuino ſpiritu ductam ac ſuorum filiorum pietati, ac ſaluti praecauentem hanc ſanctionem ſanxiſſe ait. Quodſi recte ab eo ſtatutum fuit, non potuit non a malo quopiam ſpiritu profecta eſſe *Sacrae* Facultatis Theologicae Pariſienſis cenſura (d. 14. menſis Iunii 1670.), qua *nihil ſe in hac editione nactos eſſe profitentur* iſti Theologi, *quod dogmatibus reuelatis ſit contrarium, moribus Chriſtianis repugnans et a diſciplina Eccleſiae Vniuerſae alienum*; e contrario probarunt *editoris fortitudinem, qua Eccleſiae Gallicanae ſplendorem, Gallicanorum praeſulum innocentiam et veras Eccleſiae Gallicae libertates animoſe ex occaſione propugnauerit.*

**) Anni 1682. *pag.* 277.

ab omnium animis tam pernicioſarum opinionum contagionem arceri ac defendi, remedium infectis exoptabant, quod omnem veneni vel imprudenter vel ex praua appetentia hauſti vim ſtatim retunderet et penitus exſtingueret, editionem *Anti-Queſnellianam.* Nec ſane vana iſta ſollicitudo fuit. Tot enim lectores atque amatores noua haec editio inuenit, vt anno huius ſaeculi vltimo iterum typis tradi poſſet: id quod *Lugduni* forma maxima factum eſt; atque Queſnellus tam parum reſipuit, vt nihil ex omnibus, quae tantopere Romanae ſedi diſplicuiſſe cognouerat, in Lugdunenſi editione tolleret aut retractaret. Contra deſiderio iſti nouae editionis Leoninae tardius ſatisfactum fuit. Non defuerunt quidem homines eruditi, qui imponi ſibi hoc onus paterentur, aut ſponte illud ſubirent: et erat vtique quod cauſae pondus addere et honoris cupidos inuitare poterat, deſiderata a nonnullis viris doctis in Queſnelli emendationibus cura vel etiam ingenuitas, et ex altera parte codicum Romanorum et quaſi archetyporum oſtentatio, vnde Leo purior educi poſſe videbatur. Sed ſiue quod minus alii penſitaſſent cum ſuis viribus, aut in profligando opere difficultatibus obrepti deſtitiſſent, aut alio quouis impedimento ſpes certiſſimae identidem euanuerunt. Interea priuato bibliopolarum aliquot *Venetorum* inſtituto, *Auguſtini Sauioli* a. 1741., et *Andreae Poletti* a. 1748. Leonis opera iuxta Queſneuianam editionem, additis plus minus ex notis et diſſertationibus eius recuſa et cito diſtracta ſunt. Poſt eos *Petrus Thomas Cacciarius* Carmelita, Theologiae Polemicae in Collegio Romano de Propaganda Fide Lector, nouam, ad codices mss. Romanos potiſſimum formatam et Queſnello oppoſitam, Romae, tribus voluminibus in folio, quorum primum *Exercitationes in Leonem,* reliqua duo opera

ipſa

ipſa complectuntur, a. 1751. 1753 et 1755. protrudit. Sed licet non deeſſent ipſi quotquot exoptari poterant manuſcriptorum librorum copiae, ſola voluntate tamen, aut fiducia in vires ipſi non ſatis cognitas, efficere non potuit, quod propoſitum, et vero inſolentius promiſſum erat. Quo euenit ſane, vt cum eodem paene tempore praeſtantiſſima BALLERINIORUM opera — *Venetiis* 1753—56—57. prodiiſſet, omnis eius labor obſcurari et obliuione mulctari inciperet, nec iis quidem, quae recens ex codicibus Vaticanis et Ratisbonenſibus protulit, ſcilicet, quod eadem omnia, et aliquanto plura apud Ballerinios etiam deprehenderentur, gratiam ab eruditis inire poſſet. Quippe *Ballerinii* optimorum codicum mss. abundantia et peritia, vſu critices, accurata doctrina eiusque commoda diſtributione, nec non totius methodo talem Leonis Operum editionem perfecerunt, quali poſt Couſtantii Epiſtolas Pontificum Romanorum nullus ex omnibus latinis ſcriptoribus Eccleſiaſticis gauiſus fuit; ne taceam Romanae Curiae votis cumulate eſſe ſatisfactum, nec Benedictum XIV. mandati ſui poenitere debuiſſe, quo tales huic negotio viros optauit, in quibus dubitare poſſis, maiorne doctrina atque dexteritas, an officioſitas et ſtudium erga Sedem Romanam fuerit; quamquam aliter affecti haud paucis in ſententiis ab iis iure ſuo diſſidebunt.

Iam itaque omnis fatorum ſeries ſcriptorum Leonis, ex quo praelo committi coeperunt, duabus conuerſionibus, quarum altera in *Queſnello* orditur, altera a *Balleriniis* progreditur, conſtat. Poſterior priori vtique in omnibus, quae ad tractationem ſcriptoris pertinent, longiſſime praeſtat, modo ne obliuiſcaris Queſnellum ſuo ſpecimine Balleriniis et omnibus omnino, qui poſt eum ad retractandas Scriptorum Eccleſiaſticorum editiones acceſſerunt, exemplum

plum longe illuſtriſſimum praeiuiſſe. Sequuntur *Editionum ſingularum* Leonis *Annales.*

SAEC. XV.

1470.

Romae per Conr. Sweynheym et Arn. Pannartz. fol. S. Leonis Papae Sermones et Epiſtolae *ex recognitione et cum praefatione Io. Andreae ad Paulum* II. in calce:

Aſpicis illuſtreſ etc.

M. CCCC. LXX.

Complectitur hoc volumen *Sermones* XCII. *Epiſtolas* vero V., quarum prima *ad Flauianum Epiſcopum Conſtantinop.* inſerta eſt inter Sermones poſt decimum ſextum, reliquae IV., nempe 1) *ad Maximum Epiſc. Antiochenum,* 2) *ad Anatolium Epiſc. CP.* 3) et 4) *ad Leonem Auguſtum,* poſt abſolutos ſermones et *tractatum* eiuſdem auctoris *contra haereſin Eutychetis, quem Romae in Baſilica S. Anaſtaſii habuit,* qui que proxime Sermonibus ſuccedit, adiiciuntur. Finem operi imponunt ad Epiſtolae vltimae argumentum pertinentia *Symbolum Nicenum et Teſtimonia excerpta de libris catholicorum patrum a Leone Papa collecta Leonique Imperatori directa, quod dominus noſter Ieſus Chriſtus verus ſit deus, et verus homo.* Cuncta vero haec Sermonibus ſubiuncta, non excluſo *tractatu contra Eutychetem* foliis XIV. conſtant. Ab initio occurrunt, tribus foliis, *Io. Alerienſis praefatio ad* Paulum II. et *Rubricae totius operis per ordinem.*

Haec fere de prima *Leonis* editione tradidit *Audiffredus* in libro ſaepius nobis laudato p. 47. dictiſque vt plurimum conuenire deprehendimus habitum alterius editionis ex hac expreſſae, quam ſtatim commemo-

memorabimus. Huius vero iam ante Audiffredum mentionem iniecerat P. *Xav. Laire in ſpecimine hiſt. Typogr. Rom.* etc. p. 153. ab illo pro more et conſilio libri ſui ob leuiuſcula aliquot παρορωματα acerbe caſtigatus. Exhibent eam Catalogi Bibliothecarum *Smithianae p.* 265. *Ducis de la Val. T.* I. *p.* 178. *Nic. Roſſii p.* 47. *Creuennae* nouiſſim. (8v.) *T.* I. *p.* 112. pluraque in Italia exemplaria euoluit Audiffredus, vt adeo mirum ſit, qui fieri potuerit, vt Cardinali Quirino ea non innoteſceret, quippe qui in *Appendice* ad *Pauli II. Vitam, de Optimis editt. Rom.*, dum Alerienſis praefationem ex ed. Florentina recudi curat, *Maettarii* de hac editione teſtimonium in dubium vocauit. Aliter ſe res habet cum editione Colonienſi 1470. *f.* quam idem *Maettarius T.* I. *P.* I. *p.* 298. addito teſtimonio *Catalogi Bibl. Noriberg. Sauberti p.* 118. laudat, quam nulli vnquam bibliographo viſam noui.

Sine anno

Loco et typogr. (Romae per Vlr. Han.) f. B. Leonis Sermones etc. Deſcriptione totius praecedenti per omnia ſimilis. Character *Vdalricum Gallum* prodit, eo quem in Quintiliano excudendo vſus eſt plane conformis. Quam *P. Lairii* aſſertionem nos comparatione vtriuſque exemplaris veram deprehendimus. In vtroque etiam libro paginae lineas XXXV. comprehendunt, ſed hoc differunt, quod in Leone tituli ſermonum maximam partem *) literis vncialibus exſcripti ſint, in Quintiliano contra omnino deſint. Quod ſi igitur recte ad Vlricum Han. refertur hic typus, veri ſimile eſt quam maxime, vel eodem anno, vel

*) Deficientes numerauit Audiffredus, ſcilicet vt negligentiae *Lairium* argueret, qui in genere titulos maiori charactere expreſſos eſſe dixerat.

vel ſub initium ſequentis ſtatim ab eo fuiſſe elaboratum, quia ita inuicem affectos nouimus Romanos hoſce typographos, vt ſi quid noui alter protuliſſet, alter extemplo prelo idem ſubiiceret. Praeter *Lairium*, *Audiffredum* et *Quirinum*, qui omnes oculis hanc editionem vſurparunt, laudant eandem *Catal. Bibl. Bunav. p.* 162. *Ducis de la Val. p.* 179. *Nic. Roſſii p.* 47. *Pinell. T.* I. *p.* 103. Noſtrum exemplum iam notum fecit *Hambergerus* in *zuverl. Nachr. T.* III. *p.* 203. qui tamen *principem* ſtatuit, vt nuper etiam in Pinell. Cat. *Morellus*, quo iure, neſcio.

(1475.)

Sine loco et typographo. f. S. Leonis Sermones. *Ab initio: Liber Sermonum ſancti Leonis primi Papae doctoris floridiſſimi ac eloquentiſſimi incipit feliciter:* deinde eadem linea: *Sermo primus de ordinatione ſua in pontificem:* In fine: *Expliciunt ſermones Leonis Papae.*

Volumen eſt foliorum CXXIV., impreſſum charactere gothico breuiori et pingui, ſed nitido, binis columnis, lineis per paginam XXXVIII. Chartae ſunt denſae, ſatis candidae at paulo crudiores: margines et interſtitia columnarum lata; diſtinctionis ſigna, colon et punctum; literae initiales, numeri, cuſtodes et ſignaturae deſunt. Tituli ſermonum vero omnes eodem charactere ſunt impreſſi. Textum praecedunt folia tria *Io. Alerienſis praefationem* et *rubricas ſermonum* complexa, ſed rubricae non niſi in lineam XIII. paginae primae folii tertii per vtramque columnam protenduntur. Quamquam autem propter laudatam *Alerienſis epiſcopi* praefationem videri poſſit, hunc typum plane Romanam editionem referre, reuera tamen eam non refert, quippe qui vna cum *tractatu contra haereſin Eutychetis,* qui vltimus eſt, Sermones

XCV. numerat, et epiſtolis, quae in ſuperioribus extabant, nec non, quae appendicis loco epiſtolis acceſſerant, Symbolo Nicaeno et teſtimoniis ex PP. ſcriptis a Leone collectis prorſus caret. Optandum igitur eſſet, vt ab aliquo harum rerum curioſo diligentius excuteretur, num fortaſſe in ſingulis etiam lectionibus a Romanis differat. Sed iam quaerentes ex me lectores audio, vnde tandem, ſi ampliori ſubſcriptione careat hoc Leoninorum Sermonum volumen, annum ſupraſcriptum hauſerim. Nimirum haec eſt illa editio, cuius in *Maettarianis* indicibus *T.* I. *P.* I. *p.* 351. fit mentio, cuius tamen praeter illum nemo Bibliographorum meminit. Quamobrem ſuccinctam ac certam eius notitiam lectoribus diutius non inuidendam duximus. Videlicet vno eodemque charactere atque habitu ſimul cum Leonis Sermonibus excuſae ſunt *homiliae Gregorii M.* atque *Origenis*, ita quidem, vt cuiusque auctoris opus ab alterius opere ſeparari commode poſſit, poſteriora duo tamen vna eademque ſubſcriptione ad calcem Homiliarum Origenis comprehenſa ſint *). Hinc factum eſt, vt ſaepius inuicem diuellerentur et coniunctas cernere rariſſime iam obtingat. Sic *Gregorii et Origenis Homiliae*, Leone auulſo, occurrunt in *Cat. Bibl. Ducis de la Val. T. I. p.* 180. *n.* 499. eandemque, niſi forte ſolas Origenis, Vallarſium tractaſſe dixeris, dum in Hieronymianis ſubſidiis laudat Homiliarum aliquot Origenis editionem Baſileenſem a. 1475., quam ignorare me in ſuperioribus profeſſus ſum **).

Ego

*) Sonat: „*Expliciunt omelie beati gregorii pape et origenis preſbiteri.*“ Addito *anno*, non item loco. Vberiorem deſcriptionem accipies inter editiones Gregorianas in tomo ſequenti.

**) Vid. *T.* I. *p.* 475.

Ego tamen diuerſam ab hac cenſeo. Certe ſi haec ipſa fuit, quam fortaſſe coniectura ductus Baſileenſem dixerit, me aſſentientem non habet. Nam, niſi omnia me fallunt, in Italia hoc volumen excuſum eſt. Ne quis vero hac noſtra argumentatione contrarium potius, quam quod intendimus, effici exiſtimet, cogique nos poſſe putet, vt *absque loci* et *anni* nota, alio quouis tempore excuſam ſcribamus hanc Leonis editionem, vtpote nulla alia de cauſa anno 1475. praenotatam, quam quia cum opere ſimili hoc anno exſcripto compacta ſit: reſpondebimus, primo, nos, miſſa omnino de anno aſſignando quaeſtione, curare voluiſſe, vt ab omnibus quam certiſſime dignoſceretur. Quod futurum putaui, ſi non vltro editionum *absque anno* prolatarum numerum augerem et ad Maettarianam illam, alias incognitam *), digitum altius intenderem. Deinde vero nec magnopere me erraſſe exiſtimo, quandoquidem tria illa opuſcula et argumenti affinitate inter ſe connexa et praeli executione ſibi ſimillima ſunt, neque id ab antiquorum typographorum more valde abhorret, vt ex pluribus, quae iunctim excuderant operibus, ſolum vltimum anno et loco impreſſionis ſignarent.

1482.

Venetiis per Lucam Venetum Dominici filium. Sept. Id. Auguſt. f. S. Leonis Papae Sermones et Epiſtolae cum praefatione Io. Alerienſis. *Maitt. T.* I. *P.* II. 429. Occurrit in *Cat. Bibl. Ducis de la Val. T.* I. *p.* 180. *n.* 495.

* *

Spirae per Petrum Drach. f. Leonis Sermones *aliquot;* in *Homiliario Doctorum vulgo Caroli Magni.*

*) Vid. Denis Garell. Bibl. *p.* 195.

ni. Sermones ſunt XXI. De ipſa hac rariſſima editione ſupra occaſione Sermonum Auguſtini egimus. Cf. Ballerinii in praef. Sermonibus Leonis praemiſſa. §. VI. n. XXVI. Hi quidem non perfunctorie hac editione vſi ſunt, ſed vt germanas Pauli Diaconi lectiones cognoſcerent, cum *Baſileenſi Nicolai Keſsler* a. 1496. diligenter contenderunt.

1485.

Venetiis per Andream Parmenſem. f. min. Diui Leonis Homiliae (Sermones et Epiſtolae) *Maitt. T.* I. *P.* II. *p.* 470. Erat in *Bibl. Creuennae.* Vid. *Cat.* nouiſſimus (8) *T.* I. *p.* 112. *n.* 498.

1493.

Baſileae per Nicol. Keſsler. f. Leonis Sermones *aliquot;* in *Homiliario Doctorum,* iuxta ordinem vetuſtiſſimum Bibliothecae eccleſiae Baſilienſis impreſſo. Cf. Auguſtiniana.

1494.

Norimbergae per Anth. Koburger. 4. Leonis *aliquot* Sermones; *in eadem Collectione.*

1496.

Baſileae per Nic. Keſsler. f. Leonis *aliquot* Sermones; in *Homiliario Doctorum* repetitae editionis.

1498.

Baſileae . . . . . f. Leonis Sermones; *in eadem Collectione*, quam laudat *Maitt. T.* I. *P.* II. *p.* 675.

* *

Sine anno

et loco. fol. (II. vel etiam III. huius generis) S. Leonis I. Papae Sermones.

Inci-

Incipit a praefatione Alerienſis, quae ſimiliter ac in editione a. 1475. inſcribitur: *Ioannis Andree epiſcopi alerienſis ad ſummum pontificem paulum ſecundum Venetum in laudem ipſius ſancti Leonis pape.* Impreſſa vero cernitur in auerſa folii primi pagina, et linea XXVIII. abſoluitur, proximeque ſuccedentes habet *rubricas*, quae prima folii tertii pagina linea XXXV. terminantur, auerſa vacua relicta. Textus incipit eadem inſcriptione ac ed. a. 1475. In fine pariter: *Expliciunt Sermones leonis pape.*

Conſtat opuſculum foliis CLII. impreſſum charactere gothico maiuſculo in charta alba mundaque, lineis in integra pagina XXXIV. Signaturae, numeri, cuſtodes et literae initiales abſunt. Interpunctioni ſolum punctum inſeruit. Hanc fere deſcriptionem editionis mihi incognitae praebet P. *Placidus Braun* in *Not. Hiſt. Lit.* I. *p.* 56. eamque iam a *Bauero* in *Bibl. Vniuerſ. T.* II. *p.* 275. notatam eſſe monet. Apparet autem, eam ab illa, quam ſub anno 1475. recenſui, admodum eſſe diuerſam, tametſi ex titulis concludas, vnam ex altera fuiſſe expreſſam, atque adeo habere, in quibus a Romanis archetypis differant. Optauerim igitur, vt viro ſolertiſſimo placuiſſet contenta eiuſdem diſerte indicare. Haeſitaui aliquantulum, qui factum ſit, vt tum *Braunius*, tum alii bibliographi, in aeſtimanda editionum innominatarum aetate vnam fere normam anni 1475. ſequerentur. Iam *Braunius* addidit, a. 1475. aliam editionem absque typographi et loci nota prodiiſſe. Caue vero, ne ſupra a nobis deſcriptam cognitam ipſi exiſtimes. Alia cauſa ſubeſt, Deburii nempe commentum, quaſi editio Romana absque anni nota (Vlrici Galli), anno 1475. procuſa fuerit. Hinc annus iſte percrebuit. Sed hunc Deburii errorem P. Xav. *Laire* in *ſpecim. p.* 153. reprehendit.

Sine anno

loco et typogr. fol. (III. vel IV.) S. Leonis Papae Sermones. Ab initio: *Incipit liber Beati Leonis Papae Sermonum et ſermo primus de ordinatione ſua ſequitur.* In fine: *Iheſus Chriſtus Maria.* Inſunt Sermones XCIV. quorum penultimus *tractatus contra hereſin Eutychetis,* vltimus ſermo de *Abſolon* eſt ſuppoſitus. Tertia haec eſt, vel ſi mauis, quarta editionum Leonis *locum* et *annum* haud praeferentium, atque omnium omnino antiquarum rariſſima. Notitia eius debetur *Deniſio* V. Cel. in *Memorabilib. Bibl. Garell. p.* 194. nec praeter eum quiſquam hactenus exemplum illius tractauit. Prodidit itaque, folia huius voluminis a ſe numerata eſſe CXXXIII. linearum XXXVII., literas eſſe gothicas, ſed noui plane generis, maiuſculas nimirum, fluctuantes et aſperas, quae quaſi ſcalpro exaratae videantur. Mediis in vocibus, tradit, conſpici paſſim literas rotundas *a*, *ſt*, et ct, atque vnciales etiam C. O. S. T. ſaepius romanam formam referre. Rara literarum compendia. Diſtinctionis ſigna, punctum et colon. Abſunt cuſtodes, ſignaturae, numeri, literaeque initiales. Singulis ſermonibus tituli ſui ſunt adſcripti; ſingulis in fine addita vox *Amen*, literis late diſtantibus. Adſcriptus erat exemplari Garelliano colore purpureo annus 1461., ſed fraudulenter hoc factum eſſe ſuſpicatur Deniſius. Sibi ipſi coniecturam ferre coacto vel *Antonium Sorg*, *Auguſtanum*, vel *Conradum Finer, Eſslingenſem* artificem, videri pronuntiat. Illud vero ex contentis manifeſtum, non ex Romanis, earumque repetitionibus, Venetis, ſed ex vna reliquarum, quas ante recenſuimus, omiſſis quibuſdam et additis aliis, hanc editionem fuiſſe deſcriptam.

Sine anno

Coloniae per Conrad. de Homborch. f. Leonis Sermones *aliquot;* in *Homiliario Doctorum*, editione ſupra inter Auguſtiniana deſcripta.

SAEC. XVI.

1505.

Venetiis in *Typographeio Bartholomaei de Zanis de Porteſio Librariae artis peritiſſimo, expenſis heredum nobilis viri Q. Domini Octauiani Scoti. fol.* S. Leonis Sermones. Iuxta editionem Parmenſem, Commemorat *Queſnellus* in *praefat. gen.*

1511.

Pariſiis per *Io. Badium Aſcenſium.* 4. S. Leonis Papae epiſtolae catholicae et ſanctae eruditionis pleniſſimae. *Cat. Bibl. Reg. Pariſ.* it. *Bunav.* et *Bodlei.* Inſertus eſt libellus de *Conflictu vitiorum et virtutum*, Leoni, vt tot aliis patribus, perperam adſcriptus.

1515.

Pariſiis. 4. Leonis pontificis maximi ſermones quam diligentiſſime nuperrime caſtigati et quantum anniti ars potuit feliciter impreſſi. *Venum dantur Pariſius* (ſic) *in Vico diui Iacobi ſub Lilio aureo* a *Ioanne Paruo (Jean Petit).*

Exemplar iuxta quod deſcripti ſunt, editionis Romanae fuit. Inſunt igitur et epiſtolae V. eodem omnes ordine, et appendices. In fine, abſoluto plane reliquo opere, poſt paginam vacuam folii vltimi, i. e. centeſimi octaui, adeo vt ſeparari poſſit, additus eſt *libellus Leonis Papae de conflictu vitiorum.* Huic titulo, qui in ſumma pagina cernitur, ſubiungitur

gitur ſtatim notula: „*Leoni inſuper quod ſequitur adſcribitur opuſculum. Illud ergo (quod conducere videbatur) addidimus. Tuitaque quicquid et illud eſt equilector optime bonique conſulito.* Occupat folia VIII. quae numeris non ſignantur. In fine haec clauſula: *Explicit praeclarus et inſignis tractatus Leonis pape de conflictu vitiorum et virtutum; vna cum ſermonibus eiuſdem. Parrhiſiiſque impreſſus in ſole aureo vici diui Iacobi per magiſtrum Bertholdum rembolt. Anno dni. M. CCCCC. XV. die vero II. martii.* Characteres ſunt gothici minuti, verba crebris compendiis conciſa, in margine loca inſigniora Leonis lemmate notantur, et biblicorum numeri ſunt adſcripti.

1516.

Lugduni per Iohannem Clein. f. Leonis Sermones *aliquot*, in Homiliario Doctorum f. Auguſtinus.

1524.

Pariſiis . . . . . f. Epiſtolae Leonis Papae, *in Iacobi Merlini* Collectione *Conciliorum cum generalium, tum prouinc. et Decretor. pontificiorum.*

Teſtis eſt *Queſnellus*, qui *nonaginta quatuor* Epiſtolas Leonis, multis quidem locis mendoſas, ſed viciſſim in aliquibus multo recentioribus emendatiores ineſſe ſcribit.

1525.

Lugduni per Ioannem Creſpin. f. Leonis Sermones *aliquot;* inter *Homilias* Doctorum eccleſiaſticorum etc.

* *

Moguntiae apud Io. Schoeffer. fol. Decreta Leonis Papae XLIX. in ed. principe collectionis *Concil.*

cil. et Canon. Dionyſii Exigui, quam ſaepe iam in ſuperioribus allegauimus.

1530.

Coloniae ex *off. Petri Quentel. fol.* Epiſtolae Leonis Papae; in repetita eiuſdem *Merlini* collectione *Conc. gen.* etc. *T.* II. a *fol.* CLXXXVIII—CCXXVIII. Epiſtolae numerantur XCVII.

* *

Coloniae ex off. Eucharii Ceruicorni. f. Leonis Sermones *aliquot;* in *Homiliis praeſtantiſſimorum eccleſiae Doctorum.*

1535.

Pariſiis apud Franciſcum Regnault. 8. Epiſtolae Leonis Papae; in iiſdem *Conciliis* h. a. et l. denuo repetitis, a *folio* CCII—CCXLVII.

1536.

Baſileae. f. Leonis Papae epiſtolae quinquaginta; vna cum aliis Pontificum Rom. epiſtolis additae *Clementis Romani recognitionibus*, edente Io. *Sichardo* a *pag.* 306. vſque ad finem (i. e. 374.).

Iam primae ſuae *Clementis Recognitionum* editioni, quae a. 1526. Baſileae apud *Io. Bebelium f.* prodiit, addiderat Sichardus Pontificum aliquot Romanorum Epiſtolas pleraſque ſuppoſititias. Sed longe vberior acceſſio haec tulit, *Leonis* ſimul non exiguam partem complexa. Diligenter eam conſuluerunt fratres Ballerinii.

1538.

Coloniae apud Petr. Quentel. fol. Epiſtolae Leonis Papae Primi, et Decreta; in Collectione *Conciliorum*

ciliorum omnium auctore *Petro Crabbe* Mechlinienſi *T.* I. a *fol.* CCCXLIII—CCCXCII.

Pollicetur editor magis *propriam et aptam* epiſtolarum Leonis *ordinationem.* Quae enim, inquit, *prius confuſae conſcriptae ſunt, nunc ſecundum conſulum, (modo ſciri poſſint) ac menſium debitum ordinem ſunt conſtitutae, quibus deficientibus, ordo reliquarum epiſtolarum, qui aptior viſus eſt, ſeruatur.* Cuique epiſtolae praemittitur capitulorum indiculus. Notantur in margine loca biblica, adiectaeque ſunt paſſim lectiones variantes.

1546—47.

Coloniae. 8. *Tomis* II. D. Leonis Papae etc. Epiſtolae decretales et familiares. Eiuſdem Sermones et Homiliae, edente *Petro Caniſio* Nouiomagenſi, quem Queſnellus ſcribit profeſſum, *adminiculo admodum vetuſtorum et emendatiſſimorum exemplariorum ſe adiutum fuiſſe.* Vide repetitionem huius ed. a. 1566. Reprehendit autem Queſnellus, quod librum de *conflictu vitiorum et virtutum*, tanquam Leonis, addiderit.

1551.

Coloniae apud Petr. Quentel. f. Epiſtolae Leonis Papae primi et Decreta; in eiuſd. *Petri Crabbe Conciliis* editionis repetitae.

* *

Ibidem. fol. S. Leonis Sermones. Laudat hanc editionem, quid? quod tractaſſe ſe ſcribit *Io. Ciampinus* in *Epiſtola* ad *Eraſm. Gattola a Caieta.* Attamen ne hac quidem profeſſione omnem dubitationem nobis exemit, quippe quem in aliis, quas item verſauiſſe videri vult, manifeſto lapſum deprehendimus, laudando editiones Louan. 1566. et Antuerp. 1583. *quaternis* excuſas. Nec magnopere etiam doctrinam ſuam

ſuam nobis approbauit, qui, Romanus ipſe et Romae degens, Colonienſem huius anni editionem *antiquiſſimam ſermonum* dicere potuit.

1553.

Venetiis. fol. S. Leonis Sermones, eodem *Ciampino* teſte. In ſuſpenſo itaque ſinamus, ſeorſim, an in collectione aliqua editi ſint.

1555.

Baſileae per *Henr. Petri. f.* Leonis Papae primi epiſtola ad Flauianum contra Eutychen; in *Orthodoxogr. Io. Heroldi n.* XXXVII.

1561.

(Coloniae.). S. Leonis opera ſtudio *Laurentii Surii.*

„*Laurentius Surius* Carthuſianus in editione a. 1561. multum temporis ac operae ſe poſuiſſe profitetur in corrigendis Leonis operibus, licet ante annos aliquot, inquit, doctorum virorum ſtudio emendata prodiiſſent. Fatetur tamen non ſe totum Leonem ſuae integritati ita reſtituiſſe, vt nihil iam reliquum eſſet caſtigatione dignum: Nec mirum eſſe ait, cum ipſe Leo fateatur, etiam tum, cum adhuc in humanis ageret, vitiatam fuiſſe Epiſtolam illam ſuam, quae eſt ad Flauianum.“ Haec Queſnellus, ita, vt loci, vbi haec editio expreſſa ſit, mentionem nullam faceret, qui tamen vix alius, quam Colonia eſſe poteſt. Ego vero dubito, an omnino huius anni editio extet. Certe *Harzhemius* in *Bibliotheca Colonienſi* (Coloniae 1747. f.) *p.* 220. non niſi 1568. factam nouit.

1566.

Louanii apud Hieronymum Wellaeum ad interſigne Diamantis. 8. *Voll.* II. *Tomus* I. inſcribitur:

D. Leo-

D. Leonis Papae, huius nominis primi, qui ſummo iure Magni cognomen iam olim obtinet, *Sermones et Homiliae*, quae quidem extant omnes. Altera iam vice ſumma cum diligentia ad antiquiſſima exemplaria omnia caſtigata et aucta. Cum duplici Indice. *Tomus alter* habet: *D. Leonis Papae Epiſtolae decretales ac familiares*, quae quidem hactenus reperiri potuerunt omnes. Altera iam vice ſumma cum providentia ad antiquiſſima exemplaria correctae.

Vter prior, poſteriorue tomus ſit, in titulo non ſignificatum eſt. In eo vero exemplari, quod Bibliotheca Regia nobis ſuppeditauit, inuerſo ordine, ac nos repraeſentauimus, compacti ſunt. Sed anteponere viſum eſt eum, cui praefatio editoris et Leonis vita (ex prima ed. 1546—47.) accedit, quique, ſi tempus ſpectetur, quo primum ſermones aut epiſtolae in lucem editi fuerint, merito priorem ſibi vindicat locum, quem in omnibus etiam deinceps inſecutis editionibus ſemper obtinuit. *Caniſii* praefatio ad *Ioannem Lippienſem, Epiſcopum, Cirenenſem, Suffraganeum et eccleſiaſtem primarium Coloniae*, tendit. Incuſat *furorem ſaeculi* eiuſque cauſam, *immanem philautiae rabiem*, vnde peruerſa *ſtudia novos ſcribendi libros, ambitioſa doctrinae oſtentatio, praefractaque quaedam ſapientiae praeſumptio*, item *effrenis libido comminiſcendi noua dogmata, quibus vetera faſtidire ſimul et antiquari documenta incipiant*, tanquam ex fonte oriantur. *Per hos demum ſeu gradus omnis impietatis* inquit, *huc iam* — inculcat.“ Iam Leonem haud benigniorem apud hoſce tam reuerendarum legum et inſtitutorum maiorum contemtores fortunam habiturum praeſagit, quos tamen, modo legere velint, omnes ad ſuſpiciendum viri animum et amplexanda, quae temerario auſu ſpreuerint, dogmata compulſum iri ſperat. Epiſtolarum

rum ordo, vt nobis viſum, ex petri Crabbei editione repetitus eſt. Ceterum in vtraque parte, ad ſuperiorum editionum inſtitutum, textus biblici et variantes quaedam in marginibus adiectae ſunt.

1567.

Coloniae ex off. Io. Quentel. fol. Epiſtolae Leonis Papae primi et Decretalia, in *Concil. Collectione Suriana.*

1568.

Pariſiis apud Mich. Sonnium. f. Epiſtolae Leonis papae, cum *Clementis Romani operibus* edente *Ioanne Sichardo.*

Hanc adhibuit Queſnellus atque haec de ea in praef. gen. monuit: „Ioannes Sichardus Clementis Romani opera collegit, quibus et veterum Pontificum pſeudo - Epiſtolas adiecit. Hae poſt plures editiones in Germania emiſſas Pariſiis etiam prodierunt 1568. *cum plurium Pontificiarum Epiſtolarum praeſertimque Leonis noſtri acceſſione, quas ad fidem veterum exemplarium Victorinorum reſtitutas fuiſſe teſtatur editionis huius procurator anonymus.*" Crediderim equidem haec eius verba non ita eſſe accipienda, vt hanc Pariſienſem demum editionem epiſtolis illis locupletatam eſſe voluerit, ſed quae de acceſſione ſcribit, ad Germanicas quoque editiones traxerim. Quatenus vero hoc valeat, in ſuperioribus ad a. 1536. declaratum eſt. Quid? quod fortaſſis nec Victorinorum codicum emendationibus prima gloriari poſſit haec editio. Prraeceſſit enim *Pariſienſis* apud *Carolam Guillard viduam* 1544. f. quae neſcio an fons illius fuerit. Certe epiſtolas Clementis ex Victorinis Codicibus emendatas titulus profitetur, quem in Addendis ad Rufinum (ad p. 635. T. I.) in tomo tertio dabimus.

1569.

1569.

Coloniae per *Martin. Cholimnum. fol.* Leonis Sermones *aliquot* (XXI.); in *Homiliario Doctorum Catholicorum* ſelectis homiliis aucto et edito a *Laurentio Surio. Io. Ciampinus* Leonis Sermones h. a. l. et hac forma editos, nulla addita collectionis, cui inſerti eſſent, mentione laudat. Integram ideo editionem ſeorſim factam innui exiſtimare aliquis poſſet, imprimis cum non manu tantum tenuiſſe, ſed accurata attentione legiſſe ſe affirmet. Sed haec vt ceterae viri illius promiſſiones vanae ſunt, quippe qui vnius vocis cura occupatus, ad alia non niſi deſultorie aduertit.

✤ ✤

Baſileae per Henric. Petri. f. Leonis Papae I. Epiſtola ad Flauianum, contra Eutychen; in *Monum. Orthodoxgr. Iac. Grynaei. p.* 41.

1572.

Tiguri. fol. Leonis epiſcopi Romani epiſtolae duae, vna ad Flauianum Epiſc. Conſtantinop. contra Eutychen; altera ad Leonem Auguſtum contra Neſtorii et Eutychetis blaſphemias; inter *Scripta veterum latina de vna perſona et duabus naturis Domini* etc. ed. a *Ioſua Simlero p.* 74.

1573.

Venetiis. fol. S. Leonis Sermones. Auctor eſt *Ciampinus*, ſed non ſignificat, vtrum ſeorſim, an in collectione aliqua prodierint.

1575—77.

Louanii apud *Hieron. Wellaeum ad interſigne Diamantis, excudente Ioanne Maſio.* 8. *Tomis* II.

D. Leo·

D. Leonis Papae huius nominis primi *epiſtolae decretales et familiares — Sermones* et *Homiliae* — a mendis et maculis variis diligentius nunc repurgatae: per *Canonicos Regulares Sancti Martini Oppidi et Academiae Louanienſis.* Epiſtolae a 1575. Sermones a. 1577. prodierunt. Ad manum eſt non niſi volumen prius, editioni *Petri Caniſii* quoad externa perſimile. Praefatio abeſt. Num alteri volumini addita ſit, neſcio. In ſecunda certe editione omnino deſideratur. Inſcripſit eam tamen *Ioannes Vlimmerius* Prior S. Martini, qui primas partes huius recenſionis ſuſtinuiſſe videtur, *Arnoldo Ganthois* Abbati Monaſterii Marcenenſis, praedicans in epiſtola, data Louanii Calendis Auguſti 1575. Epiſtolarum librum MS. Iohannis Wameſii I. V. Doctoris et Iuris Pontificii in Louanienſi vniuerſitate Profeſſoris.

1578.

Baſileae ex off. Henr. Petri. 8. Leonis Magni epiſtola ad Flauianum Graecolatina, rectae fidei columna; cum *Legatione Imp. Caeſ. Manuelis Comneni ad Armenios* ed. a *Leunclauio* a p. 169—227.

1583.

Antuerpiae apud Philippum Nutium. 8. *Tomis* II. Opera D. Leonis M. — per Canonicos reg. S. Martini etc. ex manuſcriptis codicibus emendata cum indicibus nouis.

Hic eſt titulus tomi primi ſeu ſermonum; epiſtolae inſcribuntur vt in prima. At charta atque characteres nitidiores ſunt ac illius.

1585.

Venetiis apud Dominic. Nicolinum. f. Leonis Epiſtolae Decretales; in *Concilior. omnium* Collectione

ctione per *Catholicos* quoſdam *Theologos* (potiſſimum *Dominic. Polanum* Venet. Ord. Praedic.).

1588.

Lugduni ex off. Iuntarum, f. Leonis Sermones *aliquot;* in *Bibliotheca Homiliarum et Sermonum priſcorum PP. Laurentii Cumdii* ed. et perfecta a *Ge. Moſano.*

1591.

Romae ex aedibus Pop. Rom. exc. Ge. Ferrario. f. S. Leonis I. Epiſtolae Decretales; in Collectione *Epiſtolarum Decretalium Summorum Pontiff.* adornante Card. *Antonio Carafa*, quam publici iuris fecit *Antonius de Aquino.*

Splendidi huius operis, vetuſtiſſimis et Vaticanae bibliothecae, et aliis permultis MSS. codicibus perfecti, copiam nobis deeſſe vehementer doleo. Sed vide infra quae ad mentionem *Collectionis Bullarum Cocquelinianae* docentur.

1569.

Romae typis Congreg. Orat. f. Leonis epiſtolae *aliquot antehac non editae;* in *Baronii Annalibus T.* VI.

Nimirum 1) *ad epiſcopos per Arelatenſem Galliae prouinciam conſtitutos,* in ſequentibus ed. *n.* CVI. ad a. 449. *n.* 16. ex antiquo Codice eccleſiae Arelatenſis. 2) *Ad Rauennium Arelatenſem Epiſc.* ad a. 449. *n.* 62. ex eodem Codice CCVII. 3) *Epiſtola Comprouincialium Epiſcoporum metropolis Arelatenſis* ad a. 450. *n.* 52. ex eodem fonte (CVIII.). 4) *Epiſtola Leonis ad Epiſcopos Comprouinciales metropolis Arelatenſis* ad a. 450. *n.* 57. (CIX.). 5) *Ad Rauennium Arelatenſem Archiepiſcopum* (CCX.) ex eodem MS. pariter vtraque.

SAEC.

SAEC. XVI.

1604.

Moguntiae apud Balthaſ. Lippium ſumpt. Ant. Hierat. 4. S. Leonis Papae epiſtolae *aliquot et alia quaedam*; in *Miſcellaneis Sanctorum aliquot Patrum Graecorum et Latinorum* collectis primum et editis appendicis loco ad *Gregorii Neocaeſ. opera a Doct.* GERARDO VOSSIO *Praep. Tungrenſi.*

Inſunt a *p.* 144—238. ſequentia: 1) *Epiſtola ad Flauianum* Gr. et Lat. cum argumento et ſubiunctis Scholiis Voſſii. 2) *Epiſtola ad Leonem Imp. Auguſtum* Gr. et Lat. cum argum. et Scholiis. 3) *Teſtimonia SS. Patrum* etc. non ſolum latine, vt antea edita erant, ſed et graece, ſicut in antiquis MSS. inueniſſe ſe teſtatur editor. 4) *Epiſtola Petri Epiſc. Rauennatis ad Eutychen preſb. contra errores eius, pro Leone*, Gr. Lat. ex MSS. Vatic. et Card. Sirleti. 5) *Tractatus S. Leonis aduerſus errores Eutychetis et aliorum haereticorum*, incipiens: *Ad eccleſiae filios inſtruendos* etc. (ex Mſ. Vatic. n. 2346.), quem plenius in Scholiis ſubiunctis ex ſtili ſententiarumque ſimilitudine Leoni aſſerit editor. 6) *Edictum S. Leonis ad vniuerſos epiſcopos per Siciliam conſtitutos.* 7) *Epiſtola ad Iulianum Coënſem Epiſcopum.* Vtramque antehac non editam ex MS. Card. Sirleti deſcripſit et vere Leonis eſſe ex dictione et hiſtoricis momentis demonſtrare nititur. Sed qui porro additi ſunt, 8) *De Martyribus*, et 9) *de Abſalone quando Dauid patrem ſuum perſequebatur*, qui in antiquis aeque codicibus ac editis ſuperioribus pro Leoninis vendebantur, eidem abiudicauit. Atque haec omnia Scholiis illuſtrauit Voſſius.

1606.

Coloniae apud Io. Gymnicum et Ant. Hierat. fol. Leonis Papae I. epiſtolae et Decreta, praemiſſa Vita eiuſdem; in *Collectione Conciliorum Severini Binii T.* I. *p.* 935—1009. Inſunt epiſtolae CX. additis ſcilicet quae a Baronio, Voſſioque recens vulgatae erant.

1614.

Hamburgi typis Pauli Langii. 8. Epiſtola Leonis Magni ad Flauianum Graecolatina: ex Manuſcripto Graeco Anonymo, Byzantinae vrbis direptioni ſubtracto, *Graece primum*, Latine vero ipſius Leonis verbis ſeorſim edita, cum praefatione *M. Nicolai Glaſeri.* Addita poſt praefationem ex eodem manuſcripto *Gregorii Thaumaturgi de Sancta Trinitate Doctrina.*

Editor, Scholae tunc Verdenſis Rector, ex Bibliotheca Philippi Sigiſmundi Ducis Brunov. et Luneb. Epiſcopi Oſnabrug et Verdenſis nactus erat MS., in quo Graeca huius epiſtolae verſio cum aliis quibuſdam opuſculis exhibebatur. Erat illud, vt ſcribit, ex Byzantii incendio ſubtractum, ab Hebraeo quodam in Aegyptum, inde in Melitam inſulam, indeque a Rhodio equite in Germaniam tranſportatum, tandemque ab Henrico Schradaeo I. D. Oſnabrug. Proconſule, Bibliothecae Epiſcopali inſertum. Sed cum primum eam in lucem emiſſurus ſibi viſus eſſet, ad finem iam perducta preli opera reſciuit demum, a Leunclauio hunc honorem ſibi ereptum. Contentus igitur fuit ex Leunclauiana editione variantes aliquot lectiones excerptas in calce addere.

* *

Pariſiis apud Claudium Morellum. f. SS. Patrum *Leonis Magni* Romani Pontificis, eius nominis

nis primi, *Maximi Taurinenſis Epiſcopi*, et *Petri Chryſologi Rauennatis epiſcopi*, opera omnia, quae reperiri potuerunt. Vide editionis huius repetitionem proxime ſequentem.

1618.

Pariſiis ſumptibus Sebaſtiani Cramoiſy. fol. SS. Patrum Leonis M. etc. opera omnia. *Editio noua, aucta et recognita.* Sic titulus: enimuero altera haec editio non magis eſt recognita, quam prima, ſed vtraque ad verbum eſt deſcripta ex Louanienſi. Nec veriti ſunt bibliopolae, quorum ſolum hoc eſt inſtitutum, *Vlimmerii* epiſtolam in fronte operis recuſam dare. Mirum vero, qui Queſnellus ſcribere poterat, *integra Leonis Opera* ante annum 1614. edita ſe neſcire, cum tamen *Vlimmerianam* operam probe nouerit. Integriora dici poterant, ſi verum eſt, quod ſcribit, tribus Sermonibus ex veteri MS. Nicolai Fabri Codice, in Bibliotheca Thuanorum tunc ſeruato, eſſe auctiora; nam nobis propter indicis defectum contendere eam cum praecedentibus non licuit. Epiſtolas habet CX. et Tractatum a Voſſio editum *aduerſus Errores Eutychetis.*

* *

Coloniae Allobrog. ſumpt. Ant. Hierat f. Leonis — Epiſtolae et Decreta (CX.); in *repetita Biniana Conciliorum editione.*

* *

Ibidem per eundem. f. Leonis M. Pontif. Sermones de praecipuis ſolemnitatibus Domini et Sanctorum; Epiſtolae decretales et familiares, *ex ed. Louanienſi:* in *Bibl. PP. T.* V. *P.* II.

1622.

Coloniae Agr. ſumpt. Ant. Hierati. f. S. Leonis Papae I. tractatus aduerſus errores Eutychetis et aliorum haereticorum; Eiuſdem edictum de Bonis eccleſiae non alienandis; *it.* Epiſtola de auctoritate Concilii Nicaeni et de non ambiendis pluribus eccleſiis, ex ed. et cum notis *Gerardi Voſſii;* in *Supplem. ad Bibl. PP. Colonienſ. p.* 157.

1623.

Lugduni ſumpt. Claudii Landry. f. SS. PP. Leonis Magni eius nominis primi, Maximi Taurinenſis Petri Chryſologi Rauennatis, Fulgentii Ruſpenſis, Valeriani Cemelienſis et Aſterii Amaſeni Opera omnia, quae reperiri potuerunt. Editio praeter ceteras recognita auctiorque cum Scholiis *Gerardi Voſſii* ad S. Leonem etc.

Satis commode exſcriptum eſt volumen, quod bibliopola Dionyſio Simoni de Marquemont Archiepiſcopo tunc Lugdunenſi dedicauit. Praemittitur Sermonum index, ſed non Epiſtolarum. Indicem locorum biblicorum Leo cum Maximo communem habet. Fallitur autem Queſnellus, dum hanc quaſi repetitionem ed. 1618. commemorat. Videlicet quod textum attinet, vnius omnes ſunt familiae, at quoad bibliopolae inſtitutum valde differunt.

1633.

Lugduni . . . . . . f. SS. PP. *Leonis M.*, Maximi Taurinenſis etc. *Heptas Praeſulum Chriſtiana ſapientia et facundia Clariſſimorum*, edente *Theophilo Raynaudo.* Soc. I.

Heptadem hanc ſcriptorum confecit editor inſerendo collectioni, ante annos decem ibidem apud eundem, vt opinor, bibliopolam publicatae, *Amedeum*

deum Lauſanenſem, qui proxime Aſterium antecedit. Non igitur ad editionem a. 1618. conformata eſt, vt Queſnellus innuit.

1638.

Pariſiis ex off. Morelliana. f. S. Leonis Vita, Epiſtolae et Decreta; in *Concilior.* editione *Biniana*, poſtremae repetitionis.

1642.

Pariſiis ſumpt. Cl. Sonnii et D. Bechet. f. S. Leonis Epiſtola ad Theodoretum. Lat.; in calce *operum Theodoreti Tomi* VIti *p.* 724.

1644.

Pariſiis ex typogr. Regia. f. Leonis M. Vita, Epiſtolae et Decreta; in *Conciliorum Collectione Regia T.* VII. *p.* 49—272. et in *T.* VIII.

1651.

Pariſiis . . . . . f. Leonis opera. Queſnellus tanquam iterationem ed. a. 1618. laudat, ſed, ſi omnino extat, tota Raynaudiana haud dubie in ea recuſa eſt collectio.

1661.

Pariſiis apud *Simeonem Piget (Bibliopol. iuratum via Iacobaea ad inſigne Prudentiae). f. Leo Magnus* Romanus Pontifex, *Maximus Taurin.*, Pet. *Chryſol. Rauenn. Fulgent. Ruſpenſ. Valerian. Cemel. Amedeus Lauſan. Aſterius Amaſen. Heptas Praeſulum Chriſtiana Sapientia et facundia Clariſſimorum.*

Theophilus Raynaudus Soc. I. Theol. priorem editionem, variis ad SS. Leonem et Fulgentium acceſſionibus inſtructam, *octoginta Fulgentii Sermonibus* ex MS. cumulauit. *Cenſuram inofficioſae Cenſurae libri de Praedeſtinatione et Gratia*, S. Fulgentio vendicati, appoſuit: *Valerianum Cemelienſem* accurata

defenſione texit, aduerſus *Parcum Charitatis* criminatorem. *Amedei Homilias* florentiſſimas de Deipara addidit. Hac poſtrema editione D. *Fulgentii* liber tertius de veritate praedeſtinationis et gratiae, antea mutilus, nunc primum prodit omnibus ſuis capitibus abſolutus. Perinde atque D. *Aſterii* Homiliae. Quibus adiuncti ſunt eiuſdem Auctoris *Sermones* viginti omnino longe elegantiſſimi.

Titulum plenum hoc loco proponere malui, ne in ſequentibus per ſingulos auctores diſcerptum conquirere lectores oporteret.

1662.

Pariſiis ſumpt. Ant. Bertier. f. Leonis Sermo in Natiuitatem Domini; in *Combefiſii Bibl. Concion.* *p.* 241.

* *

Romae typis Iacobi Dragondelli. 8. IX. Leonis et aliorum ad Leonem Epiſtolae ex codice ms. Barberino editae inter Acta Synodi Romanae ſub Bonifacio II.; in *Lucae Holſtenii Collectione Romana Bipartita* *pagg.* 103 — 163.

Epiſtolae ſunt ſequentes: I. *Valentiniani et Marciani Augg. ad Leonem.* (in ed. Ballerin. 100.). II. *Leonis ad Marcianum* (ib. 104.). III. *Ad Anatolium* (ib. 106.). IV. *Ad Marcianum* (ib. 136.). V. *Anatolii ad Leonem* (ib. 132.). VI. *Leonis ad Anatolium* (135.). VII. *Ad Anaſtaſium* (ib. 6.). VIII. *Ad Metropolitanos Illyrici* (ib. 5). IX. *Ad Metropolitanos Achaiae* (ib. 13.). Ex his *ſex*, nimirum I. IV. V. VII. VIII. et IX. antea ineditae, nuſquam fere in aliis MSS. occurrunt; ſi a duabus I. et IV. receſſeris. *Quartam* enim *Queſnellus* in *Grimanico*, *Ballerinii* vero in *MS. Ratiſponenſi* deprehenderunt: *primam*

primam autem Arnoldus graece ſcriptam in Bodleiano codice reperit, ſicuti Ballerinii in Vaticano Graeco 1455. Cf. *Balleriniorum* de Collectionibus Epiſtolarum Leonis, quae infra excerpta damus, *obſervata* ad *Collect.* XVI.

1670.

Cygneae typis et ſumpt. Sam. Ebelii. 8. S. Leonis M. Rom. Pontif. eius nominis I. Sermones in Solennitate Natiuitatis Domini noſtri Ieſu Chriſti II. VII. et IX., in *Diuorum PP. veterumque Eccleſiae Doctorum aliquot, qui oratione ſoluta ſcripſerunt, Homiliis ac Meditt. in Feſtum Nativ. I. Chr.* e diverſis ipſorum operibus collectae et peculiariter editae a *Chriſt. Daumio pagg.* 103—121.

1671.

Pariſiis ſumpt. Petri Variquet, via Iac. ſub ſigno Craticulae prope aedes S. Benedicti. f. SS. PP. Leonis M. etc. opera per *Theoph. Raynaudum.* Accedunt huic poſtremae editioni D. *Proſperi* Aqu. Opera etc.

1675.

Lutetiae Pariſiorum ſumtibus Ioh. Bapt. Coignard via Iac. ſub Bibliis aureis. 4. II. *Tomis.* S. Leonis Magni Papae primi *Opera omnia* nunc primum *epiſtolis XXX.* tribuſque de Gratia Chriſti opuſculis auctiora; ſecundum exactam annorum ſeriem accurate ordinata; a Suppoſititiis, Interpolationibuſque, innumeriſque mendis expurgata; Appendicibus, Diſſertationibus, Notis Obſeruationibuſque illuſtrata. Accedunt S. *Hilarii Arelatenſis Epiſcopi* opuſcula, vita et Apologia. Vna prodit e tenebris geminus Codex Canonum et Conſtitutorum Sedis Apoſtolicae.

Ordo contentorum hic eſt. Agmen ducunt libri a Queſnello demum, vt ſupra vidimus, Leoni vindicati, videlicet, *de Vocatione omnium Gentium* l. II. *Auctoritates de Gratia et libero Voluntatis arbitrio*, *Libellus ad Demetriadem Virginem.* Hos excipiunt *Sermones* ſub vna numerorum ſerie ordinati, nec tamen omiſſa prius vſitata numerandi ratione. Fatetur autem, nullum loco ſuo motum eſſe, praeter *tres*, ſcilicet *quartum in Anniuerſario Aſſumtionis ſuae*, *ſextum de Collectis et Eleemoſynis*, et *nonum de ieiunio decimi menſis*, qui olim ex Cod. MS. Nic. Fabri ad Calcem ceterorum erant adiecti, a Queſnello vero iuſtis locis *p.* 110. 121. et 140. ſunt adſcripti. Vnicum Sermonem XCVI. in *Cathedra S. Petri*, inquit, ex Regio Cod. deſcriptum ceteris accenſuimus et accenſuiſſe poenitet: quoniam, etſi tunc temporis ratio id non vna ſuadebat, modo tamen ſtylo et in propria iterum et in aliena trutina ſuſpenſo, prius examen caſtigamus, illumque Leoni abiudicamus. Enimvero hoc quoque iudicium in ſequiore editione reformauit et in prima ſua ſententia ſe accquieſcere faſſus eſt. Huic Sermonum XCVI. ſeriei finem imponunt *praefationes* ex Pontificali Romano ob affinitatem dictionis cum ceteris Leoninis huc repoſitae et appendicula Sermonum, qui, vt ipſi viſum fuit, falſo Leonis nomen in Codd. MSS. gererent, nempe 1) *in natali S. Vincentii Martyris* 2) *de Natiuitate Domin.* 3) *In aſcenſione Domini:* 4) *in Natiuitate SS. Apoſtolorum Petri et Pauli.* 5) Tractatus aduerſus *errores Eutychetis;* atque haec appendicula minori quam reliqua charactere eſt expreſſa. Alteram quaſi Tomi primi partem conficiunt *Epiſtolae* CXLI. in quibus, quae a ſe praeſtita ſint, ipſe ad ſex ſequentia capita refert: 1) Reiecit ſpurias et ſubdititias; 2) A germanis mendorum et inter-

interpolationum maculas abſterſit; 3) Ordinem mutauit et ad genuinum reuocauit; 4) auxit numerum plurium (XXXIII.) acceſſione; 5) Suam cuique, vt in Sermonibus quoque, ſynopſin praefixit; 6) Quotquot ab aliis ad Leonem datae ſunt Epiſtolae, quae ipſius reſponſionibus intelligendis ſaepe ſunt neceſſariae, locis ſuis inſeruit, ita, vt minori charactere facile a Leoninis diſcernantur. Commode vero fecit, quod numerum ipſis non addiderit. Peccatum eſt in hoc ab omnibus fere inſignioribus Patrum editoribus, maximeque Benedictinis, vt continuo cum ſcriptoris ſui epiſtolarum numero exhiberent eas, quae ab aliis ad illum datae eſſent, quod ſaepe euoluenti iſta volumina permoleſtum accidit: inprimis cum indicibus praefixis, in quibus diuerſarum editionum ordines contenduntur, non occurri huic incommodo videas. Vnam ex ante editis epiſtolam, *ad Germaniarum et Galliarum epiſcopos de Chorepiſcopis*, tanquam ſuppoſititiam omnino reiecit: praetereaque ſeptimam *ad Septimium* et decimam ſeptimam ad *vniuerſos Siciliae epiſcopos* ex reliquorum numero expungendos cenſuit, locum tamen eis ſeruauit, ne doctorum iudicio praeiudicare videretur. Adiecta ſunt fragmenta quaedam epiſtolarum et *epiſtola Iuliani Epiſcopi Coënſis*, vnica, quae reſtat. Claudit denique hunc tomum *Vita S. Hilarii Arelatenſis epiſcopi*, ſcriptore S. Honorato Epiſcopo Maſſilienſi illius diſcipulo, Hilarianae apologiae cauſa addita, cui *metrum Hilarii in Geneſin*, et *Epiſtola ad Eucherium* Epiſcopum Lugdunenſem ſubiiciuntur. In *praefatione*, quam *Iohannis Caſſiani ad S. Leonem Rom. Eccl. tunc Archidiaconum epiſtola librorum ſuorum de incarnatione Chriſti contra Neſtorium nuncupatoria* et teſtimonia quaedam de Leone praecedunt, de ſuperioribus Leonis editionibus, et

de ſua opera atque ſubſidiis, quibus ſuffultus eam aggreſſus ſit, luculenter verba fecit. Praefationi ſubiunxit *indices:* 1) generalem contentorum vtriusque tomi, 2) epiſtolarum chronicum, 3) epiſtolarum anteriores editiones cum noua contendentem, 4) alphabeticum epiſtolarum. Rerum index in Leonis ſcripta ad calcem extat vberrimus.

Alter tomus inſcribitur: *Ad Sancti Leonis Magni opera Appendix ſeu Codex Canonum et Conſtitutorum Sedis Apoſtolicae. Diſſertationes, Lectiones Variae, Notae, Obſeruationes, Indices. Tomus II.* Singula eo ipſo ordine, quo in titulo recenſentur, ſe excipiunt, niſi quod lectiones variae, notae et obſeruationes permiſtae inuicem proponantur. Iam de *Codice Canonum* alio loco dicetur. Diſſertationes ſunt XVI., quorum V. poſteriores ad *Codicem Canonum* ſpectant, reliquae Leonem propius attingunt, quas enumerabimus. Diſputatur igitur in I. *De Vita et Rebus geſtis Leonis.* II. *De libris de Vocatione omnium gentium, qui Leoni vindicantur.* III. *De Auctoritatibus de Gratia Dei et libero voluntatis arbitrio eidem aſſerendis.* IV. *De libello ad Demetriadem, quod eiuſdem Leonis ſit, non Proſperi.* V. *Apologetica eſt pro Sancto Hilario Arelatenſi Epiſcopo.* VI. *De Ieiunio Sabbati in Eccleſia Romana tempore S. Leonis praecipit.* VII. *De Cauſa Eutychis Archimandritae CP. appellantis a ſententia Concilii CP. ſub Flauiano Epiſc. Cp. exponit.* In VIII. *de cauſa Flauiani Epiſcopi CP. appellantis a ſententia Pſeudoſynodi Epheſinae;* in IX. *de cauſa Domni Epiſcopi Antiocheni depoſiti in eadem Pſeudoſynodo, et de Maximi in eius locum ordinatione;* in X. *de cauſa Theodoriti Epiſcopi Cyri appellantis ab eiuſdem Pſeudoſynodi ſententia* agitur. XI. *Epiſtolam de Privilegiis Chorepiſcoporum ad Germaniarum et Galliarum*

liarum Epiſcopos Leonis nomine confictam eſſe contendit. Poſt Diſſertationes notasque, *addenda quaedam in vtroque Tomo et notitia aliquot Epiſtolarum S. Leonis et aliorum monimentorum, quae perierunt*, ſequuntur.

Deſcriptio totius operis eſt elegantiſſima. Chartae maximi moduli, denſae et pellucidae tamen, characteres nitidiſſimi. Lectorum commoditati vbique proſpectum eſt, inprimis in Epiſtolis, appoſita in ſumma paginae ora chronologia, et vbique notatis in margine grauioris momenti, quae quidem Pontificiis aeſtimari ſolent, ſententiis, quibus paſſim lectiones varias et loca biblica interſperſa invenies. Singularis exempli eſt dedicatio operis, qua ipſi Leoni Magno illud conſecratur, et raro ſane acumine cuncta Leonis praeconia, tum ex vita geſtiſque et ſcriptis eius, tum ex coaeuorum et omnis poſteritatis ipſiusque Queſnelli de eo iudiciis collecta, ad formam inſcriptionis lapidaris redacta ſunt. Quatuor paginarum ſpatia exaequat, additis in margine locis ſingulis, vnde quaeque ſint petita. Scilicet Queſnellus cum non poſſet non ſentire, quantam inuidiae nubem, quantoſque aduerſarios in ſe concitaturus eſſet libertate ſua iudicandi et inueteratos errores oppugnandi audacia, hac quaſi fidei formula contra laeſi numinis pontificii calumniam ſe tueri voluiſſe videtur.

Ex his autem, quae hactenus de huius editionis contentis atque inſtructione enarrauimus; facile quidem, etiam abſque monitore patet, quanto ſpatio ea omnes ſuperiores poſt ſe relinquat, immo quantopere omnes omnium patrum tam Graecorum, quam Latinorum, quae ad hunc vſque annum comparuerunt editiones, ingenii et doctinae copiis ſtudiique impenſa antecellat. Quapropter haud opus eſſe arbitramur

tramur ſpecioſa teſtium inductione, vt probetur, quam honorofice vtriuſque eccleſiae docti de eadem ſenſerint ac iudicarint. Nec ſane catholicis ſcriptoribus religioni eſſe debet, iuſtam ipſi, quamuis atro in Romana Curia carbone notatae, laudem tribuere, nouiſſimorum editorum exemplo, qui digna meritorum Queſnelli commendatione et aequi et perfecti arbitri perſonam ſuſtinuerunt, neque aliter, quam ex iuſta aduerſarii virium aeſtimatione et maiorum conſcientia victoriam ſperandam eſſe docuerunt. Quod itaque inſtar omnium eſſe poſſit, Ballerinioꝛum de Queſnelliana iudicium hoc loco apponere haud poeniteat. „Quae, quantaque ſit ea Leonis editio, *inquiunt in praefatione generali p. XIII.* quam ſummo ſtudio curauit Paſchaſius Queſnellus, illi ſoli ignorare queunt, qui editionem eius ignorant. Si textum expendas, qui in aeſtimandis veterum editionibus primum et potiſſimum ſpectandus eſt, et in quo quaeritur, num ſit emendatus ac ineditis opuſculis auctus; plures ille ac praeſtantiſſimos codices nactus eſt, quorum praeſidio multa loca in anterioribus editionibus deprauata feliciter correxit et epiſtolas Pontificis, quae inter ipſius opera ſacrae hiſtoriae vtiliores ſunt, ex vno Grimanico ms. octo et viginti antea ineditis augere epiſtolis potuit. Praeterea alia quaedam adiecit inedita, inter quae maxime celebris eſt antiquiſſima illa Canonum et Epiſtolarum Romanorum Pontificum Collectio, quae Dionyſianae nihilum cedit, vetuſtiſſimique canonici Iuris ſtudioſis maximo adiumento eſt. Si vero ipſius editoris lucubrationes textui, vel rebus illuſtrandis inſertas conſideres (id enim alterum eſt, quod in editionibus quaeritur;) quaenam editio Patrum tot *vnius* *) editoris obſer-

*) Non legerunt itaque Ballerinii, aut ſi legerunt, tanquam

obſeruationibus, admonitionibus, notis et diſſertationibus locupletata inuenietur, quot illa Leonis quam Queſnellus typis impreſſit? Quae enim eiuſdem Pontificis opera paruo volumine, formae, vti vocant, octauae, vel quartae, in antiquis editionibus comprehendebantur, ob Queſnelli additamenta duos implent non exiguos tomos in folio. Quem porro non moueant tantum ſtudium in Leone edendo ab eo ſuſceptum et nauiter impenſum, *qui praeſtanti ingenio et multa eruditione ornatus, plurimum poterat*, quique priorem editionem nouis curis recognitam poſt viginti quinque annos recudit auctiorem, adeo vt limata et perfecta, quantum per eum fieri potuit, iudicari debeat?" Quae in eo reprehendi ſolent ad haec tria fere redeunt capita. Primo arguitur negligentiae in vſu codicum et quidem a ſummis viris et in antiquorum librorum ſtudio peritiſſimis Baluzio et Couſtantio; deinde accuſant libertatem eius, qua interdum textum nullo allegato codice emendat. Omnium vero grauiſſima reprehenſio haec eſt,

tanquam fabulam contemſerunt, quae *Richardus Simonius* in *Critica Bibliothecae Dupinianae* v. *Leo T.* 1. *p.* 190. *ſq.* de Queſnello eiuſque hac opera ſerio, vt videtur, vultu refert, nimirum, non Queſnellum ſolum, ſed plures, et in quos illud: *ſumus legio* quadret, huius editionis fuiſſe auctores. Queſnellum ſolummodo per multos annos ea, quae a pluribus intra Pariſios viris doctis accepiſſet, collegiſſe, et quia latine ſcribere neſciret, vernaculo ſermone compoſuiſſe, deinde docto alicui Hiberno, qui olim fuerat Oratorii eius ſocius, tunc vero Rhetoricam in Collegio Bellouacenſi docebat, in latinum dediſſe transfundenda. Vitam Leonis autem traduxiſſe *P. Gerardum Dubois*, eidem ſodalitio tunc adſcriptum, eundem que inuito Queſnello duriora nonnulla eius in Romanam ſedem enunciata inter traducendum mutauiſſe.

eſt, quod minime veritus ſit falſarum doctrinarum patronum ſe in iſtis ſuis lucubrationibus fateri et non tam Leonem, quam Romanae ſedis praerogatiuas, nunc palam nunc latenter impetere. Quod poſtremum tanto in ipſo fuit inuidioſius, qui non occultas iamiam odii ſui in Societatis Ieſu aſſeclas ſignificationes dederat, animumque vix a partium ſtudio liberum gerere videbatur. Ac profecto noſtrae etiam eccleſiae homines, qui acerrimum quemque Romani Pontificis iurium impugnatorem prono fere ſemper ſtudio amplexi ſunt, infitiari non debuiſſent, Queſnellum animo interdum indulſiſſe, et modo contendendi impetu abreptum, modo ſtudioſe nimis vulgatis opinionibus contraria ſectantem talia ſcripſiſſe, quae plus ſpeciei, quam ſoliditatis habent. Quod priora attinet, dubium quidem non eſt, quin iuſte a ſummis viris Baluzio et Couſtantio ſit reprehenſus, et vel illa, quam modo notauimus, argumentandi eius ratio aeſtuans magis quam ſobria, non diligentiſſimum vbique criticum arguit. Sed caueamus, ne, quod culpa eius acciderit, in fraudis et maleuolentiae ſtatim ſuſpicionem trahamus. Etenim in cognoſcendis atque diſcernendis tot editionibus impreſſis, examinandiſque et conferendis codicibus mss. in tam arduo de genuinis atque ſuppoſititiis ſcriptis iudicandi, tam implicato circa annorum rationes conſtituendas negotio, tam multifario rerum, quas attendere debebat minutarum nexu, quis errare potuiſſe mirabitur et quis delaſſato aut nimis ſubinde perſpicaci veniam denegabit? Illud denique non celabimus, diſſertationes Queſnelli eſſe fere prolixiores et per ſingula facta circumductas, ſaepe etiam in cauſſis Leonem remotius attingentibus diſtineri.

1677.

Luteciae Pariſiorum apud Franc. Muguet. 4. Leonis Papae Epiſtolae quaedam et aliorum ad eundem antehac fere omnes ineditae, *e codice ms. Regio* depromtae a *Ioh. Bapt. Cotelerio;* in *Monumentis Eccleſiae Graecae T.* I. *pagg.* 50—65.

Inſunt: 1) *Epiſtola Flauiani CP. ad Leonem Rom.* ex mss. Reg. 1026. 2614. 2) *Leonis Papae et Romanae Synodi Epiſtola ad Pulcheriam Auguſtam*, ex ms. Reg. 1026. 3) *Leonis Synodica ad CPtanos*, ex eodem codice. 4) *Hilarionis ſeu Hilari Diaconi Epiſtola ad Pulcheriam*, ex eodem ms. 5) *Gallae Placidiae Epiſtola ad Aeliam Pulcheriam*, ex eodem ms. 6) *Leonis Rom. Epiſtola ad Archimandritas CPtanos*, ex eodem codice. 7) *Fragmentum Epiſtolae Anatolii CP. ad Leonem Pontif. Romanum*, ex ms. Reg. 940.

* *

Lugduni apud Aniſſonios. f. Leonis M. Sermones de praecipuis ſolemnitatibus Domini et Sanctorum; Eiuſdem epiſtolae decretales et familiares ad diuerſos; Item tractatus aduerſus errores Eutychetis et aliorum haereticorum; in *Bibl. PP. Max. Tom. VII.*

1687.

Pariſiis et typogr. Regia. fol. Decreta Leonis Papae XLIX. in Collectione Dionyſii Exigui recuſa in *vet. Codice Canon. Eccleſiae Rom. Franciſci Pithoei* nouae editionis *pagg.* 228—49.

1700.

Lugduni apud Ioannem Certe bibliop. in vici Mercatorio ſub ſigno Trinitatis. fol. *Tomi* II. S. Leonis

Leonis M. Papae I. opera omnia, nunc primum Epiſtolis XXX., tribuſque de Gratia Chriſti opuſculis auctiora etc.

Iteratio Queſnellianae recenſionis. Mutauit in leuioribus quibuſdam auctor ſententiam ſuam, ſed non in iis, quae impio furore contra ſedem apoſtolicam debacchatus eſſe criminabatur. A pagina 195—202. Tomi primi inſertum eſt: Opuſculum de *Vocis Correctione* in *Sermone VII. Sancti Leonis Magni de Natiuitate Domini* Γϱαμματιȣ Δωϱηματιων (ſic) *ſiue Litterulae Munuſculum, quod Reverentiſſimo patri Eraſmo Gattola a Caieta, incliti Monaſterii Caſinenſis Monacho, ac Decano et Vic. Gen. nec non a Bibliotheca, dono dat et offert* Ioannes Clampinus *Romanus Magiſter Breuium Gratiae ac in vtraque Signatura Referendarius Romae M. DC. XCIII. ex typogr. Io Iac. Komarek Boemi apud S. Angelum Cuſtodem:* in quo auctor vocem *Arae* in laudato Sermone corruptam eſſe contendit et ex Codicibus MSS. legendum demonſtrat *Areae* ad ſignificanda ſpatia, quibus ſcalarum, per quas aſcenſus in Baſilicam D. Petri detur, ordines diſtinguantur. Emendatio ſane certiſſima; quapropter a Queſnello abſque vlla haeſitatione in textum pag. 81. addito auctoris elogio, eſt recepta. Ex hac epiſtola porro hauſimus notitiam quarundam ſermonum Leonis editionum, quas aliunde mihi innoteſcere haud memini. Sed lectores non celare debeo, id quod ſingulis in locis etiam, vbi eas proponimus, monui, fidem viri in hoc non ſatis mihi eſſe exploratam. Quod reliquas huius repetitionis dotes attinet, indices paulo copioſiores nacta eſt, inque his nouum *librorum, eorumque Capitum, Sermonum, Epiſtolarum, earumque Synopſewn,* et aliorum *omnium Tomi primi titulorum*, quo prior editio aegre caret. Enimvero

vero diſplicet, eoſdem, qui tamen ex ſuperiore maximam partem ſunt repetiti, in vtriuſque tomi titulo magna cum pompa oſtentari. Denique deſcriptio operis facta eſt luculento charactere, binis per paginam columnis, in charta neutiquam contemnenda.

Saec. XVIII.

1739.

Romae typis S. *Michaelis ad Ripam* ſumpt. *Hieron. Mainardi. f.* S. Leonis Epiſtolae Decretales; in *Collectione Ampliſſima Bullarum Pontif. Rom. ed. Carolo Cocquelines*, *Tomo* I. a *pag.* 25 47.

Numerus contentorum eſt XIX. Sunt vero iuxta Queſnelli ordinem hae: I. II. III. V. VIII. XII. XV. XVI. XVII. XIV. XCVII. XXIX. XLVII. L. CXXXV. LXXVII. LXXXVII. CXXIX CXXXVI. Ab initio ſtatim editor ſubiecta ad primam epiſtolam notula monet, ſe omnes ex *Antonii Card. Carafae Epiſtolis Decret. Summor. Pontif. Tomo* I. depromſiſſe, additque ſtudio huius Cardinalis, qui ſcilicet Codicibus Vaticanis adiutus fuit, admodum diſſimiles eſſe redditas iis, quas Canoniſtae et Operum S. Leonis Collectores ediderint.

1741.

Venetiis apud Auguſtinum Sauioli. f. Sancti Leonis Magni Pontificis Opera omnia ad MSS. Codicum fidem emendata. Accedunt opera *Maximi Taurinenſis.*

Parum cognita editio, et cuius vix vnum exemplar trans Alpes migrauit. Merito quidem ſuo, ſi noſtrates mature bibliopolae nequitias olfecerint, qui Codices in titulo venditauit ad emtores frequenter alliciendos; reuera opera Leonis, quae in Queſnello

exhibita ſunt, additis eiuſdem ſuper tribus Leoni primum ab eo vindicatis opuſculis diſſertationibus, recudit, et, ſi *Cacciario* fides ſit, quae nobis non videtur ei deneganda, innumeris operarum vitiis foedauit. Nec vero palam eum ferre putes Queſnelli diligentiam. Immo ipſe contemnens lectorum iudicium Queſnelli perſonam induit, et quae ille ſcripſerat *a ſe demum Leoni vindicata*, quaſi ſua (bibliopolae ſcilicet) opera *nunc primum vindicata et ad manuſcriptos codices denuo emendata* profert. Hac ipſa denique impudentia ſua legentibus iocum dedit, dum elogio Leonis a Queſnello condito et hic pariter eadem pompa recuſo in locum nominis Queſnelli ſubſtituit: *Deuotiſſimus* et *obſequentiſſimus Cliens Auguſtinus Sauioli.* Ceterum meminerint lectores, ab eodem bibliopola *Petri Chryſologi* opera iuxta editionem priſcam eſſe recuſa, quod *Fulgentio* pariter accidiſſe in ſequentibus diſcent.

1748.

Venetiis apud *Andream Poletti. fol. Tomis II.* S. Leonis opera, — Accedunt Codex Canonum Eccleſiae Romanae — et *Sermones* et *homiliae S. Maximi Epiſcopi Taurenenſis* ad MSS. Codices denuo caſtigati et aucti.

Curator huius editionis fuit *Andreas Polettus*, Venetus item Typographus. Ex eo primum diſcimus, priorem Auguſtini Sauioli editionem, quamuis miſere conſarcinatam, tam frequenti tamen emtorum concurſu eſſe diſtractam, vt exemplaria iam deſiderarentur. Quocirca cum ex re ſua exiſtimaret, denuo Leonis opera prelo committere, ipſe tamen nefas eſſe reputaſſet, Sauioli exemplar temere exſcribere, doctorum virorum conſiliis ductum ſe aſſeverat, vt aliud melioris notae et acceſſionibus auctum exem-

exemplar repraeſentari curaret, id quod non aliud, quam ipſius Queſnelli editio Pariſienſis fuit, demtis tamen aliquibus et additis inuicem, quae in titulo ſignificantur. Illud tamen ſcias, non Queſnellum, ſed tantum Pariſienſem editionem eum appellaſſe, iuſtone metu, an vt homines parce doctos ſed tanto religioſores ſimulatione hac falleret, non diſceptauerim. *Tomus primus*, pariter ac Queſnellianae editiones, continet Sermones in varia capita diſtinctos, praefixa ſingulis Synopſi, qua a Pariſino editore primum inſtructi ſunt; epiſtolas deinde totidem, eodemque ordine ac diſtributione, fontibus vnde nouae illae ductae eſſent Queſnelli verbis indicatis. Nec tria illa opuſcula, quae in Pariſina editione Leoni primum tributa ſunt, repudiauit, in hoc ſolum ab ea recèdens, quod non in fronte reliquorum, ſed ad calcem potius addiderit, ſubiectis ſtatim tribus, quae ad eadem ſpectant, diſſertationibus. Contra quae ad primum tomum acceſſerant in Pariſina, *Vita Hilarii auctore Honorato*, et reliqua, hic in tomo altero poſt *Codicem Canonum* exhibentur, iiſque denique ad voluminis complementum, quoniam reliquae Queſnelli diſſertationes omiſſae ſunt, *Maximi Sermones* ſuccedunt.

Iam ſi quaeratur, quale nomen pretiumque operae huic Poletti ſtatuendum ſit, vt lubet *expurgatam* ſeu *mutilatam Queſnelli editionem* recte appellaueris. Nam non ea ſolum, quae modo indicauimus, de Pariſina demta ſunt, ſed multa etiam ex animadverſionibus et admonitionibus ipſius fruſtra hic expectes. Atque hoc praecipuum eſt, quod in laudibus illius ponit *Petrus Thomas Cacciari*, ſequentis auctor, cui huius aeque ac praecedentis Venetae notitiam vnice debemus. Is vniuerſe quidem reprehenſione ſumma et dixerim paene deteſtatione dignum

cenſens, quod e Queſnello aliquid in ſuam deriuare inſtituerit Polettus, tum eo magis ei ſuccenſendum arbitratur, quod famae, quae de ſuo (Cacciarii) molimine nouae editionis ſpargi coepiſſet, nullam rationem habuerit: atque ea ſolum in meritis eius ponit, quibus a Pariſina editione receſſit. „Inprimis illud minime poſſumus diſſimulare, inquit, Typographum Polettum aliquam ex eo laudem ſibi comparaſſe, quod non praecedentem Sauioli editionem exſcripſerit, quam innumeris typographiae mendis ſcatere ipſi, et quotquot eam luſtrarunt, iure meritoque conqueſti ſunt. Alia porro laus, quam Polettus comparauit ſibi, ea eſt, quod ſcilicet in ſuam Venetam editionem quam plurimas Queſnellianas animaduerſiones minime intulerit, et admonitiones, quae vt plurimum, aut Leoninis ſenſis, aut eccleſiae ritibus, aut eccleſiaſticae hierarchiae ordinibus, vel demum etiam Catholicae fidei regulis repugnant, reſecarit: cuius quidem generis obſeruationes et monita, quae in vtraque Gallica Queſnelli editione legenda occurrunt, prorſus in illa deſiderantur, quam Polettus vulgauit: qui in ſuis nouis typis et Queſnellianas duntaxat ſynopſes et Leonis textum attendens, prout ille in Galliis lucem adſpexit, tantam ſibi blanditus prae ſe ferre puritatem, vt caſtigatior atque limatior prodire minime poſſit.“ Ob vtrumque porro acrius in ipſum calamum diffuſa Queſnelli confutatione ſtringit Cacciarius. Sed quod ex proprio magis inſtituto hoc facit, de eo poſt videbimus. Illud vero eius de Poletto iudicium incautius nobis viſum eſt, quo reprehendit, quod tres laudatas Queſnelli diſſertationes ſuſcipere non grauatus fuerit, *nulla interim mentione facta Scriptorum illorum, qui totis neruis Queſnello ſeſe oppoſuerunt ad praeiudicatas eiuſdem opiniones refellendas*, et porro *quod*

Codicis

Codicis Canonum auctoritatem ab aliis ſcriptoribus eleuatam magni fieri dixerit a Petro Couſtantio in praefatione ad epiſtolas Pontificum Romanorum, ſeque lectorum votis conſuluiſſe profeſſus ſit, vt opus illud qualecunque alibi quaerere non cogerentur. Egregie ſcilicet rei ſuae conſuluiſſet bibliopola, ſi litium iſtorum commemoratione ſcrupulum hominibus ſuperſtitioſis inieciſſet. — Grauior haud dubie reprehenſio ea eſt, quod plurimis typorum erratis opera Poletti laboret et manifeſta nimiae feſtinationis veſtigia oſtendat, cuius exemplum prodit admodum turpe, nempe *Tractatum S. Leonis aduerſus errores Eutychetis aliorumque Haereticorum* bis iiſdem verbis et eadem epigraphe ſemel pagina 102. iterumque pagina 309. excuſum.

1751.

Bononiae apud Hieron. Corciolani et H. H. Colli. 4. Sermo S. Leonis de Quadrageſima, incipiens *Dilectiſſimi nobis, fides noſtra nos admonet,* cum annotationibus *Io. Chryſ. Trombelli* cum aliis tribus *de Reſurrectione Domini*, in *Feſtiuitate S. Pauli*, falſo eidem adſcriptis, et vno *de Abrahae filio* incerti auctoris, forte Leonis eiuſdem, ex codice Bononienſi; in *Opuſculis Vet. PP. Lat. ſ. Anecdotis a Canonicis Reg. S. Saluatoris Bononiae euulgatis Tomo* II. *P.* I. *pagg.* 233—53. Nullus omnino, nec prior ille *de Quadrageſima*, vt Trombellus inſcripſit, Leonis eſt, docentibus Balleriniis in diſſ. *de Sermonibus Leoni M. ſuppoſitis.*

* *

Romae ex typographia Antonii Fulgonii apud S. Euſtachium. fol. Exercitationes in vniuerſa S. Leonis Magni opera pertinentes ad Hiſtorias Haereſium

Manichaeorum, Priſcillianiſtarum, Pelagianorum atque Eutychianorum, quas ſummo ſtudio ac labore SS. Pontifex euertit atque damnauit, et dicatae ſanctiſſimo Patri Benedicto XIV. Pontifici Maximo a *Fratre* PETRO THOMA CACCIARI, *Carmelita, in Collegio Vrbano propagandae fidei ſacrae Theologiae Polemicae Lectore*, *et Romani Cleri Examinatore Apoſtolico.*

Leonis operum editionem Anti - Queſnellianam iam pridem non intra animum ſolum voluerat *Cacciarius*, ſed expectari etiam ex aliquo tempore iuſſerat. Attamen cum diutius protrahi illa videretur, quod ipſe iuſtis cauſis, muneris ſcilicet auocationi, et ipſius negotii grauitati tribuit, et iam cauillationibus ab iis, quibus vel impar huic ſpartae aeſtimaretur, vel totum conſilium diſpliceret, peti coeptus eſſet: hiſce tandem editis diſſertationibus et inuidos rumores diſpellere et viam apud aequiores ſibi praemunire ſtuduit. Hoc ergo prae ceteris ratio poſtulat, vt quo in Queſnellum affectus ſit animo oſtendamus. Tria autem potiſſimum ab eo commiſſa grauiter conqueſtus eſt. Primum, quod plura a genuino textu abhorrentia intulerit; deinde, quod multa admiſcuerit Eccleſiaſtico agendi ordini ac rationi minus conſona et, quod grauius, a Catholica regula plane aliena: adeo, vt non tam medelam Pontificiis ſcriptis adhibuiſſe, ſed ea grauiter vulneraſſe videatur; tandem quod non ſolum omnia monumenta non collegerit, ſed alia de induſtria praetermiſerit, alia vero, vtpote aduerſa ſcopo, quem forte ſibi propoſuerat, tanquam omnino ſuppoſititia, vel certe, vt ſuppoſitionibus referta reiecerit, vel mutilauerit. Ita ſummatim ſeſe habent Cacciarii in Queſnello repreheпſa, diſtinctius autem ſic perſequitur. *Queſnellus*, inquit, *acerrimo pollens ingenio, valde facilis ad contentio-*

*tentiones, et iurgia excitanda; omnino promptus ad aequivocationes et fallacias conſtruendas, alium ſibi ſcopum propoſuit, praeter illum, quem Catholici cuncti, et praecipue ſuae gentis homines habuerunt, in adornandis caſtigandiſque veterum PP. voluminibus. Ipſe namque, quandoque clariora Sancti Pontificis loca obſcuris, aequiuocis, falſiſque adnotationibus foedauit: alia ad prorſus violentas interpretationes detorſit; veritatem fallaciis occuluit, oppreſſit, atque perpetuo praetextu antiquitatis inquirendae et illuſtrandae ea ſyſtemata ſenſim et vbique ſtabilire ſategit, quae haereticorum partibus fauent, et ſacrae Eccleſiaſticae Hierarchiae regimen deiiciunt; pene quandoque etiam abolita, aut ſaltem imminuta Romanorum Pontificum vera et legitima iuriſdictione ſuper omnes alias Eccleſias, etiam Orientis. Alium interim tamen ſe eſſe ſimulauit. Quandoquidem in ſuis ſcribendis operibus, et in Leoninis adornandis ſcriptis, multo artificioſo conatu vſus eſt, reuerentiam, pietatem, cultumque erga Romanos Pontifices, et Apoſtolicam Sedem affectando, vt incautos deciperet, et occulti hoſtis quam ſaepiſſime partes agendo, poſt ſplendidum verborum apparatum, illas veneno adſperſas propoſitiones eructat, quae erronea, et in omnibus commentitia eius ſyſtemata falſo aliquo veritatis colore induere poſſe arbitrantur *).*

*) In praefatione ipſis operibus praemiſſa eandem querelam ſic effert. *Tantum abeſt, vt Queſnellus Eccleſiaſticae et Literariae Reipublicae haec beneficia contulerit,* (vt ſcilicet Leonis ſcriptis primigeniam integritatem et nitorem, quemadmodum profeſſus eſt, redonaret) *vt ipſum potius textum compluribus in locis grauius vulnerauerit, in aliis ad violentas omnino interpretationes diſtorſerit, et in nonnullis denique eundem minus Catholice explicauerit; ita vt eius*

In hac ergo rerum conditione cum ingens laborum onus humeris ſuis impoſitum exiſtimaret, cum textu a falſis et corruptis lectionibus purgando et ad priſtinam integritatem reſtituendo, id, quod Synopſes etiam a Queſnello ſtudioſe temeratas poſtulare affirmat: tum augendo aliqua genuinorum operum acceſſione eaque, quae non niſi praua et ſubdola mente ab eo Leoninis inſerta eſſent (intelligit libros *de Vocatione gentium*, *Auctoritates ſedis Apoſtolicae de Gratia*, *et Epiſtolam ad Demetriadem*, item *Codicem Canonum Eccleſiae Romanae)* eliminando; neque tamen plene ſe conſecuturum ſperaret quod cupiebat, nempe vt omnes Queſnelli venenatos aculeos retunderet, quorum plurimos et grauiſſimos in eius diſſertatione *de vita et rebus geſtis Leonis M.* ſupereſſe ſibi perſuaſerat: huc praeſertim ſelectiſſimas doctrinae ſuae copias conuertere et ingenii neruis intentiſſimis contra ipſum in hoc exercitatiorum campo deproeliari decreuit. Sed audi ipſum: *Inter illas diſſertationes fucato colore Eccleſiaſticae traditionis et Leoninae doctrinae illuſtrandae, a Paſchaſio Queſnello conſcriptas, principem locum habet illa:* De vita et rebus geſtis S. Leonis Magni. *Multis fraudibus enim magis, atque commentis totam hanc diſſertationem, et caeteras ſubſequentes eſſe refertas, vix intelligere potuiſſem, ſi in illis percurrendis ſemper ad ipſum Leoninum textum non prouocaſſem, vt rerum veritatem inſpicerem. At cum tanto artificio ipſe vti ſoleat, vt ſenſim lectores etiam probos et optimos in prauas ſuas opiniones pertrahere poſſit, hosque multis praeiudiciis imbuere, plurimum mihi laborandum fuiſſe praeſens hoc opus indicabit. Vix enim enarrare poſ-*

eius ſtudia et labores nonniſi in S. Leonis *iniuriam, Eccleſiae Catholicae perniciem et in Acatholicorum praeſidium atque fauorem redundauerint.*

poſſum, ſtudium adhibitum in exaggeranda ſua erga S. Leonem et Apoſtolicam Sedem deuotione animique pietate, quam teſtari ſe ſimulat ornata quadam oratione vel in huius laudes excurrendo, vel Leonina geſta atque ſtatuta cum aliorum Epiſcoporum doctrina, pietate, religione Clariſſimorum operibus ſimul comparando, vel in medium interim adducendo quarundam particularium Synodorum regulas, quae ante Leonis aeuum alicubi obtinuerunt, quibus ſubeſſe et inſiſtere Summum Pontificem debuiſſe aſſeuerat. Quid enim? Aliquando talem, tantumque eruditionis apparatum ad ſuos lectores delectandos conſtruxit, ſenſim ſuſque deque antiquas Eccleſiae res vertit, perturbauit, miſcuit, vt ne vix quidem appareant illicia, quibus vſus eſt ad praua ſua ſyſtemata inſinuanda atque firmanda; ſibi forte blandiendo, in ſacris et Eccleſiaſticis rebus pertractandis hominum ingenia, et dicendi arte et philoſophicis coniecturis potius, quam rerum veritate et rationum pondere perſuaderi poſſe. Qualis autem quantaque diligentia, et animi attentio, ne deciperer, adhibenda mihi fuerit in percurrenda hac, aliiſque Queſnelli diſſertationibus, nemo facile poterit intelligere, niſi ii forte, qui in conſcribendis eruditiſſimis Commentariis, ad Eccleſiaſticas res pertinentibus, me praeceſſerunt. Quemadmodum nouiſſime factum fuiſſe a Cl. Viro Ioanne Antonio Bianchi ii norunt, qui eiuſdem ſex volumina de Eccleſiae poteſtate aeſtimarunt. Is enim in familiaribus colloquiis inter nos habitis, non ſemel teſtatus eſt, alium nunquam ſcriptorem legiſſe, qui tot ſimulationibus, et artificiis vteretur praeter Queſnellium. Quippe qui cum aliquando ſe facile perſtringi et iugulari poſſe perſenſit, ſtatim quaſi anguis elabitur, et ex vna ad aliam, vel plures quaeſtiones progrediens, vera incertis et aequivocis admiſcuit; et rurſus falſa, et

erronea, dubiis et probabilibus interſerit et implicat, vt ad ſibi praefixum ſcopum perueniat. Non igitur ad eliminanda ſolum e Leonis operibus tot commenta, fallacias atque nugas, et ad aſſerenda Sedi Apoſtolicae ſua legitima iura ſufficere poterat illorum textum nudum et ſincerum vndequaque ab omnibus mendis, aequivocis et falſis interpretationibus expurgatum exhibere, verum etiam opus erat, ordinata methodo quaſdam exercitationes conſcribere, quibus haud exiguum lumen Leonis geſtis, Apoſtolicae Sedis iuribus et Eccleſiaſticae regiminis formae, et ordini afferri poſſemus.

Scilicet enarrandam ſibi ſumſit earum haereſium, vel praecipuarum certe hiſtoriam, *quae tempore, quo S. Leo ad ſummum Pontificatum fuit aſſumptus, ad vitae ipſius exitum vſque Catholicae Religioni vim intulerunt, et Occidentem atque Orientem infeſtarunt. Propterea,* inquit, *vt ſuorum munerum partes impleret, et Chriſtianam fidem cuſtodiret, omne ſtudium ac laborem eum impendere oportuit ad ſedandas ſaeuiſſimas tempeſtates, quae diabolico furore debacchante fidei exitium promouebant, Chriſti imperium et Romanam Eccleſiam vexabant, de quibus omnibus eas victorias ipſe ſummus Pontifex reportauit, quas Divo Petro, huiuſque ſucceſſoribus Chriſtus Dominus in Scripturis promiſerat.* Igitur duobus libris *de Manichaeorum*, vno de *Priſcillianiſtarum*, libro vno *de Pelagiana*, libris itidem duobus *de Eutychiana* haereſi et hiſtoria, copioſum ſermonem inſtituit. Ac Manichaeiſmi hiſtoriam ab ouo inde pertexere coepit, fortaſſe non ex primo conſilio. Etenim iam abſolutum ſibi fuiſſe hoc penſum ſcribit, cum ab amico monitus, Belſobrii libellum in manus ſumeret telamque iam pertextam denuo ſibi retractandam eſſe intelligeret. Hinc Belſobrium magis quam

quam Queſnellum in his libris debellat. Contra in Pelagiana hiſtoria ea ſolum, quae Leonem attingerent, ſpectauit, omninoque in ſingulis quae Leonis partes vel ſcriptis vel factis fuerint, inſigni in loco ponit. Iam cum ſatis ingenium conſiliumque viri hiſce ſpeciminibus declarata eſſe reor, ad ipſam operum Leonis editionem progrediamur.

1753—55.

Romae apud Ioſephum Collini. fol. Tomis II. S. Leonis Magni Papae primi opera omnia ad manuſcriptos Codices emendata, nouis monumentis aucta, notis et obſeruationibus adornata ſtudio *F.* Petri Thomae Cacciari *Carmelitae.*

Nimirum tria illa, quae in editore requirunt Ballerinii iuxta verba eorum ſupra producta, vt editionem praeſtet emaculatam, nouis ſcriptis auctam et illuſtratam, Cacciarius quoque in hiſce voluminibus effeciſſe ſibi viſus ac pollicitus eſt. Quippe emaculatam et locupletatam dedit ex codicibus maxime Vaticanis, quapropter *Romanam* appellari cupit, illuſtratam autem praeterquam Exercitationibus praeuiis, in notis iamiam textui ſubiectis, quae cum fere omnes contra Queſnelli opiniones atque aſſerta diriguntur, idcirco *Antiqueſnelianam* non immerito ſuam editionem audire praedicat. Reſciſſis igitur libris, quos nouo exemplo Leoni vindicatum iuerat Queſnellus, reſciſſo quoque Codice Canonum et Conſtitutionum Sedis Apoſtolicae, *primo Tomo* Sermones, cum nonnullis aliis monumentis de re liturgica ex Miſſali et Ordine Romano et Codice Sacramentario deſumtis, *altero* Epiſtolas ſolas complexus eſt. Ac in Sermonibus quidem non vna profecto ratione Queſnellum deſeruit, reſtituendo non ſolum ſuperiorum editorum ordine, quem a veteribus quoque

Colle-

Collectoribus in manu exaratis archetypis ſeruatum obſeruarat, et Synopſes, qnas illi concinnauerant, ſed textu paſſim ad mss. fidem immotato, et, vt ſibi quidem perſuaſit, emendato. Et quod varias lectiones attinet in editis et mss. libris deprehenſas, nuſquam vulgatas ab aliis editoribus ſubduxiſſe et nouas intuliſſe ſe affirmat, niſi tum, cum ipſorum Codicum ſumma conſenſio et Leoninae orationis ratio id poſtulare videretur, vel quando manifeſto antiquorum errore perſpecto duorum ſaltem Codicum ſubſidio eaſdem caſtigari poſſe et debere exiſtimaret. In qua re, *inquit*, praeſertim etiam ad conſuetas et ſatis familiares ſancti Pontificis loquendi formulas alibi expreſſas attendentes, quaedam corrupta loca ex alicubi repetitis ſuppleuimus, admonitis tamen noſtris lectoribus de cauſis, quae Leonis obſcura et difficiliora quaedam ſenſa aliis magis perſpicuis et certis nos docebant oportere interpretari. Quae quidem omnia non magis veritatis cauſa, quam vt artibus aduerſarii ſui Queſnelli, quam ſaepiſſime vel Leonem accuſantis, aut in praeſidium ſuorum aſſertorum traducentis, occurreret, fieri debuiſſe ſignificat. Huius etiam cauſa ſe coactum fuiſſe ſcribit, textum codicum mss. ſubſidio ita reſtitutum, notis, obſeruationibus et praemonitionibus adornare, ne forte totum illud, quantum eſſet, quod ex illa caſtigatione prouenire poſſet vtilitatis, aut penitus interiret, aut ſaltem occultaretur, adeoque nonnullorum opinio de Queſnellianae editionis prae ceteris omnibus praeſtantia maneret, aut etiam notae eius et obſeruationes tantum pondus habere viderentur, quaſi a nemine de errore notari aut de falſitate poſſent conuinci. „Neceſſe ergo fuit, *inquit*, hiſce Queſnellianis notis et obſeruationibus, nouas, veriores atque magis ſinceriores oponere; eaſque non ad calcem huius noſtri

volumi-

voluminis reſeruare, vt quandoque viri, alias doctiſſimi fecerunt, ſed eaſdem conuenientibus ſibique aptis locis diſtribuere, vt lector nullum prorſus laborem in euoluendis libri paginis ſubiret, ad ea intelligenda, quae hac Romana editione contra Queſnellianam conſcripſimus. Quia vero tandem (vt diximus) in ſuarum falſarum propoſitionum praeſidium, Leoninum textum, perperam et violenter interpretatum, adducere conſueuit, allaborauimus, vt in his typis maiuſculis characteribus ea loca excuderentur, quae magis apta ſunt ad arguendam eiuſdem noſtri aduerſarii falſitatem et ad euertenda tot aſſerta minus Catholica, aut maxime impudenter ab eodem pronunciata." Iam quod vltimam huius editionis dotem, augmenta in hoc tomo facta attinet, plures in tot diuerſis, quot manu verſabat, mss. codicibus ſermones Leonis nomine inſcriptos inuenit, quorum alii magis, alii minus ſinceri videbantur, alii manifeſto mentiri ſe hoc nomen oſtendebant et ex ſexcentis aliorum pannis conſuti erant, in quibus omnibus rite et apte diſcernendis haud leuem operam et pluſculum temporis perdidit, vnumque ex tot impedimentis fuiſſe conqueritur, cur opinato ſerius hanc editionem emittere potuerit. Addidit autem genuinis Leonis ſermonibus, quinque nouos ex Vaticanis et Vallicellaneis Cod. hauſtos, et poſtremam partem ſermonis de feſto Cathedrae S. Petri, quem mutilum et imperfectum primus euulgauerat Queſnellus. Sunt autem I. *de Dominica Reſurrectione*, idem, quem *Trombellus* dederat, cuius de ſinceritate eius dubia prolixa praemonitione euertere noſter ſtuduit. II. *De Feſto Aſcenſionis Dominicae.* III. IV. *in feſtum SS. Fratrum Macchabaeorum Romae Kalend. Auguſti in Eccleſia S. Petri ad Vincula celebrari ſolitum.* Poſteriores duo in vetuſtis codd. vel

anony-

anonymos vel ſub Auguſtini nomine offendit, ſed ſuo aliorumque doctorum virorum poſt examen inſtitutum arbitrio Leoni adiudicauit; V. *de Natali Sancti Pauli Apoſtoli*, itidem a *Trombello* tanquam alius a Pontifice Leonis editus, nunc autem ad antiquiſſimum Cod. Vat. num. 3835. repraeſentatus et Leoni M. aſſertus. Dubios deinde ſpurioſque et ex diuerſis Leonis fragmentis conſarcinatos Appendicibus Queſnelli et PP. Maurinorum, qui Auguſtini ſermones ediderunt, more ſecreuit, ac in primam quidem eos ſolos, quos Queſnelli Appendicula continet, compegit, in altera vero, quam *nouam Appendicem* inſcripſit, nouem ſermones mutilos et imperfectos, dubios et apocryphos, qui in variis Mss. Leonis nomen gerebant, exhibuit, poſtremoque loco poſuit *Breuiarium contra haereticos et ſchiſmaticos* a *Sirmondo* et in *Bibl. PP.* pridem euulgatum, recens autem in Bibliotheca FF. Eremitarum S. Auguſtini Patauii in ms. Codice VII. ſaeculi ſub Leonis nomine inuentum. Hactenus de *primo* huius editionis *Tomo*. *Alter Tomus* Epiſtolas complectitur, in quo non minori Codicum mss. imprimis Vaticanorum adiutus fuit auxilio, tantamque in iis meſſem ſibi feciſſe viſus eſt, vt libere fateri auſus ſit, hanc editionem prorſus nouam eſſe ac ex mss. fide vnice eductam. Et cum Graecis iuxta quam Latinis codicibus mss. Bibliotheca Vaticana abundaret, noua quaedam monumenta Graeca offendere contigit, quorum alia quidem iam in Conciliorum Collectione edita medicam manum poſtulare videbantur, alia, graece nuſquam, latine tantum euulgata, in maiorem hiſtoriae eccleſiaſticae fidem, alia denique, nec graece, nec latine antehac cognita, tanquam editionis ſuae ornamenta adiicere conſtituit. In quo negotio, quoniam ipſe nec in Graecis ſcriptoribus ſatis verſatus,

multo

multo minus compendioſas manu exaratorum librorum notas legere poſſet, vſus eſt opera docti cuiuſdam Graeci Raphaelis Vernazza, Chio oriundi, preſbyteri Romani, qui XLVII. epiſtolas graecas exſcripſit, eaſdemque ad alia exemplaria iterum relegit, aut cum editis vbi ſuppetebant diligenter contulit. Sed ſingula hic enumerare non refert; ſufficiet indicaſſe quatuor epiſtolas, plane nouas, quibus primus Queſnellianarum numerum CXLI. ad CXLV. amplificauit. Sunt illae I) *num.* XXII. *Leonis ad Theodoſium Imperatorem de Verbi Diuini Incarnatione* epiſtola ſeu fragmentum potius epiſtolae gr. latinum ex Cod. Vat. *num.* 720. *p.* 74. erutum. II) *num.* LXXXV. *Ad Iulianum Epiſcopum de Monachis Eutycheti adhaerentibus.* III. *num.* CXVII. *Ad eundem de eiuſdem contra Eutychianos induſtria.* IV. *num.* CXXVI. *Ad Anatolium Epiſcopum ſuper Attico Ep. CP.*; omnes ex Codice ms. Ratisbonenſi Monaſterii S. Emerani, de quo infra dicendi locus erit. Has igitur locis notatis inſeruit, in ceteris ſequitur Queſnelli ordinem aliorumque ad Leonem epiſtolis illius more nullos numeros adſcripſit. Synopſes quoque Queſnelli retinuit, ea licentia, vt vbi ſenſibus Leonis eaſdem non omnino reſpondere exiſtimaret, caſtigaret, ſuppleret, aut plane nouas concinnaret et ad calcem ſingularum fere Epiſtolarum diſcrimen inter Queſnelli verba ſuaque notaret. Notas denique, monita ac marginalia adiecit, quibus partim de variantibus et emendationibus rationem reddit, partim et frequentiſſime quidem in Queſnellum gladium ſtringit. Nam cum in eius annotationibus, quas magno lectorum incommodo ad calcem ab eo reiectas fuiſſe cenſet, nec veram ſemper, nec ſanam doctrinam continere obſeruaſſet, ſed quam ſaepiſſime fraudem, fallacias, malam fidem ſenſim in iiſdem haberi detexiſſet,

xiſſet, eas omnes (loquimur verbis eius) conuenientibus ſuis locis ad veritatis trutinam reuocauit, et grauiſſimis rationibus inſiſtens, eum aut hallucinatione defeciſſe, aut incautos lectores fallere quaeſiuiſſe demonſtrauit. In quo fungendo munere, *inquit*, non ſemper breuitati ſtuduimus, cum multa quandoque et varie inter ſe admodum diſparata obiicerentur, quae paucis verbis indicare, eripere atque refellere cuique prorſus impoſſibile credebatur.

Reſtat nunc, vt pauca de operis totius deſcriptione, ſpecie ac norma adiiciamus. Singulis itaque tomis poſt dedicationem (prior inſcriptus eſt *Cardinali Nerio Corſinio*, alter *Benedicto XV. P. S.*) ſubiicitur praefatio, in qua de editionis conſilio, editionibus ſuperioribus, imprimis Queſnelliana eiuſque methodo et malis artibus, ſuoque denique ſtudio et ſubſidiis verboſius fere diſputat, et vtramque indice mss. librorum, quibus vſus fuit, claudit. In ſecundo tomo, antequam ad haecce argumenta deuenit, prolixam de iis, maxime catholicae eccleſiae doctrinis, quas Queſnellus labefactare ſtuduerat, ſermocinationem orſus eſt, cui vix poſt quadraginta et amplius paginas finem imponit. Sequuntur deinde Sermonum Epiſtolarumue contentorum indices vna cum ſynopſibus, quae dupliciter adeo impreſſae ſunt, tandemque ipſe textus binis columnis impreſſus, cui notae in ima ora latis lineis exſcriptae ſubſunt. Ab initio cuiuſque ſermonis aut Epiſtolae ad marginem litteris minuſculis editiones et codices mss. ex quibus deſumtae et caſtigatae fuerint, ſicut in ceteris marginalibus argumenta et ſententiae potiores indicantur. Monita vel admonitiones modo praemittuntur, modo ad calcem ſubiecta, interdum media inter duo, adquae pertinent ſcripta, collocata ſunt. Tandem cuique volumini Index rerum et nominum memora-

morabilium ſatis copioſus additus eſt. Characteres vt plurimum rotundi ſunt, grandiuſculi, ſed apti invicem pro loco ſuo et luculenti, et raro typothetarum vitia occurrunt.

Iam ſi de editore eiuſque meritis ſententiam requiras, ſatius ipſi fuiſſet putauerim, ſi vires conſideratius ponderaſſet, antequam tale opus Leoninarum lucubrationum imprimiſque epiſtolarum editionem poſt Queſnellum, nedum contra Queſnellum, aggrederetur. Enimuero ſine vlla haeſitatione tanto immerſit ſe Oceano, etſi ſentire debebat, ſibi multa eorum, quae in vnoquoque editore neceſſaria, nedum ornamento ſunt, deeſſe. Etenim praeter doctrinam aliquam in Theologia Polemica, non elegantem illam, ſed talem, quae fortaſſe muneri Examinatoris Apoſtolici Cleri Romani ſufficeret, omnis eius eruditio, praeſertim in hiſtoria et iure Eccleſiaſtico, non diuturna lectione et ſtudio adquiſita, ſed pro praeſente rei neceſſitate feſtinanter coacta fuit, adeo, vt, quae modo immenſo labore ab aliis addidicit, niſi a ſenſu eius atque intelligentia nimis disiuncta fuerint, tanquam ſua ſtatim atque intra animum enata proferre atque alios docere audeat; id, quod non ſolum ex Exercitationibus eius manifeſtum fit, ſed potiſſimum etiam in iis, quae de Queſnello ſentit, declaratur; quippe quem vix ſemel laudabilem aliquam in Leonis editione operam feciſſe agnoſcit *), doctum nunquam fatetur, ſed hominum ignauorum more aduerſarium, quem inconſulto laceſſendum ſibi ſumſit, non virtute ſua, ſed fraude et aſtutia metuendum clami-

*) *Praef. ad T. I. p. XXI.* vbi de ordine Epiſtolarum a Queſnello inſtituto, contra quem iuſtiſſimis de cauſis nihil moliri audebat, ait, non modicam auctorem exinde laudem retuliſſe.

clamitat. Certe ſi quidquam aliud tot lepidae de Queſnelli artibus, fallaciis, ſimulationibus falſis et aequiuocis interpretationibus exclamationes et querelae, in ſingulis paene paginis repetitae, demonſtrant, quanta viri ingenioſiſſimi eruditio Cacciario inopi negotia faceſſiuerit, praeſertim dum ipſe ſemper circumſpectans, ne anguis in herba lateat, lectoribus frequenter acclamat, ne ipſum timidum reputent, aut Queſnellum vinci non poſſe credant. Hinc fit, vt huic certamini plane impar, incertus etiam aperto ne campo aggredi debeat, an vbi occaſio data fuerit, hoſtem vellicare: neque conſerto argumentorum robore totum eius ſyſtema falſarum doctrinarum oppugnet, neque ſingulis ſemper aptiſſima quaeque opponat, ſed declamationibus fere vtatur, et non raro pro refutatione ſe illum non intelligere obiiciat. Ceterum hancce cenſuram vnuſquiſque, cui editionem Cacciarii manu verſandi facta fuerit copia, quemque operae ſuae non poeniteat, veram atque iuſtam eſſe deprehendet. Sed iam antequam moliminis huius ſucceſſus hominis ingenium manifeſtaret, nemini magis quam ſibi ipſi imbecillitatem virium incognitam fuiſſe, ab ipſo iterum edocemur. Eo ſcilicet tendunt illae eius de inuidis et obtrectatoribus, quorum irriſiones et aduerſa in ſe ſtudia quotidie non ſine editionis impedimento expertus ſit, querimoniae, quarum iam ad Exercitationum eius commemorationem mentio iniecta eſt, quaſque in vtriuſque tomi praefatione ingeminat. Qui autem propius intuebantur, noſſe poterant, operam in alio quovis eccleſiaſtico ſcriptore bene ab eo collocatam in Leone perditum iri, vnde poterant non aut palam, aut occulto conſilium illud improbare, et cum nimium diu protraheretur, opinari, eum in medio opere defeciſſe.

1755—

1755—57.

Venetiis apud Simonem Occhi. f. III. *Tomis.* Sancti Leonis Magni Romani Pontificis Opera poſt *Paſchaſii Queſnelli* recenſionem ad complures et praeſtantiſſimos mss. Codices ab illo non conſultos exacta, emendata, et ineditis aucta: Praefationibus, Adnotationibus et Admonitionibus illuſtrata. Adduntur etiam quaecumque in Queſnelliana Editione inueniuntur, eaque ad criſin reuocantur: curantibus PETRO *et* HIERONYMO FRATRIBUS BALLERINIIS *Presbyteris Veronenſibus. Tomus primus* ſincera S. Pontificis Opera continens, id eſt Sermones et Epiſtolas cum ſuis Appendicibus.

Tomus Secundus continens Opera S. Leoni attributa, quae nec ad Sermones, nec ad Epiſtolas pertinent. Accedunt S. Hilarii Epiſcopi Arelatenſis Opuſcula, ad codd. exacta et aucta. Subiiciuntur Diſſertationes XI. Queſnelli in S. Pontificis Opera, eiuſque Notae in Epiſtolas, criticis obſeruationibus appoſitis.

Tomus Tertius ſeu Appendix ad Sancti Leonis Magni Opera, ſeu vetuſtiſſimus Codex Canonum Eccleſiaſticorum et Conſtitutorum Sanctae Sedis Apoſtolicae, a Queſnello eiuſdem Pontificis Operibus adiectus, nunc autem ad praeſtantiſſima mss. Exemplaria recognitus, et in meliorem multo formam reſtitutus: cui alia ſubiiciuntur rariſſima, et quinque Diſſertationes Queſnelli in eundem Canonum Codicem ad criticen reuocatae. Praemittitur Tractatus de antiquis tum editis, tum ineditis Collectionibus et Collectoribus Canonum ad Gratianum vſque.

Ita inſcribitur editio, quacum praeter Couſtantii praeclaram de epiſtolis Romanorum Pontificum operam vix alia in tota Eccleſiaſtica litteratura comparari poteſt, quaeque editoribus ſuis tertium merito

 inter

inter ſtudii huius coryphaeos, Baluzium et Couſtantium dico, locum aſſignat. Queſnellum ſane non ſolum ſubſidiorum i. e. mss. librorum copia ac praeſtantia, ſed multo magis etiam peritia eorum et vſu diligenti, tum vero eruditione prompta atque accurata ſuperant. Nimirum codices mss. non ſolum ex Vaticana plurimos et praeſtantiſſimos, ſed ex aliis etiam intra et extra Vrbem et in omni paene Italia Bibliothecis, quin in Germania etiam ex Vindobonenſi Caeſarea et Ratiſbonenſi S. Emerami admodum inſignes habuit. Ex his Sermonibus emendandis potiſſimum profuerunt exemplaria Romana, quorum nonnulla ad Baſilicas vrbis pertinuiſſe, certoque Romana eſſe cognouerunt, eorumque lectiones tanquam puriores ſaepius vulgatis, quae a Queſnello non emendatae erant, aut a Queſnello non apte ſatis vel perperam mutatis ſubſtituerunt. Quippe tercenta circiter loca vel certa emendatione reſtituiſſe, vel ad meliorem lectionem reuocaſſe ſe affirmant. Praeterea ex tot diuerſae originis codicibus ſimul collatis ordinem in nonnullis perturbatum eſſe detexerunt et correxerunt, duos ſermones, qui in vnum coaluerant, diuiſerunt, ſermonem Leoni perperam tributum, aliumque eidem a Queſnello ex ſuo codice affictum remouerunt, alium denique, quem ille Leoni detraxerat, reſtituerunt, pluraque id genus, de quibus paſſim in annotationibus monent, praeſtiterunt. Similiter in Epiſtolis nec paucas nec leues correctiones intulerunt, chronologiam in aliquibus reſtituerunt totumque ordinem immutarunt, item quaſdam a Queſnello in dubium vocatas et nonnulla ab eodem expuncta adiuuantibus mss. libris vindicarunt. Quod inedita attinet, adiecerunt huic editioni tres nouas Leonis epiſtolas ex Codice Ratiſbonenſi *) et vnam Grae-

*) Eaſdem, quas hoc ipſo fere tempore Cacciarius euulgauit.

Graecam Anatolii Conſtantinopolitani Epiſcopi ad Leonem; item epiſtolas aliquot Graecae interpretationis antiquae ex eodem Vaticano; porro ex Codice Veneto S. Marci integram actionem concilii Chalcedonenſis in gratiam Epiſtolae XCIII. Leonis habitam, nec non aliam actionem eiuſdem Concilii in cauſa Domni Antiocheni, in qua pontificia Leonis auctoritas commendatur ex ms. olim Veronenſi, nunc Vaticano, tomo ſecundo; denique Sermones complures Leoni in mss. tributos, in appendice. Hic primus editorum labor fuit, nempe vt textus emendatior quam in Queſnelliana prodiret et auctior; alteram curam eſſe voluerunt, vt quoad ipſa Leonis opera fieret ſincerior, ſecernendo genuina a ſuppoſititiis, praeſertim illis, quae arbitrario Queſnellus eidem tribuerat. Neque enim omittenda duxerunt, quaecunque ab eo huc ſemel collata eſſent, ſed ſegregare maluerunt, iiſdemque mss. librorum medelam vbi copia facta eſſet, adhibere. Reſtabat tertium, textus intelligentia, rerumque a Leone geſtarum aut eum attinentium iuſta explicatio, id quod abſque ſeuero omnium Queſnelli annotationum et diſſertationum examine fieri nequibat. Enimuero etſi in quibus ille offenſam dedit, ad duo praecipue capita, de gratia diuina ſcilicet, et Sedis Romanae quibuſdam praerogatiuis redeant, intelligebant tamen, vniuerſe iis non eo ſucceſſu obuiam iri poſſe, vt omnes eius errores paterent et conuincerentur, ſed pedetentim ſe eum ſequi oportere, omneſque ac ſingulas eius aſſertiones et commenta ad viuum reſecare. Statuerunt itaque ipſas eiuſdem lucubrationes integras editioni ſuae inſerere et ſuas cuique obſeruationes ſubiicere, quibus ea, quae confutatione viderentur digna, impugnarent aut corrigerent. Quo ſimul illud ſeſe conſecuturos eſſe ſperabant, vt Queſnelli editio, quae

huic ipſorum in totum inſerta inueniretur, non amplius eſſet neceſſaria, et lucubrationes ipſius, quae in editionibus eius interdictae eſſent, in hac et cum animaduerſionibus et cenſuris eorum legere liceret. Quibus ita pro conſilio Operis deſcriptis ordo atque diſtributio totius haec exiit. *Primus tomus* exhibet omnia *genuina* Leonis *opera*, id eſt, *Sermones* et *Epiſtolas* ſinceras, in quibus emendandis tam ſuis codicibus mss. quam Queſnelli variantibus vſi ſunt. Conſtat ergo hic tomus duabus partibus, quarum cuique peculiaris, de fontibus mss. vnde omnino tam ſermones, quam epiſtolae prodierint, praefatio ad vniverſam huius ſcriptorum generis tractationem criticam apprime vtilis praemittitur. Ipſis porro ſermonibus atque epiſtolis *Praefationes* et *Admonitiones* vbi opus fuit praemiſerunt; *Annotationes* autem vtriſque ſubiectae partim emendationum rationem reddunt et variantes lectiones, tum ipſorum, tum Queſnelli codicum deſignant, partim ipſius Pontificis textum, vbi indigere viſus eſt, illuſtrant. In his Balleriniorum Annotationibus etiam locum habent illae *Notae*, quas Queſnellus ſermonibus vel epiſtolis ipſis quandoque appoſuit, ne ſcilicet quidquam illius deſideraretur. Quoniam autem ille Sermonibus quaſdam Notationes aut poſtillas affixit, quae longiorem diſputationem poſtularent; idcirco poſt Sermones ediderunt *Obſeruationes* in quaedam peculiaria loca eorumdem, iiſque Queſnelli illas notationes aut poſtillas, ſicut et *Ciampini* de vocis *areae* in ſermone XXVII. emendatione diſſertationem, inſeruerunt. Optauerim vero, vt ſimili inſtituto poſt epiſtolas ſtatim addidiſſent longiores Queſnelli in eaſdem Obſeruationes, quo concinnius omnia, quae ad ſermonum epiſtolarumque elucidationem ſpectant, vno volumine fuiſſent comprehenſa. Sed tomo ſecundo illas

illas reſeruarunt eodem ordine ac apud Queſnellum poſt diſſertationes edendas, haud dubio non aliam ob cauſam, quam vt aequalis voluminum magnitudo euaderet. Proxime autem poſt Sermones ſinceros ſequitur *Appendix dubiorum* aut *male ipſi tributorum*, maximam partem ineditorum. Praemittitur per praefationem notitia aliorum, qui in nonnullis mss. exemplaribus Leoni perperam adſcripti, in aliis autem codicibus aliis auctoribus tributi, et quia inter aliorum Patrum Opera iam excuſi eſſent, non repetendi videbantur. Epiſtolas porro excipit diſſertatio *de epiſtolis deperditis tum S. Leonis ad alios, tum aliorum ad S. Leonem, ac de aliis monumentis ad epiſtolas pertinentibus, diſpoſitis ordine chronologico:* vbi ſimul fragmenta Leonina, quae ſuperſunt, inſeruntur. Sequitur eam *Notitia Decretorum*, quae Leoni in libro pontificali tribuuntur, ac denique *Appendix Epiſtolarum S. Leonis*, aliquot litteras ſuppoſititias aliaque documenta ad epiſtolas pertinentia, quae inter epiſtolas non collocanda erant, comprehendens.

Tomus Secundus exhibet Appendicem prolixiorem Operum quae Leoni adſcripta fuere, ac primo quidem editur *Sacramentarium* omnium vetuſtiſſimum, *Leoninum* in vulgatis appellatum ipſiuſque creditum. Sed quoniam nec omnia, quae in eo continentur, Leonis ſunt, nec ipſius compingendi auctor idem pontifex certo appellari poteſt; quaedam Leonina tamen in eo deprehenduntur, ex quibus eidem in editis adiudicatum eſt: iure ſuo in Appendice locum poſtulare viſum eſt. Idque eo magis faciendum fuiſſe editores monent, quod Queſnellus tres praefationes veluti Leoninas in Calce Sermonum edidiſſet, quarum duae in ea eiuſdem Sacramentarii parte, quae ſupereſt, inueniantur, tertiam vero in

ea quae intercidit parte exſtitiſſe probabile ſit. Sacramentarium excipiunt *libri duo de Vocatione omnium gentium*, *Capitula* ſeu *auctoritates de gratia* et *libero arbitrio*, et *Epiſtola ad Virginem Demetriadem ſeu tractatus de Humilitate*; quae omnia Leonis nomine Queſnellus ediderat, Ballerinii autem ex mss. codicibus emendarunt et nonnullis in locis ſuppleuerunt. Subiicitur *Breuiarium aduerſus haereticos*, ſeu vt alibi inſcribitur, *Breuiarium fidei aduerſus Arianos*, quod Sirmondus olim ſine auctoris nomine edidit. Leoni quippe aſſertum inuenerunt in duobus antiquis codicibus, Patauino atque Mediolanenſi, qui etiam correctiones aliquot praebuerunt. Licet autem in duobus aliis Codicibus, a Sirmondo inuentis, inter eiuſdem Pontificis opera inſertum fuerit, ob manifeſtum tamen ſcriptoris diſcrimen ipſi Pontifici attribui non poſſe, ſed fortaſſe aliquid, quod ad noſtram notitiam non peruenerit, cum eodem coniunctum habuiſſe ideoque Appendice non indignum iudicarunt. Poſt haec ne quid deeſſet, quod Queſnellus ſuae editioni inſeruit, repraeſentarunt *Hilarii Arelatenſis vitam et opuſcula* duobus, *Sermone* ſcilicet *de Miraculo Geneſii Arelatenſis Martyris*, et *Carmine de Macchabaeis* aucta et ex aliquot mss. exemplaribus emendata. Hactenus Appendix. Dehinc in hoc tomo vndecim ex Queſnelli diſſertationibus, quae vel ad Leonem, vel ad praemiſſa Opera ſpectarent, recuſae ſunt. Cuique diſſertationi ſubiiciuntur *Obſeruationes*, quae, vt inquiunt, diſſertationis cenſoriae vicem gerere poſſint, et ad praecipuum quodque thema a Queſnello propoſitum refellendum tendunt. Vbi autem quaedam tantum in diſſertationibus corrigenda aut confirmanda eſſent, notationes in calce paginarum appoſitae ſunt; id, quod in prima praeſertim, quae vitam Leonis deſcribit,

ſcribit, ſeruari debuit, in qua etſi non pauca caſtiganda, nonnulla etiam adiicienda fuerint, plura tamen ſatis conſtare fatentur. Concludunt hunc tomum eiuſdem Queſnelli Obſeruationes et Notae in Leonis epiſtolas, quas vti prolixiores ipſe quoque poſt diſſertationes vulgauit, vna cum annotationibus editorum in ima paginae ora ſubiectis.

Tertius tomus complectens *vetuſtiſſimam Collectionem Canonum et Conſtitutionum ſedis Apoſtolicae aliaque antiquiſſimi Iuris Canonici monumenta* totus editoribus proprius et peculiaris, idemque ampliſſimae vtilitatis et maximo editioni huic ornamento eſt. Tametſi enim laudata collectio a Queſnello primum e duobus exemplaribus mss., Oxonienſi altero, recentiori ac valde mendoſo, altero Thuaneo, antiquiori et optimae notae, ſed quod, ſerius acceptum, non diligenter ſatis adhibere potuit, edita et quinque diſſertationibus, quae hic quoque ſubiiciuntur, illuſtrata fuerit: Ballerinii tamen, cum in ea non ſolum multo plura e Thuaneo codice aliunde, ſed quam plurima etiam ex alio, hactenus ignoto, at peruetuſto Bibliothecae Caeſareae libro eiuſdem collectionis accepiſſent; permulta menda corrigere ipſamque meliori et primigeniae quaſi formae reſtituere potuerunt. Neque vero hoc contenti fuerunt; conquiſitis enim, quae ad huius collectionis caſtigationem et illuſtrationem adiumenti aliquid conferre poſſent, ſubſidiis, praeſertim aliarum veterum collectionum mss. exemplaribus, in quibus omnia, vel fere omnia huius collectionis documenta, licet ſparſim inſerta reperire et recognoſcere contigit: aliam ex hoc ſtudio eamque longe praeſtantiorem collegerunt vtilitatem. Nacti enim ſunt in iiſdem codicibus non pauca rariſſima iuris antiquiſſimi Canonici monumenta, quae poſt laudatam Collectionem vel emendatiora, vel

primum omnino edere ipſis licuit *). Simul autem hoc ipſo diligenti mss. librorum examine factum eſt, vt non ſolum aliquot ignotas et ineditas collectiones Canonum deprehenderent, ſed tales circa vulgatas etiam collectiones notitias colligerent, quae nouiſſimos et eruditiſſimos harum rerum ſcriptores latuerunt, quibuſque iuris canonici antiqui hiſtoria eximie illuſtrata eſt. Quippe inde enatus eſt tractatus *de antiquis tum editis, tum ineditis collectionibus et collectoribus Canonum ad Gratianum vſque*, Queſnellianae collectioni praemiſſus, quo quidquid ab aliis hactenus de eadem materia diſputatum fuerat, vileſcere ſtatim et quaſi ſordere coepit. Diſpeſcitur ille in qua-

*) Sunt ea quidem I. *Priſca Canonum editio latina, complectens Canones Conciliorum Ancyrani, Neocaeſarienſis, Nicaeni, Sardicenſis, Antiocheni, Conſtantinopolitani* primi et *Calchedonenſis*, quae primum in lucem prodiit ex antiquiſſimo ms. Chriſtophori Iuſtelli, a Balleriniis autem cum aliis vetuſtis mss. collectionibus collata integra et emendatior exhibetur. II. *Antiquiſſima Interpretatio latina Canonum Nicaenorum* nunc primum edita ex ms. Vat. Reginae Suecorum 1997. III. *Vetus interpretatio latina Canonum Nicaenorum, Sardicenſium et Calchedonenſium, aliorumque documentorum ad Nicaenam et Sardicenſem Synodum pertinentium,* nunc primum edita ex perantiquo ms. codice LV. Capituli Veronenſis. IV. *Documenta Iuris Canonici Antiqui.* 1) *Canones Concilii Carthaginenſis celebrati a. 419.* vti leguntur in antiquiſſimis collectionibus Italicis. 2) *Concilium Carthaginienſe a. 421.* ſub Aurelio XVIII. ex ms. Cod. LV. Cap. Veronenſis nunc primum editum. 3) *Statuta Eccleſiae antiqua* ex praeſtantiſſimis mss. collectionibus edita. 4) *Epiſtola Canonica: Quae debeant adimplere Preſbyteri, Diaconi, ſeu Subdiaconi,* 5) *Praecepta S. Petri de Sacramentis conſeruandis.* 6) *Glycerii Imp. Edictum contra ordinationes Simoniacas,* nunc erutum e ms. Vat. Reg. 1997.

quatuor partes, quarum prima de *Graecis Canonum collectionibus*, ſecunda *de antiquioribus collectionibus Latinis, quae vel ſunt anteriores Dionyſio, vel ex fontibus Dionyſio anterioribus originem ducunt*, tertia, *de Collectionibus Dionyſianis et caeteris, quae a Dionyſio profecerunt*, quarta denique, *de antiquis Canonum Breuiationibus, aliiſque collectionibus Latinis in titulos et locos communes diſtributis, ad Gratianum vſque*, exponit. Claudunt hunc tomum quinque diſſertationes Queſnelli ex XVI. reliquae ad Codicem Canonum pertinentes cum prolixioribus ac valde vtilibus Balleriniorum annotationibus et correctionibus. Enimuero tantum abeſt, vt hac generali huius editionis deſcriptione ſatis declaratum arbitremur, quantum ingenii, doctrinae ac ſtudii illi ſit impenſum, vt potius, ſi quis omnes eius dotes rite explicare velit, ſingulorum ei Sermonum atque Epiſtolarum tractationem enarrandam putemus. Tot ſunt profecto tamque illuſtria artis atque ſagacitatis horum virorum documenta, vt, ſi in aliis non ſane vulgarium ſcriptorum operibus euenire ſoleat, vt vſu atque conſuetudine diuturniori opinio ab initio concepta minuatur, aut etiam peccata et errores auctoris paſſim oculis retegantur: hoc opus contra, quo magis aſſiduo ſtudio verſaueris, tanto impenſius admirere neceſſe eſt. Exemplo ſit, cui exempla ſufficiunt, *admonitio* I. et II. *Epiſtolae ad Aquileienſem Epiſcopum et Septimum Altinatem* (quacum XVIII. *ad Ianuarium Aquileienſem* coniuncta eſt) praemiſſa, nec non illa *in Epiſtolam* XXVIII. *ad Flauianum.* Ne autem alterum huius tam laudatae operae momentum taceam, in quo tam ob diuturnum, quod Romanae ſedis epiſcopi eorumque iurium et poteſtatis rigidiores defenſores aluerant, eiuſmodi editionis deſiderium, quam ob ſpeciale Benedicti XIV. manda-

tum,

tum, pars longe glorioſiſſima laboris editorum poſita eſſe debebat, *Queſnelli refutationem* dico: illud quidem haud inuiti fatemur, doctrinam et methodum, qua ſingulis aduerſarii ſui aſſertionibus et argumentationibus modo apertis modo tectis occurrere, eaſque innumeris in locis et tantum non in ſingulis paginis leuitatis, aut manifeſti erroris, aut, quod magis eſt, fallaciae et fraudis arguere calluerunt, tam arcte cum vniuerſa ingenii atque eruditionis eorum laude eſſe coniunctas, vt ab ea omnino diuelli nequeant, nec crebro accidere poſſit, vt criticam eorum facultatem et explicandi artem laudando hanc in Queſnelli diſputata cr ſin reprehendas, quod autem vniuerſam quaeſtionum *de primatus pontificii vi ac poteſtate* enodationem attinet, de horum virorum haereſi, paucis vt equidem arbitror ignota *), a nobis hoc loco haud refert iudicium ferri, quod vel alieniſſimus a partium ſtudio propter auctorum artificium periclitetur. Diligens huius editionis recenſio extat in *Bibliotheca Theologica* (vernacule ſcripta) *Io. Aug. Erneſti T. IV. Faſc. VII.* (1763.) *pagg.* 579—614.

1761.

Florentiae impenſis Antonii Zatta Veneti. fol. Vita, Epiſtolae et Decreta Leonis Papae I.; in *Io. Dominici Manſi noua et ampliſſ. Sacror. Conciliorum Collectione*, *Tomo* V. *col.* 1203—1430. *Tomo* VI. *col.* 1—432.

Etſi

*) Notus eſt alter ex fratribus inter aduerſarios Febronii, edito opere *Veronae* 1768. 4. hoc titulo: *De Poteſtate Summorum Pontificum et Conciliorum Generalium liber, vna cum vindiciis auctoritatis pontificiae contra opus Iuſtini Febronii auctore* Petro Ballerinio *Presb. Veron. Accedit Appendix de infallibilitate eorundem Pontificum in definitionibus fidei.*

Etſi hic titulus Labbeanam et Binianam editionem ſapit, nec vnquam fere Manſius, et ne quidem in Couſtantii gratiam a Labbeo, veluti in Veneta Coletiana repraeſentatur, recedere auſus eſt; hoc loco tamen praeceſſorum ſuorum exempla deſeruit et Balleriniorum editionem exprimere curauit, non tam ob inſignem huius operae praeſtantiam, quam quia facilius ſic negotium expediri poſſe videretur. Intelligebat enim *poſt Queſnelli, Cacciarii et Balleriniorum editiones multa ſibi in Labbeo ſarcienda ac ſupplenda fore*, et quia metuebat, *ne in additionibus hisce locis ſuis inſerendis ſiue ipſi interdum oſcitanti aliquid mendi vel tranſpoſitum obreperet, cui malo in tanta a loco, vbi editio praeſtabatur* (Venetiis), *diſtantia vix ſuccurri potuiſſet, vel fucus aliquis fieret typographis, vt aliud pro alio folium aſſumerent et loco non ſuo nonnulla aſſignarent: Balleriniorum pro Labbeana aſſumendam* iudicauit. *Hanc autem*, inquit, quaſi veritus, ne ſatis ingenium declaraſſet, *praeferendam caeteris exiſtimaui, non quod praeſtantiorem duxerim ea, quam Pater Cacciari Carmelita eodem fere tempore, quo Ballerinii ſuam, adornauit et Romanis typis produxit; ſed quod Venetiis excuſum opus, Veneto typographo paratior erat et ad manus.* Sic tota huius immerito laudati hominis compilatio ne minimam quidem liberalitatis ſpeciem prae ſe fert! Seruauit ex Balleriniorum animaduerſionibus eas, quas textui ſtatim ſubiecerant, criticas fere et breuiores: fuſiores autem, veluti admonitiones et diſſertationes pro conſilii ſui a Balleriniorum fine diſcrepantia ſubduxit, aut ſubinde paucioribus verbis contraxit. Inſeruit etiam Cacciarii additamenta, quae apud Ballerinios deſideraret et Sirmondi notas rariores ex appendice eius in concilia, quemadmodum in Coletiana Conciliorum editione erant

exhi-

exhibita. De ſuo addidit *ſynopſin quarundam* epiſtolarum Leonis vetuſtiſſimam ex codice Lucenſi 190. Balleriniis non incognitam, et ne quid ex ſuperioribus periret, vitam Leonis *ex libro Pontificali* cum Binii notis praemiſit. Hic vero mihi aliquis obiiciet, fieri illud debuiſſe propter maiorem cum caeteris partibus conſonantiam. Audio equidem, neque id magnopere reprehendo, ſed totam operam improbam et fama huius viri indignam cenſeo. Quid enim referebat tanta cum pompa repetere, quae ante centum et amplius annos ſatis laudabiliter quidem conſcripta eſſent, et alias atque alias eruditorum hominum annotationes et emendationes tam anxia ſollicitudine aſſuere, cum longe fructuoſius ipſe ſtudium ſuum tali operi conſecraſſet. Ceterum monitu non eget, epiſtolas ad Concilium Chalcedonenſe pertinentes non iterum in Actis illius expreſſas eſſe, ſed lectores ad hanc integram collectionem remitti.

1780.

Helmſtadii litteris viduae Schnorri. 4. Leonis Magni Epiſcopi Romani, epiſtola contra Eutychen de vera incarnatione Domini ad Flauianum Epiſcopum CPolitanum. E recenſione Balleriniorum cum praecipua varietate lectionis, notulis et admonitione hiſtorica. Ciuibus academiae Iuliae Carolinae in religione ſolemni Chriſto incarnato ſacranda a. 1780. commendata (ab *Henrico Philippo Conrado Hencke* Theologo Helmſtadienſi).

Praeclare editor celeberrimus hac ſolemni occaſione vſus eſt, vt iuuenibus ſedulo Theologiae operam nauantibus libelli tam illuſtris argumenti copiam faceret. Quapropter in praemiſſa ipſi epiſtolae admonitione hiſtorica primo loco, quanti illa in hiſtoria dogmatis de Chriſto momenti ſit, oſtendit, deinde de auctore

ctore, occaſione, conſilio, auctoritate et exiſtimatione, qualem ab initio ſtatim, et poſtea ſemper auctiorem nacta fuerit, diſputat. In ſubſidium ſtabiliendae genuinae lectionis ipſius epiſtolae reuocauit etiam verſionem antiquam Graecam eademque vſus eſt ad difficiliores quaſdam phraſes Latinas explicandas. Cf. *Commentarii* Helmſtad. *de reb. nov. lit.* 1781. *faſc. I.* ſc. V. *p.* 38. *ſq.*

1789.

Pariſiis ſumtibus Petri Didot filii primog. fol. S. Leonis Papae I. Epiſtolae XII. ad Galliae Epiſcopos et Epiſtola ad Flauianum (dogmatica XXVIII.) vna ad Rauennium miſſa, cum notis, obſeruationibus et adnotationibus denuo illuſtratae a *Monachis Congreg. S. Mauri;* in *Collectione Concilior. Galliae* nuper ab ipſis inchoata *T. I. pagg.* 442—568.

Sirmondi editio pro fundamento fuit. In emendationibus autem Queſneilum ita ſecuti ſunt, vt ipſi non negligerent denuo mss. codices inſpicere. Suppetebant praeterea Couſtantii ſchedae, ex quibus haud pauca obſeruationibus ſuis intulerunt.

❧ ❧

Versiones. Sermones Leonis adeo olim in deliciis habitos nouimus, vt haud ſemel in linguam *Italicam* transfunderentur. *Gallicam* verſionem non niſi vnam deprehendere licuit, hoc indiculo teſte.

1485.

Firenze. fol. I Sermoni di S. Leoni tradotti da *Filippo di Bartolomeo Corſini*, in fine: *In Firenze adi* XXI. *di Maggio* MCCCCLXXXV. Expreſſa eſt editio Andreae Alerienſis, traducta ſimul eius ad Paulum II. S. P. epiſtola, quam excipit breuis tra-

ductoris commendatio a Marſilio Ficino adſcripta et deinceps rubricae operis. Memorant hanc editionem *Ballerinii T.* I. *praef. p.* XXX. *Bibl. degli aut. volg.* inſerta in *Racc. d'Opuſc. ſcient. e filol. T. XXXIV. p.* 261. et *Argelati Bibl. degli volgarizz.* (*in Milano* 1767.) *T. II. p.* 300. ſq.

1547.

In Venezia al ſegno de la ſperanza. 8. I divini Sermoni di San Leone Papa primo nuovamente di Latino in volgar Lingua tradotti per *Gabriel Foreſto da Breſcia. Raccolta* l. l. et *Argelati p. 301. ſq.* vbi fuſe admodum deſcribitur, inſerta Epiſtola integra traductoris et contentorum tabula repraeſentata. Ex hoc autem apparet duas eſſe huius eiuſdem anni, loci et typographi, haud parum tamen quoad contenta diuerſas Sermonum Leonis verſiones.

1564.

In *Venezia per Girolamo Scotto.* 4. Sermoni (III.) di S. Leone Papa I. Sermone V. del digiuno del ſettimo meſe. Sermone XI. del digiuno della quattro tempora. Sermone nella feſta di tutti Santi; in *Sermoni de SS. Agoſtino, Criſoſtomo, Bernardo et Baſilio. Parte* Secunda Cf. *Argelati* l. l. et *p.* 158. it. *T. I. p.* 14. Auctor verſionis fuit *Galeatius Florimontius* (*Galeazzo Florimonzio*) Epiſcopus.

1698.

Paris chez Andr. Pralard. 8. Sermons de S. Leon, Pape, ſurnommé le Grand, traduits ſur l'edition Latine du P. Queſnel, par *Nicolas Fontaine. Cat. Bibl. Reg. Pariſ. T. I. p. 385. n. 811.*

CODICES.

C o d i c e s. Quae ante *Queſnellum* in ſubſidium vocata ſunt ab editoribus Leonis mss. exemplaria haud operae arbitramur ſollicite circumſpicere. Poſt Queſnellum *Cacciarius* plures illi haud viſos codices contulit, ſed longe plurimos et maiori ſolertia *Ballerinii*, iique in iiſdem examinandis, ordinandis et deſcribendis tam egregiam poſuerunt operam, vt ex hac de Leonis mss. codicibus notitia etiam ad aliorum ſcriptorum Eccleſiaſticorum, imprimis vero Pontificum Romanorum opera, non parum vtilitatis proficiſci poſſit: quapropter peculiari diligentia nobis hoc loco non indigna viſa fuit.

I.

Codices Q u e s n e l l i.

I. *Sermonum.*

1. *Corbeienſis.* Codices mss. tres olim Monaſterii S. Petri Corbeienſis, iam *Bibl. monaſt. S. S. Germani a Pratis*, in quibus Sermones LX. et amplius.

2. *Nauarraeus*, i. e. Codex *Bibl. Regii Collegii Nauarraei in Acad. Pariſ.* Sermonum variorum, in quibus plures Leonis.

3. *Regii.* Lectionarii duo, in quibus plures Leonis Sermones.

4. *Sammaglorianus*, Codex Lectionarius ms. ad vſum Abbatiae S. Maglorii Pariſienſis, in *Bibl. Sammagloriana Seminarii Archiepiſcopalis Preſbyterorum Oratorii D. Ieſu ad muros Pariſienſes.*

5. *Thuanei:* 1. Codex ms. qui fuerat olim *Nic. Fabri*, in quo Sermones aliquot Leonis. 2. Liber Lectionarius ad vſum inſignis Eccleſiae Lugdunenſis.

3. Codex Lectionarius S. Petri Foſſatenſis, in quo Sermones plures, ſcr. a. MLVII.

II. *Epiſtolarum.*

1. *Barberiniani*, codices mss. tres Bibl. Card. Franc. Barberinii, ex quibus varias lectiones plurimarum Epiſtolarum S. Leonis, iuſſu ſuo excerptas, ad Queſnellum poſt publicatam primam editionem tranſmiſit. Signabantur *num.* 57. 77. et 2888. Tertius quoque Codicem Canonum, quem Queſnellus Romanum dicit, continebat.

2. *Bellouacenſis* i. e. *Bibl. Eccleſiae Bellouacenſis*, codex ms. Canonum et Decretorum Pontificiorum, in quibus ex Leone plura.

3. *S. Germanenſis;* codex Dionyſianae Canonum et Decretorum Collectionis ex *Bibl. Monaſt. S. Germani a Pratis.*

4. *Grimanicus;* codex ms. *D. Grimani* Card. S. Marci, nongentorum circiter annorum, in quo CVII. Leonis epiſtolae, quarum *viginti octo* ante Queſnellum non erant editae, et plures aliae pene nouae. Acceperat eum ex Bibl. Domus Inſtitutionis Oratorii D. Ieſu ad muros Pariſienſes. De hoc codice fuſe diſputat Queſnellus in praefatione §. V. Cf. *Obſeruata Balleriniorum.*

5. *Corbeienſis;* codex Canonum antiquiſſimus, cuius collectionem ampliſſime deſcripſerunt Ballerinii in diſſ. *de antiquis Canonum Collectionibus* inſerta Tomo III. Opp. Leonis. Ex *Bibl. Mon. S. Germani a Pratis.*

6. *Herouallianus;* codex ms. Iſidorianae collectionis, cui et Liberati Breuiarium et alia quaedam ſubiiciuntur: quem, quia beneficio *D. Vion d'Herouval* acceperat, Herouallianum appellauit, antequam reſciuiſſet illam eſſe ex Bibl. *Antonii Faure* D. Th.

Th. Facultatis Pariſ. Eccl. Metrop. Remenſis Canonici et Vicarii Generalis Epiſcopi Remenſium.

7. *Oxonienſis*; codex ms. in quo *Codex*, quem appellat Queſnellus, *Canonum et Conſtitutorum Sedis Apoſtolicae* cum variis Leonis, quae eidem annectebantur, quorum indicem vna cum apographo Codicis ad Queſn. miſerat E. Bernardus, Aſtronomiae tunc in Academ. Ox. Profeſſor. Seruabatur in *Bibl. Ox. Collegii Orielenſis N. 91. B.*

8. *Remigianus*; codex ms. Epiſtolarum, cuius notitiam et varias lectiones ex Bibl. S. Remigii Remenſis ſuppeditauerat D. Franc. Delfau Benedictinus Sangermanenſis.

9. *Thuanei:* 1) Codex ms. Canonum et Conſt. Sedis Apoſt. cum XXXIII. Leonis Epiſtolis, *num.* 129. 2) Codex ms. in quo plures epiſtolae ad Synodum Chalcedonenſem et ad Arelatenſis Eccleſiae priuilegia pertinentes, item epiſtolae Flauiani ad S. Leonem verſio antea non edita, aliaque primum e tenebris eruta, *num.* 780. 3) Codex ms. librorum de Vocatione omnium Gentium, et aliquot Epiſtolarum S. Leonis, *num.* 729. 4) Codex ms. plurimarum Epiſtolarum S. Leonis notatus *num.* 432. 5) Codex ms. Canonum et Decretorum PP. Rom. Collectore Dionyſio Exiguo. 6) 7) 8) Codices mss. tres Iſidorianae Conciliorum et Pontificiarum Epiſtolarum Collectionis. 9) Codex ms. Can. et Decretorum Pontificum Rom. qualis editus Moguntiae a. 1525. qui fuit olim Claudii *Falcheti* (Fauchet). 10) Codex ms. in quo pars Actorum Synodi Chalcedonenſis.

10. *Treco — Pithoeanus*; codex ms. continens Concilia plurima, Epiſtolas Pontificias praeſertimque Leonis, et alia monumenta eccleſiaſtica, qui olim ad Celeberrimum Pithoeum pertinuit, *ex Bibl.*

Collegii Treco — Pithoeani Preſbyterorum Oratorii D. Ieſu.

III. *Sermonum et Epiſtolarum.*

1. *Ciſtercienſis* i. e. *Bibl. Abbatiae Ciſtercienſis Pariſiis;* codex ms. cuius indicem et loca aliquot communicauerat D. Iacobus de Lannoy, eiuſdem Abbatiae Subprior.

2. *Claromaricenſis* i. e. *Bibl. Monaſterii Claromaricenſis* prope *Audomaropolim;* codex ms. cuius indicem per Io. Mabillonium acceperat.

3. *S. Mariani et Regniacenſis* i. e. *Bibl. Monaſterii S. Mariani Autiſſiodorenſis Ord. praemonſtratenſis*, codices mss. duo, quorum collatas lectiones vna cum indice alterius, qui fuerat *Regniacenſis Monaſterii*, excerpſit et ad Queſnellum miſit D. Chreſtien Eccl. Autiſſiod. Can. et Theol. Par.

4. *Victorinus* i. e. *Bibl. S. Victoris Pariſienſis;* codex ms. Sermonum et Epiſtolarum fere omnium S. Leonis.

2.

Codices CACCIARII.

A. *Sermonum.*

I. *Vaticani:* 1. *Codex num.* 3835. Prior pars antiqui pergameni Lectionarii, continens quam plures Homilias in nocturnis diuinis officiis recitandas in Natali S. Leonis, Paſſione, Reſurrectione, Aſcenſione Domini, et Pentecoſte, atque de Sanctorum Apoſtolorum Petri et Pauli ſolemnitatibus. Scr. currente Saec. VIII. Romanis characteribus in duas columnas diſtinctis. Huius et ſequentis ſcripturae ſpecimina aere inciſa propoſuit Cacciarius in fine huius recenſus, Tomi I. praef. *p.* XXIX.

2. *Co-*

2. *Codex num.* 3836. altera pars praecedentis Lectionarii, continens Sermones in feſto SS. VII. Fratrum Macchabaeorum, S. Laurentii, de Ieiunio ſeptimi menſis aliaſque Homilias vſque ad Natiuitatem Domini recitandas, inter quas celebris Ep. XXIV. ad Flauianum de Incarnatione verbi.

3. *Codex num.* 3828. pergamenus, X. ſaec. exaratus, continens aliquot Sermones Leonis in variis anni Solemnitatibus.

4. *Codex num.* 1195. pergamenus in folio, praeter quaſdam Sanctorum Homilias, etiam Leonis nonnullas continens. Scr. circa XI. ſaec. Cacciario iudice.

5. *Codex num.* 1267. vt praecedens forma maiori in duabus columnis exaratus circa ſaec. XI. *cont.* inter plurium veterum PP. ſermones, nonnullos Leonis M. de Natiuitate et Epiphania et de S. Stephano.

6. *Codex num.* 1268. pars altera praecedentis Lectionarii, *cont.* Sermones quam plurimos a Dominica Septuageſimae vſque ad natiuitatem Domini legendos.

7. *Codex num.* 1269. poſtrema pars eiuſdem, *cont.* praeter Sermones de Tempore, orationes de natali SS. Apoſtolorum Petri et Pauli, de Natali S. Laurentii et de S. Leonis aſſumptione ad Pontificatum.

8. *Codex num.* 1270. pergamenus in folio magno, in quo varii Leonis Sermones. Cacciarius eius ſubſidio potiſſimum ſermonem de feſto Cathedrae Petri, quem primus Queſnellus ſed mutilum et imperfectum euulgarat, primigeniae integritati reddidiſſe teſtatur.

9. *Codex num.* 1271. pergamenus in folio, varios Leonis Sermones exhibens.

10. *Codex num.* 1272. pergamenus in quarto, ſaeculi X. *cont.* ſermones et homilias, quae olim le-

gebantur in ſingulis Apoſtolorum feſtiuitatibus. Praeter quaſdam Leonis orationes, habebat quoque antiquum quendam Miſſae Canonem, homiliae de octo beatitudinibus adiunctum, quem integrum Cacciarius vna cum characterum ſpecimine ipſi ſubiecto *pagg.* 297 — 304. T. I. excudi curauit.

11. *Codex num.* 4222. in folio magno Longobardicis characteribus exaratus, ſaec. IX. *cont.* quosdam Leonis ſermones ſecundum anni dies feſtos legendos.

12. *Codex num.* 5451. Saec. XII. Romanis characteribus ſcriptus, *cont.* Leonis ſermones de ſolemnitate Paſchae, Pentecoſtes et de Feſtis SS. Apoſtolorum Petri et Pauli.

13. *Codex num.* 6450. pergamenus XII. ſaeculi, *cont.* Homilias in nocturnis officiis recitandas, interque eas plures Leonis et illam in Feſto Cathedrae Petri pariter ac in Queſnelli codicibus mutilam.

14. *Codex num.* 6451. praecedenti non abſimilis, eodem ſaec. et charactere ſcriptus, *cont.* ſermonem tertium de Paſchate, quo Cacciarius primum Leonem mactauit.

15. *Codex num.* 6452. duobus praecedentibus forma, figura, ſaeculo et charactere perſimilis, *cont.* Leonis ſermones de Quadrageſima, cum aliis nonnullis ad Domini Paſſionem pertinentibus.

16. *Codex num.* 6454. ſimilis tribus praecedentibus, in quo praeter alios Patrum ſermones, Leonis nomine tum plures ex vulgatis, tum alii nonnulli occurrebant, quos ille tanquam dubios in Appendicem reiecit.

II. *Vaticano - Palatini num.* 442. 443. Lectionum et homiliarum SS. PP. libri duo chartacei, *cont.* quamplures ſermones Leonis, quorum nonnulli mutili et imperfecti, accommodati ad vſum

alicuius

alicuius particularis eccleſiae. Scriptura erat Germanica, in duas columnas diſtincta et notis compendiariis difficillimis referta, quem ſe ipſum legere nequiuiſſe fatetur.

III. *Vallicellanus* vetuſtus liber *cont.* varios Leonis ſermones, quem ipſe tamen Cacciarius non vidit, ſed a *P. Ioſ. Blanchinio* cum editis fuit exactus et quidam ſermones inde exſcripti ſunt, de quibus ſuis ille locis monet.

IV. *Chiſianus;* codex quondam ex Vat. Archivo exſcriptus, *cont.* varios Leonis ſermones, inter quos tres ex iis, quos *Chryſ. Trombellius T. II. P.* 1. *Anecdotorum* primus omnium adornauit.

B. *Epiſtolarum.*

1. *Latini.*

I. *Vaticani.* 1. *Codex num.* 541. pergamenus in folio magno, variis picturis auro et minio diligenter circa XIII. ſaec. ornatus, quo Nicolaus V. Papa vtebatur, *cont.* omnes Leonis Epiſtolas in vulgatis ante Queſnellianam occurrentes.

2. *Codex num.* 542. pergamenus in quarto, ſaec. XIII. eaſdem continens epiſtolas.

3. 4. 5. 6. 7. *Codices num.* 543—547. ſimiles omnes characterum forma, epiſtolarum collectione et aetate praecedentibus. Nullus enim ante XII. ſaec. exaratus fuit. Lectionibus tamen inter ſe differebant.

8. *Codex num.* 630. pergamenus in folio magno, ſaeculi fere XIII. *cont.* Iſidori Mercatoris collectionem Can. et Epp. Pontiff. Rom. inter quas XXXIX Leonis.

9. *Codex num.* 631. Collectionem ſimilem praecedenti exhibens, labente ſaec. XII. exſcriptam, ſed V. tantum Leonis Epiſtolas.

10. *Codex num.* 1319. in quarto ſaeculi XII. *contin.* Acta Syn. Chalced. cum variis Leonis Epiſtolis in Eutychetis et Eutychianorum cauſa exaratis.

11. *Codex num.* 1321. in folio paruo, ſaec. circiter XII., *cont.* libros Facundi Hermianenſis pro Syn. Chalced., inque iis non ſolum varia Epp. Leonis fragmenta, ſed et illas Epiſtolas, quae Leo in illius Synodi generalem confirmationem conſcripſit.

12. *Codex num.* 1322. antiquiſſimus, vt ex characterum ſpecimine, quod Cacciarius pag. LXV. *praef.* ad T. II. incudi curauit, apparet. *Cont.* omnes et ſingulas Chalcedonenſis Synodi actiones, quas inter notat Cacciarius illam, quae ad Domni Antiocheni Epiſcopi cauſam pertinet, quamque velvti ſuppoſititiam, et a Latino impoſtore confictam Queſnellus reiiciendam eſſe cenſuit: tum quia (vt ipſe aiebat) in graecis exemplaribus non legitur: tum quia ex vnico nullius auctoritatis, antiquitatisue Codice chartaceo ab ignotis Scholaribus in lucem prodiiſſe affirmatur. Habet autem varias hic codex ad eandem Synodum pertinentes epiſtolas.

13. *Codex num.* 1342. pergamenus ſaec. IX. labente aut ineunte X. ſcriptus. Characterum formam et notas Cacciarius ibidem, vbi praecedentis, exſcribi fecit. *Cont.* antiquam Canonum Collectionem cum XVI. Leonis epiſtolis, quarum prima ad Ruſticum Narbonenſem.

14. *Codex num.* 1328. pergamenus in folio ſaec. circiter XII. *Cont.* Acta Concilii ſexti generalis et praeter Epp. fragmenta in iisdem occurrentia alias quasdam Leonis Epiſtolas cum quibuſdam Chalced. Conc. Actis.

15. *Codex num.* 1337. pergamenus ſcr. ante ſaec. XI. Continet *Canones diuerſorum conciliorum et Epiſtolas decretales plurium ſummorum Pontificum.*

cum. Incipit Collectio a Nicaenis Canonibus omnesque Leoninarum Epp. Decretalium titulos cum iiſdem Epp. repraeſentat.

16. *Codex num.* 1338. Collectionem praecedenti, ſimilem ſed ſerius, ſaec. XIII. exaratam continens. Recenſet autem inter Leoninos Canones etiam Epiſtolam ad Afros Mauritanae Prouinciae in cauſa Lupicini Ep. ſcriptam, quam Queſnellus ſuppoſititiam dicere auſus fuit.

17. *Codex num.* 1340. pergamenus ſaec. XIII. *cont.* Iſidori Collectionem et in ea omnes Epp. Leonis, quae in editis Surii, Louanienſium et Raynaldi occurrunt. Hac Collectione ſaepiſſime ſe vſum eſſe teſtatur Cacciarius, quod inter recentiores magis caſtigatam deprehendiſſet.

18. *Codex num.* 1341. ſaec. XI. a diligenti et perito Amanuenſi ſcriptus, *cont.* praeter diuerſorum Concil. Canones et plurium Rom. Pontiff. Epp. XLI Leoninas.

19. *Codex num.* 1343. ſaec. XI. Collectionem praecedenti plane ſimilem continens.

20. *Codex num.* 1344. praecedentibus duobus forma et charactere prorſus ſimilis, *cont.* Acta Chalced. ſynodi cum Leonis Epp. ad eandem ſpectantibus.

21. *Codex num.* 1345. ſaec. XI. inſcriptus *Collectio Creſconii*, quae olim pertinebat ad celebre *Monaſterium S. Columbani de Bobio. cont.* nonnullas Leonis Epiſtolas.

22. *Codex num.* 1353. ſaec. XII. optime ſcriptus, *cont.* plures Leonis Epiſtolas.

23. *Codex num.* 3791. ſaec. XII. optimae notae, *cont.* L. Leonis Epiſtolas.

24. *Codex num.* 3836. Lectionarius, de quo ſupra in *Sermonibus* dictum eſt. *Cont.* ſolam Epiſto-

lam ad Flauianum, quam ſaeculo VIII et IX. in Diuinis Officiis ante Feſtum Natiuitatis legere ſolebant.

25. *Codex num.* 3787. pergamenus in folio, ſaec. XII. Cont. Epp. VI. de cauſa Eccl. Alexandrinae et Timothei Aeluri.

26. *Codex num.* 4661. praecedenti reſpondens, *cont.* totidem Epiſtolas.

27. *Codex num.* 5748. *cont.* Creſconii Concordiam Canonum cum nonnullis Leonis Epiſtolis decretalibus.

28. *Codex num.* 5750. ſcr. ante ſaec. IX. Olim fuit Monaſterii S. Columbani Bobienſis. *Cont.* XXXI. Leonis Epp. cum priore Synodi Chalcedon. Actione. Formam ac characterem Cacciarius aere inciſam dedit *pag.* LXV.

29. *Codex num.* 5845. antiquiſſimus et Cacciario plerumque Longobardicus dictus. *Cont.* Collectionem Canonum et Epp. Pontiff. Rom. inter quas XXIV. Leonis.

II. *Vaticano-Palatinus* codex *num.* 579. ſaec. X. *cont.* IV. tantum Leonis Epiſtolas.

III. *Vaticano-Vrbinates.* 1. *Codex num.* 65. pergamenus optime ſaec. XV. ſcriptus. *cont.* omnes Epp. editionum ante Queſnellum vulgatarum.

2. *Codex num.* 179. recens, adeoque exigui vſus. *Cont.* Collectionem Iſidori Mercatoris.

IV. *Vaticano-Alexandrini* i. e. Vaticani, qui quondam fuerant Reginae Suecorum, Chriſtinae Alexandrae.

1. *Codex num.* 586. membranaceus in 4. ſaec. XII. inter cetera *cont.* Paſchaſini Lilyb. Epiſtolam ad Leonem.

2. *Codex num.* 755. membr. in fol. paruo ſaec. XIII. *cont.* eiuſdem Ep. de Paſchae Obſeruatione.

3. *Co-*

3. *Codex num.* 849. membr. ſaec. XII. *Cont.* Collectionem Canonum praecipue ex Africae Conciliis, quaedam Acta Conc. Chalced. et Ep. Leonis ad Anaſtaſium Epiſc. Theſſalonicenſem.

4. *Codex num.* 1038. membr. in fol. ſaec. XII. *Cont.* Decreta Pontiff. Rom. ex Iſidori collectione nec non Bedae librum de Computo etc.

5. *Codex num.* 1039. membr. in fol. ſaec. XIV. *Cont.* Creſconii Concordiam diſcord. Canonum.

6. *Codex num.* 1040. in fol. ſaec. XI. *Cont.* Concilium Generale VI.

7. *Codex num.* 1044. membr. in fol. ſaec. XIII. *Cont.* Epp. Rom. Pontiff. a Clemente ad Leonem.

8. *Codex num.* 1043. membr. in fol. ſaec. XIII. *cont.* Collectionem Canonum, forte Dionyſianam inquit Cacciarius, cum adiectis Symmachi et Hormiſdae decretis.

9. *Codex num.* 1127. membr. in fol. ſaec. X. *Cont.* varia PP. opuſcula et Codicem Canonum, Apoſtolorum et Conciliorum decreta et Pontiff. Rom. Epiſtolas complectentem.

10. *Codex num.* 1997. pergamenus in fol. ſaec. X. *cont.* Collectionem Dionyſianam, in qua V. tantum Leonis Epiſtolae.

V. *Taurinenſis*, *Bibliothecae Regiae* Codex *num.* 29. D. IV. pergamenus in folio circa ſaec. XIII. optime exaratus. *Cont.* LII. Leonis epiſtolas et nonnullas aliorum. Contulerat pro Cacciario P. Cyrillus Gubernatis Carmeli Taurinenſis Alumnus. a. 1739.

VI. *Florentinus*, *Bibliothecae Medicaeae* Codex pergamenus in folio, ſaec. XIII. *Cont.* omnes Leonis Epp. editionum ante Queſnellum vulgatarum.

VII. *Grimaneus.* Celebris huius codicis exemplar Cacciarius in chartaceo folio Pariſiis exſcribi fecit

cit ad explorandam Queſnelli fidem, indeque in vaticana Bibl. repoſuit.

VIII. *Ratisbonenſis*, *Bibliothecae Monaſterii S. Emerami,* Codex *num.* 113. DDAA. membraneus, in quarto, conſtans foliis CLVII. *Cont.* Epiſtolas Leonis LXXII. Characterum formam ex delineatione Frobenii Forſteri tunc temporis apud S. Emeranum Prioris et Bibliothecarii, qui eaſdem epiſtolas in vſum editoris Romani diligentiſſime exſcripſerat, aere incidendam curauit Cacciarius *pag.* LXII. *praef.* Aetatem eius monente Forſtero Bernardus Pezius in T. I. Theſ. Anecdot. p. XI. prope mille annorum aeſtimauit. Plura de eodem dabit Forſteri epiſtola (d. ad S. Emeran. XII. Kal. Septembris a. 1752.) pag. LXI. ſq. excuſa.

2. *Graeci.*

I. *Vaticani*: 1. *Codex num.* 451. chart. in folio ſaec. XIV. inter variorum PP. Graecorum ſcripta fragmentum Epiſtolae Flauiani ad Leonem de *Incarnatione D. N. I. Chr.* continebat.

2. *Codex num.* 730. chart. in folio. ſaec. circiter XV. *cont.* Theodoreti Epiſc. Cyri epiſtolas.

3. *Codex num.* 720. pergamenus in folio ſaec. X. inter diuerſorum PP. opera aliquas Leonis epiſtolas continet.

4. *Codex num.* 712. in 8. ſaec. XIV. *cont.* diuerſorum PP. Epiſtolas et praeſertim quas Flauianus in Eutychetis cauſa ad Leonem ſcripſit, cum reſponſis illius.

5. *Codex num.* 1178. chartaceus in folio ſaec. XV. *Cont.* omnia Chalced. Conc. Acta cum Leonis Epiſtolis ad illud pertinentibus.

6. *Codex*

6. *Codex num.* 1431. pergamenus in folio ſaec. XII. *Cont.* inter diuerſorum opera et epiſtolas etiam Leonis cum Chalced. Conc. Collectaneis.

7. *Codex num.* 1455. bombycinus ſaec. XIII. optime ſcriptus. *Cont.* Pontiff. Rom. et SS. PP. epiſtolas, quas inter epiſtolae Flauiani, Theodoreti, Anatolii et Marciani ad Leonem, cum Leonis reſponſis.

II. *Regio-Vaticani.* 1. *Codex num.* 44. chart. in 4. ſaec. XVI. *Cont.* plurium SS. PP. aliorumque Auctorum Homilias et Opera, tum ad ſcripturam, tum ad Eccleſiaſticas res pertinentia, inque illis nonnullas Leonis Epiſtolas.

2. *Codex num.* 57. chart. in folio ſaec. XIV. *Cont.* Conciliorum general. et partic. Canones et alia antiquorum PP. opera, quae inter Flauiani et Gennadii Epiſc. CP. ad Leonem epiſtolae.

3. *Codex num.* 67. chart. ſaec. XV. *Cont.* vnam dumtaxat Leonis epiſtolam.

III. *Vaticano-Ottobonianus*, Codex *num.* 29. non abſimilis Vat. *num.* 1178. *Cont.* omnia Chalced. Conc. Acta cum variis in iiſdem Leonis Epiſtolis.

C. *Sermonum et Epiſtolarum.*

I. *Vaticani.* 1. Codex *num.* 541. pergamenus Nicolai V. iuſſu auro et variis coloribus ornatus. *Cont.* ſolummodo Leonis Sermones et epiſtolas et quidem eas, quae in editis ante Queſnellum vulgatae ſunt.

2. *Codex num.* 542. pergamenus in 4. ſaec. XII. labentis. Similis Collectio.

3. *Codex num.* 644. pergamenus in folio ſaec. circiter XIII. Collectio non abſimilis.

4. *Codex*

4. *Codex num.* 545. pergamenus in 4. ſcr. circa finem ſaec. XII. Totidem Sermones et Epiſtolas complectitur.

5. *Codex num.* 546. membr. in folio ſaec. XII. Collectio ſimilis praecedenti.

6. *Codex num.* 547. membr. in 4. eiuſdem aetatis et conditionis.

7. *Codex num.* 548. membr. in 4. Praeter ſermones in ſuperioribus contentos exhibebat etiam Sermonem *de Abſalon*, ſed quem ad Leonem non pertinere iudicauit, ideoque omiſit Cacciarius.

8. *Codex num.* 549. membr. in 4. praecedenti ſimilis et eundem de Abſalone ſermonem in fine praeferens.

9. *Codex num.* 550. membr. in 4. praecedentibus per omnia ſimilis.

II. *Regio-Vaticanus*, *Bibliothecae Alexandrinae* Codex *num.* 139. membr. in 4. optime exaratus ſaec. XII. ſolam Leonis Serm. homil. et epiſtolar. Collectionem exhibens.

III. *Vrbinas.* Codex *num.* 65. pergamenus in fol. paruo ſaec. labentis XIV. eandem collectionem praeferens.

3.

Codices Balleriniorvm

A. *Sermonum.*

1. *Lectionarii.*

I. *Bergomenſes;* codices duo ſaec. circiter XII. ex tabulario DD. Conſortii Eccleſiae S. Alexandri in Columna apud Ioſ. de Saluaneis de Roteriis Patricium Bergomenſem. *Cont.* XII. Leonis ſermones.

II. *Chigiani;* codices duo Bibl. Chigianae *num.* 3 et 5. ſaec. XII. *cont.* IV. Leonis ſermones.

III.

III. *Padilironenſes;* codices tres monaſterii Padilironenſis S. Benedicti in agro Mantuano, *cont.* IX. Leonis ſermones et Ep. ad Flauianum.

IV. *Patauinus;* codex PP. Conuentualium S. Antonii *num.* 408. ſaec. XIII. *cont.* Sermones XXX.

V. *Patauini Heremitanorum;* codices tres PP. Heremitanorum SS. Philippi et Iacobi, *num.* 111, 112. et 113. *cont.* XVI. Sermones cum Ep. ad Flauianum.

VI. *Patauini S. Iuſtinae;* codices duo monachorum Caſinenſium S. Iuſtinae ſaec. XV. *cont.* XIV. ſermones cum praedicta Epiſtola.

VII. *Baſilicae S. Petri in Vaticano;* codices tres *num.* 107. 105. et 106. Sed duo priores longe tertio praeſtantiores erant, qui ſaec. licet XII. exaratus tamen non plures quam ſex ſinceros Leonis ſermones complectebatur, alioſque falſo illi adſcriptos.

VIII. *Tridentinus*; codex ms. Capituli Tridentini ſaeculi XIV. *cont.* IV. Leonis ſermones.

IX. Vallicellani i. e. codices Bibliothecae S. Mariae in Vallicella Patrum Oratorii S. Philippi Nerii Romae, quae plures ſaeculi XI. et XII. codices Balleriniorum vſui conceſſit, ex quibus enumerarunt *Codices* XXV. et XXVI. qui praeter Epiſtolam CLXV. ad Leonem Auguſtum lectam aduentus tempore (cuius loco in aliis Lectionariis habetur Epiſtola XXVIII. ad Flauianum) continebat Sermones XXV; *Codicem* II. *cont.* Epiſtolam ad Flauianum et Sermones XXIV; *Codicem* A. 6. *cont.* Sermones VII; *codicem* A. 7. *cont.* Sermones XIII. *codicem* A. 9. qui ad S. Euticii Monaſterium pertinuit, *cont.* ſermones X; *codicem* A. 10. *cont.* Sermones VII; *Codices* VII. XX. XXIII. A. 16. *cont.* Sermones V. IV. vel III.

X. *Vaticani;* Lectionaria omnium antiquiſſima, quae inter imprimis eminebant *num.* 3835. et 3836. vere Romana, quae diligentiſſime recognouerunt. Alios

Alios plures autem Lectionarios codices non quidem per omnia, ſed vbi opus fuit, inſpexerunt.

XI. *Veneti;* codices duo Bibliothecae Venetae S. Marci, Lectionarii ſignati *num.* 153. et 154. ſaec. circiter XIII. in quibus LI. ſermones Leonis.

XII. *Vercellenſes.* Ex Lectionariis Euſebianae Bibliothecae Vercellenſis Capituli habuerunt collatas lectiones Sermonum XI. Leonis.

XIII. *Veronenſes Cap.* i. e. Bibliothecae capituli Veronenſis; codices Lectionarios duos, qui XV. Leonis Sermones praebuerunt, praeterea *codex* 74. praecedentibus antiquior *cont.* Sermones VIII. et recentior ms. liber *num.* 214. *cont.* ſermonem vnum.

XIV. *Veronenſis S. F.* i. e. codex PP. Conuentualium S. Firmi maioris; Lectionarius ſaec. circiter XIII. *cont.* vnum Leonis ſermonem.

2. *Collectiones.*

Collectionum harum ms. quinque diſtinxerunt genera, ex quibus ſingulis maxime inſignes codices tantum indicantur, videlicet ex *Collectione* I. liber ms. *Caſinenſis* num. 126. ex Coll. II. *Barberinus* num. 88. et *Caſanatenſis* C. III. 7. ex Coll. III. exemplar primae editionis, quam ex huius collectionis ms. deſumtam cenſuerunt; ex *Coll.* IV. *Vaticanus* num. 546. et qui aliquando adhibitus eſt 541; ex *Coll.* V. denique *Vaticanus* num. 544.

B. *Epiſtolarum.*

De his in ſequentibus Balleriniorum *obſeruationibus* tam luculenter ac copioſe diſputatum eſt, vt ſingulorum enumeratio ſuperuacanea videretur.

OBSER-

OBSERVATIONES BALLERINIORVM
de Fontibus mss. Sermonum et Epiſtolarum S. Leonis

I. De Fontibus mss. Sermonum.

Duo vniuerſim manuſcriptos fontes eſſe monent Ballerinii, ex quibus Sanctorum patrum Sermones attingere, ſeu emendare liceat, nimirum *Eccleſiarum Lectionaria* ex variorum Sanctorum Sermonibus compacta, et *peculiares* Sermonum alicuius Sancti *Collectiones*. Lectionaria antiquioris originis eſſe ſolent. Collectiones peculiares non excedunt Saeculum XI. „Paucis enim ſanctis, *inquiunt*, contigit, quod SS. Zenoni, Gaudentio et Petro Chryſologo, vt Sermonum collectiones Auctoribus aequales vel quaſi aequales ad nos vſque peruenirent: idque iis forte accidit, quorum Sermones, in Lectionaria haud quaquam traducti, ſi peculiaribus collectionibus non fuiſſent cuſtoditi, periiſſent. At quum non multo poſt Auctoris mortem Sermones tantae auctoritatis ac celebritatis fuere, vt apud vniuerſas fere Eccleſias in Lectionaria relati inter officia publica legerentur; tunc vel nullae collectiones factae, vel ſi quae factae fuerunt, ſenſim periere: cum enim omnes, aut fere omnes ſermones in Eccleſiarum libris ſeruarentur, horum collectionem ſeparatim deſcribere ſuperfluum videbatur. Ita Auguſtini Sermones, ſeu, vti vocabantur, tractatus, in Bibliotheca Hipponenſis Eccleſiae aliqua fortaſſis ſerie diſpoſitos exſtitiſſe Poſſidius ſubindicat. In Auguſtini enim vita c. 18. perinde loquens de tractatibus ac de ceteris S. Doctoris operibus, quae ſane in diſtinctis codicibus continebantur, omnium indiculum ſe ſubieciſſe affirmat, vt *ſibi quiſque voluerit, ad legendum et cognoſcendum eligat, et id ad deſcribendum vel de bibliotheca Hip-*

ponenſis Eccleſiae petat, vbi emendatiora forte exemplaria poterunt inueniri, vel vnde voluerit, inquirat, et inuenta deſcribat. Vetuſtiſſima tamen eiuſmodi exemplaria deſiderantur. Tres enim antiquiores, quae ſuperſunt, collectiones Sermonum S. Auguſtini *de Verbis Domini, de Verbis Apoſtoli et Homiliarum quinquaginta*, vt obſeruarunt doctiſſimi Patres Maurini in Praef. ad Tomum V. licet in mss. octingentorum annorum et amplius reperiantur, non tamen Auguſtino aequales credi queunt: non ſolum quia earum Poſſidius non meminit, ſed praeſertim quia ſuppoſititiis non carent. In Lectionaria nimirum eius Sermones ſparſim traducti, collectionum deſcribendarum laborem ſuſtulere. Ex Lectionariis autem tres memoratae collectiones poſterius fuerunt digeſtae, ac deinceps alii Sermones ex aliis Lectionariis deſcripti Auguſtinianis adiecti fuerunt in editionibus quae ſubinde apparuerunt, nec deerunt qui alios eiuſdem Doctoris Sermones ex iiſdem fontibus deriuare queant, ſicuti nos viginti et amplius genuinos in Anecdotis Miſcellaneis aliquando edituri ſumus. Simile quidpiam S. Leonis ſermonibus accidiſſe arbitramur. Hunc S. Pontificem multo ſtudio Sermones lucubraſſe et accurata eorum exempla apud ſe retinuiſſe illud indicio eſt, quod in ſuis dogmaticis epiſtolis, quae ob ſublimem difficilemque explicationem dogmatum, de quibus diſſeruit, maximam non tam ſententiarum, quam verborum cautionem et delectum flagitabant, quaedam ex Sermonibus non exigua fragmenta inſeruit. Haec autem Sermonum autographa exemplaria in Archiuo Apoſtolico diutius fuiſſe cuſtodita, dubitare non licet. Cum vero pro auctoritate ac celebritate Auctoris, et cura peculiari in Sermonibus lucubrandis, hi paulo poſt Leonis obitum in Lectionariis Romanarum Eccleſiarum inter

aliorum

aliorum Sanctorum Sermones fuiſſent transſcripti, et exinde tranſiiſſent in ſimiles codices aliarum Eccleſiarum totius Occidentis; hinc factum fuit, vt eorundem ſermonum in aliquo ſeparato Volumine colligendorum cura antiquitus defuerit. Quare nihil mirum, ſi Gennadius, qui memorat Sermones S. Maximi Taurinenſis, in Leone c. 70. nullam eiuſdem Sermonum mentionem facit: aliquam enim Maximi Sermonum vetuſtiſſimam collectionem, nullam autem Leonis inuenit, nec ad Lectionaria, in quae huius Sermones traducti fuerant, oculos ac mentem intendit." Haec illi, vt oſtenderent, qui factum ſit, vt in vniuerſum Lectionarii remotioris aetatis ſint, quam peculiares certi alicuius ſcriptoris collectiones. Idem vero in Leone accidiſſe, teſtimoniis ſcriptorum ſaeculi noni, Hincmari Remenſis, Remigii Lugdunenſis, Prudentii Tricaſſini, Flori, et qui illos omnes praeceſſit, Pauli Diaconi demonſtrant.

Itaque *Lectionarios* prae ceteris MSS. libris diligenter conquiſiuerunt et maiori ſtudio quam Queſnellus recoluerunt. Queſnellus enim etſi antiquiorem eorum prae MSS. collectionibus originem bene perſpexerat, tamen ob multa peculiaria ipſis incommoda ac vitia, quae in praefatione generali copioſe recenſet *), parcius eos adhibuit, adeoque ſerioribus et

*) Refert eo, primo, quod non omnes contineant ſermones et alii quidem alios, vt ſaepe multa euoluenda ſint ob paucos ſermones volumina; deinde quod, cum variis propriiſque locorum ſolemnitatibus accommodati fuerint, ſaepe ſaepius peregrinis quibuſdam additamentis, ab auctoris mente prorſus alienis, et quae difficulter diſcerni poſſint, auctiores habeantur; denique quod frequentibus maculis et mendis, librariorum ſiue incuria, ſiue igno-

et minus emendatis collectionibus vti fuit coactus. Inter multos autem, quos adire ipſis licuit praeſtantiſſimos diuerſaeque originis codices, longe optimos atque plurimi faciendos eſſe ſignificant *Romanos*, quo nomine tales libros innuunt, qui in publicis Romanarum Eccleſiarum officiis olim adhibiti fuerint quoſque ex originariis et autographis Leonis ſcriptis originem ducere, et in Romana eccleſia ſemper magna cum diligentia cuſtoditos et ad poſteros tranſmiſſos eſſe ſtatuunt. Horum quatuor inueniſſe ſe affirmant, nempe *Vaticanos duo* pergamenos in folio 3835. et 3836. et duo *Baſilicae S. Petri* num. 107. et 105. poſteriore quidem charactere exaratos, ſed ex vno exemplo, antiquiori eiuſdem Baſilicae Lectionario eductos, de quibus pluribus diſputant §. II. Praef. n. VI. et VII. Tametſi vero reliquarum Eccleſiarum exemplaria minus accurata ſe expertos teſtentur, non paucas tamen optimas et ipſas lectiones, quorumdam etiam Sermonum exempla nemini inuenta ſuppeditarunt, quae ibidem §. III. num. VII. notarunt. Quatuor tamen Sermones in nullo Lectionario nanciſci potuerunt, nimirum quintum de Natali Papae, ſextum de Collectis, nonum de Ieiunio decimi menſis, et nonageſimum ſextum, inſcriptum: *Tractatus contra Eutychianos, habitus in Templo S. Anaſtaſiae.* Enimuero hic tractatus cum conſeruatus fuerit in mss. collectionibus S. Leonis, quae ex Lectionariis dimanarunt, non dubitant Ballerinii, quin in aliquo Lectionario libro contineatur, qui hactenus ipſis non innotuerit. Secus autem cen-
ſent

ignorantia vitientur. Quas quidem et alias inſuper deformitates, quarum omnium cauſae non obſcurae ſunt, Lectionariis adhaerere Ballerinii haud negant, ſed non adeo frequentes eſſe monent, vt non cum pleriſque mss. ipſis communes ſint.

ſent de reliquis tribus. Sicut enim deſunt in Collectionibus Sermonum Leonis, ita in nullis Lectionariis inuentos aut inueniendos exiſtimant. Prodierunt illi ex vno codice Nic. Fabri, qui Queſnelli aetate in Thuaneam Bibliothecam tranſierat, indeque ab eodem Thuaneus dictus eſt, poſt in Colbertinam, ex eaque in Regiam Pariſienſem tranſiit. Ante nongentos annos exaratum fuiſſe, Mabillonii, Baluzii aliorumque peritorum iudicio teſtatur *Antelmius* in Diſſ. VI. *de veris Operibus SS. Leonis ac Proſperi num.* 4. vbi fuſius illum deſcripſit. Continet varia Patrum opuſcula, inter quae tres laudati Leonis Sermones, qui, qua ratione in hunc vnum commigrauerint, haud facile aliquis coniiciat.

Alter fons Sermonum Leonis ſunt *Collectiones MSS.* Earum mentio apud Scriptores non eſt anterior ſaeculo XI. vt ex teſtimoniis *Micrologi* de *eccleſiaſticis obſeruationibus* cap. 25. *Leonis Hoſtienſis* in *Chronico Caſinenſi* l. III. c. 63. et *Anonymi Mellicenſis* c. 7, Ballerinii probant. (Cap. II. Praef. §. I. n, XIII.).

Neque inter quamplures, quos euoluere ipſis licuit mss. Sermonum Leonis libros vllum deprehenderunt, qui Saeculum XI. excederet: vnde non inepte colligunt, circa Saeculum XI. Sermones huius Pontificis colligi coepiſſe. Quinque autem collectiones diuerſae originis nacti fuerunt, quarum vetuſtiores ad idem ſaeculum pertingere videbantur, quas ſedulo et magno cum rei criticae fructu diſtinxerunt. Ex Lectionariis quidem omnes profectas eſſe iudicant, non ſolum, quod antiquior collectio nulla inuenta eſt, ex qua exſcribi potuerint, ſed etiam quia Sermonum numero, ordine, vel ſaltem titulis, ac praeterea variis lectionibus differunt, prout ex Lectionariis ſimili ratione diuerſis originem

ducunt. *Primam* itaque *collectionem* ſtatuunt illam, quae in Codice membranacco *Bibliothecae Caſinenſis* nunc ſignato num. 126. cum epigraphe *Leonis primi Papae pars prima, Sermones*, reperitur. Saeculi XI. eſt eundemque arbitrantur, quem Leo Hoſtienſis iuſſu Deſiderii Abbatis (poſt Romani Pontificis, nomine Victoris III.) compactum tradit. Continet ſermones XCI. inter quos vnus bis deſcribitur, alter dubius eſt, decem ſuppoſititii ſunt, ſinceri adeo ac certi reſtant LXXIX; videlicet de *ieiunio decimi menſis*, VII; *de Natali Domini. n. Ieſu Chriſti*, XI; *de Epiphania Domini*, VIII; *de ieiunio Quadrageſimae*, XIV; *de paſſione Domini*, XIII; *de reſurrectione Domini*, IX; de Aſcenſione, XIX; *in natali S. Laurentii*, II; *de ieiunio ſeptimi menſis*, V; *de octo beatudinibus*, I; *de Pentecoſte*, II. Singulos recenſent Ballerinii l. l. §. II. n. XVI.

Secundam collectionem dicunt, quam praeferunt mss. tres, nempe Caſanatenſis G. III, 7. *Baſilicae S. Petri*. 210. et *Barberinus* 88. quorum priores ad ſaec. XII. pertinere exiſtimant. Caſanatenſis aliquot foliis mutilus eſt et variantes ex collectionibus poſterioribus a quopiam ſtudioſo ad marginem appoſitas, textuique nonnunquam ſuperadditas exhibet. Haec collectio C. Sermones continet, in ordine cum praecedenti modo conuenit, modo longius ab ea recedit. Complectitur omnes genuinos Sermones, qui in prima exſtant, praeter vnum Serm. II. *de Natali Leonis*, qui incipit *Honorabilem*, habet autem XII. alios germanos, qui in illa deſiderantur; in his quinque extra propriam ſedem poſitos, vnde Ballerinii colligunt, hanc collectionem prima cura ex iis Lectionariis elaboratam fuiſſe, qui his ſermonibus carebant, poſteaquam vero in collectoris manus alii libri veniſſent, qui hos ſermones praeferrent, eos in fine

adden-

addendos putaſſe. In hoc quidem, monent, duas haſce priores collectiones ſequentibus poſtponendas eſſe, quod plures alienos Sermones Leoni tribuant, ſed lectionibus melioribus praeſtare atque ab editoribus aeſtimandos eſſe (§. III. num. XVIII. XIX.). *Tertiam collectionem* appellant eam, quae exſtabat in MS., vnde primam editionem Romanam ſumſit *Andreas Alerienſis.* Talem inuenerunt in *Vat. ms. num.* 545., qui ſolos Leonis Sermones continet, dum ille, quo Alerienſis vſus eſt, quatuor epiſtolas in fine additas, et editioni idcirco ſubiectas, praeferebat. Ad eandem pertinere ſuſpicantur *codicem Bononienſem*, cuius variantes cum lectionibus primae editionis fere conuenientes notatas inuenerunt in Ms. Barberino num. 3520. Continet autem Sermones Leonis XCIII. omnes ſinceros praeter vnum *de Macchabaeis*, quem Ballerini Auguſtino vindicarunt. Sermonibus de Natali Domini praemittit *Epiſtolam ad Flauianum*, quae hanc quoque collectionem ex Lectionariis deriuatam innuit. Deſunt ex ſinceris ſoli tres ex Ms. Nic. Fabri editi. Ordo autem Sermonum XCIII. qui ab anteriorum collectionum ordine longiſſime recedit, idem eſt, ac in editionibus maxime tritis, quae his tribus carent, hac vna exceptione, quod Sermo LI. *in Euang. Matthaei c.* 17. inter Sermones de Quadrageſima deſcribitur, vti in omnibus Lectionariis poſitus eſt. Ceterum peculiares habet titulos, qui tam ab editis, quam ceteris collectionibus maxime diſcrepant. (§. IV. num. XX. XXI.). *Quartam collectionem* frequentius in mss. codicibus obuiam, eoſdem omnino Sermones eodemque ordine ac tertiam praeferre, ſed titulis, qui iidem ſunt ac in vulgatis, ab eadem diſcrepare, praetereaque variantibus lectionibus, nec modicis, nec infrequentibus, quae diuerſae origini, non librario-

rum lapſui, vel arbitrio tribui queant, diuerſam eſſe ſignificant. Plerique huius collectionis codices annexam habent epiſtolarum collectionem, quapropter inter Sermones *Epiſtolam ad Flauianum* omittunt, cum in epiſtolis ſuo loco ponatur. Referunt huc *codices Vaticanos tres num.* 541, 546 et 547. *Vaticanum Vrbinat.* 65. *vnum Angelicae Eremitarum S. Auguſtini*, *Venetum* S. Marci 79. et *Feſulanum Canonicorum Lateranenſium.* Eandem collectionem cum epiſtola ad Flauianum, ſed ſine Epiſtolarum collectione inuenerunt in mss. *S. Iuſtinae Patauino-Caſinenſium*, nec non in alio *Veneto Monachorum S. Georgii Maioris.* Nullum exemplar Saeculo XIV. vetuſtius reperire licuit, vnde valde recentem eſſe colligunt. Ac ſane vitioſiſſimam omnium dicunt, ex eaque editiones Sermonum per eos, qui Alerienſis editionem ignorarunt, vulgatas, quae tot mendis et corruptis lectionibus ſcatent, proficiſci ſuſpicantur. *Quinta collectio* a praecedentibus, paucis, at exploratis characteribus diſtinguitur. Quot Sermones comprehendat, diſerte non indicant, vnde colligo totidem ineſſe ac in tertia. Quod diſcrepantes lectiones attinet, duabus praecedentibus meliorem, primae tamen et ſecundae cedere innuunt.

Nullum autem deprehendiſſe ſe teſtantur huius collectionis exemplar, in qua ab epiſtolarum collectione ſeparata eſſet, eam vero ſimiliter ab illa epiſtolarum collectione, quae cum quarta Sermonum collectione copulatur, diuerſam eſſe. Praecipuum autem diſcrimen eſſe monent in defectu duorum Sermonum *Exultemus*, de SS. Petro et Paulo, et *Gratias dilectiſſimi*, de Macchabaeis, quorum prior in quatuor antecedentibus, poſterior in ſecunda, tertia et quarta legitur. Ordo, excepto leui diſcrimine, idem eſt, qui in III. et IV. Ceterum hanc collectionem

puriſſi-

puriſſimam omnium et quae nihil plane ſubdititium contineat, affirmant. Inuenitur in *Vaticano num.* 544. ſaec. circiter XII. *Vat. Reg. Suec. num.* 139. ſaec. XIII. vel XIV. et vno *Caeſenate Minorum Conuentualium S. Franciſci* ſaec. XV. nec non in *Victorino*, quem Queſnellus adhibuit. (ibid. num. XXIII. XXIV.). His quinque a ſe inuentis diuerſae originis Leonis Sermonum collectionibus adnumerant *ſexto loco* Collectionem a Queſnello in *MS. Oxonienſi* ſaec. XI. vel XII. depreheuſam, quam laudat diſſert. XII. cap. 2. Epiſtolas vna cum Sermonibus Leonis complectebatur, ac Epiſtolis quidem, vt Queſnellus docet, inſertae erant *conſtitutiones Imperatorum Theodoſii ac Valentiniani aduerſus Manichaeos et contra Hilarium Arelatenſem; Sermonibus ſubiiciebantur duae Epiſtolae Proterii Alexandrini et Paſchaſini Lilyb. ad Leonem, aliaque nonnulla ad vitam Pontificis attinentia.* Talem vero neque epiſtolarum neque ſermonum collectionem vnquam ſe vidiſſe fatentur, indeque aliam omnino a quinque praecedentibus eſſe ſtatuunt (§. V. n. XXV.).

Coronidis loco huic de mss. Sermonum Leonis fontibus diſſertationi addiderunt Ballerinii Obſeruationes duas, alteram *de Homiliario Doctorum* (§. VI. n. XXVI.) alteram de *MS. Barberino continente varias lectiones Sermonum S. Leonis* (§. VII. n. XXVII.) *Homiliarium Doctorum* a Paulo Diacono iuſſu Caroli M. exeunte ſaec. VIII. pro feſtorum ratione collectum, codicis vice habendum, cum ex antiquioribus Saeculo IX. codicibus, qui Paulo praeſto fuerunt, decerptum fuerit, non minimi faciendum eſſe recte illi cenſuerunt. Huius editio rariſſima eſt Spirenſis a. 1482. Queſnellus autem editionem longe poſteriorem, in qua alii ex editis Leonis multa addiderunt, adhibuit. Quapropter vt germa-

nas Pauli Diaconi lectiones cognoſcerent, Ballerinii editionem Baſilienſem Nic. Keſsleri a. 1496. ſumtam ex vetuſtiſſimo codice Eccleſiae Baſilienſis contulerunt, quae licet non minus quam Spirenſis nonnullos Sermones auctorum poſteriorum addititios praeſerat, genuinam tamen Pauli Diaconi editionem quoad ceteros, et Leoninos, exhibet. At ſine addititiis in duobus MSS. Augienſibus inueniri ex Mabillonio T. IV. Analectorum p. 631. 32. obſeruant. Iam quod *codicem Barberinum* attinet, vnus ex fratribus cum Romae verſaretur, in bibliotheca Barberina incidit in librum ms. recentiorem *num.* 3520, qui non paucas variantes Sermonum S. Leonis editioni paratas exhibebat. Praemiſſa erat Italica epiſtola Laurentii Mari ſcripta die 3 Martii 1677. in qua, cum Card. Franc. Barberini, Brancacii tum Praelati, nomine ab eo quaeſitum fuiſſet, quid Io. Bapt. Marus frater eius in editionem Leonis reliquiſſet, reſpondet, ante aliquot annos in manus eiuſdem fratris veniſſe editionem Sermonum Leonis, in cuius marginibus Gerardus Voſſius, Praepoſitus Tungrenſis, variantes lectiones notauerat; has autem exinde excerpſiſſe Ioannem Baptiſtam, aliaſque variantes ex aliis codicibus et editionibus addidiſſe eo conſilio, vt nouam Sermonum editionem vulgaret cum titulo: *Sermones S. Leonis M. reſtituti ad fidem plurium codicum mss.*, concluditque, editionem praedictam cum variantibus Voſſii, et fratris ſui lucubrationes ſe tradidiſſe Michaeli Angelo Riccio, poſtea Cardinali. Sequebatur ipſius Io. Bapt Mari praefatio editioni praemittenda, quam totam Ballerinii deſcripſerunt. Ex dictis autem a Laurentio Maro patet, codicem laudatum Barberinum tam Voſſii, quam Mari variantes lectiones complecti; quamquam Io. Baptiſta in praefatione variarum lectionum Voſſii nullam mentionem

tionem facit, neque ex ipſa ſcriptura, quae ex Voſſio deſumtae ſint, quaeue a Maro additae, diſcerni poſſit. Sane plures variantes Sermonum ordine nonnihil perturbato adſcriptas eſſe fatentur. Pleraſque ſumtas eſſe monent ex codicibus Baſilicae S. Petri, alias ex Vaticanis, nonnullas ex codice Bononienſi; frequentiores eſſe in iis Sermonibus, qui continentur in Lectionariis S. Petri; ſicuti, vbi iſta Lectionaria defuerint, rariſſimae et quandoque nullae indicentur. Ipſi multa loca huius manuſcripti cum Lectionariis Baſilicae S. Petri contulerunt, cumque ea exacte notata deprehendiſſent, a fuſiori eorum, vt et aliorum tum eiuſdem Baſilicae, tum Vaticanorum aliarumque Romanarum bibliothecarum exemplarium collatione leuatos ſeſe eodem exiſtimarunt.

II. *De Fontibus mss. Epiſtolarum.*

1.

Tria in vniuerſum codicum genera diſtinguenda eſſe docent Ballerinii, in quibus Leonis epiſtolae contineantur. Nempe primum genus faciunt *Collectiones generales Canonum et Conſtitutionum Romanorum Pontificum*, in quibus aliquot integrae Leonis epiſtolae fuere deſcriptae. Alterum conſtituunt *Collectiones particulares ſeu quarumdam Eccleſiarum, ſeu Epiſtolarum Leonis* ſolius, quae ex vetuſtis vel etiam primaeuis exemplaribus olim compactae antiquiſſimam originem prae ſe ferunt. Ad tertium pertinent *Collectiones particulares epiſtolarum S. Leonis*, ſed recentiores et ex primi generis collectionibus maximam partem deductae.

2.

Sicut nulla extat Leoni coaeua aut ſuppar omnium eius Sermonum collectio; ita nullam quoque

coaeuam

coaeuam aut ſupparem epiſtolarum eius collectionem factam eſſe, certiſſimum habent. Hinc nullum codicem ſperandum eſſe affirmant, qui omnes eius epiſtolas praeferat: quoniam non omnes olim perinde fuerint in vnum corpus, aut Regeſtum, vti vocant, collectae, vt Gregorii M. epiſtolis euenit. Initio quidem omnes collocatas et quam diligentiſſime cuſtoditas fuiſſe in *Scriniis* ſeu *Archiuo* ſedis Apoſtolicae inter ceteras conſtitutiones aliorum Pontificum, vetuſtam ſuadere aiunt conſuetudinem Romanae eccleſiae, de qua *Couſtantius* in *Praef. ad Epp. Pont. Rom. n.* 44. *ſeqq.* Atque id ipſum Auctorem Pontificalis Romani, qui Anaſtaſii Bibliothecarii nomine vocari ſolet et Leonis vitam ſerius ſaeculo VIII. ſcripſit, teſtari monſtrant. Sed poſtquam collectiones generales canonum et epiſtolarum Rom. Pontiff., a priuatis hominibus olim compoſitae in priuatum vſum ita propagari et obtinere coeperint, vt iidem Romani Antiſtites epiſtolas deceſſorum ſuorum non ex apoſtolicis ſcriniis, ſed ex iis collectionibus ſumerent, tunc factum eſſe dictitant, vt earumdem epiſtolarum autographa exemplaria, quae erant in apoſtolico archiuo, ſenſim neglecta, temporum viciſſitudinibus interciderint, ac propterea antiquae iſtae generales collectiones ſint vetuſtiores ac celebriores fontes, ex quibus antiquiorum Pontiff. Rom. epiſtolas accepimus, adeo vt non aliae quorumdam Rom. Antiſtitum epiſtolae ad nos peruenerint, niſi quae eiuſmodi collectionibus conſeruatae fuerunt *). Has igitur et ſecundi generis collectiones veluti pro originariis fontibus habendas eſſe, ad quas Leonis editio

*) Hae ſunt, de quibus vt et mss. codicibus, qui eaſdem complectuntur, ampliſſimum tractatum condiderunt Ballerinii in *Tomo III.* s. *Appendice* ad *Opp.* Leonis, vt ſupra iamiam indicatum eſt.

tio reuocari deberet, ſtatuerunt, ita quidem, vt illas tertii generis haud negligerent, ſiquidem ſubinde ex emendatioribus manuſcriptis antiquarum editionum eductae lectiones meliores et emendationes non contemnendas praebuere. Quaedam etiam ex iis epiſtolas continent, quae in antiquis notis collectionibus non inueniuntur, vnde exiſtimare licet, eas ex aliis antiquis collectionibus nunc quidem ignotis deſumtas atque in hac parte pro originariis habendas eſſe. Generatim autem Collectiones mss. epiſtolarum S. Leonis Balleriniis innotuerunt XXIV. Ex his XIII. ad *Collectiones generales;* VI. ad *antiquas particulares* referuntur; V. *Collectiones recentiores peculiares* ſunt. Quemadmodum vero, inquiunt, hae ſingulae inter ſe epiſtolarum numero, ordine aliiſque characteribus diſcrepantes diuerſam originem produnt; ita omnes cuiuſque collectionis codices adeo plerumque ipſis lectionibus congruunt, vt, (quod de Sermonibus etiam valet) ſuperuacaneum plerumque ſit, plures conſulere, maioremque vtilitatem referat, qui duos aut tres diuerſarum collectionum mss. libros, quam qui permultos vnius collectionis euoluerit.

Iam peculiaria de ſingulis: quae, quoniam etiam ad editionum nonnullarum, quas ſupra recenſuimus, notitiam haud parum conducunt, a nobis non omnino hic praetermitti debebant; ſed breues eſſe ſtudebimus. Initium fit a *Collectionibus generalibus.*

Prima Collectio. Antiquiſſima omnium et hactenus ignota. Extat in cod. *Vat. Reg. Sueciae* 1997. Catalogus Pontiff. Rom. in Hormiſda deſinit. Continet epiſtolas VII. 1. *Ruſtico* (167.)*). 2. *Epiſc. Mauritaniae* (12.). 3. *Turribio* (15.). 4. *Epiſc. Siculis*

*) Hic numerus ſignificat ordinem ed. Balleriniorum.

Siculis (16.), 5. *Nicetae* (159.). 6. *Aquileienſi ep.* (1.). 7. *Septimio ep.* (2.).

Secunda collectio. Corbeienſis, vt a Couſtantio appellatur, ſeruata in *Ms. Corbeienſi Bibl. S. Germani a Pratis Pariſiis* et venerandae antiquitatis. Ballerinii in nullo codice eam deprehenderunt. Sed Queſnellus ea vſus eſt (ms. Corbeienſe vocans) et poſt eum Couſtantius, qui eam deſcripſit in Praef. ad Epp. Pontiff. Rom. num. 61. Sed ordinem epiſtolarum indigitauit; quare ex vtriuſque citatis, quantum fieri potuit, Ballerinii eruere ſtuduerunt, qui ſic ſe habet. 1. *Campanis* (4.). 2. *Italis* (7.). 3. *Viennenſibus* (10.). 4. *Anaſtaſio* (4.). 5. *Turribio* (15.). 6. *Flauiani ad Leonem* (22.). 7. *Flauiano* (28.). 8. *Theodoſio* (29.). 9. *Pulcheriae* (31.). 10. *Iuliano* (35.). 11. *Conſtantinopolitanis* (59.). 12. *Rauennio et Gallis* (103.). 13. *Iuuenali* (139.). 14. *Leoni Aug.* (165.). Queſnellus praeterea laudat *Thuaneum codicem* Corbeienſi ita ſimilem, vt ex eo tranſſcriptus videatur.

Tertia Collectio. Antea ignota, vetuſtiſſima et praeſtans. Extat in *Codd. Barberino* 2888. et *Vat.* 1342. Continet XV. Epiſtolas hoc ordine: 1. *Anaſtaſio* (14.). 2. *Ruſtico* (167.). 3. *Siculis* (16.). 4. *Aquileienſi ep.* (1.). 5. *Mauris epiſc.* (12.). 6. *Nicetae* (159.). 7. *Dioſcuro* (9.). 8. *Iuuenali* (139.). 9. *Leoni Aug.* (145.). 10. *Maximo* (119.). 11. *Flauiano* (23.). 12. *Flauiani ad Leonem* (22.). 13. *Eutycheti* (20.). 14. *Flauiano* (28.). 15. *Leoni Aug.* (165.).

Quarta collectio. Extat in antiquo *codice Capituli Lucenſis*, quem Io. Dom. Manſi in diſſ. de *celebri codice ſaeculo Caroli M. ſcripto* Tomo XLV. *Opuſculorum P. Calogerá* accuratiſſime deſcripſit. Extat quoque in Codice olim *Colbertino* 784. quem

Antel-

Antelmius et Pagius commendant. Adde Couſtantii deſcriptionem, qui Italicam collectionem agnoſcit, in laudata *Praef. n.* 89. Continet IV. tantum Leonis epiſtolas. 1. *Ruſtico* (167.). 2. *Mauris* (12.) 3. *Aquileienſi ep.* (1.). 4. *Septimio* (2.).

Quinta collectio a Balleriniis vocatur *Queſnelliana*, eoque nomine ſignificant *Codicem Conſtitutionum Eccleſiae Romanae* a Queſnello primum, ſed ex ms. Oxonienſi recenti et mendoſo editum. Continet epiſtolas Leonis XXXII. nempe: 1. *Leoni Aug.* (165.). 2. *Iuuenali* (139.). 3. *Flauiano* (28.). 4. *Theodoro Foroiulienſi* (108.). 5. *Turribio* (15.). 6. *Ruſtico* (167.). 7. *Anaſtaſio Theſſ.* (14.). 8. *Nicetae* (159.). 9. *Ianuario Aquilei.* (18.). 10. *Epiſcopis Campaniae, Piceni et Tuſciae* (4.). 11. *Epiſcopis Italiae* (7.). 12. *Siculis* (16.). 13. *Pulcheriae Aug.* (31.). 14. *Conſtantinopolitanis* (59.). 15. *Palaeſtinis* (124.). 16. *Aquileienſi Ep.* (1.). 17. *Septimio* (2.). 18. *Mauritanis* (12.). 19. *Synodo Epheſinae* (33.). 20. *Theodoſio Aug.* (44.). 21. *Pulcheriae Aug.* (45.). 22. *Iuliano Coenſi* (25.). 23. *Theodoſio Aug.* (29.). 24. *Marciano Aug.* (104.). 25. *Anatolio Ep.* (106.). 26. *Synodo Chalcedonenſi* (114.). 27. *Anatolio Ep.* (155.). 28. *Leoni Aug.* (162.). 29. *Anatolio* (163.). 30. *Eidem* (135.). 31. *Synodo Chalced.* (93.). 32. *Doro Beneuent. Ep.* (19.) Has praecedunt in pluribus codd. III. aliae aliorum epiſtolae, quae inter Leoninas eduntur. 1. *Euſebii et Synodi Mediol.* (97.). 2. *Rauennii et al. Epiſcoporum Galliae* (99.). 3. *Ceretii, Salonii et Veranii* (68.). In Galliae Bibliothecis aliquot h. coll. codices reperiri monent Ballerinii. Queſnellus in emendandis Leonis Epiſtolis vſus eſt duobus aliis inſignibus eiuſdem codicibus, *Thuaneo*, poſtea Col-

bertino

bertino *num.* 932. nunc Regio et *Trecco-pithoeano*, de quo ſupra. Ballerinii cum in Italia nullum eius codicem reperire potuiſſent, vetuſtiſſimum *exemplar* nacti ſunt ex *Bibl. Caeſarea Vindobonenſi* XXXIX. Alius *eiuſdem Bibliothecae codex antiquus*, ſed praecedenti aliquanto recentior, ſign. *num.* XLII. eandem collectionem, ſed inſertis XX. epiſtolis ex collectione Hiſpanica ſeu Iſidoriana complectebatur (vid. §. II. num. 11. 12.).

Sexta collectio Dionyſii Exigui fuit ſub Hormiſdae Papae tempora lucubrata. VII. Leonis epiſtolas complexa eſt. 1. *Campanis* (4.). 2. *Italis* (7.). 3. *Siculis* (16.). 4. *Ianuario* (18.). 5. *Ruſtico* (167.). 6. *Anaſtaſio Theſſalon.* (14.). 7. *Nicetae Aquilei.* (159). Aliam Leonis Epiſtolam ad *Mauros* poſterioribus additamentis tribuendam eſſe monent. Huius collectionis mss. libri, qui additamentis inſertis careant, adeo rari ſunt, vt duo tantum hactenus nominentur, *Vaticanus* et *Regius Pariſienſis*. Inter hos maxime commendatur *Vaticanus num.* 845. quem ipſi contulerunt. Sed cum purae Dionyſianae mss. vſus ſit *Creſconius*, vtpote qui totam Dionyſii collectionem in certos titulos diſtributam operi ſuo inſeruit, Codices Creſconianos pro puris Dionyſianis habendos eſſe monent. Horum autem plures Romae aſſeruantur, ex quibus inſpexerunt Ballerinii *Vallicell.* XVIII. *Vatic.* 1347. *Vatic. Reg.* 849. *Vatic. Palat.* 579.; ſed praecipue contulerunt *Ms. Capituli Veronenſ.* ſaeculo VIII. charactere papyraceo ſcriptum.

Septima collectio. Dionyſio-Hadrianea a ſuperiore non diſiungenda, quoniam nonniſi additamentis quibuſdam internoſcatur. Hadrianea vocatur, non quod additamenta ſub Hadriano Dionyſio acceſſerint, ſed quod hic pontifex eam ad Carolum M. miſerit.

miſerit. Nonniſi *vnam ſuper ſeptem* epiſtolas continet, nempe ad *Mauros* (12.). Ex codd. huius collectionis, quos Romae Ballerinii viderunt, memorandos praecipue cenſent *Vatic.* 4969. *Vatic. Palat.* 578. *Vatic. Reg.* 1021. et 1043. nec non *Vat.* 1337. qui a Correctoribus Romanis in editione Gratiani *Codex Canonum* appellatur, ac *duos Vallicell.* A. S. et XVIII. ſaeculo nono vel decimo ſcriptos. Ex edd. huc pertinet *Pariſienſis Voëlli et Iuſtelli* a. 1661, nam licet illis puram Dionyſianam ſeparatis additamentis edere conſtitutum fuiſſet, cum tamen nullum Dionyſianum codicem inſpexerint, additamenta omnia praeſertim in Leone internoſcere ac ſeparare non potuiſſe monent Ballerinii.

Octaua Collectio. Additamenta omnia a puro Dionyſio ſeiuncta poſt Dionyſium deſcripta inuenerant Ballerinii in *Ms. Vat.* 5845. collectionis Dionyſianae. Iiſdem autem in eodem codice ſubiectae erant multo maiores additiones, quas Hadrianeae collectioni ſubiunctas deprehenderunt in codd. *Vallicellano A. S.*, *Vat.* 1353. ac in vno *Capituli Vercellenſis.* Haec igitur quaſi vtriuſque ſupplementa ex aliis fontibus congeſta octauae collectionis loco habenda eſſe cenſent. Conſtant autem XV. epiſtolis 1. *ad Dioſcurum* (9.). 2. *Ad Turribium* (15.). 3. *Ad Epiſc. Aquileienſem* (1.). 4. *Ad Septimum Altini Epiſc.* (2.). 5. *Ad Theodorum* (108.). 6. *Ad Siculos* (17.). 7. *Ad Eutychen* (20.). 8 *Ad Flauianum* (23.). 9. *Flauiani ad Leonem* (22.). 10. *Ad Flauianum* (28.). 11. *Ad Iuuenalem* (139.). 12. *Ad Maximum* (179.). 13. *Ad Anatolium* (80.). 14. *Ad Leonem Aug.* (145.). 15. *Ad eundem* (165.).

Nona Collectio. *Hiſpanica*, quam primus Couſtantius notiorem reddidit. Huius auctor Dionyſia-

nas epiſtolas cum iiſdem titulis ſumſit, vno tantummodo titulo et capite in epiſtola ad Ruſticum addito. His adiecit triginta alias Leonis, vnam Chryſologi, et Flauiani ad Leonem vnam, ita vt omnes XXXIX. hac ſerie procedant. 1. *Ad Eutychen* (20.). 2. *Ad Flauianum* (23.). 3. *Flauiani ad L.* (22.). 4. *Leonis ad Flauianum* (28.). 5. *Petri Rauenn. ad Eutychen* (25.). 6. *Leonis ad Synodum Epheſinam* (33.). 7. *Ad Theodoſium* (44.). 8. *Ad Pulcheriam* (45.). 9. *Ad eandem* (60.). 10. *Ad Martinum et Fauſtum* (61.). 11. *Ad Theodoſium Aug.* (69.). 12. *Ad Pulcheriam* (79.). 13. *Ad Fauſtum Martinum et ceteros* (71.). 14. *Ad Pulcheriam* (70.). 15. *Ad Anatolium* (80.). 16. *Ad Marcianum* (82.). 17. *Ad eundem Imp.* (83.). 18. *Ad Anatolium* (85.). 19. *Ad Marcianum* (90.). 20. *Ad Synodum Chalced.* (93.). 21. *Ad Marcianum* (104.). 22. *Ad Anatolium* (106.). 23. *Ad Marcianum* (115.). 24. *Ad eundem* (130.). 25. *Ad eundem* (134.). 26. *Ad Leonem Imp.* (165.). 27. *Ad Turribium* (15.). 28. *Ad Italos* (7.). 29. *Ad Siculos* (16.). 30. *Ad Epiſcopos per Campaniam &c.* (4.). 31. *Ad Ianuarium* (18.). 32. *Ad Ruſticum* (167.). 33. *Ad Anaſtaſium* (14.). 34. *Ad Nicetam* (159.). 35. *Ad Africanos* (12.). 36. *Ad Theodorum* (108.). 37. *Ad Leonem ſeu Neonem Rauenn.* (166.). 38. *Ad Dioſcurum* (9.). 39. *Ad Campanos* (168.). In indice decretorum huic collectioni praefixo tum in codd. tum apud Couſtantium tres Leonis epiſtolae ad Marcianum cenſentur num. 51—53. ex quibus XL. tituli ad Leonem pertinent, ſed in ipſo collectionis corpore et Iſidori Merc., qui totam deſcripſit, duae tantum eo loco inueniuntur, adeoque omnes ſunt XXXIX.

Porro

Porro Epiſtola XII. *ad Mauros* in h. coll. habetur decurtata et ab illa in Hadrianea diuerſa, id quod purum Dionyſianae codicem praeſto fuiſſe declarat. Codices huius coll. valde rari ſunt. Ballerinii duos diligenter contulerunt, *Vatic.* 1341. et *Caeſareum Vindobonenſem* 41. olim 281. vtrumque ſaeculi circiter IX., quorum prior a Gallicanis, poſterior ex Hiſpanicis purioribus mss. originem duxit, quamquam non paucis in locis erroneas lectiones praeferat, quae in Vindobonenſi a ſtudioſo librario correctae deprehenduntur. Ex codice perinde emendato collectionis Hiſpanicae fluxerunt exemplaria, quae Gallicana appellant, veluti *Vat.* 1341. et alia quae in Tractatu *de antiquis Collectionibus et Collectoribus Canonum* Tomo III. allegant.

Decima collectio. Iſidori Mercatoris. Hanc quidem collectionem Ballerinii fatentur poſt Hiſpanicam, quoad Leonis epiſtolas, diſtincte non fuiſſe memorandam: quia purus Iſidori codex eaſdem, nec plures, nec pauciores Leonis epiſtolas continet, quae quidem in eum ex Hiſpanica collectione ſine vlla fictione vel additione fuerunt traductae, teſtibus codicibus *Vat.* 630. ſaec. circiter IX. quem accurate contulerunt, et *Vat.* 631. ſaec. circiter XIII. At ceteros codices non eodem iure pro Iſidorianis habendos eſſe obſeruant. Tametſi enim in aliis pleriſque Iſidoriani ſunt, in Leone tamen purum Iſidorum haud referunt; ſed alia additamenta receperunt; id quod etiam de ea collectione valet, quam *Merlinus* edidit. *Vaticanus* quoque 630. cum *Vat.* 1341. coll. Hiſpanicae tam in lectionibus quam erroribus inter ſe concordabant, vt vnus ex altero exſcriptus videretur. Attamen quod Hiſpanica parum nota ſit, Iſidoriana autem vt notior citari ſoleat, Queſnellus

etiam aliquot Iſidorianae codices allegat: idcirco diſtincte eam commemorare par viſum.

Vndecima collectio. Ex Iſidoriana promanauit, ſed praeter XXXIX. epiſtolas in Iſidoriana obuias addit XVIII. alias, in Iſidoro aeque ac in Hiſpanica deficientes. Comprehendit itaque LVII., in quibus bis recitatur *epiſtola ad Flauianum* (28.) ex diuerſis ſcilicet fontibus. Praemittuntur nempe Iſidorianis XVI. ſequentes: 1. *Ad Theodoretum* (120.). 2. *Euſebii et Synodi Mediolanenſis ad Leonem* (97.). 3. *Rauennii et aliorum Epiſcoporum Galliae ad Leonem* (99.). 4. *Leonis ad Iuuenalem* (139.). 5. *Ad Flauianum* (28.) ſumta ex lectione, quam antiquiſſima Homiliaria praeferunt et diſſimilis lectioni Iſidorianae. 6. *Ad Pulcheriam* (31.). 7. *Ad Clerum CP.* (59.). 8. *Ad Palaeſtinos* (124.). 9. *Ad Aquileienſem* (1.). 10. *Ad Iulianum* (35.). 11. *Ad Theodoſium* (29.). 12. *Ad Synodum Chalced.* (114.). 13. *Ad Anatolium* (155.). 14. *Ad Leonem Aug.* (162.). 15. *Ad Anatolium* (163.). 16. *Ad eundem* (135.). Subiiciuntur XXXIX. Iſidori, inter quas inſeritur epiſtola *ad Dorum Beneventanum* (19.), quae in Iſidoro deſideratur. Porro Epiſtola ad Africanos Mauros, quae inter Iſidorianas numeratur, hic non ex decurtata Iſidori, ſed ex Hadrianea editione profertur: ac poſtea eidem velut appendicula ſubiicitur, quidquid praeterea in Iſidoro legitur: quam editionis rationem ex hac in poſteriores quaſdam collectiones fluxiſſe exiſtimant. Additur denique epiſtola Leoni in hac collectione primum attributa *ad Epiſcopos Germaniae et Galliae:* vnde vetus ſuppoſitionis origo, ſimul autem quod perperam ab Iſidoro confictum nonnulli arbitrati ſint, patet. Nam in Iſidoro deeſt: huius autem collectionis anti-

antiquitatem non ſolum codices, ſed multo magis Hincmarus probat, quem ea vſum fuiſſe ex Opuſc. I. c. 5 p. 23. ed. Pariſ. euincunt. Extat autem haec collectio in *Vaticano Ottoboniano num.* 93. ſaec. IX. vel X. et *Vaticano num.* 3791. Prior in fine mutilus, vnde numerus ex poſteriori colligendus fuit. Praeterea ad eandem referendos exiſtimant *Barberinum num.* 57. a Queſuello in notitia Mss. ed. ſecundae laudatum, et *Vaticanum* 4902.

Duodecima Collectio. A *Merlino* edita; Gallicae originis fuit, vt ex additamentis, quae ad Concilium Remenſe vſque ad a. 1148. pertingunt, aliiſque Gallicanis monumentis patet. Continet XCIX. epiſtolas adeoque omnium, excepta decima octaua, eſt ditiſſima. Exhibet ſcilicet epiſtolas XXXIX. coll. Iſidori (inter quas decurtata *ad Africanos*), tum alias XVI. in antecedenti additas, omiſſa vna *Euſebii Mediolanenſis* (97.) ac ſine repetitione epiſtolae *ad Flauianum* (28.); de nouo adiiciuntur epiſtolae XLIV. ſequentes 1. *Theodoſio* (24.). 2. *Galliae epiſcopis* (102.). 3. *Marciano* (121.). 4. *Iuliano;* falſo inſcripta eſt *Eudochiae* (122.). 5. *Septimo* (2.). 6. *Viennenſibus* (10.). 7. *Rauennio* (41.). 8. *Pulcheriae* (95.). 9. *Marciano* (94.). 10. *Pulcheriae* (105.). 11. *Iuliano Coënſi* (11.). 12. *Marciano* (111.). 13. *Pulcheriae* (112.). 14. *Iuliano* (118.). 15. *Eudociae* (123.). 16. *Iuliano* (125.). 17. *Eidem* (127.). 18. *Ceretii* etc. *ad Leonem* (68.). 19. *Leonis Bituricenſis, Victorii et Euſtochii Epiſcopis et Presbyteris infra tertiam Prouinciam (in App.).* 20. *Leonis Papae Rauennio et al. Galliae epiſc.* (103.). 21. *Gallis et Hiſpanis* (138.). 22. *Theodoſio* (54.). 23. *Iuliano* (34.). 24. *Flauiano* (36.). 25. *Theodoſio*

doſio (37.). 26. *Flauiano* (38.). 27. *Eidem* (39.). 28. *Conſtantinopolitanis* (50.). 29. *Anaſtaſio* (47.). 30. *Flauiano* (49.). 31. *Iuliano* (48.). 32. *Archimandritis CP.* (59.). 33. *Marciano* (74.). 34. *Eidem* (78.). 35. *Iuliano* (81.). 36. *Pulcheriae* (45.). 37. *Anatolio* (87.). 38. *Marciano* (89.). 39. *Pulcheriae* (116.). 40. *Maximo* (119.). 41. *Leoni Aug.* (145.). 42. *Eidem* (148.). 43. *Eidem* (156.). 44. *Pulcheriae* (30.). Pleraeque ex his epiſtolis in nulla iam deſcripta collectione inueniuntur. Quodſi nonnullae poſtea inventae fuerint, in quibuſdam raris codicibus, aliae vero in mss. collectionis XXIV. ex qua auctor profeciſſe videtur, quinque tamen Leonis epiſtolas in nulla alia collectione adhuc exhibitas ex aliquo ignoto Codice ſumſit, nimirum 1) *ad Flauianum* (39.). 2. *Ad Anaſtaſium* (47.). 3. *Ad Iulianum* (48.). 4. *Ad Marcianum* (74.). 5. *Ad Gallos et Hiſpanos* (138.). Perperam *Leonis Bituricenſis*, *Victorii* etc. epiſtola tamquam Leonis Papae inſerta eſt. Extat in cod. *Vaticano* 1340. ſolaque additamenta Iſidorianis ſubiuncta reperiuntur in cod. *Veneto S. Marci* 169. Vulgauit eam *Merlinus* ex codice Iſidoriano, ſimili *Vaticano* 1340. omiſſis ſolummodo *Petri Rauennatis* et *Ceretii*, *Salonii etc. ad Leonem epiſtolis* et ordine in nonnullis immutato. Ballerinii vſi ſunt ed. a. 1530. Pertinere huc quoque exiſtimant Codicem Queſnelli, quem *Herouallianum* vocat, nec multo diſſimilem eſſe *Codicem Remenſem S. Remigii*, tum ex variantibus apud Queſn. tum ex Couſtantio, *praef. ad Epp. Pontiff. Rom. n.* 163. colligunt.

Ad eandem Collectionem porro pertinuiſſe conjiciunt codicem Iſidorianum, ex quo *Sichardus* L. epiſto-

epiſtolas Leonis, inter quas epiſtola *Flauiani ad Leonem* (22.), edidit, licet in nonnullis diuerſum fuiſſe, diuerſus ordo ac numerus epiſtolarum oſtendat. Lectiones vero nec non pannum illum, quem Sichardi codex praefert in ep. ad Epiſc. Aquileienſem (1.) diuerſo loco, ac in praeſenti collectione, aſſutum, collectionem XXIV. fontem habuiſſe monent, in qua eodem loco ſubiiciatur. (cf. Ballerin. annot. 26. ad dict. ep.). Queſnellus vſus eſt ed. Sichardi Pariſ. 1568. quam tamen Ballerinii ad Victorinos forte codices Iſidorianos, non autem Sichardiano ſimiles emendatam perſpexerunt; ipſi adhibuerunt puram Baſilienſem a. 1536.

Decima tertia collectio. Extat in ms. *Florentino* S. *Marci* 182. ſaec. XII. ſolas Rom. Potiff. epiſtolas complexo et ex apocryphis, quas vna cum ſinceris profert vſque ad Sixtum III., Iſidorianus agnoſcitur, in Leone vero ab Iſidorianis ordine et qualitate epiſtolarum quam maxime diſcrepat. Continet XXIII. integras, vigeſima quarta fine caret: eſt enim codex mutilus, vnde, quot comprehenſae fuerint, ignoratur. Series haec eſt: 1. *Epiſcopis per vniuerſas provincias conſtitutis* (4.). 2. *Italis* (7.). 3. *Siculis* (16.). 4. *Ianuario* (18.). 5. *Ruſtico* (167.). 6. *Anaſtaſio* (14.). 7. *Nicetae* (159.). 8. *Mauris* (12.). 9. *Palaeſtinis* (124.). 10. *Conſtantinopolitanis* (59.). 11. *Epheſinae Synodo* (33.). 12. *Theodoſio* (44.). 13. *Pulcheriae* (45.). 14. *Theodoſio* (29.). 15. *Iuliano* (35.). 16. *Pulcheriae* (31.). 17. - - - - - *Aquilei.* (1.). 18. *Septimo* (2.). 19. *Anatolio* (163.). 20. *Eidem* (135.). 21. *Synodo Chalced.* (95.). 22. *Doro* (19.). 23. *Flauiano* (23.). 24. *Leoni Aug.* (165) ſed perperam *Marciano* inſcripta. Octo pri-

ores Hadrianeae coll. ordinem praeferunt; non item octaua eiuſdem eſt originis: eſt enim integra et exacte deſcripta, qualem hic codex vnus exhibet peculiaris et praeſtantis originis teſtimonio. Hactenus de generalibus collectionibus. Tranſgrediuntur ad *peculiares* Ballerinii, et primo quidem ad eas, quae peculiaria quarumdam eccleſiarum documenta continent.

Decima quarta collectio. Auellana, Romanae eccleſiae propria. Auctor Romae ſub Vigilio floruit, ac multa Rom. Pontiff. et Romanae eccleſiae ſpecialia collegit, quae in ceteris collectionibus aut omnino deſunt, aut diuerſa editione prodierunt. Continet V. tantum Leonis Epiſtolas a Surio primum vulgatas, quae in aliis codd. et coll. fruſtra quaeruntur, et ex Balleriniorum ſententia non niſi ex ſcriniis apoſtolicis deriuari potuerunt. 1. *Leoni Aug.* (169.). 2. *Gennadio CP.* (170.). 3. *Timotheo Alex.* (171.). 4. *Preſbyteris et Diaconis Alex.* (172.). 5. *Theophilo et al. Epiſcopis Aegyptiis* (173.). Extat in *Codice* antiquiſſimo et celeberrimo *Vaticano* 4961. qui olim ad Monaſterium S. *Crucis Fontis Auellanae in Vmbria* pertinuit; vnde nomen a Balleriniis deſumtum; item in aliis tribus *Vaticanis* 3786. 3787. et 4983. vno *Corſiniano* et alio *Bibl. Angelicae*; *Venetiis* autem in duobus *S. Marci* 171. 172. Inter haec tamen exemplar *Vat.* 3787. et duo Veneta ab Auellana nequaquam pendent.

Decima quinta collectio. Arelatenſis; quae Arelatenſis Eccleſiae Epiſcoporum ad Romanos Pontifices aut Romanorum Pontificum ad Arelatenſes epiſtolas complectitur. Continet III. Leonis et vnam ad Leonem, quae alias periiſſent, nimirum: 1. *Ad*

Con-

Conſtantium, *alioſque Galliarum Epiſcopos* (40.). 2. *Ad Rauennium Arelatenſ.* (42.). 3. *Preces Gallorum ad Leonem* (65.). 4. *Reſcriptum Leonis ad ſuperiorem epiſtolam* (66.). Laudantur *codices* duo antiqui, *Regius* et *Colbertinus*. Ballerinii recentiorem *Vallicellanum* G. 99. ſed exactiſſime ex *Arelatenſi* peruetuſto tranſſcriptum recognouerunt, ex quo, licet memoratae epiſtolae a *Baronio* editae fuerint, nonnulla tamen emendare ipſis licuit, quae ob characterem difficiliorem apographi legenti obrepſerunt.

Decima ſexta collectio. *Eccleſiae Theſſalonicenſis*, quo nomine *Synodus Romana ſub Bonifacio* II. a. 531. habita et ab *Holſtenio* in *Collectione Bip*. a. 1662. edita, a Balleriniis ſignificatur; quippe in qua non paucae Pontiff. Rom. epiſtolae ad eandem eccleſiam pertinentes proferuntur. Profecta eſt ex *codice ms. Barberino* 3386. recentiori, ſed ex duobus antiquioribus *Vaticanis* ſign. *num.* 5751. fol. 55. et 6339. fol. 12. exſcripto, vt Ballerinii indicant. Neutrum tamen quamuis ſedulo inquirentes inueſtigare potuerunt. Ex numero autem Vaticanorum mss. Holſtenii manu initio Codicis adnotatorum Barberinii colligunt, ipſius Holſtenii cura illum eſſe deſcriptum, indeque amplius argumentantur, accurate ex Vaticano exemplo fuiſſe expreſſum, adeo vt ipſi errores codicis Barberini, quos ille in editione poſtea emendauit, et paucae quaedam lacunae, quae in eodem cernuntur, in ed. Holſtenii autem fuerunt ſuppletae, Vaticano exemplari tribuendae ſint. Ex ipſius porro codicis huius inſpectione cognouerunt, Holſtenium haud pauca ex ingenio emendaſſe aut ſuppleuiſſe abſque vlla de lectione codicis admonitione, nonnullaque item reſtituerunt.

Decima ſeptima Collectio. *Chalcedonenſis* i. e. in Actis Concilii Chalcedonenſis reperiunda. Conſtant haec Acta tribus partibus, quarum prima documenta exhibet, quae Concilium praeceſſerunt, ſecunda ipſas actiones, tertia, quae ſunt poſt ſynodum acta. In prima XXVII. inſunt Leonis et ad Leonem aliorumque nonnullae epiſtolae hoc ordine in Latinis codicibus obuiae. 1. *Ad Eutychen* (20.). 2. *Petri Rauennatis ad Eutychen* (25.). 3. *Ad Flauianum* (72.). 4. *Flauiani ad Leonem* (22.). 5. *Ad Fauſtum* (72.). 6. *Flauiani ad Leonem* (26.). 7. *Ad Iulianum* (35.). 8. *Ad Fauſtum et ceteros Chriſtianos.* 9. *Ad Theodoſium* (29.). 10. *Ad Pulcheriam* (30.). 11. *Ad Synodum Epheſinam* (33.). 12. *Ad Theodoſium* (43.). 13. *Ad eundem* (44.). 14. *Ad Pulcheriam* (45.). 15. *Hilarii Diaconi ad Pulcheriam* (46.). 16. *Placidiae ad Pulcheriam* (58.). 17. *Valentiniani ad Theodoſium* (55.). 18. *Placidiae ad eundem* (56.). 19. *Eudoxiae ad eundem* (57.). 20. *Theodoſii ad Valentinianum* (62.). 21. *Ad Placidiam* (63.). 22. *Ad Eudoxiam* (64.). 23. *Ad Conſtantinopolitanos* (80.). 24. *Ad Archimandritas CP.* (51.). 25. *Marciani ad Leonem* (73.). 26. *Ad eundem* (76.). 27. *Pulcheriae ad Leonem* (77.). Altera pars vnam tantum comprehendit inſertam actioni, quae in vulgatis dicitur *ſecunda*, nempe *Leonis ad Flauianum* (28.). Tertia tandem duas exhibet, ſcilicet *Synodi Chalcedonenſis ad Leonem* (98.) et *Leonis ad Synodum* (114.). Haec collectio eſt vetuſtiſſima omnium et Leone adhuc viuente inter annum 453, et 455. Graece compacta cenſetur. Etſi enim aliquae epiſtolae latinae originis, quae in ea continentur, primitus ab ipſo collectionis Graecae auctore traductae non fuerint; epigraphas tamen, quae longi-

longioribus identidem verbis et cum hiſtoricis quibuſdam notitiis epiſtolis praefiguntur, eidem Graeco collectori referendas et collectionis tempore ſcriptas eſſe Ballerinii monent. Latine reddita fuit ante Vigilium Papam, vti probat Baluzius in praef. ad verſionem antiquam Conc. Chalcedonenſis num. 3. Ea vero documenta ſolum interpres in latinum tranſtulit, quae ex ſua origine Graece ſcripta fuerunt, vel quorum originale latinum nequaquam reperit. Vbi autem originale Latinum ſuppetebat, illud inſeruit, adeo vt Ballerinìis affirmantibus et probantibus, pleraeque Leonis epiſtolae, quae Graece redditae, a Graeco collectore compilatae fuerunt, in Latinis eiuſdem Collectionis exemplaribus non interpretationes ex Graeco, ſed ipſum originale latinum ſint. Huius Latinae Collectionis *duo* mss. *exemplaria Thuanea* Queſnellus adhibuit. Ballerinii ex tribus codibus *Corbeienſi*, *Diuionenſi* et *Colbertino*, quorum variantes Baluzius in recenſione Synodi Chalced. edidit, profecerunt. Contulerunt autem ipſi *Chigianum* 483. *Vaticanos* 1323. et 4166. et vnum praeſtantiſſimum *Capituli Veronenſis* 57. quem maiori forma in quadratum vergente et ſcriptura in duas columnas diſcreta exaratum ad VII. circiter ſaeculum pertinuiſſe exiſtimant; item *Vaticanum* 1322. inter Geſta Chalcedonenſia, *Epiſt. ad Flauianum* (28.) et *Relationem Synodi ad Leonem* ex antiqua verſione et cum Epiſcoporum ſubſcriptionibus exhibentem. Quod *Graeca* huius collectionis *manuſcripta* attinet, obſeruant Ballerinii, non ſolum epiſtolas Leonis Chalcedonenſi collectioni praemiſſas mature Graece redditas et compilatas fuiſſe, ſed idem etiam ceteris contigiſſe, quas eadem ſuper re in Orientem miſerat: ex quibus exempli cauſa laudant epiſtolam *ad Leonem Auguſtum* (165.) vel olim inter Graecos celeberrimam, cuiuſque

que verſio eſt accuratiſſima. Plerumque enim Graecae epiſtolae obſcurae et implicatae ſunt, ex inopia eorum, qui iſta aetate inter Graecos tam perfecte latine ſcirent. Neque tamen idcirco minoris habendas eſſe iſtas verſiones monent. Conſuluiſſe enim Orientales poſt factam ſub Hormiſda cum Occidentalibus reconciliationem non ſolum Epiſtolam *ad Flauianum*, ſed omnes eius (exigente eodem Pontifice) profiteri, indeque eaſdem epiſtolas Graecae interpretationis non vt priuatum aliquod ſcriptum, ſed vt publicum Eccleſiae Orientalis monumentum, ab eadem receptum et probatum ad fidem catholicam contra Eutychianos ſtatuendam habendas eſſe. Aliae ſunt porro epiſtolae ad Leonem datae et inter Leoninas recenſendae, quae Graece ſcriptae et poſtea fere in Latinum traductae fuerunt, quarum Graecus textus adeo pro originali habendus eſt. Queſnellus autem in editione prima XII. tantum epiſtolarum Graecum textum ediderat, earum nempe quas ab origine Graece ſcriptas aut pro originalibus habendas credidit, nimirum Epiſt. 22. 52. 55. 56. 62. 63. 64. 73. 76. 77. et 78.

In ſecunda addidit duas Graecas 26. et 53. quae a *Cotelerio* et item 100. et 110. quae ab *Arnoldo* *) poſt priorem editionem typis datae fuerant. Balle-rinii

*) Hic *Arnoldus* Germanus fuit patria Norimbergenſis et libri, ad quem mentio nominis eius ſpectat, titulus ſic ſe habet: *S. Athanaſii Archiep. Alex. Syntagma Doctrinae ad Clericos et Laicos. Valentiniani et Marciani Impp. Epiſtolae duae ad Leonem M. Theodori Abucarae tr. de vnione et incarnatione. Singula, praeter priorem Marciani Epiſtolam Latine extantem, vtraque lingua primum prodeunt cum Notis, edente* ANDREA ARNOLDO *C. F. Norimbergenſe. Lutetiae Pariſiorum apud viduam Edm. Martini et Io. Boudot.* 1685. 8.

tinii autem, quibus propoſitum fuit omnium epiſtolarum Graecum textum edere, addiderunt XXV. adeo vt omnes Graecae epiſtolae in eorum editione ſint XLI. Inter has ep. 101. *Anatolii ad Leonem* originalis ex ms. gr. Vat. 1455. primum, nec non ex eodem interpretationes antiquae Graecae, quae nondum antea lucem viderant, epiſtolarum 104. 106. 114. 115. et 139. prodierunt. Addiderunt ex Voſſio exactiſſimam verſionem graecam ep. 165. *Leonis ad Leonem Aug.* quae in Conciliis non legitur. Neque reliquas ex editis deſcripſerunt, ſed omnes fere cum codd. mss., etiam illas rariſſimas, quas Arnoldus vulgauit, contulerunt. Et cum Cotelerius ſex epiſtolas graecas, quae apud interpretem Latinum ante geſta leguntur, at in codd. qui in edendo gr. textu Romanis editoribus vſui fuerunt, deſunt, ex ms. Regio perfecto gr. exemplaris collectionis Chalced. edidiſſet, reliquas autem nemo adhuc inuentus eſſet, qui recoleret et emendaret: Balleriniis epiſtolas a Romanis editas in *Mss. Graecis Bibl. Venetae S. Marci* relegere licuit cum duobus gr. exemplaribus eiuſdem collectionis *num.* 555. ſaec. XI. vel XII. et *num.* 164. ſaec. recentioris, alterius originis, notae melioris, quam quae Romanis vſui fuerunt. Porro in *ms. 165. eiuſdem Bibliothecae* vnam ex ſex a Cotelerio vulgatis, nimirum *Flauiani* (26.) vna cum interpretatione ep. 28. *Leonis ad Flauianum:* nec non in antiquo *Ms. Rom.* XIX. *Patrum Baſilianorum* eaſdem repererunt et contulerunt. Praetereaque ex duobus laudatis mss. Venetis num. 164. et 555. ineditam actionem Synodi Chalced. in qua *Leonis ep.* 93. *ad Synodum*, in Appendice propoſuerunt.

Sequuntur *peculiares epiſtolarum Leonis collectiones antiquae* *). *Decima*

*) Recentiorem huiuſmodi collectionem fuiſſe ſuſpicantur,

Decima octaua. Grimanea. De Codice Grimanico fuſe *Queſnellus*, *Couſtantius* et qui totum eum deſcribere curauerat *Cacciarius*. Couſtantius annorum 700. i. e. ſaeculo circiter X. ſcriptum aeſtimabat et collectionem maximam partem ex archiuo Romano deriuatam putauit. Sane multas peculiares habet et inter CVII. Leonis, quas continet epiſtolas, XXVIII. antea prorſus ineditas ſuppeditauit, videlicet: 1. *Ad Flauianum* (27.). 2. *Ad Fauſtum* (75.). 3—10. *Ad Iulianum* (86. 92. 117. 131. 140. 141. 147. et 152.). 11. *Ad Paſchaſinum* (88.). 12—15. *Ad Anatolium* (91. 143. 146. 157.). 16—19. *Ad Marcianum* (126. 128. 137. et 142.). 20. *Ad Proterium Alex.* (129.). 21. *Ad Aëtium* (153.). 22. *Ad Baſilium Antioch.* (149.). 23. *Ad Euxitheum Theſſalon.* (150.). 24—26. *Ad Aegyptios* (154. 158. 160.). 27. *Ad Clericos CP.* (161.). 28. *Ad Leonem Aug.* (164.). Non omnes tamen h. coll. epiſtolas ex Romano, aut alio quouis archiuo depromtas eſſe monent Ballerinii; ſed alias ex Dionyſiana, alias ex antiquioribus et praeſertim Chalcedonenſi (veluti ep. 43. *ad Theodoſium)* deriuatas videri; et fortaſſis a ſeriori amanuenſi etiam aliquid additum eſſe, veluti de ep. Symmachi in fine h. codicis probabile ſit. At Epiſtolas ad Eutychianam haereſim ſpectantes, quae in h. coll. plures, quam alibi, et rariſſimae inueniuntur, vel ex ipſo archiuo Romano, vel ex aliqua certe vetuſtiori collectione, quae inde originem duceret, petitas eſſe cenſent.

Decima

cantur eam, quam vetuſtus Catalogus mss. Bibl. Monaſterii Bobienſis, vbi iam deeſt, notauerit. (§. XIX. n. 38. p. 543.) Catalogum iſtum vulgauit Muratorius ex codice Ambroſiano ſaec. IX. et X.

Decima nona Collectio. Ratiſbonenſis. Grimanica aliquanto antiquior et praeſtantior, ſeruatur in Codice *Bibl. S. Emerani* et non ſolum XVI. ex iis epiſtolis comprehendit, quae olim primum ex Grimanico ms. prodierunt, VIII. autem, quae ſolum in mss. coll. XII. leguntur, et vnam, quae exſtat in rariſſima coll. XVI. atque aliam, quae in ſola coll. XXIII. occurrit, ſed etiam III. alias hactenus incognitas, nimirum duas *ad Iulianum* (109. et 144.) et vnam *ad Anatolium* (151.) ſuppeditauit. Praeterea emendatior eſt: vnde eius praeſidio quaſdam lectiones tute confirmare, plura autem loca antea depravata corrigere et reſtituere ſibi licuiſſe affirmant. Solas autem epiſtolas ad Eutychianam haereſin pertinentes complectitur: non omnes quidem, ſed deſunt quaedam, quae in aliis quibuſdam peculiaribus collectionibus tantummodo reperiuntur. Solas porro Epiſtolas Leonis, non aliorum ad Leonem, comprehendit, et ordine quidem chronologico, praeter ſex, quae extra proprium locum collocantur. Numero ſunt LXXII. ita tamen, vt loco epiſtolae 71. deſcribantur *Exemplaria Teſtimoniorum*, ſeu illa Patrum teſtimonia, quae epiſtolae Leonis *ad Leonem Aug.* (165.) ſubiici ſolent. Ballerinii ne ſingularum prolixum catalogum deſcriberent, quatuor tantum priores, quatuorque poſteriores indicarunt, quae ſic ſe habent: 1. *Ad Theodoſium* (24.). 2. *Ad Flauianum* (23.). 3. *Ad Theodoſium* (29). 4. *Ad Pulcheriam* (30.). 69. *Ad Leonem Aug.* (164.). 70. *Ad eundem* (165.). 71. *Exemplaria teſtimoniorum.* 72. *Ad eundem* (162.). Poſt Ep. 36. ad Pulcheriam (95.) legitur: *Expliciunt Epiſtolae Sanctiſſimi Papae Leonis*, quae ſancto Chalcedonenſi Concilio praemiſſae: et dein a capite: *Incipiunt* quae *poſt geſta ſubſecutae ſunt:* quibus ſubiicitur ep. 37. ad *Marcianum*

num (104.) etc. Ex omnibus autem huius codicis notis *) colligunt Ballerinii, eſſe collectionem eam, quam Vigilius Papa ad Iuſtinianum miſit, et quam in epiſtola ſua IV. ita deſcripſit, vt omnes eius notae in hanc quadrent.

Vigeſima Collectio. Obuia in *Ms. Romano* 237. *Bibl. S. Crucis in Ieruſalem*, ſaec. circiter XI., initio et fine carens. Exhibet epiſtolas XXVII. quarum prima et vltima mutilae ſunt. Solo ordine Epiſtolarum diſtinguitur: nullas autem comprehendit, quae non in aliis etiam reperiantur. Ac ordinem quidem XI. poſtremarum in aliis collectionibus frequentem eſſe monent, XVI. autem priores ab aliis omnibus peculiari ordine recedere. Sic ex. gr. initio poſt Ep. *ad Flauianum* (28.) ſubiicitur ep. *ad Flauianum* (35.), tum ep. *ad Pulcheriam* (31.) ep. *ad CPolitanos* (59.) ep. *ad Palaeſtinos* (129.) ep. *ad Aquileienſem epiſc.* (1.) ep. *ad Anatolium* (163.) ep. *ad Leonem Aug.* (165.) etc. Epiſtola *ad Mauros* (12.) cum appendicula exhibetur interque Leoninas refertur ſuppoſititia *ad Epiſcopos Germaniarum et Galliarum:* litterae autem *ad Dorum Benev. Theodoro* inſcribuntur.

Vigeſima prima Collectio. Haec collectio in mss. frequentior eaſdem epiſtolas LVI. exhibet, quas Collectio XI. complectitur: ſed ordine et lectionibus ita diuerſis, vt diuerſam originem prodere videatur. Incipit ab ep. *ad Eutychen* (20.) et deſinit in ep. *ad Epiſcopos Campaniae* (168.). Plures h. coll. codices

*) Oblatus fuit *Tutoni* Epiſcopo, qui Eccleſiae Ratiſbonenſi praefuit ab a. 891. vſque ad annum 930. Character noni vel decimi ſaeculi, ſimilis eſt illi, cuius ſpecimen exhibuit *Mabillonius de re dipl.* tab. 57. Incidi curauit *Cacciarius*, vt ſupra eſt monitum.

ces recenſent Ballerinii, quos inter vetuſtior *Bibliothecae S. Marci* ſaec. circiter XII. ſolas epiſtolas continens, quemadmodum et alii duo *Vatt.* 542. et 543. ſaec. XIV. Epiſtolas autem cum Sermonibus coll. IV. exhibuerunt mss. libri *Vatt.* 546. et 547. *Vat. Vrbin.* 65. vnus *Angelicae PP. Auguſtinianorum Romae* 5. 10., duo *Florentini Medicei* XI. et XXIII. pluteo XXI. et vnus *Feſulanus Canonicor. Lateranenſium* ſign. num. 7. pluteo III. Eadem collectio cum ſermonibus legebatur in *Vat.* 541. (qui Nicolao V. traditus fuit a. 1452.). Sed hic codex poſt epiſtolas LVI. addititias habet XII. quarum XI. in coll XXIV. continentur, vltima autem *ad Maximum Antiochenum* in eadem deeſt. Ex alio igitur fonte et forte ex eodem, ex quo XII. deſumta fuerit, huius collectionis auctorem hauſiſſe ſuſpicantur, quoniam harum duodecim epiſtolarum variantes cum Mss. XII. coll. fere concordant. Ad eandem collectionem referri poſſe monent *duos* Mss. libros *Vatican. num.* 3137. et *Vatic. Ottobonianum* 332., qui eaſdem XVI. epiſtolas lectionibus fere conſonas eodemque ordine complectuntur, niſi quod XI. epiſtolae, mero haud dubie librarii arbitrio, a fine abſtractae et poſt epiſtolam XXVI. inſertae ſunt.

Vigeſima ſecunda Collectio. Extat in codice *Veneto S. Marci* 79. Continet praeter Sermones collectionis IV. epiſtolas duarum collectionum XVII. et XXI. hoc ordine, vt praecedant epiſtolae XXVI. priores collectionis XXI. eadem ſerie; dein epiſtolae omnes collectionis Chalcedonenſis XVII. eodem pariter ordine, duabus tantum, quae inter praecedentes XXV. deſcriptae fuerant, omiſſis; tandem reliquae collectionis XXI. ſed tribus omiſſis, et ordine non modicum immutato, ac lectionibus valde diſſimilibus et aliam originem manifeſtiſſime oſtendentibus,

ſeſe excipiant. Tres omiſſae ſunt *Euſebii Mediolanenſis ad Leonem* (97.), *Rauennii ad eundem* (99.) et *Leonis ad Campanos* (168.).

Vigeſima tertia Collectio. Extat in codice *Vat. Ottob.* 297. ſaec. XII. Continet primo loco epiſtolas XV. recenſitas in coll. VIII. quarum decima quinta eſt *ad Leonem Aug.* (165.). Poſt hanc vero et ante teſtimonia PP. eidem ſubiecta inſeruntur epiſtolae *Innocentii I. ad Decentium*, *Bonifacii I. ad Honorium Aug.*, *reſponſio Honorii et Coeleſtini ep.* ad *Venerium.* Mox poſt *teſtimonia* ad laudatam epiſtolam pertinentia ſequuntur epiſtolae LVI. coll. XXI. iis excerptis, quae inter priores XV. epiſtolas deſcriptae fuerunt et ordine alicubi immutato. Tandem adduntur in fine IV. perrarae epiſtolae *ad Iulianum* (167.) *ad CPolitanos* (50.) *ad Flauianum* (49.) et *ad Martinum*, *Fauſtum* etc. (51.). Fuit hic codex olim Card. Sirleti, idemque, ex quo Gerardus Voſſius a. 1604. duas epiſtolas tunc ineditas, *ad Siculos* (17.) et *ad Iulianum* (107.) vulgauit.

Vigeſima quarta Collectio. Extat vna cum Sermonibus Collectionis IV. Inſunt epiſtolae LXXI., nimirum LIV. collectionis XXI. (omiſſis duabus *Petri Chryſologi* ad *Eutychen*, et *Euſebii Mediolanenſis ad Leonem*) et aliae inſuper rarae epiſtolae XVII. quae in Collectione XII. reperiuntur et apud Ballerinios ſunt ordine, 2. 10. 24. 41. 94. 95. 102. 105. 111. 112. 113. 118. 121. 122. 123. 125. et 127. Monent Ballerinii Epiſtolas LIV. ſumtas videri poſſe ex coll. XXI. vel XI. At ne id credamus efficere epiſtolam *ad Mauros* (12.), quae in hac decurtata eſt, cum tamen in illis appendiculae additionem praeferat. Neque epiſtolas XVII. ex coll. XII ſumtas dici poſſe, ſiquidem ſi ex hac collector profeciſſet, non has ſolum XVII. ſed alias ſimiliter exinde exſcripturus fuiſſet.

iſſet. Praeterea ordinem epiſtolarum LXXI. ab vtriuſque XII. et XXI. diuerſum et lectiones diſcrepantes originem diuerſam oſtendere. Huius collectionis ſunt Codices *Vaticanus* 544. ſaec. XII. *Vat. Regius* 139. ſaec. XIII. *Caeſenas PP. Minorum Conuentual. S. Franciſci*, *et Laurentianus Florentinus* ſaec. XIV. pluteo XXI. qui poſterior duas inſuper epiſtolas, videlicet 119. et 145. addit. Queſnellus trium h. coll. mss. notitiam habuit, *Victorini Regniacenſis* et *S. Martini* Autiſſiodorenſis. (cf. admonit. eius in ep. XII. n. 2.) at ſolo Ms. Victorino plerumque vſus eſt.

Denique in codice *Feſulano* 10. pluteo III. ſolum XXV. epiſtolae h. coll. deſcriptae extant, quarum pleraeque ſunt ex XVII. indicatis: epiſtola autem *ad Mauros* editionis decurtatae.

Hactenus de *Collectionibus Epiſtolarum Leonis* Ballerinii, quas ipſi cognouerunt. Neque vero dubitant, quin plures aliae reperiri adhuc poſſint.

Subiecerunt poſtremo loco *Codices*, in quibus, licet collectiones non ſint, aliquae tamen eius epiſtolae contineantur. Videlicet:

Codices tres vetuſtiſſimi Veronenſes, mille prope annorum: primus n. 8. continens poſt epiſtolas Catholicas N. T. epiſtolam *Leonis ad Flauianum* (28.); alter n. 58. continens eandem et *Epiſtolam ad Ruſticum Narbonenſem* inter varia documenta Synodorum Epheſinae et Chalcedonenſis; tertius, qui nunc *Vaticanus* 1322. inter geſta Chalcedonenſia *quinque* Leonis epiſtolas, nimirum 87. 89. 93. 94. et 114. exhibens.

Codex Vat. Reginae Suec. 293. ſaec. XII. in quo poſt libros *de Vocatione omnium gentium* IV. epiſtolae Leonis 31. 35. 139. et 165. Similem Thuaneum Queſnellus habuiſſe videtur.

Codex Vallicellanus. XVIII. ſaec. XI. varia opuſcula complectens interque ea: opuſculo 73. inſertas duas Leonis epiſtolas 106. et 93.

Codex Vaticanus 1343. ſaec. X. qui fuit Eccleſiae Ticinenſis, inter Miſcellanea Dionyſianae et Iſidorianae collectionum exhibens IV. Leonis epiſtolas 9. 17. 20. et 108. quae ex additionibus Dionyſianis, ſeu coll. VIII. deſumtae videntur.

Codex Vaticanus 1347. ſaec. X. et ſimiles *Vat. Palat.* 579. ac *Vat. Reg.* et 49. vnam ep. *ad Anaſtaſium* (14.) praebuere.

Codex Barberinus 77. apud Queſn. in ſecunda editione ſolam obtulit ep. *ad Mauros* (12.) decurtatam.

Codex editionis primae Sermonum Leonis, quam vulgauit *Ioannes Alerienſis*, praeter epiſtolam *ad Flavianum* (28.) quatuor alias 80. 119. 145. et 165. ſermonibus ſubiectas exhibuit. Alios eiuſdem generis mss. libros, qui peculiaribus epiſtolis *Paſchaſini* et *Proterii ad Leonem* emendandis profuerunt, ſuis locis indicarunt. Superſederunt autem iure ſuo ſyllabo codicum ſingularium collectionum quippe qui vbique indicati ſunt. Ex quibus autem collectionibus ſingulae epiſtolae caſtigatae ſunt, initio cuiuſuis hac vel ſimili formula ſignificarunt. *Extat in Mſs. coll.* I. II. III. aut *Dionyſ. Iſid. Hiſp.* etc.

43.

Prosper Aquitanus.

§. 1. Vi 2. Aquitani nomine diſtinguitur ab aliis haud incelebribus eiuſdem aetatis Scriptoribus, inter quos notiſſimus Proſper *Tiro*, poeta, cuius Beda meminit, cuiuſque cognomen ipſi Aquitano affingere quondam auſus eſt Sirmondus. Natus eſt exeunte ſaeculo quarto aut quinti initio in Aquitania. Sed qua in vrbe

aut

aut loco tam amplae huius prouinciae, non liquet; ſicuti de parentibus, educatione atque prima aetate eius aeque omnia ignorantur. Attamen ex iis, quae reliquit, ingenii ſui monumentis ſatis patet, eum haud leuiter liberalibus ſtudiis et artibus ingenuis, praecipue poeticae, incubuiſſe. Aquitania, incertum quibus de cauſſis relicta, in Prouincia domicilium poſuit, vbi certe iam anno 428. commorabatur, ibique concertationes ſuas pro Doctrina Auguſtini contra Ioannem Caſſianum aliosque, qui eam reſpuebant, Galliae ſeu Prouinciae magis Preſbyteros, exorſus eſt. Fouit hoc eius in Auguſtinum hac ex parte ſtudium *Hilarius* quidam, cui, quoniam de rebus domeſticis eius nihil amplius conſtat, ab hac ipſa cum Proſpero conſuetudine *Proſperiani* nomen inditum fuit. Dederat quidem Proſper iam antea ad Auguſtinum litteras per Leontium Diaconum, ab eoque reſponſorias acceperat. Hic autem, qui ipſe quondam cum Doctore Hipponenſi verſatus erat, vt eundem propius amico admoueret et conciliaret, Proſperum impulit, vt denuo ſecum litteras ad eum ſcriberet, id quod anno 428. ſeu 429. contigit. In iis igitur Auguſtino exponunt, *quae in ſcriptis eius contra Pelagianos conditis plurimi apud Maſſiliam conſtituti Monachi et Sacerdotes Patrum opinioni et Eccleſiae ſenſui aduerſa putent*, pericula, quae ipſis ex illorum coecitate aut prauitate imminere videantur, et quemadmodum iis reniti coeperint, declarant; denique *vt ſuarum diſputationum praeſidio ipſorum tenuitatem roborare velit*, rogant. Ac Auguſtinus ſane votis eorum obſecuturus ad eos direxit libros *de praedeſtinatione Sanctorum et dono Perſeuerantiae*. Sed cum vterque tanto ardore flagraret, nec tamen aduerſarii crebris diſputationibus ac ſcriptis flecti poſſent, ambo Romam perrexerunt, eosque apud

Coeleſtinum papam calumniae in Auguſtinum et haereſeos accuſarunt, ab eoque a. 431. obtinuerunt celebrem illam *ad Epiſcopos Galliarum* epiſtolam, in qua eos grauiter reprehendit, quod auctoritatis ſuae tam parum memores, preſbyteros nouas et indiſciplinatas quaeſtiones quoquomodo proferre ſinant, atque monet, vt iis ſilentium imponant, nec memoriam Auguſtini, quem impenſe laudat, affligi patiantur. Hac igitur epiſtola freti in Galliam reuertuntur tantoque alacrius ſuſceptam contra Semipelagianos cauſſam defendere ſtuduerunt; imprimiſque Proſper ſcriptis contendere coepit, quorum varia intra hoc tempus emiſſa ad noſtram memoriam peruenerunt. Percrebeſcente autem de doctrina et pietate eius fama eue iſſe volunt, vt a Leone Archidiacono Romano inter Aetium et Albinum in Galliis amicitias redintegrante in familiaritatem reciperetur et cum is ab eodem negotio ad occupandam ſedem apoſtolicam euocatus eſſet, Romam vna adduceretur et ornaretur munere Notarii Pontificis. Enimuero qui ſic ſtatuunt, coniectura delectantur, cuius ne fundamentum quidem ſatis exploratum eſt. Nam quod Leonis Notarius fuerit Proſper, nonniſi ſeriorum ſcriptorum *) et vnius ms. codicis Corbeienſis Gennadii valde dubio teſtimonio nititur, quod recentiores quidam ſtili ac ſententiarum, quam inter vtriuſque ſcripta deprehenderunt, ſimilitudine roborare conati ſunt. Reliqua vitae Proſperi incerta ſunt. Eccleſiaſtico aliquo munere illum non functum eſſe, vero ſimillimum **). Igno-

*) Vocatur *Leonis Notarius* ab Adone ſaec. noni ſcriptore in *Chronico* aliiſque ſequioris aetatis auctoribus.

**) Errore ſatis communi codicum mss. et editionum antiquiorum, cuius origo nondum patet, *Epiſcopus Rhegienſis* (oppidi *Ries* in Prouincia) audire ſolet.

Ignoramus etiam quando diem obierit; tametſi ex Chronico eius conſtat, eum anno 453. adhuc in vivis fuiſſe, aliique multo diutius eum vixiſſe et Leoni ſuperſtitem fuiſſe ex Marcellino ad a. 463. cognoſcere ſibi videantur.

Scripta Proſperi *genuina* iuxta ſeriem temporis, quam nouiſſima etiam tenet Pariſienſis editio, ſunt: §. 2. Scripta.

1. *Epiſtola ad Auguſtinum de reliquiis Pelagianae Haereſeos in Gallia* etc. ſcr. a. 428. aut 429.

2. *Epiſtola ad Rufinum de Gratia et libero arbitrio*, ſcr. anno 429. viuo adhuc Auguſtino.

3. *Carmen de Ingratis* ſcr. circa annum 429. aut 430.

4. *Epigrammata duo in obtrectatorem S. Auguſtini*, ſcr. forte circa a. 430.

5. *Epitaphium Neſtorianae et Pelagianae Haereſeos:* ſcr. poſt damnatam haereſim Neſtorii in Concilio Epheſino a. 431. Auguſtino iam mortuo.

6. *Pro Auguſtino Reſponſiones ad Capitula obiectionum Gallorum calumniantium*, ſcr. a. circiter 431.

7. *Pro Auguſtini doctrina Reſponſiones ad capitula obiectionum Vincentianarum*, ſcr. forte paulo poſt ſuperiores reſponſiones.

8. *Pro Auguſtino Reſponſiones ad Excerpta, quae de Genuenſi Ciuitate ſunt miſſa*, ſcr. eodem forte tempore cum ſuperioribus.

9. *De Gratia Dei et libero arbitrio liber contra Collatorem* i. e. contra Caſſiani Preſbyteri librum, qui titulo, *de protectione Dei*, praenotatur, ſcr. circiter a. 432.

10. *Pſalmorum a C. vſque ad CL. expoſitio*, ſcr. vt videtur ante annum 424.

11. *Sententiarum ex operibus S Auguſtini delibatarum liber vnus*, ſcr. forte circa a. 450. aut 451.

12. *Epigrammatum liber vnus ex ſententiis S. Auguſtini*, ſcr. non longe ante tempus Concilii Chalcedonenſis, quod anno 451. congregatum eſſe conſtat.

13. *Chronicum integrum in duas partes diſtributum*, in annum 455. deſinens. Nouimus ex Victorii, ſeu Victorini, Gennadii, Caſſiodori et Iſidori Hiſpalenſis teſtimoniis, Proſperum hoc opus ab origine mundi ad Valentiniani III. obitum et Romam a Vandalis captam perduxiſſe, ita, vt Euſebium et Hieronymum, quatenus illi porrigerentur, abbreuiaret, reliqua autem i. e. ab anno 379. ad a. 455. de nouo contexeret; in qua ſtudii eius diuerſitate ipſa operis partitio continetur. Vero autem ſimile eſt, eum non vno ductu totum abſoluiſſe, ſed variis identidem additamentis perfeciſſe et quaſi iterato edidiſſe, et ſunt ſane, qui *tres* diuerſas ab ipſo auctore *editiones* paratas eſſe exiſtiment: quarum *primam* concluſiſſe putant Theodoſio XIV. et Maximo CSS. anno Chriſti 433., quandoquidem eo anno omnium priorum annorum epochas ſummaſque collegerit, quod non niſi in operum fine fieri ſolet, niſi forte aliqua peculiaris cauſſa accidat, quae hic nulla eſſe videtur; *ſecundam* cenſent XII. annis auctam et ad Valentiniani VI. ac Nonii Conſulatum, ſeu annum Chr. 445. productam fuiſſe, quo vulgare eius Chronicon Euſebiano et Hieronymiano ſubnecti ſolet; *tertiam* denique editionem fuiſſe volunt, quae ad captam a Genſerico vrbem, ſeu ad Valentiniani Aug. VIII. et Anthemii Conſulatum ſeu annum Chr. 455. extenſa fuerit. Vtriuſque poſterioris etiamnunc exemplaria ſuperſunt.

Dubiae auctoritatis ſunt:

1. *Confeſſio*, quae *ipſius* dicitur.
2. *Poëma coniugis ad uxorem.*

3. *Car-*

3. *Carmen de Prouidentia Diuina*, quod alias *Hilario* tribuitur.

4. *De Vocatione omnium gentium libri duo;* in mss. quibuſdam *Ambroſio* adſcripti. At viri docti in diuerſas de auctore abierunt inuicem ſententias. Alii enim, veluti Eraſmus *Euchenio*; alii, inter quos Voſſius, *Hilario Proſperi* familiari tribuerunt; Queſnellus autem *Leoni M.* illos adiudicauit: cui ſe ex propoſito oppoſuit Ioſephus Antelmius *Proſpero* vindicans. Scripti exiſtimantur circa annum 440. Sed multo ſerius (ante annum tamen 496.) conditos eſſe cenſent Ballerinii in *obſeruationibus ad II. Queſnelli diſſert de horum librorum auctore*, vbi collatis vtriuſque argumentis, neutrius ſententiam veram pronuntiant, et ſingula, quae in diſputationem venire poterant, momenta accurate et ſagaciter examinant. Quas adeat, cui lubet, in *Tomo II. Opp. Leonis p. 662. ſeqq.*

5. *Ad ſacram Virginem Demetriadem epiſtola ſ. de humilitate Chriſtiana tractatus*, ſcr. circiter annum 440. Olim inter Ambroſii opera vulgata fuit, in epiſtolarum numero LXXXIV. a Sotello primum vna cum libris *de Vocatione omnium gentium* Proſperi Operibus adiecta, non aliam ob cauſſam, quam ob ſtili quandam ſimilitudinem. Enimuero nuſquam in mss. codicibus vtrumque opuſculum ſimul inueniri; tum Ambroſii editorum exemplo, tum ex iis, quos ipſi inſpexerunt, teſtantur Ballerinii. Primus hanc ſententiam impugnare coepit et euertere ſtuduit Queſnellus Leonique vindicatum iuit in *Diſſertatione IV. de auctore huius libelli.* Quem contra inſurrexit *Antelmius* in laudato libro pro Proſpero pugnans. Ballerinii inter vtrumque lancem tenentes neutro inclinare intellexerunt, adeoque incerto auctori relinquendam cenſuerunt. Cf. eorum *Obſſ. ad IV. Queſn.*

diſſ. T. II. p. 743. *ſeqq.* Antelmio tamen adſtipulantur editores nouiſſimi Operum Proſperi.

6. *Praeteritorum Sedis Apoſtolicae Epiſcoporum Auctoritates de Gratia Dei et libero voluntatis arbitrio*, quae vulgo ſubiici ſolent Epiſtolae *Coeleſtini* Pontificis *ad Epiſcopos Gallos.* Collectae putantur circa annum 431. Primus eas Dionyſius Exiguus vulgauit et epiſtolae Coeleſtini ſubiecit. Illum autem ex ſcriniis Romanis eas ſumſiſſe Hormiſdae Papae imprimis teſtimonio demonſtrant Ballerinii. Nec tamen Coeleſtini ipſius ſunt, quemadmodum nec Leonis, vt iidem euicerunt in Obſeruationibus ad laudatam Queſnelli diſſertationem *T. II. p.* 719. *ſqq.* Antelmii, qui Proſpero aſſerit, ſententiam ſecutus et magis etiam confirmare ſtuduit *Pagius* ad a. 431. num. 49. Idem *Couſtantius* fecit (in admonitione ad laudatam Coeleſtini epiſtolam) inſuperque occaſionem huius lucubrationis inueſtigare conatus eſt. Atque Ballerinii etiam huic ſententiae calculum adiicere non dubitarunt, ita tamen, vt in nonnullis a Couſtantio diſſiderent. *Cf. Obſſ.* in *Diſſ. III. Queſn. T. II. Opp. Leonis pag.* 719. *ſeqq.*

Omnino *non ad eum pertinent: Libri tres de vita contemplatiua*, qui verius *Iuliani Pomerii* nomine inſigniuntur; *de Promiſſionibus et Praedictionibus Dei*, incerti auctoris, et *Chronicon alterum*, quod vulgo *Pſeudochronicon* vel etiam *Tironis Proſperi Chronicon* dicitur. Orditur a morte Valentis Imperatoris et ad captam a Genſerico Vrbem procedit. Cum ſuperius indicato non pauca quidem communia habet, ſed longe plura ab eodem diuerſa, et praecipue hoc, quod non per Conſules, ſed iuxta Imperatorum ſeriem digeſtum ſit. Pithoeus, qui primum illud euulgauit, ipſum verum Proſperi Chronicon eſſe, eiusque adeo ingenium referre contendit, vt non immerito

rito ſibi videatur membrum eſſe amplioris eius, quod ipſius nomine ab orbe condito ad captam a Vandalis vrbem Gennadius legiſſe teſtatur, et miretur adeo, vnde factum ſit, vt aliud Chronicon per Conſules digeſtum in omnibus Hieronymiani Chronici editionibus Proſperi nomine ſubiungatur. Pithoeo aſſentiri viſus eſt Labbeus. Sed Bucherius et ſagaciores cum eo viri docuerunt, confuſum et perturbatum huius Chronici ordinem, innumera menda in rectam Chronologiae rationem, leuiſſimam et tantum nonnullam de Pelagianis mentionem, denique quod id vnum de Auguſtino in eo obſeruetur, quod plurima libris innumeris diſſeruerit, et Praedeſtinatorum haereſis, Proſpero certo certius ignota, ex Auguſtino (*Auguſtini libris* intrudere auſus fuit Pithoeus) orta dicatur: haec ſingula totidem eſſe argumenta, quae Proſpero indignum et ab ingenio eius alienum euincant, quemadmodum luculenta narratio, et ordo, praecipue autem diligens rerum S. Auguſtini et haereſeos Pelagianae tractatio et tam Auguſtini, quam Leonis non niſi cum ſumma veneratione commemoratio in altero (pro genuino habito) diſcipulum Auguſtini et doctrinae eius de gratia defenſorem omnibus agnoſcendum praebeat. Fuerunt itaque, qui ſuppoſitum hocce Chronicon Proſperiano nomini putarent, vt inde tum ipſe, tum Auguſtinus in contemtum et inuidiam adducerentur. Sed probabilior eſt ſententia, quam Antelmius quoque tuetur, abſque fraude a Proſpero quodam vel etiam alius nominis auctore compoſitum, et quia in exemplaribus nomine careret, Proſperi, quem eiuſdem aetatis Chronicon ſcripſiſſe palam conſtabat, nomen ei inditum fuiſſe, vel denique genuinum Proſperi Chronicon a Semipelagiano quodam in priuatum vſum ſic interpolatum et diminutum eſſe, quemadmodum nunc comparet.

Sed

Sed quoniam Antelmii toties in his mentio facta eſt, alia inſuper eius opinio non praetermitti debet, quae omnes omnino Leonis Papae lucubrationes Proſpero tanquam Notario Leonis adiudicauit, magnaſque ei cum Queſnello lites excitauit. Propoſuit eam in eodem, quem antea commemorauimus libro, cuius, cum rariſſime iam occurrit in Bibliothecis, notitiam hoc loco appendamus.

De veris Operibus SS. Patrum Leonis Magni et Proſperi Aquitani Diſſertationes Criticae, quibus Capitula de gratia Dei, Epiſtolam ad Demetriadem, nec non duos de Vocatione omnium Gentium libros Leoni nuper adſcriptos abiudicat et Proſpero poſtliminio reſtituit IOSEPHUS ANTELMIUS. *Acceſſere cum ipſius iudicio de celebri Leonis ad Flauianum, et aliis ad diuerſos, Proſpero dictatis in cauſa Eutychis ceteriſque Epiſtolis* etc. *Paariſiis apud Dezallier. 1689. 4.*

Auctor ortu Foroiulienſis, natus a. 1648. poſt confecta ſtudia in vrbe patria Canonicus, ab anno autem 1684. Epiſcopi Pamienſis I. B. de Verthamon magnus Vicarius et officialis. († 1697.) Queſnelli aſſertionibus obuiam iturus, per *tres* priores *diſſertationes*, tria modo laudata opuſcula Proſpero vindicare conatus, *quarta Leonis Magni* duas contra Pelagianos *Epiſtolas* aggreditur, quarum alteram *ad Ianuarium* Queſnellus authenticam declarauerat, alteram *ad Septimum* ſuppoſititiam; Antelmius vero poſteriorem veram, priorem *ad Ianuarium* fictam eſſe contendit. Diſſertatione *quinta* Gennadium et alios antiquos, qui *Epiſtolam* Leonis *ad Flauianum in cauſſa Eutychis* (apud Ballerin. 28.) a Proſpero tanquam eius Notario dictatam ſcribunt, aduerſus Bellarminum Labbeumque vindicat et non ſolum in hac, ſed et in aliis Leonis epiſtolis haud obſcura ſtili Proſperiani veſti-

veſtigia deprehendit. Nec pauciora in *Sermonibus* huius ſimilitudinis indicia agnoſcere ſibi viſus, in *diſſertatione ſexta* varia promit exempla, imprimis ex *Sermone* IV. (ed. Queſn.) *in Natali Leonis* et ex *Sermonibus de Collectis et Ieiunio.* In cauſſas autem huius rei inquirens, potiorem iudicat morem aetatis iſtius, quo Sermones ab aliis Epiſcopis recitandos frequenter expeti conſueuerint, ſi quidem Gennadius teſtetur, Saluianum Preſbyterum multas pro Epiſcopis Homilias compoſuiſſe, indeque *Magiſtri Epiſcoporum* laudem, non, vt vulgo volunt, quia Salonium et Veranum Epiſcopos in adoleſcentia docuerat, reportaſſe. Hinc colligit, tanto magis Leonis, ſummi Pontificis Sermones expetitos fuiſſe, cui *interdum aliquos orationis ornatus* contulerit *Proſper, vir ſui aeui doctiſſimus et facundiſſimus, qui occupatiſſimo Pontifici a conſiliis ac epiſtolis aut praecipuus* fuerit, *aut vnicus.* In ſequentibus reliqua Opera Proſpero adſcripta percenſet, nempe in *ſeptima* diſſertatione Opus *de Promiſſionibus et Praedictionibus*, quod a Caſſiodoro falſo Proſpero tribui, et auctorem ex Africa oriundum habere ſtatuit; libros *de vita contemplatiua*, quos *Iuliano Pomerio* aſſignat, atque de eo accurate agit; *Confeſſionem Tyronis Proſperi*, a Sirmondo editam, quam vix aliquid exhibere cenſet Proſperi ſtylo et famae ſatis conſentaneum. *Octauam* diſſertationem *Proſperi Chronico* impendit, idque, prout vulgo extat, Proſpero aduerſus Garnerium prolixe vindicat, prout vero a Pithoeo editum eſt, interpolatum infartumque probat. *Nona diſſertatio* Proſperi *Carmina* examinat, ita vt illud *de prouidentia* ſuppoſititium iudicet; *Anacreonticum ad Vxorem* dubium relinquat; *Epitaphium haereſeos Pelagianae et Neſtorianae* Proſpero Aquitano contra Garnerium adſerat; *Carmen de ingratis* cum *Epigram-*

grammatibus XCVII. et aliis *duobus in Auguſtini obtrectatorem* genuina maxime arbitretur, illumque obtrectatorem non alium, quam Vincentium Lirinenſem exiſtimet; qui in Commonitorio ſuo Auguſtini etiam doctrinam perſtringere affectauerit. Inter haec autem nouum huius Vincentii opus *Secretorum Lirinenſium* producit Antelmius, in quo ordinando et illuſtrando totum ſe eſſe ſignificabat, eiuſque et omnium Proſperi editionis promiſſione totum volumen claudit *). Ceterum Antelmio mox reſponſum eſt a Queſnello epiſtola gallice ſcripta in *Ephemeridibus Pariſienſibus* die VIII. et XV. *Auguſti* 1689. Cui non cunctanter quidem Antelmius *duas alias Epiſtolas ad Abbatem . . . duabus Epiſtolae P. Queſnelli partibus reſponſorias* Pariſiis a. 1690. 4. repoſuit: ſed Queſnellus iis non magis, quam diſſertationibus eius ſe conuinci paſſus, nec tranſuerſum vnguem a priſtina ſententia in editione Lugdunenſi a. 1700. receſſit.

§. 3. Editiones. Primum opus, quod inter cetera Proſperi typis mandari coepit, fuere Epigrammata **), quorum prima

*) Repetita eſt haec notitia ex *M. Bibliotheca Eccl. Colon. T. I. p.* 487. cuius auctores eam ſe debere ſignificant *Actis Eruditor. Lipſ. Supplem. T. I. p.* 431. neque tamen per omnia iis adhaeſimus. Nam quae de Antelmii ſententia ſuper epiſtolis *ad Septimum* et *Ianuarium* referunt, non concordant cum Balleriniorum eiuſdem ſententiae expoſitione, qui tamen, cum vtrumque et Queſnellum et Antelmium refellerunt et vtramque epiſtolam genuinam eſſe demonſtrarunt, potiores hac in re auctores habendi ſunt. Cf. *Balleriniorum Admonitionem* in *duas* priores Leonis *epiſtolas T. I. Opp. Leonis pagg.* 567—590. vbi prolixa de ambabus et XVIII. diſputatio ſubiungitur.

**) Editores Pariſienſes ordiuntur ſeriem impreſſorum

prima editio apparuit *Moguntiae* a. 1494. 4. et *ſine anni nota Taurini* eadem forma, nec non *Venetiis apud Aldum* a. 1501. Huic proxima fuerunt *liber contra Collatorem, Moguntiae* a. 1524. emiſſum ac repetitum in *Antidoto Sichardi* Baſ. 1528. et editio *Sententiarum ex Auguſtino excerptarum, Coloniae* a. 1531., a quibus haud longo ſpatio diremtae emerſerunt *Epiſtola ad Rufinum* et *Reſponſiones* ad *Excerpta Genuenſium, Venetiis* apud *Bernard. Stagninum* 1538. 8. mox etiam in *Gryphiana Lugduni* 1539.: *Reſponſiones ad Capitula Gallorum et obiectiones Vincentianas* vna cum Carminibus *de Prouidentia* et *de Ingratis* *). Scilicet ab hac *Sebaſtiani Gryphii* opera altera incipit editionum Proſperi aetas. Is enim primus inſcripſit *opera* et *collatione vetuſtorum codicum recognouiſſe* profeſſus eſt. Repetita eſt *Coloniae* a. 1540. et addita *epiſtola ad Auguſtinum* nonnulliſque ad Proſperum non pertinentibus opuſculis *ibidem* 1565, *per Ioannem Sotellum.* Eandem ſed in nonnullis perpurgatam dedit *Ioannes Oliuarius Duaci* 1577. cuius ab hoc tempore recenſio, niſi forte *Theoph. Raynaudus* in ed. *Paris.* a. 1671. aliquid mutaverit, ad annum vſque 1711. ſemper viguit. Hoc autem anno prodiit *Pariſiis in folio* editio, ſi non omnibus numeris abſoluta, certe codicum mss. apparatu editoriſque (*Ioannis le Brun de Marette e Congreg. S. Mauri.*) ſtudio atque etiam eruditione, longe ſuper anteriores excellens. Procurauit eam D. *Man-*

rum Proſperi a libro contra *Collatorem Moguntiae* a. 1524. excuſo.

*) Ipſe tamen Gryphius non ſignificat, *Reſponſiones ad Capitula Gallorum et obiectiones Vincentianas* a ſe primum proferri, tametſi hoc diſerte de aliis duobus opuſculis affirmet. Vide igitur anne aliqua editio praeceſſerit pauciſſimis fortaſſis viſa.

Mangeant eiuſdem Congregationis ſocius, vnde fortaſſis colligas, Lebrunum nondum omnia perfeciſſe, dum opus e manibus illi excuteretur. Facile autem, quae deſunt diligens et ſagax hiſtoriae temporum illorum lector, vel a Balleriniis per iſta loca circumductus animaduertet. Neque vero poſt huiuſce editionis commemorationem ſilentio praetermitti debent, quae a. 1732. *Ioannes Salinaſius* et a. 1758. *P. I. Fogginius*, Romae vterque ad ornanda Proſperi opera contulerunt.

De *Chronico* ſeparatim monere neceſſum eſt, *tres* diuerſas *genuini* extare editiones, quarum *prima*, *vulgaris* dicta, Euſebiano et Hieronymiano Chronico iungi ſolet et ab anno 379. quo Hieronymus deſiit, ad annum 445. protenditur, a Caniſio etiam non parum a vulgato textu diuerſa prodita eſt ex ms. Auguſtano; *altera* priori decem annis auctior a *Ducheſnio* primum inter *Hiſtoricos Franciae* coaetaneos vulgata eſt; *tertiam*, chronicon *integrum* ab origine mundi ad annum 455. complexam, *Labbeus* in Bibliotheca noua mss. a. 1657. exhibuit. In omnibus autem pars poſterior ab anno 379. ad annum 445. aut 455. mirum in modum variat, in aliis auctior quam in aliis, et modo dilutior ac ieiuna, modo accurata, cuiuſmodi deprauationes aut negligentiae librariorum, aut certo ſtudioſorum conſilio tribuendas eſſe patet. Praeter haec *Pſeudochronicon* a *Petro Pithoeo* e Mss. codd. editum eſt a 1588. iterumque 1609. itidemque a Labbeo in *Bibl. noua MSS.* a. 1657. recuſum. Vtrumque denique, tam genuinum, quam Pſeudochronicon cum notis et variis lectionibus reddidit editio nouiſſima *Operum Proſperi* Pariſienſis et cum notis *Baſnagii* eruditiſſimis in noua ed. *Lectionum antiquar. Henr. Caniſii* a. 1725. Plura qui cupit, euoluat *Annales editionum*, quos iam ſubnectimus.

SAEC.

Saec. XV.

1494.

Moguntiae per Pet. Friedbergenſem. 4. „Epigrammata Sancti Proſperi epiſcopi regienſis de viciis et virtutibus ex dictis Auguſtini."

Incipit volumen in ipſo ſtatim tituli folio pagina auerſa praeuio elogio Proſperi ex Trithemio. In fine (folio XXII. pagina auerſa): *Expliciunt Epigrammata Sancti Proſperi epiſcopi regienſis de viciis et virtutibus ex dictis Auguſtini. Impreſſa Moguntie per Petrum Friedbergen. Anno virginei partus* XCIIII. Haec excipit folio XXIII. *Carmen Coniugis ad vxorem* inſcriptum: *Proſper de fide et moribus chriſtianorum et martirum, Ac de contemptu et breuitate praeſentis vitae*, qui titulus tamen inſeritur demum poſt ſedecim priores verſus metro Anacreontico exaratos. Denique in fine huius, folio XXIV. pagina auerſa legitur *Commendatio* (anonymi) *cuiuſdam in auctorem* ſeptendecim hexametris conſtans. Corrigendus ex his Cl. Braun in *Not. Hiſt. Lit. P. II. pag.* 260. n. XX.

Sine anno

Taurini. 4. B. Proſper *de vita contemplatiua et de ſeptem virtutibus*, adiectis neſcio in eadem, an in auerſa pagina ſequentibus verſiculis:

Haec Auguſtini ex ſacris epigrammata dictis,
Dulciſono rhetor componens carmine Proſper,
Verſibus hexametris depinxit pentametriſque,
Floribus ex variis ceu vulget nexa corona.
Vnde ego te, lector, religis qui ſub haec ſedulus, oro
Intentas adhibere ſonis coeleſtibus aures,
Iſtic nam inuenies, animum ſi cura ſubintrat,
Maxime quid doceant ſanctae moderamina legis

Obſeruare homines, vel quid vitare ſub aſtra,
Sidereum coeli cupiunt qui ſcandere regnum.

Nimirum ne *Iuliani Pômerii* libros *de vita contemplatiua*, Proſpero falſo adſcriptos, hic exhiberi putes, nihil aliud complectitur hocce volumen, quam Epigrammata Proſperi, quibus eoſdem verſiculos in antiquo ms. ad calcem adiectos vidit et ex eodem recudi curauit *Muratorius* in *Anecd. T.* II. *p.* 210.*) teſtibus auctoribus Hiſtoriae litterariae Galliae, a quibus inſuper diſcimus, acceſſiſſe commentarium latinum anonymi cuiuſdam, de quo cum exploratius aliquid expeteret Hambergerus, deprehendit in Catalogo Codd. Mss. Biblioth. Taurinen. inter Codices latinos n. 781. e. II. 10. pag. 256. *Codicem Epigrammatum Proſperi cum commentario*, qui forte ab hoc non diuerſus eſt; ſed cuius ſit, non magis ex ſubſcriptione eius, quam aliunde elucet **).

Saec. XVI.

1501.

Venetiis apud Aldum. 4. Proſperi Aquitanici Epigrammata ſuper D. Aurelii Auguſtini ſententias quaſdam; cum *Aratonis* Carmine Hiſtoriae Apoſtolicae, *Probae Falconiae* Centonis excepto, *Ioh. Damaſceni* hymnis et *Coſmae Hieroſolymitani* (opuſculis) aliquot. In exemplari huius libri quod ſeruat Bibliotheca Bernenſis, *(Cat. T. I. p. II.)* Proſperi epigrammatibus varias lectiones e mss. codd. adſcripſit Bongarſius.

1524.

*) *Hiſt. lit. de la France. T.* II. *p.* 384. 85.

**) *Hamberger Zuverl. Nachr. T.* III. *p.* 215. ſubſcriptum erat: *Hoc opus ſcripſit Frater Tibaldus de Guerris de Caſtro nouo Terdonenſi Ord. fratr. min. tunc Bachalarius Conuentus Cherii, 1466. die 12. Auguſti.*

1524.

Moguntiae apud Io. Schoeffer. 4. S. Proſperi, Preſbyteri Aquitanici, libellus aduerſus inimicos Gratiae Dei *contra Collatorem;* et Aurelii, Carthaginienſis Epiſcopi, epiſtola contra Pelagianos; Coeleſtini Papae, et aliorum Romanorum Pontificum authoritas de Gratia Dei pro Proſpero et Hilario, aduerſus Pelagianos (induſtria *Nicolai Carbacchii). Cat. Bibl. Pariſ.* *).

Carbacchius libelli huius exemplum repererat in Bibliotheca religioſorum fratrum Benedictinorum Montis ſancti Iacobi (Moguntiae).

* *

Baſileae. 8. *Proſperi,* Auguſtini et Ambroſii opuſcula de libero arbitrio, ex editione *Io nnis Oecolampadii. Cat. Bibl. Baluz. T.* II. *p.* 1001.

Num praeter *librum aduerſus Collatorem* aliud quidpiam Proſperi inſit, dicere non auſim. Sub Ambroſii nomine procul dubio nihil aliud hic euulgatur, quam libri *de vocatione omnium gentium,* Ambroſio a multis tributi.

*) Paulo aliter ſed rectius puto (nam Regii Catalogi auctores titulos interdum contrahere, interdum ex contentis libris aliquid addere amant) hic titulus profertur in praefatione nouiſſimae editionis Pariſienſis, videlicet: *Liber ſancti Proſperi de Gratia Dei et libero Arbitrio, pro defenſione Diui Aurelii Auguſtini Epiſcopi: contra Caſſiani Preſbyteri librum, qui titulo de Protectione Dei praenotatur. Item Capitula tredecim decretorum Coeleſtini Papae pro Proſpero et Hilario, de Gratia Dei, aduerſus quoſdam Galliarum Preſbyteros Pelagii ſectatores* etc.

1528.

Baſileae apud Henr. Petri. fol. Proſperi Aquitanici libellus de libero arbitrio contra Collatorem; in *Io. Sichardi Antidoto contra omn. haer. p. 215. ſqq.*

1531.

Coloniae imprimebat Ioannes Prael. 8. Sententiae aliquot velut aphoriſmi, ex S. Auguſtini et aliorum libris ſelectae, ſtudio et labore Proſperi, Epiſcopi Rhegienſis. *Cat. Bibl. Reg. Pariſ.* cf. Praef. ed. Pariſ.

1533.

Pariſiis. 16. D. Proſperi Aquitani libellus adverſus inimicos gratiae Dei: accedunt epiſtola Aurelii Epiſcopi Carthaginenſis ad Epiſcopos per Byzacenam et Arziguitanam Prouinciam conſtitutos; excerpta ex geſtis ſynodalibus contra Pelagium haereticum; et Coeleſtini Papae epiſtola ad epiſcopos Galliae de erroribus Pelagii. *Cat. Bibl. Baluz.* l. l. Recuſa eſt, vt equidem arbitror, editio Moguntina.

1534.

Pariſiis apud Ant. Augerellum. 16. S. Proſperi de gratia et libero arbitrio ad Rufinum et reſponſiones ad excerpta Genuenſium. *Cat. Bibl. Baluz.* ibidem et *Bibl. Tellerianae* p. 198. b. Auctores *Hiſtoriae litt. Galliae* eiuſdem libri exemplar vidiſſe teſtantur, cui inſcriptus fuerit annus 1533.

1538.

Venetiis per Bernardinum Stagninum. 8. Opuſcula de Gratia et libero Arbitrio S. Proſperi Aquitani Epiſcopi Rhegienſis viri religioſiſſimi, Diui Auguſtini diſcipuli et in diuinis ſcripturis eruditiſſimi.

Con-

Continentur in hoc volumine 1. *Epiſtola S. Proſperi ad Rufinum.* 2. *Ad excerpta Ianuenſium* (Genuenſium). 3. *Liber S. Proſperi contra Caſſianum.* 4. *Epiſtola Aurelii Carthaginienſis Epiſcopi.* 5. *Coeleſtini Epiſtola ad Epiſcopos Galliae et Auctoritates Sedis Apoſtolicae* etc. 6. *Epigrammata S. Proſperi* et Carmen ad vxorem. Ex quibus num. 1. et 2. nunc primum eduntur. *Praef. ed. nouiſſ. Pariſ.*

1539.

Lugduni apud Sebaſtianum Gryphium. fol. D. Proſperi, Aquitanici, Epiſcopi Rhegienſis, opera, ad vetuſtorum exemplarium collationem emendata et recognita. *Cat. Bibl. Reg. Pariſ.*

Sebaſtianus Gryphius epiſtolam dedicatoriam ad Senatum populumque Rhegienſem auſpicatur ab excuſatione, quod, quem ante annos plus minus quatuor ipſorum rogatu ſuſcepiſſet laborem, omnes Proſperi Epiſcopi quondam ipſorum lucubrationes typis exſcribendi, haud prius emittere potuerit: id quod exemplaribus, partim non accurate ſatis deſcriptis, partim deſideratis nonnullis opuſculis imperfectis tribuit. „Qua propter, *inquit*, vt vobis gratificarer, atque ſtudioſorum commodis inſeruirem, editionem minime praecipitandam putaui: ſed primum vehementer conandum, vt opus, ſi quo pacto fieri poſſet, prius priſtino nitori, germanaeque integritati reſtitueretur. Proinde huc illuc miſſis litteris, negotium dedi amicis et Gallis et Germanis, praeſertim humaniorum litterarum ſtudioſioribus, vt quidquid huius auctoris apud eos in antiquis Bibliothecis lateret, tam lacerum, quam integrum ad me transmitterent. A quibus inter alia vetuſtiſſima exemplaria allata ſunt ſimul quae deſiderabantur opuſcula: nempe duo verſu heroico, *de prouidentia Dei* vnum, alterum περὶ ἀχαρισ-

τῶν: praeterea *Expoſitio in poſtremos vnum et quinquaginta pſalmos*: omnia, vt opinor, a noſtrae tempeſtatis hominibus non viſa. His igitur omnibus ſimul inter ſe diligentiſſime collatis effeci tandem, vt hic veſter Proſper, vir tam ſanctus, quam eruditus, tot retro ſaeculis in tenebris deliteſcens, ſitum cariemque paſſus, totus nitidus, purus, integerque in lucem exiret." Hactenus verba Gryphii, quae ex laudata epiſtola producuntur in praefatione nouiſſimae editionis Pariſienſis. Addunt tamen eiuſdem auctores, qui parum perſpicua in his vtuntur oratione, acceſſiſſe de nouo, praeter enumerata, *Reſponſiones ad Capitula Gallorum, et ad Capitula abiectionum Vincentianarum.* Omiſſit autem *Chronicum integrum*, quod inter Euſebiana aliorumque Chronica excuſum eſſet, et quod ob nimiam corruptionem lectori faſtidio fore videretur.

1540.

Coloniae excudebat Hero Alopecius. 8. D. Proſperi, Aquitanici, Epiſcopi Rhegienſis, opera, collatione vetuſtorum exemplarium recognita. *Cat. Bibl. Reg. Pariſ.* Gryphianae repetitio.

1552.

Coloniae apud Lamb. Syluium. 8. Proſperi et Hilarii Arelatenſis epiſtolae duae ad B. Auguſtinum, de reliquiis Pelagianae haereſeos, ad fidem vetuſti exemplaris reſtitutae, cum *Honorii Auguſtodunenſis dial. de praedeſtinatione et libero arbitrio. Cat. Bibl. Bunav. T. III. p. 208.*

1556.

Baſileae ex officina Henr. Petri. fol. Proſperi Aquitanici aduerſus Colluctatorem (*ſic*) de libero arbitrio; in *Io. Heroldi Haereſiologia p.* 664—675. Edidit

Edidit ex antiquo codice Lauriſſenſi, in quo tamen aliquot in fine libri verſus deerant.

1565.

Coloniae, apud haeredes Arnoldi Birckmanni, in pingui Gallina. 4. *mai.* D. Proſperi Aquitanici, Epiſcopi Rhegienſis, Opera, accurata vetuſtorum exemplarium collatione per viros eruditos a mendis pene innumeris repurgata. In fine: *Louanii typis Ioannis Bogardi.* Qua loci et typographi nota, ſed praefixo anno 1566. hanc ipſam haud dubie editionem indicat *Cat. Bibl. Reg. Pariſ.*

Superioris editionis contenta iuxta elenchum in auerſa pagina tituli huius editionis ſubiectum ſic ſe habebant: *Opus de praedictionibus et promiſſionibus Dei*, quo neſcio quando et per quem numerus operum Proſperi auctus fuerit; *de vita contemplatiua libri III.; ad Rufinum epiſtola, Reſponſiones ad Capitula Gallorum, ad obiectiones Vincentianas, et ad excerpta Genuenſium, contra Caſſianum de Protectione Dei liber I.; Sententiarum ex operibus Auguſtini excerptarum liber I.; ex iiſdem ſententiis epigrammatum liber I.; de prouidentia diuina opuſculum; de Ingratis lib. I.; Commentarius in Pſalmos* C—CL. Inter acceſſiones huius editionis numerantur 1. *de vocatione omnium Gentium libri II.*, 2. *Epiſtola ad ſacram virginem Demetriadem*, 3. *epiſtola ad D. Auguſtinum*, 4. *Coeleſtini pro Proſpero et Hilario epiſtola* (quatenus illa ſcilicet in Gryphiana omiſſa fuerat), 5. *Canones alterius concilii Arauſicani.* Ex his num. 3. plane noua fuit acquiſitio. Num. 1. et 2. Ambroſio hactenus tributi et cum eius operibus vulgati fuerant. Nunc priores non tantum ob ſtili et phraſis ſimilitudinem, ſed etiam ex codicum mss. fide, poſterior etiam, partim ob ſtilum, partim ob

argumentum Proſpero vindicantur. Affirmat enim huius editionis curator *Ioannes Soteaux (Sotellus)* Montinienſis in praefatione ad Lectorem, (quae a vita Proſperi incipit) deprehendiſſe ſe *libros de vocatione omnium gentium* in antiquiſſimis mss. Bibliothecae regularium S. Martini Louanii, Bibliothecae Abbatiae Cambronenſis et Boneffienſis Abbatiae apud Namurcum, Proſperi nomine inſcriptos. De ceteris ſic monet editor: „Libros *de praedictionibus et promiſſionibus Dei* non ignoramus plurimis in locis mendoſos, et (vt apparet) mutilos eſſe: tametſi haud ita atque cum eos in manus legendos acciperemus. Sed cum nobis exemplaria correctiora non ſuppeterent, noluimus quidquam ex coniectura immutare. Si cui ob minorem eruditionem videantur a diuo Proſpero adhuc iuniore, iamque primum in ſacris literis ſeſe exercente ſcripti: obſtabit, quod trigeſimo octauo capite ſecundae partis auctor ipſe ita loquitur, velut iam annos iuuentutis exceſſerit. Vt certe Proſperi non videantur, non eo tantum fit probabile, quod Gennadius et Trithemius recenſentes, quae ab illo ſcripta ſint, huius operis non meminere, ſed etiam ex phraſis ac ſtili maxima diſſimilitudine, quodque ſaepiſſime toto opere autor hiſce ſententiis vt ſibi familiariſſimis vtatur: *Non tantum ſibi*, *quantum etiam ſuis*, etc. etc., *non tantum praeteriti*, *quantum etiam praeſentis* etc. quas in ipſis D. Proſperi libris non reperies vſquam. Fatendum tamen eſt, ab homine ſcriptorum ac librorum diui Auguſtini ſtudioſiſſimo ſcriptos eſſe. Nam et ipſa Auguſtini verba non ſemel citat: quae quo loco apud illum habeantur, in margine annotauimus. Libri *contra Collatorem* (qui et mendis ſcatebat et ordinis plane erat perturbati: quoniam in eo paſſim verba Proſperi impreſſa erant tanquam Caſſiani eſſent) caſtigationes ſubminiſtrauit

ſtrauit eruditus et eximius vir, ſacrae theologiae Regius Louanii profeſſor, *M. Ioannes Heſſels* a Louanio: ſicut et magnam partem eorum, quae tecum huc vſque locuti ſumus Lector chriſtiane." In eadem praeſatione remotum a ſe dicit *carmen de Providentia*, quia Pelagianae doctrinae ſit; attamen in ipſo volumine eodem ordine impreſſum extat, quo a praecedenti editione exhibitum *) fuerat. Acceſſerunt denique huic editioni *indices* locupletiſſimi *rerum* et *ſcripturarum*, in titulo etiam notati. Inſcripſit eam Sotellus *Carolo van der Linden* Monaſterii Parcenſis Ord. Praemonſtrat. apud Louanium Abbati, epiſtola data *Louanii ex minori collegio Theologorum 13. Calendas Maias M. D. LXV.*

1577.

Duaci ex off. Ioannis Bogardi, Typogr. iurati, ſub Bibliis aureis. 8. Diui Proſperi Aquitanici, Epiſcopi Rhegienſis, Opera, accurata vetuſtorum exemplarium Collatione a mendis pene innumeris repurgata.

Superioris editionis ſubſtantia non aucta eſt. Sed quae in eadem non ſatis expurgata fuiſſent Proſperi ſcripta, nunc nitidiora, et non modica acceſſione cum variarum lectionum, tum plurium lacunarum, maximeque vnius perquam inſignis ſupplemento locupletiora ſe dare profeſſus eſt *Ioannes* neſcio quis *Oliuarius* **) in epiſtola ad *Ioannem Sacracenum* Priorem Vedaſtinum Atrebati. (*dat. Duaci Idib. Novemb.*

*) Fugit hoc editores Pariſienſes, quod ipſum librum inſpicere ſuperſederunt.

**) *In litteris tantum humanioribus verſatum atque a ſacro Theologico ſtudio plane alienum* ſe dicit per occaſionem excuſationis, quod ſcriptori Eccleſiaſtico manus admouerit.

vemb. 1576.). „Emendationes *enim* plurimas, *inquit*, item varias lectiones partim ſuppeditauit nobis liber tua ſingulari induſtria collatus cum antiquis codicibus, partim vetuſtiſſimum volumen bibliothecae Cambronenſis, quod habebat manu deſcriptos, *de vita contemplatiua* libros tres, *de vocatione gentium* duos et vnum *Epigrammatum*. Itaque ex eo iis in libris multa ſunt facta meliora, quae deerant, ſuppleta, adnotata plurima; ne acerrimo quidem iudicio tuo, cui libenter illa ſubmittimus, improbanda." Ceterum totus ſuperioris editionis ordo, indices item atque adeo *Ioannis Sotelli praefatio ad Lectorem* hic ſeruata ſunt.

Saec. XVII.

1601.

Ingolſtadii ex officina Ederiana. 4. Proſperi Aqu. chronicon integrum, in duas partes tributum, item pars poſterior (a vulgatis admodum recedens) ex MS. Auguſtano; in *Henr. Caniſii Lectionibus antiquis* T. I. Vide ed. Baſnagianam. a. 1725.

1604.

Burdigalae apud Simonem Millangium. fol. Proſperi Aqu. Chronicon a morte Valentis etc., in *Arnaldi Pontaci Chronicis trium illuſtrium Auctorum* Euſebii, Hieronymi et Proſperi, *pagg.* 198—210. Notae extant *pagg.* 760—790.

1606.

Lugd. Bat. exc. Thom. Baſſon. ſumptib. Commelin. fol. Eadem pars Chronici; in *Ioſ. Scaligeri Theſauro Temporum. pagg.* 188—197. et *ibidem* in editione *Amſtelodamenſi* apud *Io. Ianſſon.* 1658.

1609.

Coloniae Agrippinae excudebat Arnoldus Kempenſis ſumptibus Ioannis Crithii. 8. D. Proſperi Aquitanici — Opera accurata exemplarium vetuſtorum collatione a mendis pene innumeris repurgata. Repetitio editionis *Io. Oliuarii.*

* *

Pariſiis ex off. Niuelliana apud Sebaſt. Cramoiſy. 4. Chronicon Proſperi Tironis Aquitani a morte Valentis Imp. ad captam a Genſerico vrbem. Nunc primum in lucem editum, longe aliud ab eo, quod hactenus B. Hieronymi Chronico ſubiunctum eſt. Item Fragmentum ex Chronico Victoris Epiſcopi Tunnenſis Africae, quod ſubiecit Chronico Proſperi; in *Petri Pithoei Operibus* pagg. 329 — 42. De editione prima a. 1588. nondum mihi certi aliquid conſtat.

1611.

Romae ex typogr. Camerae Apoſtolicae . . . . . D. Proſperi — opera (ex editione Io. Oliuarii). *Benedd.* ex *Cat. Bibl. Cordeſianae* (*Pariſ.* 1643. 4.) *p.* 73.

1619.

Pariſiis . . . . . . 8. Tironis Proſperi Aquitani confeſſio nunc primum edita ex codice Vaticano per *Iac. Sirmondum;* cum *Eugenii* Ep. Tolet. *Opuſculis, quibus Dracontii aliorumque vet. eccleſ. SS. quaedam* (poëmata) adiecta ſunt. Recuſa ſunt haec omnia in *Operibus Iac. Sirmondi Pariſ.* 1696. *T.* II. *pagg.* 913. 14.

1622.

Helmaeſtadii typis heredum Iacobi Lucii. 8. S. Proſperi Sententiae ex B. Auguſtini monumentis collectae,

lectae, vnde et a quibuſdam Sententiae Auguſtini appellantur. In gratiam pietatis et veritatis amantium ſeorſim editae. Cum indice Alphabetico copioſiſſimo, in quem pene omnes Sententiae relatae ſunt.

1636.

Lutetiae Pariſiorum ſumpt. Seb. Cramoiſy. fol. Proſperi Aqu. Chronicon — ex ed. viri cl. *Petri Pithoei;* in *Ducheſne Scriptorib. Franciae Coëtaneis Tomo* I. *pagg.* 196—201. *Item* Chronicon ab orbe condito, pars poſterior, Euſebii et Hieronymi Chronicis adiungi ſolita, multo quam in vulgatis exemplaribus emendatior et auctior ex mss. Codd. *Iac. Sirmondi* et *Petri Franc. Chiffletii*, *pagg.* 201—209.

1657.

Pariſiis apud Seb. et Gabr. Cramoiſy. fol. Viri Clariſſimi Tironis Proſperi Aquitani Chronicon integrum ab Adamo ad Romam captam a Genſerico Wand. Rege, in duas partes diſtributum. *Prima pars,* ab ortu rerum ad mortem Valentis cum annotatione Conſulum, *nunc primum edita ex variis codicibus calamo exaratis.* Pars *altera,* ab a. 379. ad 455. *auctior atque emendatior in pluribus, quam quae antea vulgata eſt.* Eiuſdem alteriuſue Proſperi Chronicon, editio Pithoeana emendata multis in locis, ex collatione codicum MSS. omnia in *Bibl. nova MSS. Librorum Philippi Labbei Tomo* I. *pagg.* 16—60.

1671.

Pariſiis ſumptibus Petri Variquet. fol. D. Proſperi Epiſcopi Rhegienſis Opera, quae quidem editio innumeris prope, quibus praecedentes ſcatebant, mendis fuit perpurgata; acceſſerunt *Heptadi Praeſulum a Theophilo Raynaudo* editae et poſthac ſaepius, h. l. et a. vero vltima vice recuſae.

1677.

1677.

Lugduni apud Aniſſonios. fol. Proſperi — Opuſcula diuerſa ſoluta oratione et carmine ſcripta, ex recognitione *Iohannis Oliuarii;* Eiuſdem ſiue Proſperi Tyronis Chronicon, ex editione *Henr. Caniſii* nec non Chronicon Pithoeanum; in *Bibl. Max. PP. Tomo VIII. pagg.* 1—203.

1690.

Pariſiis apud Franc. Muguet. fol. Proſperi Aquitani pro Auguſtino, contra iniquos doctrinae illius de gratia et praedeſtinatione reprehenſores, Apologetica opuſcula: nec non eiuſdem Proſperi liber ſententiarum ex Auguſtino; in III. parte *Appendicis* ad *T.* X. *Operum S. Auguſtini* curantibus Monachis *e Congreg. S. Mauri ad S. Germanum in Pratis*; in ed. *Antuerp. p.* 110—170.

Comprehenduntur vna: 1. *Epiſtola ad Rufinum* recognita ad antiquiſſimum exemplar Remenſis Abbatiae S. Remigii. 2. *liber contra Collatorem* caſtigatus ex vetuſtiſſimo codice Corbeienſi et ſecundum optimas editiones, velut Moguntinam, Louanienſem et Antuerpienſem.

1699.

Trai. ad Rhen. et Lugd. Bat. apud Franc. *Halmam et Petrum van der Aa. fol.* Proſperi Aqu. Chronicon integrum *iuxta Labbeanam editionem expreſſum;* in *Io. Geo. Graeuii Theſauro Antiqq. Rom. T.* XI. *p.* 269. *ſqq.*

SAEC. XVIII.

1703.

Louanii apud Aegidium Denique. 8. D. Proſperi Aquitanici Peri - Achariſton; hoc eſt, de Ingratis

tis Carmen, accuratum et Notis miſcellaneis illuſtratum a *Martino Steyartio (Steynert)* in *Tomo* III. Opuſculorum ſeu Lucubrationum Steyartii.

De auctore, doctore quondam Theologiae Lovanienſi, qui magnam nominis celebritatem apud ſuos obtinuit, adeundus *Io. Franciſcus Foppens* in *Bibl. Belgica p.* 861. vbi et effigies eius cernitur; eſt autem hic in Proſperi libellum commentarius opus poſthumum. Neque enim ſeorſim, ſed in hacce operum eius editione (quae VI. Tomis conſtat) primum prodiit. Notae vero omnes traductae ſunt in editionem Pariſienſem. Errat igitur *Io. Alb. Fabricius*, ſi editionem Louanienſem Steyartianae lucubrationis *re vera* Amſtelodami non Louanii prodiiſſe affirmat. Neque enim Benedictini ſolum in Hiſtoria literaria Galliae eius meminerunt, ſed ipſi editores Pariſini in praemonitione ad hocce carmen diſertis verbis Lovanii eam prodiiſſe indicant; quin ipſe Clericus in praef. ad Appendicem Auguſtinianam teſtatur *Louanii editas* fuiſſe haſce Steyartii notas.

* *

Antuerpiae apud Petrum Mortier. fol. Sancti Proſperi Aquitanici Carmen ΠΕΡΙ ΑΧΑΡΙΣΤΩΝ, hoc eſt, de Ingratis, accurante et illuſtrante Theologo Louanienſi, in *Appendice Auguſtiniana* ſeu *Tomo* XII. *Operum Auguſtini* curante *Io. Clerico*, *pagg.* 1—39.

Ante omnia, *inquit Clericus in praefatione ad hoc volumen*, ante omnia oculis ſe ſubiicit legendum poema S. Proſperi de Ingratis, in quo doctrinam S. Auguſtini, Pelagii et praeſertim Semipelagianorum verſibus quidem non optimis, ſed intellectu minime difficilibus exponit. Eos tamen eruditus Louanienſis Theologus ſat diligenter illuſtrauerat notis, quas hic

vides.

vides. Eae notae, viri docti manu emendatae et auctae, a nobis editae ſunt, quales tranſmiſſae fuerant, ſine vlla additione, aut detractione. Erant prius editae Louanii, nomenque praeſerebant Martini Steyarti, qui theologus fuit eius Academiae, non ita pridem mortuus, et qui dicitur primum ſuiſſe in eorum partibus, qui Auguſtinianam doctrinam tuentur, deinde in partes contrarias tranſiiſſe, quod ſatis liquet ex variis libellis Gallicis, quibus eum oppugnauit vir diſertiſſimus *Antonius Arnaldus* Doctor Sorbonicus, Auguſtinianarum partium in Gallia facile princeps. Nomen tamen Steyarti deleri voluerunt, qui Opuſculum hoc ad Bibliopolam (Appendicis huius redemtorem) tranſmiſerunt; quod nos diſſimulare non potuimus.

1711.

Pariſiis ſumpt. Guil. Deſprez et Io. Deſeſſartz. fol. Sancti Proſperi Aquitani, S. Auguſtini diſcipuli, S. Leonis Papae Primi Notarii, Opera Omnia, ad manuſcriptos codices, nec non ad editiones antiquiores et caſtigatiores emendata, nunc primum ſecundum ordinem temporum diſpoſita, et Chronico integro eiuſdem, ab ortu rerum, vſque ad obitum Valentiniani tertii et Romam a Vandalis captam pertinente, locupletata. Quibus praefigitur eiuſdem S. Proſperi Aquitani Vita, ex Operibus ipſius, et Scriptorum Eccleſiaſticorum libris concinnata.

Editores *Ioannes Le Brun de Marette et D. Mangeltus (Mangeaut)* hunc finem ſibi in adornanda hac editione fuiſſe profitentur, vt quantum fieri potuiſſet, ampliſſima, caſtigatiſſima et optimo ordine diſpoſita prodiret: et vt etiam ex illa aliquid adiumenti lectoribus ſubminiſtraretur ad erroris Semipelagiani hiſtoriam plenius cognoſcendam. Quapropter primo in eam

eam contulerunt, quidquid genuinorum S. Proſperi Operum hactenus in lucem prodierat, non omiſſis *Confeſſione* quam primum euulgauit, et Chronico integro, quod omnes ſuperiores editores ſpreuerant. Caſtigarunt deinde ſingulos huius editionis libros ad fidem editionum probatiorum et tot MSS., quot per conceſſi temporis anguſtias reperire et conferre licuit. Erat enim in literis Regiis, datis d. 14. Decembris 1709., quae huius aliorumque librorum imprimendorum et recudendorum priuilegium bibliopolis indulſerant, mandatum, vt Proſperi opera intra duorum annorum ſpatium abſoluerentur. *Et ne inter varias, quae in libris occurrerent loci eiuſdem lectiones, temere ſelegiſſe et doctiorum palato praeiudicare voluiſſe arguerentur*, in marginem inferiorem cuiuſque paginae illae, quas neglexerunt, reiectae ſunt. Nec vero intra hos limites criſin ſuam contineri voluerunt, ſed ſedulo etiam laborarunt, vt ſpuria et dubia a veris et genuina tam ſede ac charactere, quam admonitionibus praeambulis diſtinguerent, ſimulque eruditorum virorum de vnoquoque ſententias adferrent. Ordo librorum idem eſt, quo ſupra ſcripta ſingula enumerauimus, ita tamen, vt varia aliorum, quae eadem attinent, inſerta ſint, itemque dubia cum certis ac genuinis vna ſerie exhibeantur ad eaſque ſimul *index* vberrimus *rerum* et *nominum* et *ſententiarum memorabilium* ſpectet, pone hunc demum *appendix* ſit annexa. Videlicet inſerta ſunt poſt *Proſperi epiſtolam ad Auguſtinum: Hilarii Epiſtola ad eundem*, item *Auguſtini de Praedeſtinatione SS. et de Dono Perſeuerantiae libri II;* poſt *Reſponſiones ad Excerpta Genuenſium: Coeleſtini Pontificis pro Proſpero et Hilario Epiſtola* vna cum *Sedis Apoſtolicae Epiſcoporum auctoritatibus de Gratia* et *Ioannis Caſſiani Collatio* XIII.; poſt *Chronicum integrum: Concilium*

II.

II. Arauſicanum, quae reliqua dubiae fidei ſcripta eodem ordine, quo ſupra propoſita ſunt, excipiunt. In *Appendice* continentur, prima Parte: *Iuliani Pomerii de vita contemplatiua libri III. de Promiſſionibus et Praedictionibus Dei liber, Chronicon Proſperi Tironis;* in ſecunda Parte: *Varia ſcripta et monumenta, quorum lectio Operibus Sancti Proſperi, ac Hiſtoriae Semipelagianae lucem afferunt,* ac inter illa primo loco *S. Auguſtini de Correptione et Gratia ad Valentinum librum* I. Ceterum libris, qui in prima Appendicis parte exhibentur, non minor cura eſt adhibita ab editoribus, quam reliquis Proſperi Scriptis, ſicuti in totam appendicem peculiaris *index* haud vulgari cura exaratus acceſſit. Singulare denique huius editionis ornamentum eſt *Vita Proſperi ex Operibus ipſius et ſcriptorum eccleſiaſticorum libris concinnata*, quae XI. *articulis* conſtat et proxime poſt praefationem eſt ſubiecta.

1725.

Antuerpiae apud Rudolphum et Gerhardum Wetſtenios. fol. Tironis Proſperi Aquitani Chronicon integrum in duas partes tributum. *Pars Prima, edita ex variis codicibus calamo exaratis.* Pars *altera* ex Caniſio. Eadem *ex MS. Auguſtano (Monaſterii SS. Afrae et Vdalrici)*; Item *Chronicon Pithoeanum:* omnia ex recenſione et cum notis *Iacobi Baſnagii;* in *Theſauro Monumentorum Eccleſiaſticorum et Hiſtoricorum* ſeu *Henrici Caniſii Lectionibus antiquis ad Saeculorum ordinem digeſtis. Tomo* I. *pagg.* 252—318.

1732.

Romae, ex typographia Antonii de Rubeis. 8. Sanctorum Proſperi Aquitani et Honorati Maſſilienſis

ſis Opera (aliquot), Notis Obſeruationibuſque illuſtrata a D. *Ioanne Salinas*, Neapolitano, Canonico Regulari Lateranenſi, ac S. Theol. Lectore ad Sanctiſſimum patrem Clementem XII. Pontificem Max.

Horum opuſculorum editio ad idem conſilium ſpectat cum editis ab ipſo ſuperiori anno *Vincentii Lirinenſis et Hilarii Arelatenſis* lucubrationibus, nempe triumuiros hoſce a Semipelagianiſmi obiectione liberandi. Quapropter additurus erat tertium volumen et in peculiari diſſertatione oſtenſurus, *Vincentium*, *Hilarium* et *Honoratum* re vera ab orthodoxis doctoribus non diſſentire, vna cum obſeruationibus quas ſtudioſe collegerat de Lirinenſi coenobio. Sed mors doctas eius meditationes intercepiſſe videtur. In hoc volumine ſcripta aliquot praecipuae dignationis, ex quibus de orthodoxorum de gratia Dei ſententia iudicium ferri poſſit, propoſuit, videlicet *Proſperi* et *Hilarii Epiſtolas* ad *Auguſtinum*, ex Pariſienſi editione, additis quibuſdam variantibus lectionibus e Codicibus nonnullis Vaticanis depromptis; porro *Carmen de ingratis* ex eadem editione cum delectu notarum Steyartii, quae ibidem adiectae conſpiciuntur, et vltimo loco *Honorati vitam Hilarii*, de qua alio loco dicetur. Ex eadem Pariſienſi editione hic repetita ſunt *Teſtimonia veterum de S. Proſpero*, item *Vita eius ex Operibus ipſius et aliis Scriptoribus Eccleſiaſticis concinnata* cum obſeruationibus Salinaſii et *Synopſi chronologica operum et geſtorum eius.* Suppeditarunt hanc editionem *Suppl.* ad *N. Acta Erud. Lipſ. T. II. p.* 17. (a. 1731.).

1740.

Veronae. fol. Proſperi Aqu. — Chronici pars poſterior, cum Euſebii et Hieronymi Chronicis; in ed. *Operum Hieronymi Dominici Vallarſii* Tomo VIII.

VIII. *pagg.* 823—56. editionis *Venetae T.* VIII. *P.* I. *pagg.* 821—56.

1744.

Venetiis. fol. S. Proſperi — Opera. Non recordor amplius vbi hanc editionem notatam inuenerim. Haud dubie eſt recuſa Pariſienſis.

1758.

Romae apud Fratres Palearinios. 8. S. Proſperi Aquitani S. Leonis M. Notarii de Gratia Dei et libero arbitrio hominis et Praedeſtinatione Sanctorum opera omnia. Editionem emendatiſſimam et variis lectionibus vndique collectis praecipue vero ex Codd. Mss. Vaticanis adornatam curauit P. F. F.

Nitidiſſima haec Proſperi opuſculorum editio *partem tertiam* facit *Operum Selectorum SS. Patrum* de *Gratia Dei et Praedeſtinatione Sanctorum.* Editor fuit *Petrus Franciſcus Fogginius.* Complexus eſt in hoc volumine *Epiſtolas* ad *S. Auguſtinum* et *Rufinum*, *Reſponſiones ad Capitula Gallorum*, *Obiectiones Vincentianas et Excerpta Genuenſium*, Librum *contra Collatorem*, *Carmen de Ingratis*, *Epigrammatum triadem aduerſus Maſſilienſes et Epigrammatum ex ſententiis Auguſtini ſpicilegium*, omnia diligenter ex editione Pariſienſi expreſſa, additiſque non ſolum variis lectionibus in eadem, ſed nouis etiam ſua ipſius opera ex Vaticanis codicibus collectis; praeterea *Carmen* de *Ingratis*, cuius mss. exemplaria nulla reperire ei contigit, nec non *tria epigrammata*, quae illi adiungi ſolent, perpetuis ſcholiis ex prolixioribus Martini Steyartii et Pariſienſium editorum inſtruxit. Inſcripſit Clementi XIII.

1759.

Romae . . . . . . 12. S. Proſperi Carmen de Ingratis et *Epigrammata ſelecta.* Sic legitur in *Cat. Bibl. Comitis Caroli a Firmian T.* I. *p.* 53. *n.* 3027.

⁂

Versiones. Praeter *poema* de *ingratis* pauca Proſperi in recentiores linguas conuerſa extant.

Gallicae.

1647.

Paris chez la veuve Martin Durand. 4. Poëme de S. Proſper contre les Ingrats, où la doctrine catholique de la grace eſt expliquée et ſoutenue contre les Pelagiens, traduit en François, en vers et en proſe, avec les vers mis à coté, par *Louis Iſaac le Maitre de Saci.* Eadem verſio recuſa eſt *Pariſiis apud Guil. Despres et Io. Deſeſſarts* a. 1717. 12. addita *epiſtola ad Rufinum et Epitome totius doctrinae Proſperianae de gratia et libero arbitrio ex operibus ipſius.*

1649.

Paris chez Jean Henault. 8. S. Proſper de la vocation des Gentils, où la doctrine catholique de la liberté et de la grace eſt declarée contre les erreurs des Heretiques, traduit en François avec des reflections, par le P. *Antoine Girard.*

Italicae.

1586.

In Roma. 8. Sentenze di S. Proſpero ſopra le promiſſioni, e predizioni di Dio, tradotte da *Giulio Folco;* in *Effetti mirabili de la Limoſina e Sentenze*

degne

degne di memoria appartenenti ad eſſa, raccolte per opera di *Giulio Folco.* *Argelati* l. mox laudando.

1751.

In Venezia per Carlo Pecora. 8. Il poemà di S. Proſpero Aquitano degl'Ingrati, o ſia ſopra la Grazia. Traduzione in ottava rima dell' abate *Gianfranceſco Giorgetti* dedicato a Monſignor Illuſtriſſ. e Reverendiſſ. Aluiſe Foſcari Patriarca di Venezia, e Primate della Dalmazia etc. con una Diſſertazione ſopra la Vita, e l'Opere di S. Proſpero Aquitano, e con Annotazione Filologiche, Iſtoriche, Critiche.

Accedit textus latinus. *Novelle Lett. di Firenze* a. 1751. 24. Sptembr. p. 610. et *Nov. lett. di Venezia* num. XLIV. p. 345. et qui ex iis hauſit *Argelati* in *Bibl. degli Volgarizz. T.* III. *p.* 303.

1753.

In Venezia preſſo Simone Occhi. 8. I mille Verſi Latini di S. Proſpero di Aquitania contro i Semipelagiani, tradotti in Verſi Italiani dal P. *Carl' Agoſtino Anſaldi* de' Predicatori, fra gli Arcadi della Colonia di Trebbia, *Clomoneo.*

Et hic interpres textum latinum et notulas in inferiori margine appoſuit. *Argelati* l. l.

1756.

In Breſcia preſſo Giammaria Rizzardi. 4. *mai.* Ricerca Siſtematica ſul teſto, e ſulla mente di S. Proſpero d'Aquitania nel ſuo poema *contra gli ingrati.*

Praeter *carmen de ingratis* inſunt etiam *Epigrammata duo* Proſperi in *obtrectatorem Auguſtini* et *Epitaphium Neſtorianae et Pelagianae Haereſeon*, omnia latine iuxta textum editionis Pariſinae cum latinis marginalibus et in aduerſa pagina verſione Italica,

cum iiſdem marginalibus conuerſis et notis eodem idiomate ſcriptis criticis, hiſtoricis et theologicis. His ſubiecta eſt promiſſa in titulo *diſquiſitio,* quae praeter introductionem et concluſionem, LXX. *annotationibus* ſeu capitibus conſtat, adeo vt ipſa carmina cum variis ad poetam eiuſque ingenium, nec non Semipelagianos Maſſilienſes ſpectantibus quaeſtionibus nomine *apparatus ad diſquiſitionem* inſignita ſint. Scite auctor *Viator a Coccaleo (Viatore da Coccaglio)* Capucinus ſermonem ad *Amatores Doctrinae Proſperi* direxit, alioquin nemo facile dixerit, cui haec ſcripta ſint. Nuncupauit autem volumen ſuum Cardinali Dominico Paſſioneo.

1760.

In Breſcia dalle Stampe di Giamb. Boſſini. 4. Lo Spirito Filoſofico — Teologico — Aſcetico di San Proſpero d'Aquitania ne' ſuoi Epigrammi.

Idem auctor eſt *Viator de Coccaleo,* idemque ſpiritus in commentariis, ſed volumen ſpiſſius. Singulis Epigrammatibus latinis ſubiungitur verſio italica, quam prolixiſſima excipere ſolet, non de arte poematis ſententiaeue tractatione, ſed ex proprio auctoris ingenio ſuper idem, quod poeta attigit argumentum, quaſi in datum textum commentatio. Dedicauit opus *Carolo Victorio Amadeo Cardinali delle Lanze,* Archiepiſcopo Nicoſio et Regi Sardiniae a Confeſſionibus.

1764.

In Verona per Agoſtino Carattoni. 4. Di San Proſpero Aquitano Notaio di San Leone magno il poema degl' Ingrati ovvero Semipelagiani recato in verſi Italiani ſciolti dal Reverendiſſ. Padre Don *Franceſco Maria Ricci* Romano Abate Benedettino — Caſſineſe.

E regione verſionis Italicae appoſitus eſt textus latinus, additaeque ſunt annotationes et lectiones variantes. Sed haec omnia ex Pariſina editione decerpta ſunt. Nuncupauit editor verſionem ſuam Nicolao Antonio Iuſtiniano Epiſcopo Veronae.

✲ ✲

Codices, *ex quibus Proſperi ſcripta aut primum edita aut deinceps emaculata ſunt.*

I. *Codex ms. Benedictinorum Montis S. Iacobi Moguntiae*, vnde editio Moguntinenſis a. 1524. prodiit.

II. Quae *Sotellus* ex mss. exemplaribus petiit ſubſidia, pauca fuerunt et ſupra ſunt à nobis indicata.

III. *Ioannes Oliuarius* vnum tantummodo Codicem *Cambronenſem* commemorat, ex quo plurima ab ipſo in textu Proſperi caſtigata fuerint. Sed is ex genuinis Proſperi ſcriptis non niſi *Epigrammata*, de ceteris libros *de vita contemplatiua* et *de vocatione omnium gentium* continebat.

IV. *Benedictinorum*, editorum *Operum S. Auguſtini.*

1. Codex *Corbeienſis*, ex quo emendarunt *librum contra Collatorem.* Ante annos fere nongentos exaratus. Pro titulo erat: *Liber ſancti Proſperi pro praedicatoribus gratiae Dei, contra librum Caſſiani preſbyteri, qui praenotatur de protectione Dei.*

2. *Remigianus*, de quo ſub num. IV.

3. *Colbertinus* libri *Sententiarum ex Auguſtino delibatarum*, notatus num. 303. nec admodum vetus, complectebatur non plures quam ſeptuaginta ſex ſententias, nempe octodecim primas, et omiſſa decima nona, vigeſimam, vigeſimam primam et alias ex ſubſequentium ſerie ſelectas. In editis trecentae et nonaginta extant.

V. *Pariſienſibus* autem *Editoribus* praeſto fuerunt:

1. *Codices Bibliothecae Regiae Pariſienſis*, quorum ex vno caſtigata ſunt *epiſtola ad Auguſtinum* et *Reſponſiones ad Capitula Obiectionum Gallorum*, item *Sententiae ex Operibus Auguſtini delibatae*, et in Appendice libri *de Vita contemplatiua*, ad duos.

2. Codex *Remigiano - Remenſis* i. e. Abbatiae *S. Remigii Ordinis S. Benedicti* apud Remos, vnde variantes lectiones ipſis tranſmiſſae fuerant. Ex hoc plurimi libri caſtigati ſunt, videlicet *Epiſtola ad Rufinum*, *Reſponſiones ad Obiectiones Gallorum*, *Vincentianas et Excerpta Genuenſium*, *liber contra Collatorem et liber Sententiarum ex Auguſtini Operibus delibatarum.* Nec alius ab hoc fuiſſe videtur codex, ex quo variantes in *librum de promiſſionibus et praedictionibus* accepit, quamquam mirum videri poſſit, quod huic ſoli, non item ad antecedentes libros aetatis nota addita fuerit. Traditur enim 800. annos excedere et ſaeculo nono opera Leutberti et Adeloldi Monachorum ſcriptus eſſe. Sed ſimilia de Remigiano codice, quocum omnes modo laudatas Proſperi lucubrationes contulerunt, Benedictini editores Auguſtini docent, ante annos fere nongentos eum ſcriptum eſſe affirmantes. Niſi forte hic computus ſtrictiſſime accipi debeat et ab eo diuerſus ſit codex Remigianus, quem *ad Reſponſiones ad Capitula Obiectionum Vincentianarum* laudant *ante annos plus minus octingentos ſcriptum.*

3. *Codex Iolienſis*, qui olim fuerat *Claudii Ioly* Praeceptoris et Canonici Eccleſiae Metropolitanae et ex legato eius ad Capitulum illius eccleſiae peruenerat. Hunc totum a capite ad calcem ipſi excuſſerunt editores et quidem ad *Epiſtolam Rufini*, *Reſponſiones ad Obiectiones Gallorum*, *Vincentianas et Excerpta*

cerpta Genuenſium, librum contra Collatorem, librum Sententiarum ex Auguſtino delibatarum, librum Epigrammatum, Confeſſionem, poema coniugis ad vxorem et ex Appendice, ad libros *de vita contemplatiua et Pſeudochronicon.*

4. *Codices Bibliothecae Colbertinae,* quorum vnus profuit *Epiſtolae ad Rufinum*, tres libro *Epigrammatum*, quinque *Chronico integro* et *adulterino.* Nempe in duobus, Chronicis Euſebii et Hieronymi ſubiungebatur *Chronicum verum* Proſperi, in tribus aliis autem *Pſeudo-Chronicon.* Quatuor denique eiusdem Bibliothecae Codices collati fuerunt cum libris *de vita contemplatiua* in Appendice.

5. *Codex mſ. Theodoricenſis* i. e. Monaſterii S. Theodorici prope Remos, cuius Variantes in *Chronicum integrum* ex monaſterio iſto ad eos miſſae erant. Praeter hos etiam

6. *Codex Victorinus Pſeudo-Chronici*, vnde Pithoeus hauſerat, iterum ad eundem librum excusſus eſt.

VI. *Codices Vaticani*, ex quibus variantes in *Epiſtolam ad Auguſtinum* excerpſit *Salinaſius.* De iis propter ipſius editionis defectum mihi non conſtat.

VII. *Codices Fogginii.* Plures habuit *Vaticanos* optimae notae, e quibus diſerte laudat vnum octingentorum circiter annorum, notatum num. 558. qui olim fuerat *Maioris Domus Carthuſiae* et praeter alia continebat S. Proſperi *Reſponſa ad capitula Gallorum, Obiectiones Vincentianas, Excerpta Genuenſium, Epigrammata,* nec non *Librum contra Collatorem.*

44.

Hilarius Prosperi.

Hilarius conditione laicus, incerta patria et ignotis parentibus ortus, non eſt quo aptiori cognomine §. 1. Vita.

 ab

ab aliis claris eiuſdem nominis atque aetatis viris *) diſtinguatur, quam quod ab arctiſſima eius cum Proſpero Aquitano familiaritate ductum, ſimul omnia hominis geſta ſtudiaque comprehendit. Quae cum maxime intra Prouinciam Galliae ſeſe exſeruerunt, in eadem terra natum non ſine aliqua probabilitate coniicias. Sed cum parum interſit, Galliam, an aliam patriam habuerit, illud vero longe eſt notatu digniſſimum, quod ex Auguſtini conſuetudine et inſtitutione in Galliam aut primum venerit, aut redierit. Huius enim doctoris ſacro zelo adeo fuit inflammatus, vt non contentus eundem Proſpero, quem ſibi propter ingenii conſenſum et eximiam quandam eruditionis et eloquii exiſtimationem ſociauerat, inſtillaſſe, Romanae ſedis auctoritatem, in ancipiti certamine contra nouum illud Pelagianorum genus, quod ſub annum 428. in his regionibus emerſerat, euocaret. In hoc autem fidei tuendae negotio illud cum aliis Auguſtini imprimis laicae conditionis amicis commune habuit, vt magis paene doctoris, quam ipſius doctrinae ſtudio flagraret. Quocirca nihil prius atque antiquius habuit, quam vt etiam Proſper penitius ſeſe ad amicitiam Auguſtini applicaret et communia vtriuſque ſtudia ab hoc *ſpeciali fidei patrono* **) probarentur, ſicuti apud Coeleſtinum poſtea de Auguſtini obtrectatoribus et calumniatoribus eſt conqueſtus. Ceterum quod laicum ante diximus non impedit, quo minus eundem vitae monaſticae ſeſe addixiſſe credamus, idemque ſit Hilarius, qui complures annos ante hanc cum Proſpero initam ſocietatem,

*) Velut *Arelatenſi*, *Narbonenſi* etc. non item *Syracuſano*, qui haud dubie idem eſt cum *Proſperiano*,

**) Sic eum Proſper in Epiſtola ad ipſum vna cum litteris Hilarii miſſa appellat.

ſem, Syracuſis conſtitutus Auguſtinum de haereſis Pelagianae inter Syracuſanos progreſſibus certiorem fecit *). Quin potius hanc ipſam eius ad Auguſtinum epiſtolam, quam anno fere 414. ſcripſerit, occaſionem ei extitiſſe, qua in amicitiam eius ſeſe inſinuaret et ad ipſum viſendum Africam properaret, ex reſponſoria Auguſtini haud obſcure intelligitur **). Auguſtinum porro ad vtrumque Proſperum et Hilarium libros de *praedeſtinatione Sanctorum et de dono perſeverantiae* direxiſſe, in Proſperi vita dictum eſt. Poſt epiſtolam denique Coeleſtini Papae ad Galliae Epiſcopos, quam a. 432. ſecum in Galliam aſportarunt, ceſſat Hilarii memoria. Aut igitur paulo poſt e vita exceſſit, aut Proſpero ſoli tanquam doctiori certamen contra Semipelagianos reliquit.

Reſtant hodie *duae* Hilarii *epiſtolae* ad Auguſtinum antea laudatae, 1) breuis *de Pelagianis*, Syracuſis ſcripta a. 413. aut 414. 2) prolixior *de Semipelagianis*, ex Prouincia vna cum Proſperiana eiuſdem argumenti anno 428. aut 429. miſſa. *Intercidit* alia paulo ante ſuper eadem materia ad Auguſtinum exarata. *Tributi ſunt* eidem a nonnullis libri *de vocatione omnium gentium*; ſed abs vlla ratione. § 2. Scripta.

Prior inter Auguſtianas epiſtolas ſeruata, apud *Benedictinos* ordine eſt CLVI. *Poſterior* primum a. 1503. *Coloniae* cum *Honorii Auguſtodunenſis tr. de* § 3. Editiones.

*) Scilicet *Oudinus* in *Comm. T.* I. *p.* 1222. 23. vano hoc argumento vſus eſt, vt Proſperum Syracuſis aliquantiſper verſatum, ſiue, vt ipſe opinari videtur, ortu Syracuſanum, alium ab hoc et plane diuerſum fuiſſe euinceret.

**) Cf. Auctores *Hiſtoriae litt. Galliae T.* I. *p.* 211.

de libero arbitrio, et iterum ibidem 1552 *) impreſſa mox Auguſtinianis quoque inſerta numeratur CCXXVI. tandemque in nouiſſimam *Operum Proſperi Aquitani* editionem (Pariſ. 1711.) *pagg.* 7—19. cum notis et admonitione illata eſt.

45.

PHILIPPUS

§. 1. Vita. preſbyter, Hieronymi diſcipulus ac familiaris, quem Gennadius *optimum* eius *auditorem* dicit. Obiit Mariano et Auito regnantibus i. e. anno 455.

§. 2. Scripta. Edidit *in Iob. commentarium* ſimplici ſermone compoſitum, teſte Gennadio, quem nunc ſupereſſe putant, et *Epiſtolas familiares*, quae *interciderunt*.

§. 3. Editiones. Prodiit a. 1527. *Philippi* nomine *commentarius in Iob.* a *Io. Sichardo* e ms. codice Fuldenſi erutus, hoc titulo:

1527.

Baſileae per Adamum Petrum. fol. Philippi Preſbyteri longe eruditiſſimi in Hiſtoriam Iob. Commentariorum libri tres; et in ima pagina: *In Philippo, quem iam nunc a ſitu aſſeruimus tibi candide lector, quod praeſtitiſſe nos confidimus, nempe vt inoffenſe legatur, id ſumus itidem aggreſſi in Cyrillo Alexandrino facere, et paulo poſt in Athanaſio, quibus per nos integri Tomi ex vetuſtiſſimis libris accedent, modo tu nos, quod bono tuo potes, ſedulo tuo fauore adiuues. Nuncupatum eſt volumen Reuerendiſſimo in Chriſto patri eidemque illuſtriſſimo principi Domino D. Ioanni ab Hennenberg, Antiſtiti Fuldenſi* epiſtola *d. menſe Auguſto* M. D. XXVII. Fertur autem eodem

*) Vide in *Annalib. edd. Proſperi* ad h. a.

dem anno et apud eundem bibliopolam in forma quarta excuſus eſſe hic Commentarius, et vtrumque impreſſionis exemplum in Bibliotheca Abbatiae S. Germani Pariſiis manibus tenuiſſe ſe teſtatur Caſim. Oudinus. Praeterea excuſus eſt inter Hieronymi et Bedae opera Tomo IV. Sed qui inter Bedae lucubrationes occurrit, ab altero Hieronymiano haud paucis in locis diſſentit, adeo vt vulgo nonniſi ille inter Hieronymi opera et qualis ſeorſim vulgatus fuit pro genuino haberi ſolet. Enimuero nouum et a vulgari opinione longiſſime recedens eſt iudicium, quod *Ioannes Dominicus Manſius* ad *Fabricii Bibliothecam M. et I. Latitatis* de vtraque commentarii huius lectione protulit, quodque hoc loco omittere religio ſit. „Inſcriptum, *inquit*, Philippi presbyteri nomine commentarium in Iobum prodiiſſe non dubito; ſed et admonendi erant Lectores, illum, qui inter opera Bedae Tomo IV. legitur non plane cohaerere illi, qui in Collectione S. Hieronymi lucem ſemel iterumque aſpexit. Conueniunt eruditi, ſcriptum iſtud Bedae operibus adiectum interpolationes multas ab ipſo Beda pro more conſueto tuliſſe; viciſſim illud quod inter Opera S. Hieronymi collatum eſt, ſincerum eſſe Philippi Preſbyteri foetum arbitrantur. Verum et de hac commentarii poſterioris ſinceritate ambiguos nos efficiunt excerpta operis Philippi Preſbyteri ex cod. Ambroſiano 1000. annorum a *Muratorio Antiquit. T.* III. *pag.* 845. et a *Vallarſio* in editione operum S. Hieronymi Veronenſi *pag.* 824. vulgata; illa enim cum Beda, et Philippo vulgato collata, quamuis interdum conueniunt, ſaepe tamen diſcrepant, et non raro ſenſum eundem verbis diuerſis exprimunt. Quare ſincerum vnquam prodiiſſe opus Philippi Preſbyteri vix ac ne vix quidem credo.“ Hactenus Manſius. Mss. hoſce commen-

mentarios vidiſſe ſe teſtatur in antiquiſſimo codice Bibliothecae Igniacenſis in Tractu Remenſi *Caſimirus Oudinus T. I. pag. 1165.*

46.

ANTONINUS HONORATUS

§. 1. Vita. ſeu vt alibi audit *Honoratus Antoninus*, Conſtantinenſis in Africa Epiſcopus, vixit tempore perſecutionis, quam Genſericus rex Vandalorum in Catholicos excitauerat, et Arcadium quendam Hiſpanum, ob fidem in exilium pulſum, per epiſtolam conſolatus et ad grauiora perferenda exhortatus eſt.

§. 2. Scripta. Reſtat hodie illa *Epiſtola ad labores pro Chriſto ferendos exhortatoria*, grauis et elegans, quam recte Baronius antiquum illum apoſtolicum characterem redolere ait, ſcr. ferme intra annos 437—440.

§. 3. Editiones. Edita eſt primum a *Sichardo* a. 1528. et poſt varias in *Bibliothecis PP.* repetitiones emendatior facta et illuſtrata *eſt* a *Theodorico Ruinarto*, hoc *indice* teſte.

SAEC. XVI.

1528.

Baſileae apud Henricpetri. fol. Antonini Ep. Conſtantinenſis ad Arcadium exulem conſolatoria; in *Io. Sichardi Antidoto contra omnes haereſes. fol.* 241. 42.

1556.

Baſileae apud eundem fol. Antonini — ad Arcadium actum in exilium a Genſerico Vandalorum rege conſolatoria; in *Io. Heroldi Haereſiologia. p.* 702—704.

1575.

Pariſiis apud Mich. Sonnium. fol. Eadem, in *Bibl. PP. Bigneana T. I.*

1589.

Pariſiis. fol. Antonini Ep. Conſt. ad Arcadium actum in exilium a Genſerico Rege Vandalorum epiſtola conſolatoria; in Bibl. PP. Bign. *editionis ſecundae T.* III.

1595.

Romae ex Typogr. Vat. fol. Epiſtola Antonini Epiſc. Conſtantinae ad Arcadium; in *C. Baronii Annalibus* ad a. 437. *primae editionis T.* IV. (qui totus accurate recuſus eſt in eadem typographia a. 1607.) *pagg.* 659—61.; in *Colonienſi* 1624. *T.* V. *pagg.* 743—45. et *Manſiana T.* VII. (*Lucae* 1741.) *pagg.* 499—501.

Saec. XVII.

1618.

Coloniae Agr. fol. Antonini — epiſtola conſ. ad Arcadium quendam a Genſerico Gothorum rege in exilium actum; in *M. Bibl. PP. T. V. P. III.*

1644 et 1654.

Pariſiis. fol. Antonini — ad Arcadium exulem conſolatoria; in *Bibl. PP. T.* III.

1677.

Lugduni apud Aniſſonios. fol. Antonii Honorati Ep. Conſtantinenſis epiſtola conſolatoria et ad labores pro Chriſto ferendos exhortatoria; in *Max. Bibl. PP. T. VIII. p. 665. ſqq.*

1694.

Pariſiis ex c. Theodor. Muguet. 8. Honorati Antonini Conſtantiae in Africa epiſcopi Epiſtola cohortatoria ad Arcadium pro fide exſulantem, ſub Genſerico Vandalorum rege Ariano; in *Theodorici Ruinart Hiſtoria perſecutionis Vandalicae P.* II. *cap.* IV. *pagg.* 433—39.

47.

EUSTATHIUS.

§. 1. Vita. Afer ex illuſtri ſtirpe oriundus, frater Syncleticae Diaconiſſae, quam ſplendidiſſimo encomio ornauit Sedulius.

§. 2. Scripta. *IX. S. Baſilii M. Sermones* in *principium Geneſeos* ex Graeco latinos fecit.

§. 3. Editiones. Haec *latina* Euſtathii in *Hexaëmeron S. Baſilii metaphraſis* non in omnibus latinis aut graeco-latinis Baſilii editionibus occurrit, omninoque nuſquam textui graeco e regione adiecta eſt, ſed vulgata verſio ab Argyropulo profecta poſteaque a Ioanne Tilmanno emendata eſt. Acceſſit autem editioni latinae *Coloniensi* cum notis Frontonis Ducaei et Andreae Schotti anno 1617. *apud Antonium Hierat in folio* factae, tranſſcripta in eam ex *Antuerpienſi* a. 1616. (quae potiſſimum ex antiquiori *Antuerpienſi* a. 1568. *apud Phil Nutium* profecta fuiſſe videtur;) *pagg.* 746—773.; nouiſſimeque in *Pariſienſi*, ſtudio *Iuliani Garnerii* a. 1721. (apud *Io. Bapt. Coignard*) tribus tomis in folio emiſſae, *T.* I. *App. pagg.* 631—676. recuſa eſt ad plures codices mss. imprimis Colbertinos duos et Sangermanenſem caſtigata, nec non cum editione Antuerpienſi antiqua et textu graeco diligenter collata.

48.

48.

CONSTANTIVS

Presbyter Lugdunenſis, genere, morum elegantia ac literis inter aequales clarus et familiaris Sidonii, qui iudicium eius tanti fecit, vt eidem ſeptem epiſtolarum ſuarum libros limandos et defaecandos committeret. De reliquis rebus eius pauca et quae referre non intereſt cognita ſunt. §. 1. Vita.

Scripſit inſtante Patiente Lugdunenſi Epiſcopo *Vitam S. Germani Epiſcopi Antiſſiodorenſis* a. 448. defuncti, cui praemiſſae ſunt *duae Epiſtolae*, altera ad *Patientem Lugdunenſem*, altera ad *Cenſorium Antiſſiodorenſem.* Poſterior enim, cum Conſtantius poſt mortem Patientis (a. 480.) operam ſuam e manibus dimiſiſſet, denuo ad eam pertexendam et publicandam incitauit, adeo vt a. 488. emiſſam putent. Diuidi ſolet in duos libros, abſque cauſa. §. 2. Scripta.

Sunt qui Conſtantio etiam tribuunt *Vitam S. Iuſti Lugdunenſis Epiſcopi* demortui a. 390., obuiam apud Surium ad diem 2. Septembris, ſed ſine vlla probabilitatis ſpecie.

Edita eſt apud *Surium* ad *diem* XXX. *Iulii* ed. a. 1573. *(Col. Agr.) T.* IV. *p.* 405—27. ed. alterius a. 1618. p. 358—69, et in *Bollandianorum Actis ſanctorum Tomo* VII. *Iulii pagg.* 200—220. ex libro Chiffletiano cum aliis multis collato. *Gallice* etiam conuerſa eſt ab *Andilio* (d'Andilly). Neque praetermitti debet, eandem Conſtantii operam verſibus fere expreſſam eſſe ab *Erico* Monacho Benedictino Autiſſiodorenſi, qui circa annum 980. claruit, ſex libris, qui in *Actis Sanctorum ad eundem diem*, ex ms. Lobienſi cum antiquo codice Lugdunenſi et ms. Belfortiano collato p. 221—254. proſtant. Diuerſa §. 3. Editiones.

autem ab hac metaphraſi metrica ſunt *Miracula S. Germani* ab eodem Erico ſermone ſoluto conſcripta et a *Labbeo T.* I. *Bibl. nov. ms. p.* 531. primum prolata, hoc ipſo autem loco in *Actis SS. p.* 255. ſqq. ſubiecta, quae perperam cum illa confundunt Benedictini Hiſtoriae literariae Galliae auctores.

49.

Paschasinvs,

§. 1. Vita. Ciuis et Epiſcopus clarus maxime legatione Leonis I. iuſſu ad Concilium Chalcedonenſe a. 451. vna cum Lucentio Epiſcopo Aſculano et Bonifacio preſbytero ſuſcepta, inter quos ipſe tamen primus loco et honore fuit, primuſque Actis Concilii Leonis nomine ſubſcripſit. Neque hoc vnicum fuit Leonis de doctrina et prudentia viri huius teſtimonium, ſed iam antea meruerat, vt ab eo de Paſchatis a. 444. ſupputatione, haud leui tunc quaeſtione, conſuleretur. Multa autem grauia per id tempus cum eccleſia ſua perpeſſus eſt a Genſerico, de quibus ipſe in epiſtola ad Leonem conqueritur. Extrema vitae eius incerta ſunt.

§. 2. Scripta. Supereſt *epiſtola* eius *ad Leonem*, *de Quaeſtione Paſchali*, ſcr. a. 443., qua Leonis epiſtolae, quae intercidit, reſpondet. Apud Marianum Scotum male in duas epiſtolas diſſecta eſt et ab aliis etiam duobus titulis ineptis, nimirum *de Fontis miraculo*, et *de captiuitate Vandalica* laudari ſolet. Epiſtola autem altera Paſchaſini *de Damnatione Dioſcuri*, quam extare tradunt in Actione III. Concilii Chalcedonenſis, non eſt epiſtola, ſed eiuſdem Paſchaſini coram ipſo Concilio Leonis nomine dicta in Dioſcurum ſententia, quod nemo non videt, qui Acta ipſa inſpicere velit; obuia in *Conciliis Labbei T.* IV. *pagg.*

419—

419—21. *Harduini T.* II. *pagg.* 343—46. *Manſi T.* VI. *pagg.* 1046—48.

Paſchaſini Epiſtolam non ſolum multi Epiſtolarum Leonis M. libri mss. ſeruarunt, ſed tranſmiſit etiam in *Chronicis* ſuis *Marianus Scotus* ſaeculi vndecimi Chronographus, *Lib.* II. *Aet.* VI. ad. a. 444. *ed. Baſ. apud Oporin.* a. 1559. *p.* 344—46. et in *Piſtorii SS. rer. Germ.* Ratiſb. 1726. §. 3. Editiones.

Emendata eſt potiſſimum *Petauii* et *Bucherii* opera, quorum alter in Opere *de Doctrina Temporum* nonnulla caſtigauit ad Mss. Codd. Iac. Sirmondi, alter totam auctiorem et elimatiorem deſcripſit ex aliis mss. exemplaribus in *Commentario in* Victorium Aquitanum (*Antuerpiae in off. Plant. apud Bathaſ. Moretum 1634.*) *pagg.* 75—77. Dehinc eam ſuſcepit Queſnellus inter Leoninas poſt Epiſtolam II. doctaſque annotationes addidit *pagg.* 425. ſq. *ed. Lugd.* Tandem Ballerinii relectam ad ms. Vat. Reginae Suecorum *num.* 586. ſaeculi XI., in quo Paſchaſini opere inſerta erat, cum copioſis et ipſi annotationibus et variantibus lectionibus repraeſentarunt inter Leoninas *num.* III. non omiſſis Queſnelli notis Tomo III. Adde *Manſii Concilia T.* III. *p.* 1222.

50.

Polemivs ſiue Sylvivs

aut *Saluius* *), epiſcopus Octoduri (qui locus hodie audit *Martignac* et ſitus eſt ad Rhodanum in Comitatu Valleſino Heluetiorum); ſi idem vere fuit, cui Eucherius Lugdunenſis Paſſionem Martyrum Agaunenſium nuncupauit. Certe nihil amplius praeter hoc cum laudatiſſimo viro, cui viciſſim lucubrationes ſuas §. 1. Vita.

 inſcrip-

*) Bollandus *P. Annaeum Siluium* ſcripſit.

inſcripſit, vinculum, vitae eius memoriam commendat.

§. 2. Scripta. Extat eius *Laterculus* ſiue *index dierum feſtorum*, ſingulis menſibus tum inter Chriſtianos tum apud Gentiles celebrari ſolitorum, ſcr. Theodoſio Iuniori et Valentiniano Auguſtis, Flauio Zenone et Porthumiano Coſſ. i. e. a. 448.

§. 3. Editiones. Partem huius *Laterculi*, menſem ſcilicet Ianuarium et excerpta ex aliis vulgauit primus *Bollandus* in *praefatione gen.* ad *Acta SS. T. I. Ian. p.* 44. 45. Integrum deinde propoſuerunt Continuatores eius *Tomo* VII. Iunii *pagg.* 178—184. cum praefatione de ms. codice, ex quo ille proficiſcitur, item aetate, auctore et indole eius, ad quae magis illuſtranda aliud ſimul ediderunt Kalendarium e regione *Laterculi* huius impreſſum *Furii Dionyſii Philocali*, quod antea euulgarat *Bucherius* in *Commentario* in *Victorem Aquitanum*. Attamen multis hic *Laterculus* in locis inancus eſt et ab excerptis etiam, quae Bollandus olim ediderat, perquam ſaepe recedens, vt pridem *Benedictini* auctores *Hiſtoriae Literariae Galliae T.* II. *p.* 295. 96. et nuper *Manſius* ad *Fabricii Bibl. M.* et *Inf. Lat.* animaduerterunt.

51.

TVRIBIVS,

§. 1. Vita. Aſturicenſis in Hiſpania Tarraconenſi epiſcopus, acerrimus Priſcillianiſtarum hoſtis et vexator, qui poſtquam ex variis per Hiſpaniae et forte etiam exteras prouincias peregrinationibus redux de malo hoc late in tenebris ſerpente, primum amicos Idacium et Ceponium, Epiſcopos, mox Leonem Romanum ſemel iterumque ad auxilium contra ferendum excitavit.

vit, iuſſorumque eius et epiſtolarum ad Tarraconenſes, Carthaginienſes, Luſitanos, (Baeticos) atque Gallaecos epiſcopos de generali concilio celebrando miniſtrum ſe praebuit. Acta quoque hac in cauſſa, non in Gallaecia ſolum, ſed et aliarum quatuor provinciarum*) ſynodus; ſed de ſucceſſu vtriuſque nihil ad noſtram memoriam peruenit.

Reſtat Turibii *epiſtola de non recipiendis in auctoritatem Fidei apocryphis ſcripturis, et de ſecta Priſcillianiſtarum ad Idacium et Ceponium* ſcr. a. circiter 447. cum nondum Epiſcopi dignitatem eſſet adeptus. Interciderunt *epiſtola ad Leonem*, aliaque, quorum ille in Epiſtola reſponſoria, (quae in edd. ante Queſnellum factis eſt XCIII. in Queſnelliana et Ballerinorum XV.) diſerte meminit. §. 2. Scripta.

Laudatam epiſtolam edidit primus *Ambroſius de Morales* in *Hiſtoria Hiſpaniae lib. XI. cap. 26.* ex codice S. Aemiliani, qui in Bibliotheca S. Laurentii Eſcuriarum ſeruabatur. Exinde eam *Baronius* inſeruit *Annalibus* ad annum 447. (ed. *Rom.* a. 1607. *T.* VI. *pagg.* 43. 44. *Colon.* a. 1624. *p.* 50. ed. *Manſ.* *T.* VII. *pagg.* 604. 6.) et *Franciſcus Biuarius* (*Commentariis* in *Chronicon Maximi* Continuatoris Pſeudo Dextri (Madriti 1651. f.) ad a. 445. n. 6. *pagg.* 157—159. qua occaſione fuſe de Turibio diſputat. Mox recepta fuit inter *Concilia Hiſpaniae Cardinalis de Aguirre* et cum notis eius illuſtrata in editione priori (*Romae typis Io. Iac. Komareck* 1694.) *T.* II. *p.* 218—222.; noua autem (*Romae ex typogr. Ant. Fulgonii*) *T.* III. *p.* 108—111. Leoninis Epiſtolis inſeruit primum *Paſch. Queſnellus* poſt Leonis ad Turibium Epiſtolam quae numero eſt XV. Nouiſſime recuſa eſt a *Balleriniis* poſt eandem Leonis epiſtolam *T.* I. *col.* 711. quem locum tamen non tam §. 3. Editiones.

 conſilio

*) *Antonius* in *Bibl. Hiſp. Vet. Lib.* III. *c.* IV. *p.* 104.

conſilio editorum, quam errore typographorum, quibus Queſnellianum exemplum deſcribendum datum erat, obtinuit. Subiicienda enim erat in Appendice *T.* I. *p.* 1478. Sed bis repetere noluerunt. Plurimum lucis huic epiſtolae affunditur ex animadverſionibus Queſnelli ad laudatam Leonis epiſtolam, ed. Lugd. p. 445. quibuscum iungendae ſunt Ballerinorum in eaſdem notae *T. III. col.* 1362—86. *Baluzius* in *praef.* ad *Nov. Conc. Collectionem* in ſuſpicionem hanc epiſtolam adduxerat, ſed ſatis eam antiquitate codicis Aemiliani vindicari demonſtrarunt Ballerinii: quippe codicis iſtius notitiam, tametſi quidem haud ſatis exactam, dedit *Ambroſius de Morales;* ſed Leonis editores ex *libro Canonum*, quem ante Ambroſium a. 1575., iuſſu Card. Quirogae, Io. Bapt. Perezius ex mss. Hiſpanicis conſcripſit et Romam ad Gregorium XIII., vt emendationi Gratiani inſeruiret, tranſmiſit, vbi nunc in Bibl. Vat. n. 4887. cuſtoditur, affirmant, ms. huius Aemiliani, qui inter alios Hiſpanae collectionis codices in eo fuit adhibitus, antiquitatis et praeſtantiae adeo manifeſta eſſe indicia, vt omnem de interpolatione aut ſuppoſitione ſuſpicionem penitus tollant.

52.

LEO. BITVRICENSIS,

§ 1. Vita Bituricenſis in Gallia Auaricum epiſcopus, variis per hoc tempus ibidem coactis Conciliis interfuit, aut praefuit, eorumque actis ſubſcripſit, veluti Andegavenſi a. 453. et Turonenſi a. 461.

§ 2. Scripta. Atque etiam *Epiſtola*, quam cum Victurio et Euſtochio Epiſcopis *ad Epiſcopos* et *Preſbyteros Eccleſiarum prouinciae tertiae Lugdunenſis* ſiue *Turonicae* (olim male ferebatur *Thraciae;*) a. 454. dedit, e Synodo fortaſſe aliqua ſcripta fuit, vt pridem ſuſpicatus eſt *Sirmondus* in notis poſth. *T.* IV. *Conc. p.* 667. Recen-

Recenſetur haec epiſtola inter Epiſtolas Leonis Romani et tanquam ipſius in variis codicibus eius Collectionis, quam Ballerinii XII. ſtatuunt, exhibita; inde vna cum Leoninis edita primum fuit a *Merlino*, ex quo in alias tum Conciliorum Collectiones, tum Leonis operum ante Queſnellum editiones fluxit, numerata ordine XCVI. Inter haec *Iacobus Sirmondus* verum eius auctorem detexit et Leoni Bituricenſi aſſeruit, nec Thraciae, ſed *Tertiae Lugdunenſis provinciae Epiſcopis* inſcribendam eſſe docuit in *Conciliis Galliae* (a. 1629.) *T.* I. *pagg.* 119. Notae extant pagg. 599., quibus iungas notas ad Sidonii *Epiſt.* IV. 18. ed. *Pariſ.* 1652. *pagg.* 49. et *Tom.* I. *Opp. p.* 953. Receperunt deinde *Sammarthani* fratres in *Tomum* I. *Galliae Chriſtianae pagg.* 143. (ad. a. 1656.) *Labbeus*, qui a Binio raro vel nunquam abſcedit, inſeruit *Concilior.* Tomo III. *col.* 1420. 21. contentus notam Sirmondi ad calcem adieciſſe. Queſnellus eam omiſit. *Ballerinii* vero adiecerunt in *Appendice Epiſtolarum Leonis T.* I. *col.* 1469—72. §. 3. Editiones.

53.

SALONIVS,

Eucherii Lugdunenſis Epiſcopi filius, cura paterna et Honorati, Saluiani, et Vincentii Lirinenſis praeceptorum inſtitutione cum fratre Verano optime eruditus mature in eccleſia ſtipendia meruit et ad epiſcopatum *Geneuenſem* euectus eſt *). Idem enim Saluia- §. 1. Vita.

*) Alii *Genuenſem* in Liguria, alii *Vienenſem* prodiderunt. Sed Martyrologia, in quibus *Genuae* epiſcopus ſcribitur, ſemper addunt *in Gallia.* De Vienenſi autem epiſcopatu error natus eſt ex confuſione huius Salonii cum alio eiuſdem nominis, non item conditionis, ad quem apud Viennam vna cum fratre habitantem literae exſtant Sidonii Apollinaris.

Saluianus ad Salonium iam epiſcopum direxit libros ſuos *de auaritia* ſcriptos circiter anno 440. et paulo poſt quoque Opus *de gubernatione Dei*, nec non *epiſtolam* quae inter ſuperſtites eius nona eſt. Ceterum de geſtis eius in epiſcopatu haud quidquam memoriae eſt proditum. Obiiſſe ante annum 475. colligunt ex eo, quod in Concilio Arelatenſi in cauſſa Lucidi presbyteri eodem anno coacto Epiſcopi Genuenſis Theoplaſti nomine mentio fiat.

§. 2. Scripta. Superſunt eius *Expoſitio myſtica in Parabolas Salomonis et Eccleſiaſten* per modum Dialogi inter ipſum et Veranum fratrem, qui percontantis perſonam ſuſtinet, ſcripta, et *Epiſtola* ſuo et fratris et Ceretii epiſcopi nomine *ad Leonem M.* data.

§. 3. Editiones. *Expoſitio* Salonii, ſeu vt antiquiores editiones praeferunt, *in parabolas Salomonis dialogi* II. aut *in parabolas et Eccleſiaſten Salomonis dialogi* ſeorſim primum prodiiſſe fertur *Hagenoae ex officina Ioannis Secerii* 1532. 4. quam editionem haud videre contigit. Dehinc autem inſerta eſt in *Micropreſbyticon Baſileae* apud Henr. Petri a. 1550., *Orthodoxographa Ioannis Heroldi* a. 1555. *p.* 783—808. et *Iac. Grynaei* a. 1569. *p.* 1010—1037. item in *Bibl. PP. Pariſ.* 1575. *T.* VI.; *editionis ſecundae* a. 1589. nec non annorum 1644. et 1654. *T.* I.; *Colonienſem* a. 1618. *T.* V. *P.* III. *pagg.* 382—95. et *Lugdunenſem* a. 1677. *T.* VIII. *p.* 401. ſq.

Epiſtola ad Leonem ſaepius inter opera eius vulgata eſt, et in *editionibus* quidem *Leonis Queſnello anterioribus* poſt Epiſtolam XCVIII.; in *Queſnelliana* poſt Ep. LXXVI. collocatur; apud *Ballerinios* vero eſt numerus eius LXVIII. Queſnelli notae extant in *Tomo* II. *ed. Pariſ. pagg.* 864. *Lugd. pagg.* 478. Edita quoque fuit in *Conciliis Labbei Tomo* I. III. *p.* 1434. 35.

LL.Bb
S3655b
14390
Author Schoenemann, Carl Traugott Gottlob
Title Bibliotheca patrum latinorum.
Vol.2.
DATE.
NAME OF BORROWER.

University of Toronto
Library

DO NOT
REMOVE
THE
CARD
FROM
THIS
POCKET

Acme Library Card Pocket
LOWE-MARTIN CO. LIMITED